


6
5 N
21



M. TVLLII CICERONIS PHILIPPICAE ORATIONES XIIII

IN M. ANTONIVM, A ~~CAELIO SECVNDO CVRIONE~~ POST omnes omnium castigationes diligentius emendatæ: & nouis, ijsq; perpetuis explicationibus illustratæ.


HIS accessere Orationes quatuor, ad Philippicarum argumentum pertinentes, ex Dione historico, eodem ~~Cælio Secundo~~ Curione interprete & explicatore.

Omnia cum copioso atq; utili Indice.



BASILEAE M D LI

CAELIVS SECVNDVS CVRIO, EDVARDO VI BRITANNIAE ATQVE HYBERNIAE Regi serenissimo s. d.





OMNES homines natura duce libertatem amant, odere seruitutē: & iure quidem. Nam ut in libertate summū est bonum, sic in seruitute summum malum. Sed in eo dissentiūt mortales, quòd quænam sit libertas, aut ubi consistat, nō omnes idem prorsus existimant. Sunt enim qui libertatem esse dicant, potestatem uiuendi ut uelis, ita ut nec hominibus, nec legibus ullis pareas. alij contrà, eum liberum putant, qui omnibus paret & legibus, & hominibus, sed liberè, nullo metu, nullaq; necessitate. Verum priores confusionem uitæ rerumq; omnium inducunt. Si enim uiuere ut uelis, ea demum libertas est: & sunt homines, qui flagitia, qui cædes, qui rapinas, furtaq; uelint, tam hæc ad mala quàm ad bona libertas erit: breuiterq; nihil hæc præclara libertas fuerit, quàm scelerum omnium impunitas atq; licentia. Hinc illa Romæ Duronij cuiusdam impudens uox, ut est apud Valeriū Maximum, Quid opus est libertate, si uolentibus luxu perire non licet? Posteriorem uerò, interdum necesse est esse seruitutem. parendum enim erit tyranno, eiusq; legibus: quod etiam si uolens feceris, tamen sua natura seruire est. Quippe uera & sincera libertas non euentu aut fortuita aliqua re, sed natura, nec aliqua ex parte, sed omnino & perfecte consideranda est. Vbi autem, quóue rerum statu contineatur, non minus diuersæ hominum sunt sententiæ: alijs eam in regia republica, alijs in optimatum, alijs in populari constituentibus. Vt autem huius rei ueritas elucescat, primum quid sit libertas, constituendum est: deinde in qua republica inueniatur considerandum. Principiò cum libertas multis modis intelligatur, nos hic de ea libertate agimus, quæ cōmunis est ciuium qui sunt eiusdem ciuitatis. Ea autem est tranquilla securitas ciuium, legum optimarū æquitate parta, & conseruata. In hac libertate uita, corpora, fortunæ, dignitas, & existimatio tuta ab insidijs, & ab omni iniuria sancta sint oportet: liceat unicuique res suas liberè agere domi & foris, priuatim & publice, nemine impediente. Hæc libertas non magis in hac quàm in illa reipublicæ forma reperitur: sed ubicunq; uigent illæ optimæ & sanctissimæ leges, ubi disciplina ciuium, siue illa sit regia potestas, siue optimatum autoritas, siue populi dignitas, ibi dulcissimæ libertatis domicilium inuenitur: ibi pax, ibi tranquillitas, ibi beata ciuium uita. Non igitur aut ex multitudine, aut paucitate gubernantium, libertatis sedes erit æstimanda, sed ex legum & disciplinæ ciuium bonitate. Non est tamē negandum, tutiorem esse libertatem in uno reipublicæ statu, quàm in alio. Nam quamuis ciuitatum illę tres formæ singulæ in suo sint genere perfectæ (parum enim refert siue unus, siue

pauci, siue multi bene & sapienter Remp. moderentur, & beatã faciant ciuitatẽ) cum tamẽ inter se cõparantur, alia quàm alia difficilior inuentu est, & ad mutationẽ procliuior. Neq; enim negari potest, difficilius esse multos inuenire bonos & sapientes, quàm paucos, & paucos quàm unũ. Sed nec illud inficiabitur quisquã opinor, magis aptã ad seditiones & mutationes propter uoluntatũ opinionũq; uarietatẽ, popularẽ, quàm optimatum: atq; ob id unius (siue hunc regẽ, siue ducẽ, siue principẽ, siue ut Homerus uocat, pastorẽ populorũ, appellare uelimus) administrationẽ, esse à motibus & seditionibus tutiorẽ: & idcirco diuturniorẽ. Itaq; minus tuta erit libertas in populari ciuitate, tutior in optimorũ, tutissima in regno sanctissimis & firmissimis legibus cõstituto: cuiusmodi est regnũ tuum EDVARDE rex, quod antè humanis legibus constitutũ, nunc diuinis cõfirmas & exornas: ut utraq; & corporũ & animorũ, diuina atq; humana ciues & populi tui libertate paceq; fruãtur. Tale regnũ non refugisset Cato, nõ damnasset Brutus, non exagitasset Cicero. Nam si libertatis amore reges exegit Brutus, necẽ sibi intulit Cato, si Antoniũ tot orationibus ac decretis cõfixit Cicero, te retinere Brutus uoluisset, te uidere & amplecti Cato cupiuisset: te Cicero longe magnificẽtius quàm Deiotarũ laudasset, tantisq; laudibus diuina illa sua eloquẽtia celebrasset: quãtis ignominię sempiternis notis inussit Antoniũ. Nacti enim quam tãtopere patriæ libertatẽ expetebãt, eamq; multis modis cumulatiorẽ, quid non principẽ libertatis coluissent?

Neq; enim Romani, quod pleriq; putant, regni aut regũ odio flagrarũt, sed tyrannidis, quæ sese regni nomine uenditaret: nec Tarquinios exegerant, quòd reges appellarentur: uerũ quoniã ex regibus in tyrannos crudelissimos essent cõmutati: cui rei argumẽto est, quòd duos uiros regio imperio in ciuitate esse uoluerunt: quòd Dictatorẽ in magnis periculis cum omni summa potestate, & imperio plus quàm regio creare consueuerunt: quòd eum qui rebus sacris, quiq; ærario præesset, regẽ aperte nominauerunt: quod non fecissent, si à regia potestate prorsus abhorruissent. Intelligebant Romani, nec sapientes uiros latere poterat, ab uno rerũ esse principia, & in unum cuncta redire. unã esse numerorũ omniũ originẽ, ab uno puncto omnes formas in Geometria coagmentari: unã esse rerum naturalium materiã primã, quæ omnia fulcit & sustinet: & in quã dissoluta reuertuntur. Vnum habere singula animantiũ genera ducẽ & principẽ, adeo ut etiã apes regi uni pareãt, unũ respiciãt, unum sequantur. & ut Poeta canit:

Regem non sic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant: rege incolumi mens omnibus una est:
Amisso, rupere fidem, constructaq; mella
Diripuere ipsæ: & crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circunstant fremitu denso, stipantq; frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant: pulchramq; petunt per uulnera mortem.

Vnum præterea esse solem, ducẽ, & principẽ, & moderatorẽ luminũ reliquorum

quorũ: & ut ad rerũ omniũ apicẽ supremãq; legẽ ueniamus, unũ esse deũ patrẽ, unũ regẽ regũ, & dominũ omniũ, qui omnia in cœlo terraq; moderatur, à quo omnes rerumpublicarũ laudabiles formæ in terris cõstituuntur: aliæ alijs perfectiores, prout ad cœlestis Reip. exemplar & formam magis accedant. Quinetiã illud non ignorabãt Romani, omnes antiquas gentes regibus quondam paruisse: quod genus imperij primũ ad homines iustissimos & sapientissimos, ut par est, deferebatur. Mihi quidem non apud Medos solũ, quod putauit Herodotus, sed etiã apud alias gentes iustitiæ & libertatis fruendæ causã uidentur olim bene morati reges constituti. Nam cũ premeretur initio multitudo ab ijs qui maiores opes habebant, ad unũ aliquẽ cõfugiebant uirtute præstantẽ, qui cum tenuiores prohiberet iniuria, æquitate cõstituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eadẽq; cõstituendarũ legũ fuit causa, quæ regũ. Ius enim semper quæsitũ est æquabile: neq; enim aliter esset ius. Id si ab uno bono & iusto uiro cõsequebantur, eo erant cõtenti: cum id minus contingeret, leges sunt inuentæ, quæ cum omnibus una semper atq; eadẽ uoce loquerentur. Vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: uereq; dici potest, Magistratũ, legem esse loquentẽ: legẽ autem, mutum magistratum. Ergo hoc quidem cõstat, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset multitudinis opinio. Adiuncto uero, ut ijdem etiã prudentes haberentur, nihil erat quod homines his autoribus non posse cõsequi se arbitrarẽtur.

Quod si quis dicat, regiã administrationẽ minime à deo probatã esse, utpote qui ægre tulerit, Israelitas regẽ postulasse: sciat, nõ idcirco moleste tulisse deum, quòd regẽ poposcissent, sed quòd aliũ quàm se regẽ uoluissent. Nam cum illos præsens regeret per uates deus, illi autẽ regẽ peterẽt, deum ipsum à Reip. gubernaculis depellere uidebãtur. Hoc igitur queritur, debuisse eos se rege cõtentos esse: & tamẽ ita fauit eorum regibus, ut suum filium, quẽ regẽ erat orbi terrarũ impositurus, à clarissima stirpe regũ nasci uoluerit: ut in eo significaret, se regium Reip. genus cõsecrare, et omnibus uenerandum mortalibus tradere. Quinetiã à Mose Israelitarũ imperatore, & deinceps usq; ad Saulum, unum semper inter Israelitas principẽ esse uoluit: qui etsi reges nondũ dicebãtur: & qui pij erant, unum deum regẽ esse uolebãt, imperio tamẽ penè regio Remp. gubernabãt. Quid, quod Melchisedechus, qui fuit Abrahami æqualis, Solymæ rex, summiq; dei sacerdos fuit? ut iam nihil dubitemus affirmare, regiã dignitatẽ antiquissimã esse: & magnis regis Iesu mysterijs cõsecratã: præsertim cũ & ipse sanctã suã Remp. regnum uoluerit appellari. Quamobrẽ nõ si Cicero, cum alibi, tum in Philippicis, multa in regnum & reges dixisse uidetur: ea dixit contra bene moratos & iustos reges, sed cõtra tyrannos eum dominatũ Romæ cupientes, aut exercẽtes, quẽ Tarquinius Superbus exercuerat, nimirum crudelẽ, impotentẽ, & superbissimũ. Preterea boni uiri, Reip. statum, qualiscũq; erat, mutari nolebãt: idcirco omni animi cõtẽtione, equis uirisq; libertatẽ, quã in ea Rep. inueniebãt, tueri & cõseruare conabãtur. Qui eam mutare uolebant, eos reges, eos tyrãnos, barbaros, sceleratos, pestesq; ciuitatis appellabant. Fuerat Romana ciuitas initio optimis et legibus et morib. constituta:

non in una aliqua trium illarũ inclusa, sed ex tribus conflata & tẽperata. In ea enim Consules, & si quando creabatur, Dictator, regium imperium: Senatus & Patritius ordo, optimatum: & quoniã in ea ciuitate magna erat populi maiestas, popularẽ statum repræsentabant: quæ magna ex parte causa fuit, eius amplitudinis atq; potẽtiæ: & fuisset etiã diuturnitatis (quam ex eo Venetorũ resp. cõsecuta est) si modũ adhibuissent in dãdis magistratibus, & in legibus perferendis. Nam & ad eosdẽ magistratus nimis sæpe eosdem ciues admouebant: & nimia erat illa ferendarũ legũ licentia: ex quibus rebus magni sępenumero motus extiterunt. Debuissent etiã circumscribere suorũ prouincialiũ, & imperatorũ autoritatẽ: atq; eisdem opum metã statuere: certa stipendia, ut hodie faciunt Veneti, assignare: præterea legibus cogere, ut omnia tributa, uectigalia, pensiones, omnẽ prouinciarum iustam pecuniã, omnes hostium manubias, & prædas, præter certam portionem, quæ imperatoribus & militibus tribueretur, in ærarium ciuitatis, ut maiores illi, Valerius Publicola, Curius Dentatus, Fabricius, Scipiones, Pauli, atq; alij faciebant, inferre. Ex quo reipublicæ potentia, non imperatorum creuisset: nec ipsi imperatores potentia insolentes facti, & cupidi principatus, rempublicam perturbassent: &, quod tandem fecerunt, euertissent. Hac igitur principatus cupiditate, cum Cicero libertatis amantissimus flagrare uideret Antonium: eumq; reipublicæ euersionem, & cædes bonorum, quasi alterum Catilinam minitari, hisce diuinis Orationibus, quas ipse Philippicas nũcupauit, exagitauit, proscidit, hostemq; patriæ iudicauit: ac, quoquomodo id ei ceciderit, has tanquam cygneas uoces, suæ perpetuæ erga patriam uoluntatis reliquit. Has ego tibi Rex EDVARDE dicare liberali & sincero animo constitui: meis non exiguis laboribus, & emendatas diligẽter, & quantum mea mediocritas tulit, explicatas. quibus tanquam appendix quædam, quatuor Orationes accesserunt, quas nos ex Dione rerum Romanarum Græco scriptore, & cõuertimus, & eodem tenore explicauimus. Nihil est quod tibi pollicear, nihil quod meos labores laudem. In manibus tuis sunt. Tu ipse, quo polles ingenij acumine, & bonarum eruditione literarum, iudicabis: iudicabit etiam uir iudicio & sapientia singulari, Ioannes Kekus, præceptor tuus: iudicabunt & reliqui, ad quorum manus, tui saltem nominis apud omnes amabilissimi atq; auspicatissimi causa, perueniẽt. Quod si tibi placuerint, bene habet: nam spes est etiam reliquis placituras. Vnum tantum dicam, nisi hasce meas uigilias tuis istis pulcherrimis studijs aliquid utilitatis allaturas sperarem, nec tuo nomine diuulgare, nec ad te mittere ausus unquã essem: quemadmodum nec filio meo superiore anno fuissem assensus, ut tuæ Maiestati suas pueriles exercitationes, & quasi primitias consecraret. De ipsis autẽ Philippicis, earũq; utilitate dicerẽ hic aliquid, nisi sequẽti nostra oratione, quæ dicẽda uidebãtur, dixissem. Accipies igitur Christiane rex hanc animi mei erga te obseruantiã: quæ hoc munusculo declaratur: quã, si tibi probata fuerit, & mihi deus ille pater annuerit, alijs posthac huiusmodi monumẽtis, cõtestabor. Regem illum summũ precor, ut te suo numine & augeat, & tueatur.

Basileæ, à CHRISTI Seruatoris natali M.D.LI. Mense Septembri.

~~CAELII SECVNDI CVRIONIS~~ ORATIO, CVM PHILIPPICAS CICERONIS EXPLICATVRVS ESSET, HABITA: In qua deliberatiui generis doctrina omnis breuiter atq; eleganter explicatur: & simul Philippicarum indicatur excellentia.



NTEQVAM Orationes ipsas incipiam explicare humanissimi auditores, exponam uobis breuiter consilium meum, cur hoc tempore Ciceronis Philippicas potissimum uobis explicandas sumpserim. neq; enim tam uariũ & præclarum opus sine præfatione inchoandum fuerat. Duo sunt igitur quæ me ad id maxime impulerunt: tempora ista primũ, deinde causę, quo in his Cicero utitur, genus. ac de his duobus cõiunctè nonnihil dicemus. Tempora quæ sint uidetis, turbulenta, temeraria, periculosa, non minus, ac potius longe magis, quàm ea, propter quæ hasce Philippicas Cicero dixit, fuere: adeò ut nisi cõsilio sententiaq; ualuerimus, impendens malum à ceruicibus nostris depellere non possimus, quod quidem & uidemus & timemus pleriq; omnes: sed inertia & mollitia animi, (quod omnium pace dictũ uelim) aut etiam studijs diuersis & dissensionibus, alius alium expectantes cunctamur: uidelicet dijs immortalibus cõfisi, qui nos sępe in maximis periculis seruauere. quasi illi nobis dormiẽtibus, sineq; nostra prorsus opera, omnia aut cõfecerint, aut sint cõfecturi: tametsi ego hanc fidentiã laudo, atq; in dei Opt. Max. præsidio firmã & minime uacillantẽ spem à Christianis hominibus requiro: uerũ ita ut neq; cõsiliũ, neq; prouisio, neq; procuratio ulla interea remittatur. Recte quidem Cato apud Sallustiũ ait, si modo recte intelligatur. Non uotis neq; supplicijs muliebribus, auxilia deorum parari: sed uigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedere: quod si quis socordiæ se atq; ignauiæ tradiderit, necquicq; deos implorari, utpote, qui irati infestiq; sint. Sed cõsilium primũ esse debet, facti diligentia sequi: ita utrunq; per se indigens, alterum alterius auxilio eget: & hæc ipsa deus propitius gubernat, & moderatur: cuius opem assiduè implorare debemus, eumq; pietate, sanctitate uitæ, & morum correctione placare. Consiliũ autem non quoduis, sed prudens, consideratum, lentum & graue esse debet: actio uero nulla cunctatione impedita : ita enim uiri sapientes docuerunt. hinc Sallustianũ illud præclarum: Nam & priusquã incipias consulto, & ubi consulueris mature facto opus est. hanc rationem semper Patres illi in populo dei, maioresq; nostri tenuerunt, semperq; hæc tria coniunxerunt: ardentem precationẽ, consiliũ prudens, & consilij celerem expeditionẽ. Ad consiliũ autẽ de Rep. dandum sententiamq; dicendam (nam de eo genere quod Gręci συμβουλευτικὸν uocant hic nobis propositũ est pauca dicere) tribus est opus rebus: rerumpublicarum cognitione, morum legumq; ciuitatis in qua uersamur intelligentia, & rerum utilium atq; honestarum eorumq; quæ his contraria sunt, scientia: ad quam duo illa prima referuntur. Nam qui utilitatẽ solam, nudamq;, finem huic generi statuunt, ij non quid maxime uelit suasor, sed quid interdum magis sequatur, uident. Nemo est enim, præsertim in bene instituta moderataq; ciuitate, quin putet expetendam maxime dignitatẽ : sed uincit utilitas plerunq;, cum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Controuersia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrũ sit utilius: aut etiã, cum id cõuenit, certatur, utrũ honestati potius, an utilitati consulendũ sit. Quæ quia pugnare sæpe inter se uidentur, qui utilitatẽ defendet, enumerabit cõmoda pacis, opum, potẽtiæ, pecuniæ, uectigaliũ, præsidij militũ, utilitates cæterarũ rerum : quarũ fructũ utilitate metimur: itẽq; incõmoda cõtrariorũ. Qui ad dignitatẽ impellet, maiorũ exẽpla quæ erũt uel cum periculo gloriosa colliget: posteritatis immortalẽ memoriã augebit: religionis pręstantiã & neces-

ſitatem, metumq́; numinis diuini exaggerabit: utilitatem ex honeſtate laudeq́; naſci defendet, ſemperq́; eam cum dignitate eſſe coniunctam. Sed quid fieri poſſit, aut non poſſit, quidq́; etiam ſit neceſſe, aut non ſit, in utraq; re maxime eſt quærendum. Inciditur enim omnis iam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſſitas affertur, & qui id docuit non uidentibus alijs, is plurimũ uidit. Dare igitur conſiliũ Reip. de aliqua re, ſiue id ſuadendo quis faciat, ſiue diſſuadendo, grauiſſimæ mihi uidetur eſſe perſonæ. Nam & ſapientis eſt conſilium explicare ſuum de maximis rebus, & honeſti & diſerti, ut mente prouidere, autoritate probare, atq; oratione perſuadere poſſit. Atq; hæc in ſenatu minore apparatu agenda ſunt. Sapiens enim eſt conſilium, multisq́; alijs dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenij oſtentationisq́; ſuſpicio: idcirco principia uel non longa adhibenda, uel ſæpe nulla: ſunt enim ad audiendũ qui deliberant, ſua cauſa parati: nec multum ſanè ſæpe narrandum: eſt enim narratio præteritarum rerum aut præſentium: ſuaſio futurarũ. Paulo ſecus cum populo agendum eſt, cum in eo genere uerſamur quod à Græcis δημηγορικὸν: à noſtris, ſi qui id fortè nominarunt, concionale appellatur. concio enim capit omnẽ uim orationis, & grauitatem uarietatemq́; deſiderat. Et quanquam una ferè uis eſt ſæpe eloquentiæ, tamen quia in libera ciuitate magna dignitas eſt populi, grauiſſima cauſa Reip. maximi motus multitudinis, genus quoq; dicendi grandius quoddam & illuſtrius eſſe adhibendum uidetur, maximaq́; pars orationis admouenda eſt ad animorum motus: nonnunq; aut cohortatione aut cõmemoratione aliqua, aut in ſpem, aut in metum, aut ad cupiditatẽ, aut ad gloriam cõcitandos: ſæpe etiam à temeritate, iracundia, ſpe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocandos. Et cum ſint populares multi, uarijq́; lapſus, uitanda eſt acclamatio aduerſa populi, quę aut orationis peccato aliquo excitatur, ſi aſpere, ſi arroganter, ſi turpiter, ſi ſordide, ſi quoquo animi uitio dictum eſſe aliquid uideatur, aut hominum offenſione, uel inuidia, quæ aut iuſta eſt, aut ex criminatione atq; fama, aut res ſi diſplicet, aut ſi eſt in aliquo motu ſuæ cupiditatis aut metus multitudo: hisq; quatuor cauſis totidem medicinæ opponuntur. Tum obiurgatio, ſi eſt autoritas in oratore tanta, ut obiurgatione populum continere poſſit: tum admonitio, quæ eſt quaſi lenior obiurgatio: tum promiſſio, ſi audierint probaturos: tum deprecatio, quod eſt infimum, ſed nonnunq; utile. Nullo autem loco plus facetè & breuiter dicta proſunt, & apologi, & parabolæ, nec ſine dignitate & cũ lepore. nihil enim tam facile q; multitudo: à triſtitia & ſæpe acerbitate cõmode, ac breuiter, & acutè, & hilarè dicto deducitur: id quod uel Agrippæ illius apud Liuium de ſeditione membrorũ corporis humani collatio facile probat, qua ingentes motus & ſeditionẽ plebis Romanæ ſedauit. Hæc ſunt ferè quæ in deliberando ſententiaq́; uel in ſenatu, uel in concione, cum agendum quid cum populo eſt, dicenda, magni autores uerſari putauerunt: quæ ſi quis teneat, atq; uti cum dignitate poſſit, is ſapiens, is orator, is princeps in ciuitate habendus eſt. Talis fuit Moſes ille, talis Ioſua, Dauid, Solomo, in populo dei: tales fuerunt apud alias gentes, Solon, Themiſtocles, Pericles, Fabij, Catones, Scipiones, Ciceroq́; noſter, cuius conſilijs & eloquentia ſæpe de manibus audaciſſimorũ hominũ delapſa arma ceciderũt. Parua enim ſunt foris arma (ut hic noſter uere dixit) niſi eſt cõſilium domi. Nec plus Cn. Pompeius ſingularis & uir & imperator in debellando Mithridate Reip. profuit, quàm eodem tempore M. Cicero, cum Catilinæ conatus nefarios repreſſit, & periculoſiſſimam coniurationẽ illuſtrauit & extinxit. Quantũ uero in hoc genere præſtiterit, uel hæ XIIII. conſulares orationes, quas partim in ſenatu, partim in concione contra hominẽ pernicioſum M. Antoniũ Romanã libertatẽ intolerabili tyrannide opprimere conantẽ habuit, abũde declarãt. In his enim nullus eſt cõſultationis locus, quem non uerſarit, illuſtrarit, explicarit: quid utilitatẽ, quid dignitatẽ ſequenti faciendũ ſit, docet: quid factu facile, quid contrà difficile, oſtendit. Neceſſariũ aũt illud eſſe confirmat, ſine quo ſalui liberiúe eſſe nõ poſſumus. Itaq; ſeruitutẽ poſtremũ malorũ omniũ eſſe, nõ modo bello, ſed morte etiã repellendũ. Hęc & alia eiuſmodi oſtẽdere & explicare illi facile fuit, qui Rerump. formas omnes, earũq́; lapſus et mutationes noſſet: qui mores legesq́; ciuitatis ſuæ optime teneret: qui honeſtatis, qui utilitatis locos omnes, aliaq́; quæ in hominũ uita uerſanẽ, quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, meditata,

agitata

agitata, haberet: qui quibus modis sensus mentesq; hominum pertractarentur, inflam
marentur, restinguerentur, percalleret: qui deniq; ita genus formãq; dicendi, totamq;
actionem rebus ipsis hominumq; moribus atq; naturis accõmodare posset, ut nihil ab
surdum, nihil alienum, nihil intempestiuũ, nihil quod ab hominum abhorreret opinio
ne, pronunciaret: utpote qui quid, quoq; loco, & quomodo quidq; dicendũ esset per-
nosceret. Quanquam, cum in Antonium hasce orationes haberet noster Orator, iam
eius, ut ipse quoq;, canescebat oratio, habebatq; tum suam, ut ipsemet ait, quandam
maturitatem, & quasi senectutem. Mutarat enim dicendi genus, quod ille in senectu-
te faciendum in primo de Oratore dialogo, monuit: & iam remissius aliquanto dice-
bat, & lenius quam soleret. Nec tamen minus eius grauissimi sermonis lenitas, quàm
illa summa uis & contentio, probatur: multiq; oratores fuerunt ut illum Scipionem le
gimus & Lælium, qui omnia sermone conficerent paulo intentiore: quod & hoc tem
pore pleriq; diuini Oratores faciunt: in quorũ numero (quos in illa nostra quondam
Italia ipsi audiuimus) sunt Bern. cognomẽto Ochinus, siue latine Ocellus. Aug. Mai-
nardus, Petrus Vermilius, & Iulius Quercens (& si hic ætate multo minor sit quàm
illi) quorum sermones maturitate lenitateq; illa grauissima, non lateribus, aut clamo-
re, aut incondita contentione uocis & gestus cõmendantur. Talis quoq; fuit Deside-
rius Erasmus ille, quod ex eius scriptis & monumentis (quæ plurima immortalitati
cõmendauit) non minus iudicare possumus, quàm de Theophrasto, eiusq; discipulo
Phalereo Demetrio, Cicero: quorum utrunq; Oratorem non ita uehementẽ, sed dul-
cem tamen & copiosum iudicauit. Quid? an non harum præstantiam orationũ perfe-
ctionemq; declarat, quod Plutarchus Ciceronem in eis scribendis summam diligen-
tiam adhibuisse scribit: ob eamq; rem Philippicas in Antonium Demosthenis uerbo
appellasse? quod quidem alienum non est, ab eo quod ipsemet Cicero de ijsdem scri-
psit ad Atticum. Fuit enim mihi cõmodum, inquit, quod in eis orationibus quæ Phi-
lippicæ nominãtur, enituerit ciuis ille tuus Demosthenes: & quod se ab hoc refracta-
riolo iudiciali dicendi genere abiunxerit, ut σεμνότερος τις καὶ πολιτικώτερος uidere-
tur: curare, ut meæ quoq; essent orationes, quæ consulares nominarentur. Ex his uer-
bis iam uos intelligere arbitror, in his scribendis Demosthenem eum exprimere uo-
luisse. cuius XVII. suasoriæ extant orationes, in quibus quatuor illæ sunt, quas in Phi-
lippum Macedoniæ regem scripsit, cum Græciæ totius, tum præsertim Athenarum li-
bertati inhiantẽ. Quæ cum ita sint, cogitare debetis adolescentes optimi, me hisce im-
pulsum causis, hasce in amplissima republica summi oratoris & consularis amplissimi
Ciceronis consultationes, uobis quantum deus ille Opt. Max. ocium nobis & pacem
largietur, explicare constituisse: ut à quo fonte nobis adiuuantibus, consultationum
præcepta, doctrinamq; hausistis, ab eodem etiam perfecta hauriatis exempla: quo, ad
eius imitationem formati & eruditi, saluberrima & fidelissima uestris ciuitatibus con
silia, si quando ad gubernacula Reip. uobis sedere contigerit, cum omni orationis dig
nitate, dare possitis. Nam si ea sunt tempora, si hominũ mores, si studia, quæ labem in-
tegris, pacatis bellum, seruitutem liberis, religionis sanctissimæ mutationem, siue in-
teritũ potius (quod deus omen in ipsum cõuertat caput) atq; omniũ rerũ uastationem
minantur, nemo, opinor, negabit, consilijs opus esse optimis, quibus uenientibus ma-
lis mature occurratur. Dies enim affert, & hora potius, nisi prouisum est, magnas sæpe
clades. Atq; ut prudenter ab Oratore quoq; nostro dictũ est, Minimis momentis ma-
ximæ inclinationes temporũ fiunt. Consilia autẽ sine doctrina usu & exemplis, sineq;
eo genere dicẽdi, quod cõsultationes deceat, explicari satis cõmode nõ possunt: quæ
omnia cum in hisce cõsultationibus summa omnibusq; numeris & partibus absoluta
perfectaq; sint, quid uel nos hoc tẽpore uobis explicare, uel uos à nobis audire utilius
possitis, non sané uideo: præsertim cũ pauci admodũ hodie laudanda faciant, uitupe-
randa pleriq;: & in his orationibus sint, non laudandi modo & uituperandi exempla
præclara, sed etiam accusandi, ac defendendi: quæ sunt reliqua causarum genera duo:
quanq; forenseis aliquot tũ priuatas, tũ publicas, iam à nobis audiuistis. Quod si qui
sunt, qui hęc cõtẽnenda putẽt, quod Ciceronis cõsilia Reip. Romanæ perniciosa fuis-
se uideant, hi uelim mihi cõsiderẽt, si ab euẽtu hominũ cõsilia & actiões cẽsendæ sint,

pletaq; in humanis rebus, quæ rectis consilijs atq; ordine facta sunt, uituperanda esse, quod exitum infelicem habuerunt: & contrà, multa laudanda, quæ aut perniciosis, aut imprudentibus ceptis feliciter ceciderunt. Nam ut nec medici, etiamsi optima remedia morbis adhibeant releuare, aut sanare eos ægrotos possunt quorum insanabiles morbi sunt: nec imperatores fortunæ temeritatem, aut proditiones præstare: nec gubernatores nauigandi solertia, tempestates, naufragiaq; semper uitare: sic qui respublicas gubernant, nullis consilijs, nulla prudentia, nullaq; prouisione interdum offensiones & calamitates possunt auertere. In qua re, licet diuinam prouidentiam admirari, sic mortalium mentes cogitationesq; moderantem, ut omnia consilia, omnia facta, omnes conatus, ad ea quæ decreuit perficienda, subseruiant. Quod quidem deus sapientissimus plerunq; facit, ut mortales admoneat, non esse nimis humanæ prudentiæ, consilijsq; quantumuis optimis, confidendum: quod sæpenumero quæ prima atq; utilissima uidentur, ea omnium sunt nocentissima. hoc testantur maiorum exempla, & omnis memoria antiquitatis, Iudæorum, Græcorum, Romanorum. Iudas ille Machabæus eiusq; frater Ionathas (ut alios nunc omittā) uiri & cōsilio boni, & manu prompti, qui tot tantasq; res pro gente sua, & pro maiorū suorum institutis præclaras & maxime salutares gesserant, nònne eo consilio ex quo se putarunt Remp. maxime asserere, eam & se, prorsus euerterunt? Vbi enim fœdus cū Romanis atq; alijs externis gentibus ictum ab ipsis fuit, cum ipsi interfecti fuerunt, tum omnia in unius potestatē uenerunt. Idem accidit Demostheni consilia Atheniensibus contra Philippum Macedonem danti: idem Mediolanensibus cum se Fran. Sfortiæ defendendos propugnandosq; cōmisissent: quem postea non propugnatorem, sed acerrimū oppugnatorē dominumq; senserunt: adeo periculosum est & lubricum alijs potentiam credere, quam tibi conseruatam uelis, deo præsertim aliter cogitante. Nullum enim consilium, nulla prudentia ualet in terris, ubi alia sunt consilia in cœlo: Nec ulla uis humana ea conseruare possit, quæ deus decreuit euertere. Et uerè enim poeta dixit:

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Vnum tamen est, in quo ut uerè dicam, à Cicerone nonnihil peccatum est: quod imperium omne defendendæ Reip. initio statim non curarit aut M. Bruto, & Cassio, aut solis cōsulibus Pansæ atq; Hircio fortissimis uiris, de quorū fide atq; constantia nemo iure dubitare poterat, decernendum. Hi enim & D. Brutū liberare, & Antoniū coercere, & Octauium in officio continere posse uidebantur. Quod si factum esset, ueteranorū magna pars se ad eos, utpote penes quos autoritas, & imperium, & Reip. nomen esset, contulisset. Qua in re plus uidit M. Brutus, cui semper immodici honores in adolescentem Cæsarem congesti, displicuerunt: ut epistolæ eius aliquot testantur. Prudenter tamen Cicero fecit quod Octauio consules fortissimos adiunxit, qui eius cōsilia moderarentur: nisi eius pueri penè, calliditas, siue malitia potius, senis prudentiam, interfectis (ut opinio fuit) ipso autore Consulibus, frustrata fuisset. Sed frustra hæc querimur, cum certum sit summū imperiorū rectorem & moderatorē deum, formam illam Reip. mutare uoluisse, & ad unius imperium potestatēq; transferre. Nam, ut hominum membra, nulla contentione, mente ipsa ac uoluntate mouentur: sic numine deo omnia figuntur, mouentur atq; mutantur. Ad hoc autem efficiendum, cum nihil sine summa ratione consilioq; faciat, Ciceronis hominis alioquin & prudentissimi, & Reip. amantissimi consilijs sibi abutendum putauit: quo ea ratione suis æternis decretis locum daret: ut appareat & hic locum habere quod in sacratissimis literis ab ipso deo dictum legimus: Ego sum qui uatem illum in errorem induxi. Ex uoluntate igitur atq; animo, non ex euentu hominum facta consiliaq; sunt ponderanda: ut quod plerìq; facimus, cui bene quid processerit multū illū prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus: id quod etiam non iniuria reprehendit barbara illa puella à marito decepta, aut poeta ipse potius cum ait:

Exitus acta probat, careat successibus opto
 Quisquis ab euentu facta notanda putat.
At si nostra tuo spumescant æquora remo,
 Iam mihi, iam dicar consuluisse meis.

Hanc

Hanc quoq; iudiciorum leuitatem redarguens Tullius noster in C. Rabirij Posthumi defensione, qui pecuniæ non exiguam summam regi Ptolemæo mutuo dederat: si extitisset in rege fides, inquit, nihil sapientius Posthumo: quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur: ut iam nihil esse uideatur, nisi diuinare sapientis. Quæ cum ita sint, huiusmodi uoces hominum imperitorum contemnitote adolescentes, & adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor: erigite mentes auresq; uestras, & Ciceronem ipsum senem grauissimum, consilia prudentissima atq; honestissima, addo etiam utilissima, si eum exitum quem ipse uoluit & optauit & (nisi hominum cupiditas deiq; consilia obstitissent) habere debuerant, habuissent, suis ciuibus suæq; patriæ, quæ ei uita charior fuit, animo magno atq; humanas res contemnente dantem, attendite: singulas de rebus bonis & malis, honestis & turpibus sententias obseruate: artis usum, uiamq; tractandi ac rationem animaduertite: uerborum uim naturamq; cognoscite: figuras, ornamenta, lumina notate: compositionem, dictionemq; uniuersam huic generi accõmodatam comprehendite. Quod si feceritis, uosq; in hoc genere ad eius imitationem diligenter exercueritis, neq; consilij inopes unquã eritis: neq; ad grauiter, apte, copioseq; dicendam sententiam, imparati. Quæ ut tranquille placideq; perpetuo facere possimus, deum Opt. Max. Iesu Christi domini nostri regisq; & imperatoris omnium patrem precari, atq; implorare debemus.

GENERALE PHILIPPICARVM OMNIVM ARGVMENTVM, IN QVO SVMMATIM HISTOria illius temporis cōtinetur: de Antonio, de Octauio Cæsare, de Cicerone, & coniuratis: & simul Philippicarum causæ notantur.

EX PLVTARCHO



RVCIDATO in senatu Cæsare, primo quidem Antonius in- A
signia magistratus abiecit, & mutata ueste se occultauit. Deinde
ut audiuit illos nemini nocere, sed globo facto in Capitolium se
recepisse, egressus è latebris, filium suum ad eos misit in Capito-
lium, ut pro obside illum tenerent, è Capitolioq; descenderent.
Quo facto ipse quidem eodem die C. Cassium ad cœnam apud
se habuit, Lepidus autem Brutum. Postridie uerò frequenti sena-
tu retulit de obliuione discordiarum, deq; prouincijs diuidundis.
Cui quidem senatus summo studio assensus cum esset, adiunxit & acta Cęsaris rata ma
nere: celeberrima fuit illa dies Antonio, nec dici quidem posset, quantā sit laudem iu-
dicio omnium mortalium consequutus. Videbant enim intestinum bellum per illius
prudentiam sublatum esse, & in rebus difficillimis ac turbulentissimis, bono consilio
ciuiliq; animo fuisse. Sed tamē cito illum ab hac sententia deiecit principatus cupido,
quem se post cognitam mentem plebis haud dubie adepturū putabat, si Brutus è me- B
dio tolleretur. Nam cum Cæsarem (ut mos erat in funere) pro rostris laudaret, animad
uertens multitudinem oratione sua mirabiliter ductam, admiscuit laudibus commise
rationem, stimulosq; animorū, & in perorando uestem Cæsaris explicuit sanguine fœ
datam, & in plurimis locis cęsam gladijs, & ea qui patrassent impios scelestosq; uocās,
tantum furorē multitudini iniecit, ut corpus Cæsaris in foro cremarent, subsellijs men
sisq; undiq; ad pyram raptis, & accensis facibus, ad occisorum domos percurrerēt. Ex
hoc Brutus cæteriq; ex urbe migrarunt: Cæsaris uerò amici ad Antonium se contule-
runt, ad quem etiam Calphurnia uxor pecuniam à Cęsare relictam transtulit, & penes
eum deposuit. Erat autem numerus quatuor millia talentorum. Accepit etiam Cæsa-
ris commentaria, in quibus decreta iudicataq; erant scripta. Ad hæc Antonius quod li
bitum fuit addens, alijs magistratus dabat, alijs immunitates, multi senatores facti, ple
riq; ab exilio reducti. Et hæc omnia faciebat, quasi à Cæsare decreta. Quamobrem io-
cantes Romani, eos omnes Charonitas appellabant. Nam si quid illis obiectum erat, C
continuo in mortui confugiebant chirographa. Hæc & alia præterea multa contra le-
ges fecit Antonius, ipse quidem consul, L. uerò fratrem tribunum plebis, & Caium al
terum fratrem prætorem, socios habens. His extemplo Antonius elatus est, ac ueluti
dominaturus urbi, omnibus timori esse cœpit, Ciceroniq; maxime. Nam potentiam
suam in urbe iterum firmam aspiciens, & aduersus autores cædis tempus offerri, cœ-
pit moleste angi præsentibus, præbuitq; suspicionem dissimilitudinis uitæ animiq; sui
immutati. Quamobrem id animaduertens Cicero, enixe instat uti cum Dolabella le-
gatus in Syriam nauiget. Sed Hircius & Pansa uiri clari & optimi Ciceronis studio in-
censi, inituri consulatum post Antonium, ne se deserat orare, qui Antonium opprime
re præsente eo suscepissent. Quare Cicero non omnino diffidens, quanquam id etiam
parum crederet, Dolabellam missum fecit. Inde data fide Hircio, se Romæ affuturum D
cum consulatum iniret, Athenis ęstiua ducturus solus nauigat. Sed in itinere ipso cum
moram tereret, et noui sermones (ut assolet) ab urbe ferrentur, pœnituisse Antonium,
eumq; mire mutatum, ac omnia ex senatusconsulto agere tractareq;: præterea ut re-
cte singula componerentur, urbem eius indigere præsentia, secum questus quòd ni-
mium sui cautus esset, Romam repetit. Nec primum spe sua deceptus est: tanta enim
ciuium copia sibi obuiam itum est, ut in eius ingressu circa fores, circa dexteras dan-
das, circa salutationes, integra fermè dies consumpta sit. Postea uerò Antonius quum
senatum cogeret, aduocato Cicerone non paruit, sed cubans simulauit se ex pelagi la-



A botibus & ualetudine impediri. Nam suspicio insidiarum in ipsa uia nuncio quodam accepta, cum in senatum ire ucttuit. Hoc Antonius non leuiter tulit, sed eum probris lacessens milites extemplo misit, qui aut illum adducerent, aut domum incenderent. Sed his cum obstarent nonnulli, precibusq; inniterentur, Antonius pignoribus contentus quieuit. Postridie autem Cicero de absentis Antonij iniuria questus in senatu est, & de actis Cæsaris disputauit. Dum hæc Romæ geruntur, C. Cæsar adolescens, Iulij Cæsaris sororis filius, quemadmodum ferebatur, hæres à Cæsare scriptus, ex Apollonia rediit. Is primum ad Antonium utpote amicum paternum salutatum ueniẽs, depositæ pecuniæ mentionem habuit. Debebat Romanorum cuiq; drachmas septuagin taquinq; ex testamento patris. Hic Antonius primò iuuenem aspernari, atq; insanum dicere, & boni cõsilij bonorumq; amicorum expertem, si tam onerosam hæreditatem adeundam putet, ac non potius abstinendum. Sed cum id persuadere nequiret adolescenti, pecuniamq; repeteret, multa contra illum contumeliose dixit fecitq;. Nam cum tribunatum petens Cæsar, sellam auream patris sui posuisset, minatus est Antonius in
B carcerem illum ducturum, nisi desineret plebem sollicitare. His rebus adductus Cæsar, ad Ciceronem se contulit, eiq; se totum permisit: per quem cum senatum sibi conciliasset, ipse autem plebem amplexaretur, ueterani milites undiq; ad eum adcurrebant. Ferunt Ciceronem non grauate beneuolentiam Cæsaris iniuisse, quòd eum antea diuino quodam somnio illexisset. Nam Cæsare atq; Pompeio nondum uita defunctis, Cicero per quietẽ uidit sese monitũ in Capitoliũ uocare ordinis senatorij liberos, tanquam Iupiter ostensurus qui unus ex illis foret, qui rerum esset potiturus: quocirca ciues sollicit currere, & iuxta templum assistere, pueri uerò omnes circumsedere, silentiumq; agere. Patefactis interea foribus templi, quisq; puerorum uicissim surgere uisus, ac Iouem adire. Tum Iupiter quemcunq; animaduertisset mœstumq; repulisset, in unico solum fixus dexteram protendẽs, O Romani, inquit, hic princeps factus, finem bellorum ciuilium uobis imponet. Hoc somnio stupefactus Cicero, imaginem pueri requirens, cum ipsum nihil omnino nosceret, animo eam impressit. Cumq; per diem
C descendisset in Campum Martium, uisis pueris qui peractis ludis iam abibãt, puerum quem in somnijs uiderat aspicit. Quare animo perculsus puerum conuenit, eumq; rogat quibus parentibus natus sit. Erat ille Octauio patre, qui uir non ualde clarus fuerat, ex Actia sorore Cæsaris ortus: (C. Octauius Cepia ante uocabatur, ut Dion scribit) cui Cæsar liberis carens, facultates suas, domum, familiæq; nomen, testamento reliquit. Ex eo igitur somnij tempore ferunt Ciceronem, cum Cæsar obuiam sibi fieret, accurate eum conuenisse, contraq; illum Ciceronis beneuolentiam grate fouisse. Fortuna præterea quadam Cæsarem ortum memorãt, Cicerone consulatum administrante, quæ omnino primas fuisse causas ad mutuam beneuolentiã tradunt. Tunc sibi metuens Antonius, per communes amicos in gratiam rediit, congressu in Capitolio habito. Ea nocte dormientem Antonium terribile uisum excitauit. Visa est enim eius dextera fulmine de cælo feriri. Nec multo post nunciatũ est, illi Cæsarem insidias tendere: qua de re cum Cæsar se purgaret, nec tamen persuaderet, rursus inter eos arden-
D tissimæ inimicitiæ exortæ sunt. Hinc discursiones per Italiam ab utroq; factæ: ueterani qui dudũ ab armis quieuerãt, passim sua quisq; sede, magnis premijs utrinq; allecti, legionesq; pari utrinq; studio sollicitatæ. Inter hæc M. Cicero ea tempestate ciuitatis princeps, omnes mortales in Antoniũ cõcitabat. Hinc illæ in Antoniũ oratiões, quas ille uerbo Demosthenis Philippicas appellauit. Eo authore Antonius tandem hostis est iudicatus, Cæsari fasces decreti, Pansa & Hircius qui tum erant consules, cõtra Antonium missi. Hi circa urbem Mutinam prælio commisso, præsente Cæsare atq; adiuuante, M. Antonium fuderunt fugaruntq;, sed ipsi ambo interierunt. Itaq; Antonio fugato Brutus à Mutinensi obsidione liberatus est. Cæsar uero tantisper cum eo amicitia simulata, quoad per Ciceronem consulatum obtineret, milites omnes ad se cœpit allicere. Quare metuens senatus adolescentem fortunamq; qua splendide usus fuerat, largitione tentauit eius exercitum reuocare, illiusq; potentiam rescindere, tanquam reipublicæ tot copijs opus nihil esset, cum fugisset Antonius. Quod cum uideret Cæsar, animaduerteretq; senatum ad Brutum oculos flectentem, atq; ei prouincias confirmantem

firmantem extimuit. Idcirco copijs ad urbem admotis, Ciceronem impulit ad peten- A
dum consulatum, simulans se omnia Ciceronis consilio administraturum: qua simula-
tione Cicero persuasus uir senex à iuniore deceptus, senatum atq; centurias illi conci-
liauit. Itaque consul factus est adolescens uigesimum agens annum, ut ipsemet in suis
commentarijs scriptum reliquerat. Verum non multo post intellexit Cicero, se popu-
li libertatem ac seipsum perdidisse. Nam inito consulatu potentior factus adolescens à
Cicerone quem uidebat tota mente ad libertatem reipublicæ intentum desciuit: con-
iuratos ad pœnam poposcit, & Antonio Lepidoq; reconciliatus, copias in unum coe-
git. Qui Triumuiri imperium orbis terrarum tanquam paternam quandam hæredita-
rem inter se diuiserunt. Proscriptionis præterea tabulas ad ducentorum ciuium edide
re, in quibus Cicero causa magnæ controuersiæ fuit. Nam Antonius nihil omnino ra-
tum babere uoluit, ni primus ille proscriberetur. Triduo igitur circa urbem Bononiã
horum scelerata colloquia habita sunt, quo loco propter interlabentẽ fluuium singuli B
castra locarunt. Hic Cæsarem aiunt primis diebus pro Ciceronis salute uehementer
concertasse, tandem die tertia uictũ, uirũ prodidisse. Omniũ compensatio sic demum
transacta est: Cæsar Ciceronem, Lepidus Paulum fratrem, Antonius L. Cęsarem auun
culum suum, alios alijs concessere. Sic ergo eorum furor & indomita rabies omni in-
genio humanitatis exciderunt, ostenderuntq; nullam esse feram immaniorem homi-
ne, cum licentiam affectuum nactus est. His ita constitutis ad exequenda ea quæ de-
creuerant, contendunt. Trecenti ab his ciues ex proscriptione trucidati, Ciceronis ca
put, ac dextera manus qua ille Antonianas orationes scripserat iussu Antonij abscissa,
quæ cum ad se delata essent, diu summa cum lætitia contemplatus est. Vbi oculi satiati
sunt illo spectaculo, ad maiorem contumeliam in rostris deponi iussit. Quasi uerò il-
lum iam mortuum contumelia afficeret, ac non potius seipsum ac fortunam suam in-
dignam ostenderet, quæ ad tantam potentiam nefarium hominem prouexisset. Fuit
quidem spectaculum illud Romanis horrendum, qui non membra Ciceronis sese spe C
ctare, sed imaginem animi crudelis Antonij uidebantur. Apud ueteres memoriæ pro
ditum est, cum Cæsar aliquando rerum potitus, ad quendam è nepotibus ingressus es-
set, isq; Ciceronis opusculum in manibus teneret, subito Cæsaris aduentu territus, li-
bellum in sinu tentauit occulere, sed frustra, cum iam Cæsar id deprehendisset: capto
igitur opusculo eo Cæsar cum stans bonam eius partem euoluisset, reddidisse adole-
scenti cum his uerbis perhibetur: Eloquens hic uir, eloquens fuit, ô fili, & amator pa-
triæ. Cum autẽ idem Cęsar non multo post debellasset Antoniũ, consul iterũ factus si
bi Ciceronis filium collegam adiunxit, cuius magistratu senatus statuas Antonij deie-
cit: ac nonnulla ipsius ornamenta aboleuit. Publico præterea edicto sanxit, ne quis in
posterum ex Antoniorum gente Marcus uocaretur. Ita diuino quodam fato ulti-
ma ultio in Antonium ex Ciceronis domo profecta est. Qui plura de tota hac cau-
sa, quæ hisce Philippicis agitur, scire uolet, legat Epistolarum Familia-
rium libros decimum, undecimum & duodecimum.
Item librum Epistolarum
ad Brutum.

M. BRVTI DE CICERONE, EIVSQVE DE OCTAVIO CAESARE SENTENTIIS, iudicium: ex libro Epistolarum ad Atticum.


BRVTVS CICERONI S.



VANTA sim lætitia affectus cognitis rebus Bruti nostri, & consu-
A lum, facilius est tibi existimare, quàm mihi scribere. cum alia laudo, &
gaudeo accidisse, tum quod Bruti erupnio nō solum ipsi salutaris fuit,
sed etiam maximo ad uictoriam adiumento. Quod scribis, trium An-
toniorum unam atque eandem causam esse, quid ego sentiam, mei iu
dicij esse: statuo nihil, nisi hoc, senatus & populi Romani iudicium
esse de ijs ciuibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, inique facis,
qui hostilis animi in rempublicam homines ciues appelles. imò iustissime: quod enim
non senatus censuit, nec populus Romanus iussit, id arroganter non præiudico, neq;
reuoco ad arbitrium meum. illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res
non coegit, neque crudeliter quicquam eripui, neque dissolute quicquam remisi, ha-
buiq; in mea potestate, quoad bellum fuit. Multo quidem honestius iudico, magisq;
quod concedere possit respublica, miserorum fortunam non insectari, quàm infinita
tribuere potentibus, quæ cupiditatem, & arrogantiam incendere possint. Qua in re
Cicero uir optime atque fortissime, mihiq; merito & meo nomine, & reipublicæ cha-
rissime, nimis credere uideris spei tuæ, statimq;, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia
B dare, ac permittere, quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus
animum. quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri patieris, præsertim de commu
ni salute. facies tamen quod tibi uisum fuerit: etiam ego, cum me docueris. Nunc Cice
ro, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gauisi simus, neu semper
primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil iam neque
opinantibus, aut patientibus nobis aduersi euenire potest, in quo non cum omnium
culpa, tum præcipue tua futura sit, cuius tantam autoritatem senatus ac populus Ro-
manus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate unius
esse potest, quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. Pru-
dentia porrò, quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis ho-
noribus. Alia omnia hic abunde adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari pos-
sint tuæ uirtutes. Vnum hoc grato animo liberaliq; profectum, cautiorem, ac modera
C tiorem liberalitatem desiderat: nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod male co
gitantibus exemplo, aut præsidio sit. Itaque timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altius se
ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si consul factus sit, descensurum. Quod si An
tonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit: quonam a-
nimo fore putas, si quis autore non tyranno interfecto, sed ipso senatu putat se imperia
quælibet concupiscere posse? Quare tum & facilitatem, & prouidentiam laudabo
tuam, cum exploratum habere cœpero, Cæsarem honoribus, quos acceperit, extraor-
dinarijs fore contentum. Alienæ igitur, inquies, culpæ me reum facies? Prorsus alie-
næ, si prouideri potuit, ne existeret. quod utinā inspectare possis timorem de illo meū.
His literis scriptis te consulem factum audiuimus. Tum uerò incipiam proponere mi
hi rempublicam iustam, & iam suis nitentem uiribus, si isthuc uidero.

Filius ualet, & in Macedoniam cum equitatu præ-
missus est. Idibus Maijs, ex castris.

CICERONIS AD BRVTI EPISTOLAM RESPONSIO, EX EODEM LIBRO, EX epistola cuius initium est, Messalam habes.



CICERO BRVTO SALVTEM



ENIO nunc, longo sane interuallo, ad quandã epistolam, qua mihi multa tribuens unum reprehendebas, quòd in honoribus decernẽdis essem nimius, & tanquam prodigus. tu hoc: alius fortasse, quod in animaduersione pœnaq; durior, nisi fortasse utrumq; tu. Quod si ita est, utriusq; rei meum iudicium tibi cupio esse notissimum, neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui & sapiens unus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem. is rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna. est scilicet utriusq; rei modus, sicut reliquarum, & quædam in utroq; genere mediocritas. Sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem sequutus hoc bello sim in sententijs dicendis, alienum non puto aperire. Post interitum Cæsaris, & uestras memorabiles Idus Martias Brute, quid ego prætermissum à uobis, quantamq; impendere reipublicæ tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per uos, magna populi Romani macula deleta, uobis uerò parta diuina gloria, sed instrumentum regni delatum ad Lepidum, & Antonium: quorum alter inconstãtior, alter impurior, uterq; pacem metuens, inimicus ocio. his ardentibus perturbandæ reipublicæ cupiditate quod opponi solet præsidium, non habebamus: erexerat enim se ciuitas in retinenda libertate consentiens. nos tum nimis acres. uos fortasse sapientius excessistis urbe ea quam liberabatis: Italiæ sua uobis studia profitenti remisistis. Itaque cum teneri urbem à parricidis uiderẽ, nec te in ea, nec Cassium tutò esse posse, eamq; armis oppressam ab Antonio: mihi quoq; ipsi esse excedendum putaui. tetrum enim spectaculum oppressa ab impijs ciuitas, opitulandi potestate præcisa. Sed animus idem qui semper, infixus in patriæ charitate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. Itaq; in medio Achaico cursu, cum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilij retulisset, te uidi Veliæ, doluiq; uehementer. cedebas enim Brute, cedebas: quoniã Stoici uestri negant fugere sapientis. Romam ut ueni, statim me obtuli Antonij sceleri atq; dementiæ. quem cum in me incitassem, consilia inire cœpi, Brutina plane (uestri enim hæc sunt propria sanguinis) reipublicæ liberandæ. Longa sunt quæ restant, prætereunda: sunt enim de me: tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si uerum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. huic habiti à me honores, nulli quidem Brute, nisi debiti, nulli, nisi necessarij: ut enim primũ libertatem reuocare cœpimus, cum se nondum ne Decimi quidem Bruti diuina uirtus ita commouisset, ut iam id scire possemus, atq; omne præsidium esset in puero, qui à ceruicibus nostris auertisset Antonium: quis honos ei non fuit decernendus? quanquam ego illi tum uerborum laudem tribui, eamq; modicam: decreui etiam imperiũ: quod quanquam uidebatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium: quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decreuit, celeritatem petitionis primo Seruius, post maiorem etiam Seruilius. nihil tum nimium uidebatur. Sed nescio quo modo facilius in timore benigni, quàm in uictoria grati reperimur: ego enim D. Bruto liberato, cum lætissimus ille ciuitati dies illuxisset, idemq; casu Bruti natalis esset, decreui, ut in Fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur: in eoq; sum maiorum exemplum sequutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cuius uos Pontifices ad aram in Velabro facere soletis. Quod ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimæ uictoriæ sempiternam memoriam uolebam. atque illo die cognoui paulo plures in senatu maleuolos esse, quàm gratos. eos per ipsos dies effudi (si ita uis) honores in mortuos Hircium & Pansam, Aquilam etiam: quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, præteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficij memoriam gratam ratio illa, quæ etiam posteris posset esse salutaris: exta

A re enim uolebam in crudelissimos hostes monimenta odij publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem uiris, sed in republica rudibus, non probatur, quod, ut ouanti introire Cæsari liceret, decreuerim. Ego autem (sed erro fortasse, nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi uideor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis uidear prouidus fuisse, quàm gratus. hoc ipsum nimium: quare alia uideamus. D. Bruto decreui honores, decreui L. Planco. Præclara illa quidem ingenia, quæ gloria innitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemq; re putat, modo honesta, ad rempublicam iuuandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui cum statuam in rostris statuissemus, iidem illam euertimus. Nos illum honore studuimus à furore reuocare: uicit amentia leuissimi hominis nostram prudentiam: nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. Satis multa de honoribus. Nunc de pœna pauca sunt dicenda: intellexi enim ex tuis sępe literis, te in ijs quos bello deuicisti, clementiā uelle tuā laudari. Existimo equi

B dem, nihil à te nisi sapienter: sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est quod uocatur ignoscere) etiam si in cæteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. nullum enim bellum ciuile fuit in nostra republica omniū, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracunque pars uicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicę: hoc bello uictores quam rempublicam simus habituri, non facile affirmarim: uictis certe nulla unquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum seueras, neque tam ulciscendi causa, quàm ut & in præsens sceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterrerem, & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam uellet imitari: quanquam hæc quidem sententia non magis mea fuit, quàm omnium: in qua uidetur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerūt, pœna peruenit: sed id & antiquum est, & omnium ciuitatum: siquidem etiam Themistoclis liberi eguerunt. Et si iudicio damnatos eadem pœna sequitur ciues, qui potuimus leuiores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui si uicisset,

C acerbiorem se in me futurū fuisse confiteatur necesse est? Habes rationē mearū sententiarū, de hoc genere duntaxat honoris & pœnæ: nam de cæteris rebus quid senserim, quidq; censuerim, audisse te arbitror. Sed hæc quidem non ita necessaria: illud ualde necessarium Brute, te in Italiam cum exercitu uenire quamprimum. Summa est expectatio tui: qui si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium: siue enim uicerimus, qui quidem pulcherrime uiceramus, nisi Lepidus perdere omnia, & perire ipse cum suis concupisset, tua nobis autoritate opus est ad collocandum aliquem ciuitatis statum: siue etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est cum in autoritate tua, tum in exercitus tui uiribus. Sed propera per deos: scis enim quantum sit in temporibus, quantum in celeritate.

PRIMAE PHILIPPICAE

ARGVMENTVM



D ARCVS Antonius Cæsaris in consulatu collega, Cæsare cæso, inique & regio plane dominatu Romæ omnia tractabat. arbitrabatur enim sibi à Cęsare regni instrumentum relictum, ipsum consulatum quo in locum Cæsaris atque in eius principatum inuaderet. Id cum M. Tullius Cicero animaduerteret, neque sibi satis uirium ad ei tunc resistendum esse duceret, Athenas iter instituit, ut à patriæ suæ calamitate tantisper oculos deijceret, dum aliqua spes recuperandæ reipublicæ ostenderetur. Profectus itaq;, & in Siciliam usque delatus, propter uentos aduersos & nouum nuncium cupide auditum, profectionem commutauit, Romamq; reuersus est. Postridie uero eius diei quo Cicero urbem ingressus fuerat, id est Calend. Septembris, Antonius senatum habuit, de supplicationibus Cæsari faciendis. Ad hunc ab Antonio Ci

cero

cero uocatus, siue quòd ex nauigatione non bene ualeret, siue quòd ex indicio quo- A
dam Antonij insidias uimq; metueret, non uenit. Hoc Antonius ita moleste tulit, ut
cum probris lacessens milites confestim mitteret, qui aut Ciceronem adducerent in
Senatum, aut eius domum demolirentur. Sed neutrum quamuis proterue imperas-
set perfecit, nam ex quorundam consilijs ac precibus, paululum de iracundia remisit,
& pignoribus acceptis contentus fuit. Postera uerò die uenit in Senatum Cicero, An
tonius quod minus ut ipse quoq; excusabat, ualeret, non uenit. Itaq; Cicero hanc ora-
tionem habuit, in qua primum exponit causam profectionis & reuersionis suæ, dein-
de de Antonij externa iniuria queritur, contra Antonij sententiam de Cæsaris suppli
cationibus, actisq; disputat, Antonij impotentiam, & importunitatem arguit, eum &
Dolabellam præsentem, ut ad Remp. reuertantur, hortatur: uerum iter gloriæ osten-
dit. postremo studium operamq; Reip. pollicetur, atq; ita summa prudentia & cõstan
tia, cum maxima omnium admiratione, ptimam hanc concludit orationem.

DE GENERE CAVSAE.

Causa deliberatiui generis est mixta locis demonstratiui, & eius quod in iudicijs B
tractatur. Dicit enim sententiam suam de Rep. Sunt autem hi præcipui loci, necessa-
rium quòd coactus sit patria excedere propter Antonij potentiam, atq; hic locus nat
rationem continet initi à se consilij. Deinde iniustum & cõtumeliosum, qui loci accu
sationis speciem quandam de facta sibi iniuria repræsentant. Vtile autem & necessa
rium mixtim, ubi de actis Cæsaris, & quatenus seruanda censeat exponit. Postremi
duo loci ex comparatione de honesto & turpi, de uera & falsa gloria: tametsi quoq;
utilitatem, ut etiam superiores, comprehendant.

DE STATV.

Status uerò iuris & æquitatis qui qualitatis status etiã appellatur. Quæritur enim
an omnia Cæsaris acta seruanda sint, id est, sit ne hoc in iure & æquitate positũ ut om-
nia quæ Antonius Cæsaris acta esse dicit, seruentur. Sed incurrit in hunc etiam defini
tionis status & contrariarum legum, sed quasi loci è quibus argumenta depromantur
ad statum ipsum & primam causæ quæstionem tractandam. habet igitur hæc firma- C
menta contra Antonij rationes, acta quidẽ Cæsaris retinenda censeo, sed non tu falsa
ferre non admisis uiris bonis debes: sed legitimè ferre debes: sed ea ferre non debes
quæ Cæsaris actis repugnent. Verum hæc Orator non magna contentione agit, sed
per concessionem, ut aduersario odium pariat, & sibi modestiæ laudem inueniat, be-
neuolentiamq; conciliet. Quanq; ex his occasionem capit transeundi in speciẽ quan-
dam ἀντικατηγορίας, quam paulo tractat prolixius, probans in eo Antonium pecca-
re, in quo aduersarios reprehendit.

DE FORMA DICENDI SIVE CHARACTERE.

Dicendum est etiam aliquid de dicendi forma siue figura. nam cum sint tres pri-
mæ dicendi formæ laudabiles, & plena quædam & tamen teres: & tenuis, sed non sine
neruis ac uiribus: & ea quæ particeps utriusq; generis quadam mediocritate lauda-
tur, Hæc oratio in hoc mediocritatis genere consistit, ab illa quidem contentione fo-
rensi remota, sed tamen grauis qualem decet esse consultationem. Est tamẽ hoc loco D
animaduertendum nullam ferè esse boni Oratoris orationem, ita uno genere & for-
ma coloratam quæ non habeat aliquid ex alijs quoq; admixtum & temperatum. De-
bet enim Orator dicendi genus ad res ipsas quas tractat accõmodare: & pro rerũ ua-
rietate & conditione uariare. Is enim est eloquens (ut Orator ait) qui & humilia sub-
tiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate potest dicere. Quod autem uel ipso
Cicerone teste quædam orationes in alio atq; alio genere dicendi uersari dicantur: ut
aliæ appellentur plenæ & graues, aliæ mediocres, aliæ humiles: idcirco fit quod in ea
parte plurimum excellant & ex eo genere præcipuè constent, ex quo nominantur.
In hac igitur oratione ut in alijs plerisq; temperate narrat, moderate cum quodã acu-
mine refutat: acrius in fine monet & reprehendit: atq; hæc omnia aptè uerborum sen-
tentiarumq; exornationibus distincta.

DE ORATIONIS PRIMAE DISPOSITIONE.

A Supereſt ut de orationis ordine & collocatione dicamus. partes hæc oratio tres
habet, principium, fidem, & perorationem, hoc eſt, πρότασιν ſiue προοίμιον, πίστιν, καὶ
ἐπίλογον. nam narratio qua ſtatim abitionis & reuerſionis ſuæ cauſam exponit, non
confirmationis ſemina babet, ſed aditum tantum ad eam patefacit, & exordij locum
obtinet. tria enim quantum ego intelligere poſſum Orator in ea ſpectaſſe uidetur. pri
mum ut oſtendat iuſtam cauſam & abitionis & reuerſionis fuiſſe, nempe Antonij re-
gnum & ſuam erga patriam charitatem. deinde ut aduerſarij inconſtantiam, & ſum-
mam potentiæ & principatus cupiditatem declaret, qui ſimulatum erga patriam ani-
mum breui in eius perniciem cōmutauerit. poſtremo ut uideant honeſtam & neceſſa
riam cauſam eſſe ſententiæ dicendæ non odium aut temeritatē, ſed patriæ cōmodum
& ſalutem. hæc tametſi non apertè proferantur, tamen tectè & obliquè perficiuntur
ad beneuolentiam & attentionem, mauult hoc Cicero facere, quàm ab illata iniuria
protinus initium ſumere. difficile enim erat eam partē ſine inuidiæ ſuſpicione tracta-
re, quam Cicero plerunq; uitat. Poſt hanc autem de iniuria agit non prolixè ad decli-
B nandam odij ſuſpicionē, ſed acri tamen reprehenſione: deinde ſubiungit ſententiam
ſuam de ſupplicationibus eadem breuitate: quibus perfectis uenit ad præcipuā quæ-
ſtionem de Cæſaris actis, eamq; tractat eo quem diximus modo. In fine utrunq; ſcili-
cet Dolabellam & Antoniū hortatur, qui locus quoniam cōmodiſſimus erat ad ani-
morum permotionē, idcirco in extremo collocatus eſt & tractatus prolixius propter
epilogi breuitatem, adeo ut ipſe epilogi uice fungi uideatur. Atq; hæc eſt
huiuſce orationis diſpoſitio, arbitrio oratoris, & prudentia,
non naturæ ſiue artis ordine conſtituta.

M. TVLLII CICERONIS ORATIONES PHILIPPICAE
COMMENTARIIS ~~CAELII SECVNDI Curionis~~ enarratæ.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA PRIMA.



Ntequam de republica Patres C. dicam ea, quæ dicenda A
hoc tempore arbitror: exponam uobis breuiter cõsilium
& profectionis, & reuectionis meæ. Ego cum sperarem
aliquando ad uestrum consilium authoritatemq; Remp.
esse reuocatam: manendum mihi statuebam quasi in uigilia quadam consulari, ac senatoria. nec uerò usquam discedebam: nec à Repu. deijciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus. in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumq; renouaui uetus exemplum: græcum etiam uerbum usurpaui, quod tum in sedandis discordijs usurpauerat ciuitas illa: atq; omnem memoriam discordiarũ obliuione sempiterna delendam censui.

CAELII SECVNDI COMMENTARIA.



Ntequam de Rep.] Propositio est generalis, quæ duas primas totius orationis partes complectitur. B
Prius enim exponam uobis causas quamobrem ab urbe discesserim, & cum discessissem, paulo post redierim: deinde quæ præsens Reip. & ciuitatis status requirit, explicabo. Sapientis enim est, idq; ad officium pertinet, suarum causas & rationes actionum, probabiles posse reddere. est igitur exordium à docilitate. De Rep.] De ijs quæ ad Remp. pertinent, & ad eam conseruandam facere uideantur. Patres conscripti.] Liuius autor est, Romulum centum creasse senatores, qui patres ab honore, patricij uerò progenies eorum fuerunt appellati. Conscripti autem, ut idem Liuius scribit, dicti sunt, posteaquam Brutus exactis Regibus, ex equestri ordine diminutum patrum numerum, expleuit: traditũq; inde fertur, ut in Senatum uocarentur, qui patres, qui conscripti essent: conscriptos uidelicet lectos in nouum senatum, appellantes. Eandem sententiam sequitur F. Pompeius. Sallustius uerò & Plutarchus, patres à procuratione nominatos existimant, quod primores & potentiores paterno officio tenuiores in suam fidem ac patrocinium suscipere oporteret, quod nomen & dignitatis plurimum, & inuidiæ nimium præ se tulisse, Plutarchus scribit. Exponam uobis breuiter.] Attentionem comparat ex eo, quod se breuiter narraturum esse pollicetur. Ego cum sperarem.] Initium expositionis à spe quam conceperat de Repub. ex morte Cæsaris, in libertatẽ restituenda. Est autem periodica sententia ex duobus membris, quæ ad hunc aditum ualde est accommodata. Aliquando.] Interfecto tandem Cæsare Reip. oppressore.

Quasi in uigilia quadam.] Translatio sumpta à militari statione ac uigilia. Existimabam, inquit, consularis uiri ac senatoris esse, Remp. custodire, & prospicere, nim quod nouum periculum immineret. Nec uerò usquam di- C
scedebam.] Explanatio posterioris membri, ideo priori loco posita, quoniam breuior est. & cum dicit discedebam, manet in translatione, tanquam miles in sua statione, & assignato loco. In ædem Telluris.] In templum deæ Telluri (quæ eadem Ops est, & apud Aegyptios Isis) consecrato. neq; enim alibi Senatus Romæ haberi poterat, quàm in loco sacro. Id quod Vergilius innuens, inquit Aen. 7. Hoc illis curia templum. de regia Pici loquens. nam ex Laurentibus & alijs Ethruscis Romani suos ritus acceperunt. Fuit uerò Telluris templum non procul à Capitolio, quod Cæsaris interfectores occuparant. Illuc igitur conuocatus fuerat ab Antonio Cos. Senatus, ut de pace concordiaq; cum coniuratis ageretur, qua de re paulo post plura. Ieci fundamenta pacis.] Primus de pace egi. translatio ab ædificijs. Fundamenta pacis uocat, obliuionem iniuriarum, quod est ualde ab omnibus tam priuatis, quàm publicis magistratibus obseruandum. Atheniensiumq; renouaui uetus exemplum.] Id est, omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censui, ut ipsimet Cicero exponit. Hæc oratio quam de pace & concordia habuit tum Cicero, legitur apud Dionem libro 44. quam nos latinam fecimus. Exemplum uerò cuius hic fit mentio, ita habet. Thrasybulus Atheniensis Lyci filius populum Atheniensem triginta tyrannorum sæuitia sedes suas relinquere coactum, dispersamq; & uagam uitam miserabiliter exigentem, animis pariter atq; armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis uictoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: hæc obliuio, quam Athenienses ἀμνησίαν uocant, concussum

& labantem

A *& labantem ciuitatis statum, in pristinũ habitum reuocauit. Hoc autem exemplum uetus admodum etiam tum cum hæc Cicero diceret, fuit, utpote Peloponnesiaco bello, ante multo quàm Macedoniæ regnum constitutum esset. qua de re Val. Max. lib. 4. & Aemil. Probus in uita Thrasibuli, & Iustinus lib. 5. & Velleius Paterculus lib. 2. rerum Romanarum.*

Græcum etiam uerbum.] Legem intelligit, quam ἀμνηστίαν diximus nominatam, ne quis de ante actis accusaretur, neue præteritarum rerum mentio fieret cõmunis concordiæ causa. Est enim ἀμνηστία obliuio. ἀμνηστέω enim, obliuiscor, & obliuioni trado significat. Atq; omnem memoriam discor.] Declaratio est oratoria præcedentium membrorum, & uerbi Græci ἀμνηστίας.

Præclara tum oratio M. Antonij: egregia etiam uoluntas: pax deniq; per eum, & per liberos eius cum præstantissimis ciuibus cõfirmata est. Atq; his principijs reliqua consentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes ciuitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas deferebat: nihil tum, nisi quod erat notum omnibus, in C. Cæsaris cõmentarijs reperiebatur. summa cum dignitate & constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat. num qui exules restituti? unum aiebat: præterea neminem. num immunitates datæ? nullæ, respondebat. assentiri etiam nos Ser. Sulpitio clarissimo uiro uoluit: ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæ-
B sáris, aut beneficij figeretur.

Præclara tum or.] Explanatio prioris membri supra in initio narrationis per enumerationem positi, qua explanatione probat iustam quandoq; spem fuisse tranquillioris, & melioris Reip. Atq; idcirco Antonij recte initio facta commemorat, ut ijs quæ contra Remp. mutata uoluntate fecerat, opponat, ut ex his uel inconstantia eius, uel dolus simulatioq; eluceat. Per liberos eius.] Trucidato Cæsare, primo quidem Antonius insignia magistratus (erat enim Consul) abiecit, & mutata ueste, se occultauit. Deinde ut audiuit coniuratos nemini nocere, sed globo facto in Capitolium se recepisse, & Lepidum armatis forum occupasse (erat enim magister equitum Cæsaris) respirare cepit, Senatuq; postridie quàm Cæsar occisus erat in ædem Telluris cõuocato, retulit de ijs quæ præsens negotium poscere uidebatur. Cui, quod recto consilio ac ciuili animo erga Remp. esse uideretur, senatus assensus est. Qui uerò in Capitolio erant descendere, nisi prius obsidibus acceptis, noluerunt. Missi igitur fuerunt duo, alter Antonij, alter Lepidi filius, quibus acceptis Brutus & Cassius unà cum reliquis qui cum ipsis erant, è Capitolio descenderunt. Ac Brutus in domũ Lepidi, quod eius propinquus esset, uenit: Cassius uerò in Antonij ædes diuertit, cumq; simul in cœna de uarijs, ut fit, rebus inter se colloquerentur, Cassium rogauit Antonius, ecquid forte sicam aliquam occultam haberet. Cui Cassius, Equidem si te, inquit, ad Tyrannidem comparabis, in te quoq; sica mihi presto erit. Hæc ex Dione lib. 44. & Plutarcho in Antonio. Illud autẽ obseruandum est, cum unum duntaxat filium miserit Antonius, liberos eius dici. Id autem fit tum quod liberorum nomine multitudinis numero, unus etiam significatur, tum quod Lepidi quoq; filium nota syllepsi comprehendit.

C *Cum præstant. ciui.] Bruto & Cassio patriæ liberatoribus. Ad deliberationes.] Ad consultationes, ad consilia. Quas habebat domi.] Cum de actis & cõmentarijs Cæsaris domi ageret, & consilium caperet. Et attende, Adhibebat, deferebat, respondebat, aiebat, similiter desinentia, qua figura suauem efficit narrationem.*

Res optimas.] Res grauissimas, & maximas, etiam si leuiores ipse domi conficeret. Summa cum dignitate & const.] Vt bonum consulem decebat, cuius est grauiter & constanter de Repub. sentire, eidem consulere, eamq; tueri. Num qui exules restituti.] Interrogationibus ornat narrationem. Vnum aiebat.] Sextum Clodium aiebat, P. Clodij filium, qui precibus Antonij à Cæsare est restitutus, ut Epistolæ Antonij ad Ciceronem, & Ciceronis ad Antonium testantur, de quo etiam in sequenti oratione. Num immunitates datæ?] Immunitas, libertas est munerum & tributorum quæ ciuitates, & populi Romano populo pendebant. Seruio Sulpitio.] Is & iuris ciuilis scientia, & eloquentia Sulpitiæ gentis splendor fuit, ut Cicero alicubi ait, de cuius laudibus uidebimus Philip. 9.

Ne qua tabula.] Decretum quod factum fuit ex Sulpitij sententia: cuius hæc erat uis, ne qua tabula uim & pondus obtineret. Post Idus Martias.] Post 15. diem Martij, quo die interfectus fuit Cæsar. Figeretur.] In publico poneretur, quasi momentum aliquod uel autoritatem habitura.

Multa prętereo, eaq; præclara. ad singulare enim M. Antonij factum festinat ora-
D tio. Dictaturam, quæ uim iam regiæ potestatis obsederat, funditus ex Repub. sustulit, de qua ne sententias quidem diximus. scriptum Senatus consultum, quod fieri uellet, attulit. quo recitato, authoritatem eius summo studio secuti sumus: eiq; amplissimis uerbis per Senatus consultum gratias egimus. lux quædam uidebatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumq; pignus ab eo Reip. datum: se liberam ciuitatem esse uelle: cum Dictatoris nomen, quod sæpe iustum fuisset, propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam funditus ex Repub. sustulisset. liberatus cædis periculo paucis post diebus Senatus: uncus impactus est fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaserat.

Multa prætereo.] Quo breuior fit narratio, quæ una est ex narrationis uirtutibus, quoq; plura maioraq; relinquat in animis auditorum, multa se præterire atq; omittere dicit: quæ significatio hic ad laudem, aliás ad uituperationem, semper autem ad augendam fidem usurpatur. Ad singulare enim.] Hic locus attentionem comparat, & animos erigit nouitate, & magnitudine facti. Dictaturam.] Dictatura summus fuit magistratus, & in summis periculis

ultimum

ultimū remediū. Nā etsi uarijs & multis de causis creari dictator solebat(nā et Milo dictator sui municipij Lanuuini ad A
prodendū Flaminē erat) tamē cū uis aliqua maior de improuiso oborta ingentē urbi cladē minitari uideretur, tū potissi
mū creabatur. Idcirco re perfecta ob quā dictator creatus erat, dictatura se statim abdicabat: ad summū aūt semestre fuit
imperiū, donec Sylla & C. Cæsar omnia iura diuina et humana peruertētes, sibi eā perpetuā esse uoluerūt. quanq̃ Sylla
paulo ante mortē ea spōte se abdicauit. Quæ uim iam Regiæ.] Dictatura, potestate, & re iam Regnū erat, etiam
si nomine & uerbo nō esset. Scriptū S. C.] Notate uetus exemplū: cōsulē senatuscōsultū quod fieri uellet, domo
scriptū in senatū attulisse, quod & hodie principes factitant, & sedulo imitantur. Autoritatē eius.] Verbis idem
significantib. utitur Plutarchus, ut paulo ante diximus. Lux quedā.] Declinatiūcula, ὑποφωνηματικῶς κατ'
ἐπεξεργασίαν ad orationis grauitatē & exaggerationē. Et lux pro magno quodā gaudio & felicitate: quēadmodū
tenebræ pro mœrore & calamitate interdū, nō modo in humanis sed etiā in diuinis literis usurpatur. Non modo
regno.] Dictatura, quam regnū uocat inuidiose. Nam regni nomē Romanis fuit inuisum, utpote libertati inimicū. Ergo
regno quasi dicas regia potestate ac tyrannide. Et quoties ita de regno loquūtur, ad Tarquinij Superbi regnū respiciūt.
Quod sæpe iustum fuisset.] Tunc scilicet cum & legitime accipiebatur, & legitimè deponebatur. Recen-
tem memoriam.] C. Cæsaris perpetui dictatoris. Funditus sustulisti.] Decreuerat enim Antonius ne quis in po
sterum dictator unquam crearetur. Liberatum cædis periculo.] Aptus reditus ad ipsam factorum Antonij enu-
merationem: cuius tametsi extremum & unicum membrum est, tamen pondus habet. nam C. Amatium quendam, qui se
filium C. Marij, & propterea Cæsaris affinem (nam Marius Iuliam habuit uxorem Iulij Cæsaris amitam) falso prædi- B
cabat, hominem post Cæsaris necem popularem & seditiosum, Antonius indicta causa cum magna senatus & admira-
tione & approbatione, interfecit, ad Gemoniasq; scalas, unco infixo, trahi curauit: quo facto, nisus est summā suam er-
ga Cæsaris percussores uoluntatem declarare. Vide Appianum & Florum. Vncus impactus.] Mos fuit Romæ
damnatos suppliciоq; affectos, in infimem locum trahere. Ouid. in Ibim: Perq; uias urbis populo plaudente traheris:
Infixusq; tuis dentibus uncus erit. Item Tranquillus: Nemo punitorum non in Gemonias abiectus, uncoq; tractus in Ti-
berim. Erant autem Gemoniæ scalæ ad rupem Tarpeiam, unde damnati in Tiberim deijciebantur, sic à Gemonio quo-
dam dictæ qui primus deiectus est. Inuaserat.] Tanquam in alienam possessionem sese miserat.

Atq; hæc omnia cōmuniter cum collega. alia porrò propria Dolabellæ. quæ nisi
collega abfuisset: credo eis fuisse futura cōmunia. Nam cum serperet in urbe infinitū
malum, idq; manaret indies latius, ijdemq; bustum in foro facerent, qui illam insepul-
tam sepulturā effecerant, & quotidie magis magisq; perditi homines, cum sui simili-
bus seruis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellæ, cum
in audaces sceleratosq; seruos, tū in impuros & nefarios liberos: talisq; euersio illius
execratę colūnæ, ut mirū mihi uideatˀ, tā ualde reliquū tēpus ab illo uno die dissensisse. C

Atq; hæc omnia.] Scilicet fecit Antonius. Seiungit quæ Antonius cum collega suo Dolabella fecit, ab ijs quæ Dola-
bella fecit sine collega: quæ tamen cōmunia eis fuisse futura εἰρωνικῶς dicit, nisi Antonius abfuisset, qui ut quidā putāt
profectus erat in Syriā: ego autē Capuā, & ad alias colonias ad solicitādos ueteranos puto. Nam cum serperet.]
Post trucidatū Amatiū illū, sensim irreperet, & progrederetur, idq; Antonio fomenta suggerente. Antonius enim autor
fuerat, ut Cæsar magnifice sepeliretur: neq; hoc solū, sed mortui quoq; corpus 23. uulneribus fœdū in foro spectandum
proposuit: inq; Cæsaris laudē orationē habuit ornatissimā quidē illā (ut Dion scribit) uerū seditiosam, atq; in tam per-
turbatis rebus perniciosam. Ea laudatione cōmota multitudo, multa in Cæsaris percussores designabat, quanquam antea
Cæsaris morte læta erat, tanquā tyranno liberata foret. Bustū in foro facerēt.] Bustū significare locū ubi cada-
uer cōbustū sit, ignorat nemo. Verū hoc loco monumentū in cōbusti memoriā erectū significat quod τύμβος Græcis
dicitur, Latinis sepulcrū. Cicero 2. De legibus. Si quis bustū, (nam id puto appellari Tymbon) aut monumentū, aut co-
lumnā uiolarit, &c. Cōplectitur uerò arā, columnā, & imagines quæ Amatius ille, cum seruorū, & plebis manu Cæsari
posuerat. Qui illā insepultam sepulturā effecerāt.] Amatius nimirū & de plebe quidā alij. Et insepultā sepul-
turā dicit, quasi nondū cōsumatā, sed quotidie aliqua nouitate reuiuiscentē. Nam quotidie in foro imago aliqua Cæsaris
cremabatur, ad plebis desideriū renouandū. Est autē uenusta ἀντανάκλασις, id est, traductio siue reciprocatio uer-
bi, in sepultura insepulta, qualis est illa Ennij in 3. de Oratore: Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptijs. D
Item illa Verg. Aeneid. 3. Longa procul longis uia diuidit inuia terris. Talis anim.] Pœna, castigatio.
Talisq; euersio.] Agnominatio non inuenusta, in uerbis illis, animaduersio, euersio, cum uerbi repetitione.
Illius execratæ columnæ.] Plebs Romana (Amatio tamē autore) solidā columnā prope 20. pedū lapidis Numi-
dici in foro statuit, scripsitq; PARENTI PATRIAE. apud eam longo tempore sacrificare, uota suscipere, cōtro
uersias quasdā, interposito per Cæsarē iureiurādo distrahere, perseuerauit. Suetonius in C. Cæsare. Ex his uerbis intel-
ligitur cur Cicero execratā columnā appellarit. De hoc facto Dolabellæ, meminit etiā Cicero ad Atticū. O mirificū, in-
quit, Dolabellā meū: columnā tollere, locū illū sternendū locare. Quid quæris? Heroica. Itē Lactant. Firm. lib. 1. Quod
si cōsul nō fuisset Antonius, C. Cæsar pro suis in Remp. meritis etiā defuncti hominis honore caruisset, & quidē cōsilio
Pisonis soceri, & L. Cæsaris propinqui, qui uetabat funus fieri: & Dolabellæ consulis, qui columnā in foro, id est, titulum
eius, euertit, ac forum expiauit. Vide etiam Epist. Fam. lib. 12. Epistolam cuius initiū est: Auget tuus amicus furorem in
dies: ubi hanc columnam, statuam appellat, quæ esset ab Antonio posita in rostris, & inscripta: PARENTI PA-
TRIAE OPTIME MERITO. Illud autem hoc loco cogitandum an Cicero eam execratam columnam in-
telligat, quam paulo ante bustum appellauit. Mihi quidem ita uidetur. Nam in oratione sequenti hæc lego uerba:

Interea

A Interea dum tu abes, qui dies ille collegæ tui, cum illud quod tu uenerari solebas bustum in foro, euertit? Alloquitur enim Antonium, de ijs quæ Dolabella eo absente fecerat. Conferantur ambo hi loci, & nos non sine ratione opinatos esse constabit. Ab illo uno die.] Quo scelerati repressi, & columna à Dolabella euersa fuit.

Ecce enim Cal. Iunij, quibus ut adessemus edixerat, mutata omnia. nihil per Senatum: multa & magna per seipsum & absente populo & inuito. Consules designati se audere negabant in Senatum uenire: patriæ liberatores urbe carebant ea, cuius à ceruicibus iugum seruile deiecerant: quos tamen ipsi consules, & in concionibus, & in omni sermone laudabant. ueterani qui appellabantur: quibus hic ordo diligentissime cauerat: non ad conseruationem earum rerum, quas habebant: sed ad spem nouarum prædarum incitabantur. quæ cum audire mallem, quàm uidere: haberemq; ius legationis liberæ, ea mente discessi, ut adessem Cal. Ianuarij: quod initium Senatus cogendi fore uidebatur.

Ecce enim.] Proprium hoc esse Ciceronis in rebus improuisis & nouis, ut dicat ECCE, scribit Asconius Pedianus: ut in Verrem: Ecce autem repente ebrio Diomede, esurientibus cunctis, &c. Item, Ecce autem noua turba atq; rixa. B Item pro Clu. Ecce autem subitum diuortium. Ciceronem Vergilius (ut idem Asconius Pedianus testatur) cum cura in huius particulæ usu imitatus est, ut illo uersu: Audiat hæc tantum uel qui uenit ecce Palemon. Item illo: Ecce autem gemini à Tenedo, tranquilla per alta (Horresco referens) immensis orbibus angues. Item: Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctum, &c. Et quamuis hic Cicero dicat, Ecce enim, alibi tamen ei ferè subiungit autem, uel tibi, aut ea pura utitur, sine adiunctione, ut de off. de Cæsare loquens: Ecce tibi, qui rex (inquit) populi Romani esse concupierit. Libera & pura est ad Atticum, illic: Ecce literæ Cæsaris ad Corfinium. Hæc obseruatio, ei qui purè & rectè ueteres imitari uelit, necessaria est. Itaq; hac particula hoc loco usus est aptissimè, ad subitam & improuisam Antonij mutationem ostendendam. nam quæ sequitur pars narrationis, ea pertinet ad Antonij uituperationem & reprehensionem.

Edixerat.] Nimirum Antonius. Et proprio usus est uerbo. Magistratuum enim, EDICERE est, hoc est, iubere: unde Consulum & Prætorum edicta. Multa & magna per seipsum.] Ita legendum est, non per ipsum: nec, ut quidam codices habent, per populum. nam si absente populo & inuito, ut sequitur, quomodo per populum?

Consules designati.] Hirtius & Pansa Cal. Ian. proximus consulatum inituri. Colligit ea signa quibus ostenditur quo animo in Remp. esset Antonius. Patriæ liberatores.] Brutus, & Cassius, & alij qui metu in prouincias abierant. Est autem cõmiserationis locus, ex rei indignitate: Miserum enim atq; indignum est, hominem pro beneficio, maleficium accipere. Cuius à ceruicibus.] Conformatio est: Vrbi enim quasi animatæ rei, ceruices tribuit, quo C sermo aptior esset ad cõmiserationem excitandam. Quos tamen ipsi Coss.] Antonius & Dolabella, quorum simulationẽ malitiosam notat: qui uerbo quidem Cæsaris percussores laudarent, re autem ipsa ad necem persequerentur.

In concionibus.] In populi conuentu & multitudine, in publico. In sermone.] Priuatim, & inter amicos.

Veterani.] Cæsaris milites, qui eum in bellis omnibus secuti fuerãt, & tunc partim in Macedonia, partim ad Brundusium erant. Veterani autẽ milites erant, qui iustũ militiæ tempus militauerant. Tempus iustæ militiæ 20. erant anni.

Quibus hic ordo.] Senatus Veteranis prospexerat, ut haberent unde cõmode & honeste uiuerent, & eis beneficia Cæsaris confirmarat. Quæ cum audire mallem.] Nam ut ipse in Fam. Epistolis dicit, Molesta acerbius est uidere, quàm audire. Item, Lentius in animum descendunt, quæ audiuntur, quàm quæ uidentur: minusq; cõmouent. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impijs ciuitas, opitulandi potestate præcisa, ut ad Brutum scribit Epistola quæ incipit: Messalam habes. Ius legationis liberæ.] Legatio aut publica erat, id est Reip. causa demandata, aut uotiua, id est uoti alicuius dissoluendi causa suscepta, aut libera: quæ duo priuatim impertiri ab senatu solebant, tanq̃ honesta proficiscendi causa: quoq; sub titulo legationis procul à patria ciues honestius esse possent. Erat præterea ea causa, quod senatori ab urbe diutius abesse non licebat, nisi iure legationis impetrato. Cicero ad Atticum: de hac ipsa legatione: Mihi, inquit, legatione opus est. honestior autem est libera, quàm uotiua. sed licet uti utraq;, atq; inibi, Dolabella, inquit, me sibi legauit ad quartum nonas Apriles, id mihi heri uesperi nunciatum est. Votiua ne tibi quidem placebat. Item ibidem, Cogites, inquit, quid agendum nobis sit super legatione uotiua, quod in his locis moneor à multis ne in senatu Calendis ad-D sim. De libera legatione mentionem facit etiam Brutus lib. 11 Famil. Epist. prima. Cum in his angustijs, inquit, uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisq; nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. liberæ legationes uidebantur habere definitum tempus quinquennij ex lege Iulia. Vt adessem Calen. Ianuarijs.] Sperabat enim fore Cicero, ut ubi noui consules Hirtius & Pansa consulatum inirent, & Senatum ex eorum authoritate cogendum, & se aliquid in senatu authoritatis habiturum, quam nullam habebat, Antonio omnia pro sua libidine gerente.

Exposui P. C. profectionis consilium, nunc reuersionis, quæ plus admirationis habet, breuiter exponam. Cum Brundusium, iterq; illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa uitauissem: Cal. sextilibus ueni Syracusas: quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur. quæ tamen, mihi urbs coniunctissima, plus una me nocte, cupiens retinere non potuit. ueritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem cõmoratus. cum autẽ me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini: uenti detulissent: ab eo loco conscendi

scendi, ut transmitterem. nec ita multum prouectus, reiectus austro sum in eum ipsum A locum, unde conscenderam. cumq; intempesta nox esset, mansissemq; in uilla P. Valerij comitis & familiaris mei: postridieq; apud eundem uentum expectans manerem: municipes Rhegyni complures ad me uenerunt: ex his quidam Roma recentes, à quibus primum accipio M. Antonij concionem, quæ ita mihi placuit, ut ea lecta de reuersione primum cœperim cogitare.

Exposui P.C.] Transit ad alteram partem narrationis ex periodo bimembri, κατὰ κύκλον, uel ut alij uocant, per conuersionem breuiter & absolute. Prior huius transitionis pars, epilogi uice ponitur: altera propositionis. proponit enim, & pollicetur se breuiter consilium suæ reuersionis expositurũ, ex quo & docilitatẽ renouat, & attentionem.

Quæ plus admir.] Ex admiratione iucunditas efficitur. Idcirco, cum de suaui narratione præcipiunt oratores, admirationis quoq; mentionem faciunt. Cic. in Part. Or. Suauis autem narratio est, inquit, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, si interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, letitias, cupiditates. *Cum Brundusium.]* Vrbs est Brundusium, & portus cõmodissimus in Calabria ut ueteres, in Apulia, ut nostra ætate traditur, ex quo breuis & facilis in Epirum traiectus est. Brundusio enim Oricum usq; (quam hodie Velonam nominari quidam putant) non plus quàm LXXXV. M. passus intersunt. Itaq; Brundusio soluere consuerant B Romani in Græciam & Asiam nauigaturi, redeuntesq; inde, Brundusium appellebant. Hoc igitur iter quod contritum & usitatum in Græciam erat uitauit Cicero, & minus tritum tenuit ad dexteram, atq; in Siciliam nauigauit, ne in Antonium Antonianosùe incideret, qui in eo itinere erant ut Veteranos solicitarent. *Cal. Sextilibus ueni Syracusas.]* Die prima Augusti ueni Syracusas. Est autem hæc urbs inter Pelorum, & Pachynum promontorium Siciliæ, ad Ionium mare sita. Hæ sunt illæ Syracusæ in quibus duodequadraginta annos tyrannus fuit Dionysius, quum quinq; & uiginti natus annos dominatum occupasset. In eadem urbe multis annis post, floruit Archimedes nobilis Geometra, & Philistus Historicus: Vide Cic. in quinta Tusculana, & de Orat. & in Verrem. Hæc urbs quanquam uarias mutationes casusq; perpessa, tamen & hodie extat, eodem nomine appellata. *Transmissio in Græciam.]* Ex hac quoq; urbe transmissio, id est traiectio, siue transitus in Epirum haud difficilis, neq; longus est. *Quæ tamen urbs mihi coniunctissima.]* Declinatiuncula, magis enim festinationem suam & animi dolorem ostendit, quam perpetuet narrationem. Fuit autem Ciceroni amicissima ea ciuitas, cum propter Quæsturam in Sicilia integerrime administratam, tum uel maxime propter Verris Siciliæ, ac præsertim Syracusarum compilatoris accusationem. Vide diuinationem in Verrem. Et Fam. Epist. lib. 10. *Veritus sum.]* δικαιολογία ad probitatem ingenij sui innuendam.

Cum autem me.] Continuat narrationem: estq; hic locus plenus signis uerisimilibus περιστατικῶς, & ipso rei insperato exitu, iucundam habet expositionem. *Ex Sicilia ad Leucopetram.]* Tria sunt in fronte Italiæ promontoria C Salentinũ ubi Hydruntũ, Laciniũ ubi Croton: Leucopetra, siue ut Pomponius Mela uocat, Zephyriũ Siciliæ proximum ubi Rhegyum oppida sunt. De Leucopetra Strabo lib. 6. Occurrit, inquit, è regione Siciliæ ad Orientem per stadia quinquaginta nauiganti promontorium, quod à colore Leucopetram, id est album saxum appellant. Montis Apennini finem esse Leucopetram Geographi tradunt. Vniuersa enim Italia à iugis alpium oritur: & in Leucopetram Siculumq; fretum, ubi Rhegyum est, terminatur. *Quæ est promontorium.]* Certa commemorat loca, eaq; describit, quo uerisimilior sit narratio. nam locis, temporibus, personis consentanea qui narrat, is probabile facit quod dicit. Rhegyum autem oppidum in Calabria est situm ad ipsum fretum, sic dictum quoniam eo loci conditum fuit, ubi terræ motu, æstuq; maris Sicilia ab Italia auulsa fuit, interueniente freto. ῥήγνυσθαι enim frangi est, & rumpi. Promontorium uerò dicitur pars montis in mare prominens, & desinens. *Vt transmitterem.]* Vt traijcerem, ut mare transirem, ut in Græciam transmitterem. Cic. de Diu. Cæsar in Africam transmisit. dicitur etiam transmittere maria. Cic. de Nat. D. Grues cum maria transmittunt, trianguli formam efficiunt. Item ex aliquo loco transmittere. Cic. Pro L. Manilia. Cum exercitus nostri Brundusio transmiserint. Item transmittere pro cõmittere, & mandare: Cicero Pro L. Manilia: Quis dubitat, quin hoc tantum bellum Pompeio transmittendum sit? Illud uerò rarium est, quod idem Cicero Pro L. Manilia dixit, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui, id est dandum, tribuendum, impendendum.

Nec ita multum prouectus.] Non adeo procul à littore uectus. *Reiectus Austro.]* Auster enim Syracusis D in Græciam soluentibus, contrarius est: secundus Fauonius. De hac re ipse Cicero ad Brutum, Itaq;, inquit, in medio Achaico cursu, cum Etesiarũ diebus Auster me in Italiã, quasi dissuasor mei consilij, retulisset, te uidi Veliæ, doluiq; uehemẽter.

Cumq; intempesta nox esset.] A tempore probabilem facit narrationem. Nox intempesta cum omnia silent, tacent, cubãt: quæ ob id etiã à Cicerone cõcubia dicitur, & à Plauto cõticiniũ. tũc enim inactuosa nox est, tẽpus nullum habens rebus agẽdis. De noctis, dieiq; partibus, uide Liliũ Gregoriũ Ferrariensem & alios. *In uilla P. Valerij.]* Hic est P. ille Valerius Iurisconsultus, ad quem extat Epistola iocosa Ciceronis Fam. lib. 1. à personis fidem facit orationi. *Municipes Rhegini.]* Municipes dicebantur ciues Romani ex municipijs & oppidis suo iure & legibus: muneris tamen honorarij, id est fungendi magistratus participes, à quo munere capessendo, municipes dicti uidentur, ut autor est A. Gellius lib. 16. cap. 13. *Ex his quidem.]* Hactenus ita ex adiunctis, & attributis, siue ut quidam uocant, circumstantijs, temperauit orationem, ut in summa festinatione, necessaria mora facta esse uideatur. Nunc causæ reditus rursum per enumerationem exponuntur. *Roma recentes.]* Qui tum ab urbe ueniebant, siue nuperrime uenerant. *M. Antonij concionem.]* Orationem hanc in senatu habuit pro Sex. Pompeio Cn. filio, qui id temporis in Iberia bellum gerebat contra Cæsaris Pretores. Hunc reuocandum in patriam suasit, & pro patris bonis quæ in æde Opis in publicum redacta erant uigesies & quinquagies decies mille drachmas atticas restitui, & eundem

A *præsidem maris institui debere, censuit. Hanc suasionem Antonij quidam scriptam Rhegyum attulerant, à quibus acceptam legit Cicero. non igitur tantum rumore audiuit, ut quidam male interpretati sunt.*

Nec ita multo post, edictum Bruti affertur, & Cassii. quod quidem mihi, fortasse quòd eos etiam plus Reip. quàm familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis uidebatur. addebant præterea (fit enim plerunq; ut ij, qui boni quid uolunt afferre, affingant aliquid: quo faciant id, quod nunciant, lætius) rem conuenturam: Cal. Sextilibus Senatum frequentem fore: Antoniū repudiatis malis suasoribus, remissis Gallijs prouincijs, ad authoritatem Senatus esse rediturum. Tum uerò tanta sum cupiditate incensus ad reditū, ut mihi nulli neq; remi, neq; uenti satisfacerent: non quo me ad tempus occursurum putarem: sed ne tardius, quàm cuperem, Reipu. gratularer. Atq; ego celeriter Veliam deuectus, Brutum uidi, quanto meo dolore non dico. turpe mihi ipsi uidebatur, in eam urbem me audere reuerti, ex qua Brutus excederet, & ibi uelle tuto esse, ubi ille non posset. neq; uerò illum similiter, atq; ipse eram, commotum esse uidi. erectus enim maximi ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur.
B Ex quo primum cognoui, quæ Cal. Sextilibus in Senatu fuisset L. Pisonis oratio: qui quanquam parum erat (id enim ipsum à Bruto audieram) à quibus debuerat, adiutus: tamē & Bruti testimonio, quo quid potest esse grauius? & omnium prædicatione, quos postea uidi: magnam mihi uidebatur gloriam consecutus.

Nec ita multo post.] Pergit & alias reditus sui causas enumerare. Edictum uerò Bruti & Caßij qui tum Prætores erant urbani, fuit ut ne cui minori uiginti annis prouincia obueniret, ut Apianus scribit. Id autem edictum tacitè contra Antonij potentiam factum erat, qui bis annis tum erat minor. Fortasse quod eos.] παρένθεσις quæ fit plerunq; γνωμολογικῶς ad narrationis fidem. Addebant.] Et hæc adduntur ad augendam expositionis fidem.

Rem conuenturam.] Id est pacem coituram, uel partes inter se (positis inimicitijs) conuenturas esse.

Malis suasoribus.] Peruersis consultoribus, siue consiliarijs, quorum peruersis consilijs & suasionibus transuersi plerunq; aguntur adolescentes potius quàm suapte natura. Remissis Gallijs prou.] In sortiendis prouincijs M. Antonio Macedonia obuenerat: Gallia Cisalpina D. Bruto cum tribus legionibus: Transalpina Munatio Planco. Sed cum Antonio ad ea quæ agitabat animo Gallia Cisalpina opportunior uideretur, eam loco Macedoniæ postulabat. Quæ res suspecta senatui cum esset, Bruto significauit, ut prouinciam retineret, & contra Antonium, exercitū augeret. Nam quod hic Cicero se audiuisse dicit, Antoniū remissis Gallijs, id est remissa postulatione Cisalpinæ Galliæ, ad autoritatem Sena
C *tus rediturum, id nihil fuit, ut exitus declarauit. Tum uerò tanta.] συμπαθὲς ἐμφατικόν, uenusta ὑπερβολῆ ornatum: moderatum etiam breui occupatiuncula, ad beneuolentiam augendam. Atq; ego celeriter.] Declinatio tum ad Brutum παθητικῶς ornandum, tum ad causam à L. Pisonis persona commendandam.*

Veliam deuectus.] Cicero in Epistolis ad Brutum, ea epistola cuius paulo ante mentionem feci, Te uidi Veliæ, inquit, doluiq; uehementer. cedebas enim Brute, cedebas: quoniam Stoici uestri negant fugere sapientis. Nam D. Brutus, ingrauescente Antonij metu, sibi reliquisq; socijs legationem liberā postulauit, ut aliqua honesta proficiscendi causa quæreretur, ut ipse Brutus ad M. Brutum & Casium scribit, ut paulo ante indicauimus. Velia uerò oppidum est, & portus in agro Lucano, qui nūc La Basilicata à nostris hominibus appellatur: Græci Heleam dicunt, quod intra paludes sita sit, quas illi ἕλη nominant. Erectus enim.] τὸ προσεκτικόν, id est attentionem hic locus habet, propter libertatē orationis. Pulcherrimi facti conscientia.] Quòd Cæsarē interfecisset, patriamq; quantum in ipso fuit, seruitute liberasset. Et pulcherrimi dixit, id est honestißimi & laudatißimi. Ex quo primum.] Pars altera declinationis, etiam tamen superiori coniuncta, ut causa illa maturandi reditus fuisse uideatur. L. autem Piso socer Cæsaris interfecti fuit. is in senatu absente Cicerone suaserat deponenda esse arma, ad senatus autoritatē omnia referenda, libertatē conseruandā. Longa præterea oratione Antonij accusauerat impotentiā: & de eius mutata uoluntate questus pluribus fuerat: Hortatus deinde magno animo ut ei occurreretur: & ut C. Octauius, quē Iulius in familiā nomenq; suū adop
D *tauerat, ex Apollonia accerseretur, qui Antonij audaciæ & conatibus obijceretur. Idē uel primus uel cum paucis dissuaserat parentalia cum supplicationibus Iulio decernenda, quæ decerni uolebat Antonius: uerum pauci eius sequi sententiam uoluerunt: quamobrē Senatū reprehendit orator. Cicero in Epistola ad Casiū: Ita, inquit, nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est, nullo assentiēte: nec mihi, qui idē trigesimo post die feci: nec P. Seruilio, qui me est cōsecutus, tutò in senatū uenire licet. Cædē enim gladiator quærit. Hic idē tamē L. Piso postea Antonij absentis defensor contra Ciceronem extitit.*

Hunc igitur ut sequerer properaui: quem præsentes non sunt secuti, non ut proficerem aliquid (neq; enim sperabā id, neq; præstare poterā) sed ut, si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere uidebantur præter naturam, præterq; fatū) huius diei uocem testem Reipub. relinquerem meæ perpetuæ erga se uoluntatis.

Hunc igitur ut sequerer.] Vt eius sententiā mea oratione cōprobarem. Et uenusta contrariorū collatione exornat: Est autē resumptio conclusionis κατ' ἐπεξεργασίαν. Neq; enim sperabā.] Parenthesis facit ad uitandam arrogantiæ suspicionem. Si quid mihi humanitus accidisset.] Si quis mihi humanus casus accidisset: si in periculum aliquod incidissem: si mors accidisset, si ego morerer. Multa autem impendere.] Antonij gladios intelligere

uidetur

uidetur, & ad ea quæ fortuitò accidũt, referre. Hoc autẽ loco uidendũ est, quid sibi uelit illud: præter naturã præterq; fatum multa sibi impẽdere. primũ an utrũq; idẽ ualere uoluerit, fatũ atq; naturã, an quasi diuersa statuerit. Deinde an aliquid sit quod fato non cõtineatur. Atq; ut de primo dicã certũ est, fatũ plerũq; naturalẽ moriẽdi necessitatẽ significare, quæ omnibus a deo cõstituta est. Verè enim Sallustius: omnia, inquit, orta occidunt, & aucta senescunt. In hanc sententiam fatũ & naturã cõiunxisse uidetur orator, ut etiã lib. 1. Epist. ad Atticũ. Si nostrũ fatũ aut fortunã cõqueremur. Sæpius tamẽ inter se distinguũtur, ut aliud sit natura, aliud fatũ, aliud fortuna. Ac certũ est ueterũ plerosq; ea quæ eueniũt, partim naturæ partim fato, partim etiã fortunæ attribuisse: Ex quo illud Vergilij de Didone in quarto: Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Item ibidem Didonis illud sibi iam pugione inferentis: Vixi & quẽ dederat cursum fortuna peregi. In his enim duobus uersibus, fatũ, meritã mortẽ, id est naturalẽ, & fortunã nominauit. Fato autẽ mori eos putarunt qui anno scansili, quẽ κλιμακτῆρα Græci uocant, ex hac uita discedunt. κλιμακτηρικοὶ uerò anni ita dicti sunt, quod è septenis aut nouenis annis cõstent: cuiusmodi sunt septimus, quartusdecimus, uicesimusprimus, & deinceps. Item nonus, decimus octauus, uicesimus septimus, atq; eodẽ in reliquis modo. Præcipuè autẽ ijs qui grandiore sunt ætate, fatalis est sexagesimus tertius, quoniã ex utroq; numero conflatur. De hac re extat Augusti Epistola apud A. Gellium in hæc uerba: Aue mi Cai meus Ocellus iucundissimus, quẽ semper mediusfidius desidero cum à me abes: sed præcipue diebus talibus qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meũ Caiũ: quẽ ubicũq; hoc die fuisti, spero lætũ & beneuolentẽ celebrasse quartũ & sexagesimũ natalẽ meũ. Nam ut uides κλιμακτῆρα cõmunẽ seniorũ omniũ tertiũ & sexagesimũ annũ euasimus. Non ignoro tamẽ Seruiũ eos quos supra citaui ex Virgilio uersus explicantẽ, annũ nonagesimũ fatalẽ existimasse, qui & ipse climatericus est. Natura uerò impellente moriuntur, qui uel morbo, uel senectute intereunt. Fortuna uerò, siue casus, ad omnia externa pertinere uidetur, quæ uim afferunt ad mortẽq; cõpellunt. Atq; huiusmodi fuit mors Didonis, quæ si Poetæ credimus, sibi mortẽ cõsciuit: & Ciceronis qui gladios Antonij metuebat, quos effugere tandem non potuit. Physici uerò duo tantũ interitus genera ponunt: unũ naturale, alterũ contra naturã: in quo uim fortunæ casusq; cõprehendunt. Ad secundũ autẽ illud quod à nobis quæsitũ est, an fato omnia quæ accidunt cõcludantur, non est huius loci respondere. nam cum perdifficilis est quæstio, tum minime in hoc amœniore leuioreq; doctrinæ genere subtilius explicanda. Variæ præterea fuerũt tum philosophorũ, tum theologorũ hac de quæstione sentẽtiæ. Quare ad grauiores eam cõmentationes merito reijcimus. Videtur autẽ Cicero locũ Demosthenis imitatus ex oratione illa præclara quæ περὶ στεφάνου, id est de corona inscripta est. Sic enim ille: ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει, ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνῄσκειν ἐθελήσει, id est, Nã qui parẽtibus tantũ se natũ putat, fatalẽ, & spõte uenientẽ mortẽ expectat: qui uerò etiã patriæ, ne illã seruire uideat, mortẽ oppetere optabit. Hic mortis tria genera facit Demosthenes, fatalẽ nimirũ mortẽ, sponte uenientẽ, id est naturalẽ, & uiolentã siue fortuitã, cum dicit: mortẽ oppetere optabit. Vocẽ testẽ.] Sentẽtiã quæ in posterũ testaretur me bene sensisse de Rep. eiq; opitulari uoluisse: siue meam de Rep. sententiã, quã in perpetuũ testatã uolo, me Reip. & libertatis causa omnia pericula, omnes casus & calamitates subire paratum fuisse. Budæus in Cõment. linguæ græcæ, legit: Hanc uocem testem relinquerem egregiæ uoluntatis.

Quoniam utriusq; cõsilij causam P. C. probatã uobis esse confido, priusq; de Rep. dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria: cui sum amicus, idq; me nonnullo eius officio debere, etiã præ me semper tuli. Quid tandem erat causæ, cur in Senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solus ne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas? aut de Pyrrhi pace agebatur? ad quam causam etiam Appiũ illum & cæcum & senem delatum esse, memoriæ proditum est. de supplicationibus referebatur: quo in genere Senatores deesse non solent. coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia: quod idem fit, cum de triumpho refertur. ita sine cura Consules sunt, ut penè liberum sit Senatori non adesse.

Quoniã utriusq; cõsilij.] Absoluta narratione, qua profectionis & reuersionis suæ causas exposuit, transit ad Antonij iniuriæ reprehensionẽ: qui locus tametsi prior uideatur esse potuisse, & occasionẽ maioris expostulationis habuisse, tamen ideo utrunq; uitandum est, ne uideretur suum non Rep. negotium agere. Confido.] Credo, spero. hoc uerbum ad tria tempora respicere potest. ad præteritũ. ut hic: ad præsens, ut Cicero in proœmio libri primi de Officijs: à Cratippo nostro principe huius memoriæ philosophorũ hæc te assidue audire, atq; accipere confido. ad futurum uerò, ut in illo, ita fore confidimus, te uenturũ esse confidimus. Priusquã de Rep.] Redintegrat propositionẽ cum diuisione, ut attentos docilesq; faciat. Pauca querar.] Diminutio, siue extenuatio querelæ, ad remouendam odij suspicionẽ, & molestiam leuandam. De externa M. Antonij iniuria.] Qui minatus in senatu est cum redisse Ciceronem sciret, nec in senatũ uenisset, missurũ se fabros qui domum eius demolirentur: & milites qui inuitum traherent.
Cui sum amicus.] More suo aduersario se amicum profitetur, idq; ad remouendam, ut ante dixi, odij suspicionem. Officium autem quod hic cõmemorat, fuisse arbitror quod cum Antonius à Cæsare, deuicto in Pharsalia Pompeio, Romam remitteretur, Ciceronemq; Brundusii reperisset, cum eum posset, non occidit: atq; id fortassis quod Cæsar ei, & alijs suis, de conseruando Cicerone mandarat, ut Dion scribit. Verum hæc de re in sequenti oratione plura. Quid tandem erat causæ?] Propositio querelæ. Nulla causa fuit, cur in senatũ cum contumelia cogerer. Subiungitur inde ex proximo confirmatio ex pari, ut ex more cogendi senatus. Nam neq; solus aberam: neq; ea res agebatur ut necessariũ esset:

A *sed de supplicationibus agebatur, ubi gratia non mulcta, requiritur.* Solus ne aberam?] *Ex pari. Si cogendus ipse tanto incõmodo fui: ergo & alij. Quod si cæteri qui aberant, non erant cogendi, nec ipse cogendus fui.* Vt etiam ægrotos.] *Bona ratio. nam ægroti a publicis muneribus immunes sunt. Hic ergo & se ægrotũ fuisse innuit, & simul respicit ad historiã, ut mox dicetur.* Annibal, credo.] *Amara ironia uice infirmationis ad contemptionem aduersarij atq; eius causæ. Huiusmodi ironia usus est M. Portius Cato apud Liuiũ in oratione pro lege Oppia. Historia uerò unde hæc illusio sumpta est, ita breuiter habet. Annibal acerrimus Romani nominis hostis, quater cæsis Romanorũ copijs ad Ticinũ primũ, deinde ad Trebiã amnem, tertio ad Trasimenũ lacũ, postremo ad Cannas in Apulia, ad tertiũ ab urbe lapidẽ castra posuit, Romã obequitauit, & intra mœnia iaculũ misit, unde magna omniũ mentes cõsternatio occupauit. Pyrrhus autẽ Epirotarũ rex uario Marte sæpe pro Tarentinis contra Romanos pugnauerat. Postremo ad uicesimũ ab urbe lapidẽ copias promouit. Tum cœptũ de pace agi per Cyneã legatũ, atq; ut ad hanc rem efficiendã Pyrrhus in urbẽ reciperetur. ad quod consiliũ Appius cæcus & senex lectica delatus, fortissimè & prudentissimè Regijs promissis sua oratione restitit, & ne reciperetur, dissuasit. Liu. apud Flor. lib. 13.* De supplicationibus.] *Quasi dicat non de necessarijs, aut grauissimis rebus. Supplicationes sacra erant, quibus dijs publicè ob rem bene gestam gratiæ agebantur. De his Antonius retulerat, ut unà cum parentalibus Cæsari decernerentur. Id quod senatus Antonij metu fecit, ut infra dicet Cicero.* Non pignoribus.] *Quoties senatus habebatur, qui abessent nisi iusta de causa abessent, pignoris ca-* B *pione, aut mulcta indicta in senatũ cogebantur: præterquã in supplicationibus, & triumpho decernendo, ad quæ potius gratia & beneuolentia eorũ quorũ de honore agebatur, aut consuetudine, quàm malo coacti uenire solebant. Atq; ita penè liberum erat, adesse, uel non adesse. Sumptum igitur est argumentum à more & consuetudine cogendi senatus.*

Qui cum mihi mos notus esset, cumq; è uia languerem, & mihimet displicerẽ, misi pro amicitia qui hoc diceret. at ille uobis audientibus, cum fabris se domũ meam uenturum esse dixit. nimis iracundè hoc quidem, & ualde intemperanter. cuius enim maleficij ista pœna est? ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum, publicè ex senatus sententia ædificatam domum? quis autem unquam tanto damno senatorem cocgit? aut quid est ultra pignus, aut mulctam?

Qui cũ mihi mos.] *συμπέρασμάτιον ἀντιληπτικῶς addita est μετάστασις etiam ad maiorẽ defensionem.* Cumq; de uia languerẽ.] *Id est fessus de uia essem, & penè ægrotarẽ. alij codices habent è uia. sed idem ualet: nisi quod de uia usitatũ magis.* Et mihimet displicerem.] *Cum molestia tædioq; affectus ualde essem, περιφραστικῶς se tristem & curis confectũ fuisse significat. Et notandũ est hoc elegans dicendi genus.* Misi pro amicitia.] *Quæ mihi cum Antonio est. supra enim dixit: cui sum amicus.* At ille uobis aud.] *Criminatio ex ad-* C *uerso illata, ad quandam ἀλλοίωσιν, hoc est facti sui & contumeliæ aduersarij dissimilitudinẽ ostendendam: qui pro æqua & amica petitione, retulit iniuriam.* Cum fabris] *Qui domũ meã demolirentur. Multa sunt fabrorũ genera. Sunt enim fabri materiarij, qui materiã, id est ligna ædificiorũ tractant: sunt item cæmentarij, qui calce & lapidibus domos extruunt: ferrarij, aurifices, lapidarij, quos latomos Græci uocant. Hi autẽ fabri Antonij erant, quos hodie in Italia appellamus, li Guastadori, quasi dicas demolitores, siue disturbatores. hoc enim genere utuntur in castris ad multa castrensia munera obeunda.* Nimis iracundè.] *ὑπερφανημα ad maiorẽ cum uituperationẽ, tum indignationem.*

Et ualde intemperanter.] *Id est impotenter, siue magna animi impotentia. Quanquã Aristoteles in Ethicis intemperantẽ ab impotente distinguit, & intemperantiã ab impotentia. Vult enim intemperantẽ impotente deteriorẽ esse: quòd ille non uictus ab affectibus, sed de industria intemperans est. Impotens autem non de industria non uoluntate, sed uel à molestia, uel à uoluptate uincitur. Quare impotenti contrarius non est temperans, sed cõtinens: & impotentiæ continentia.* Se publicis operis disturbaturũ.] *Fabris euersurũ & demoliturũ. παρονομασία ἐμφατικῶς, & exaggeratio facti.* Publicè ex sen. sen.] *Hoc additur ad exaggerandũ Antonij factũ. Nam cum P. Clodio Trib. plebis, Pisone & Gabinio Coss. Cicero in exiliũ abiuisset, Clodij opera uillæ eius incensæ sunt, uastati agri, bona sub hasta uendita, domus diruta, & ut area quoq; ei adimeretur, ædes Libertatis in ea exædificata. Restituto Cicerone decimo & sexto mense post, domus publica impensa reædificata est: & per pontifices, Coss. & prætores omni religione soluta.* D *Decreto quoq; sancitũ, ut qui domũ disturbarent, contra Remp. facere uiderentur. Vide in Orat. in Pisonẽ, & post reditum suũ ad Pontifices.* Quis autẽ unquã?] *Interrogationibus urget, ad rei indignitatẽ cum admiratione exaggerandam.* Aut quid est ultra pi.] *ἐκ περιουσίας, hoc est ex abundanti uis quædã argumẽti, hoc pacto: In supplicationib. gratia, nõ mulcta ualere debet: tametsi etiã aliâs, nunq̃ quicq̃ extra pignus est, nunq̃ ædiũ demolitio. Mulctã Samnitũ uocabulum esse dicit Varro: & specialis peccati esse, cuius animaduersio pecuniaria sit: pœna uerò generalis.*

Qui si scisset quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de seueritate cogendi. An me censetis P. C. quod uos inuiti secuti estis, decreturũ fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerẽtur? ut inexpiabiles religiones in Remp. inducerentur? ut decernerentur supplicationes mortuorũ? nihil dico cui: fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio dominatu Remp. liberauit: & ad similem uirtutẽ, & simile factũ stirpem in prope quingentesimum annum propagauit: adduci tamen non possem: ut quenq; mortuum coniungerem cum deorum immortalium religione: ut cuius sepulchrum nusquam extet, ubi parentetur: ei publicè supplicetur. Ego uerò eam sententiam dixissem Patres conscripti: ut me aduersus populũ Ro. si quis accidisset grauior

Reip.

Reip. casus, si bellũ, si morbus, si fames, facile possim defendere: quæ partim iam sunt, A
partim timeo ne impendeant. sed hoc ignoscant dij immortales uelim & populo Romano, qui id non probat: & huic ordini, qui decreuit inuitus.

Qui si sciisset.] Hoc cum cõtemptione quadam proferendũ est. Habet autẽ transitũ ad insequentẽ reprehensionem. An me censetis?] Propositio magnis exornata & producta figuris, ad orationis uehementiam, & grauitatem. Quod uos inuiti secuti estis.] Quod inuiti secuti potius Antonij uoluntatẽ quàm uestrã, decreuistis. Et hoc ingressu extenuat peccatũ senatus, ex eo quod inuitus & metu, nõ uolũtate decreuit, ut parẽtalia Cæsaris cũ supplicationibus miscerentur. Sunt autẽ parẽtalia iusta mortuorũ: & parentare est pro mortuis parẽtibus iusta facere, & epulũ dare. Cic. pro Flacco: Libemus igitur, inquit, Lentulo, parẽtemus Cethego. omnes uerò maiores in infinitũ parẽtes uocari ait Cassius iurisconsultus. Apud ueteres Romanos 12. Cal. Februarij quotannis pro mortuis celebrari solita sunt, ut Ouidius tradit in Fastis. Vide etiã Macrobiũ & Catonẽ. Hũc morẽ Ecclesia Romana autore Odilione monacho renouauit. Itaq; decreuit, ut postquã Cal. Nouẽbris diuis omnibus litassent, postridie eius diei defunctorũ manibus iusta facerent, siue parentarent, ut ex Aetnæis faucibus, & flãmis, in quibus animarũ gemitus et clamores Odilio cum suis monachis audierat, liberarentur. Id uerò incidit anno à Christo seruatore nato, millesimo primo. Tam diu miseræ illæ animæ hoc preclaro suffragio caruere: Cũ igitur supplicationes fierent dijs immortalibus: parentalia uerò mortuis, ex dissimilibus & differentibus probat Cicero ista duo misceri nefas fuisse. Inexpiabiles religiones.] Id est superstitiones detestabiles, & execrabiles. Est enim superstitio nihil aliud q̃ uana, falsa & inexpiabilis religio, hoc est quæ ad expiandũ & purgãdum B
nihil cõducit, sed obest potius. Vel inexpiabiles, quæ nullo sacrificio, nulla hostia, nulloq; supplicio expiari luiq; possint. Et est notandũ quod hic Cicero dicit, supplicationes mortuorũ, esse inexpiabiles religiones. Quid diceret si hodie eas ita receptas uideret, ut inexpiabiles habeantur, qui illas non probant: Recte magister ueritatis: Publicani, inquit, & meretrices anteponentur uobis in regno dei. Nihil dico cui.] Sic enim legendum est, non, quis, comparatio à maiori per occupationẽ ad amplificandum. Fuerit ille Lucius Brutus.] Iunius legendum ex Liuio & alijs omnibus, atq; ex alijs Ciceronis locis. Hac concessione, hoc significare uult: ne Iunius quidẽ Brutus ille, à quo Reges sunt exacti & parta urbi libertas, quiq; hunc Brutũ suo exemplo ad interficiendũ Cæsarẽ tanto interuallo incitauit, dignus sit ad cuius sepulchrum supplicetur, multo minus Cæsar, qui regio dominatu liberam oppressit. ille profuit tyrannide pellenda: hic obfuit exercenda. Iunio enim Bruto id honoris duntaxat tributũ fuit, ut cadauer eius in foro positũ collega Valerius laudaret: matronæ annũ lugerent. Vide Liuium. Regio dominatu.] Eiecto Tarquinio superbo, & filijs. Stirpem.] Progeniẽ suã, scilicet M. Brutũ qui & ipse Cæsarẽ penè regẽ interfecit. Propagauit.] Extendit, produxit, procreauit, sumptũ à uitibus: unde propago. Cum deorũ immort. Relig.] Vt ei uelut dijs immortalibus supplicemus. Vt cuius sepul.] Ratio cur dissuadeat supplicationes. Ego uerò eam sent.] Summã suæ sententiæ dixit: tamen nunc quasi nihil dixerit, incertũ profert. sed pertinet hic locus ad animorũ perturbationẽ: habetq; in se ἐπιφωνη- C
ματικῶς quandã ἔκπληξιν à deorũ ira & metu. Si quis accidisset gra. Reip. casus.] Propter hanc inductam inexpiabilẽ, falsamq; religionẽ, ac potius superstitionẽ, & piaculũ. Solet enim deus ille maximus, & sui honoris uindex perpetuus ob publice præsertim uiolatã & corruptã religionẽ, in ciuitates & populos grauissime animaduertere: & uel bello, uel pestilentia, uel fame publica scelera ulcisci: cuius rei exempla extant illustria non modo in populo Iudeorũ uerũ etiã Christianorũ: idq; deus ipse uatũ suorũ ore omnibus minatur. Vtinã id cogitarent qui tam facile superstitiones recipiunt, aut receptas, tanta obstinatione defendunt: & cum uera dei immortalis religione cõiungunt, cum tamen sciant nihil esse Christo domino cum Beliale (utar enim uerbo in religione nostra usitato) nihil inquã cum Beliale Christo domino esse cõmune. sed ignoscat deus ille immortalis, ijs saltem qui hæc patiuntur inuiti. Facile possem def.] Si populus Romanus malis ira deorũ immissis excitatus, contra senatũ ob inductã & cõfirmatã decretis suis superstitionẽ, insurgeret, possem me facile defendere, & dicere me ne id decerneretis, monuisse, me assensum non fuisse, non comprobasse: quo pacto non iram deorũ modo, sed etiã populi Romani declinarẽ. Hoc exemplũ imitarentur saltẽ, qui Rebus publicis præsunt: & ijs consilijs intersunt, in quibus de religione cõsultatur. Quanquã si plus non audent, habent Gamalielem bonũ & cordatũ uirũ quẽ sequantur. is enim cum malis aduersus Christianos consilijs alia uia resistere non posset, aut minus auderet, sinendos esse domini discipulos monuit, & de religione quam sine scelere uidebat, controuersiam,
diuinæ procurationi permittendã esse censuit. Quæ partim iam sunt.] Bellũ & fames. Vide Dionẽ & Apianum Alexandrinũ. Et hoc ἐπιφωνητικῶς extra ambitum collocatum est, ut magis aures & mentes feriat. Sed hæc ignoscant.] εὐχὴ siue optatio ad deprecationem & excusationem magno indicio suæ erga patriam charitatis. D

Quid de reliquis Reipub. malis? licet ne dicere? mihi uerò licet, & semper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere. potestas modo ueniendi in hunc locum sit, dicendi periculum non recuso. Atq; utinam P. C. Cal. sextilibus adesse potuissem: non quo profici potuerit aliquid: sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus Rep. inueniretur. qua quidem ex re magnum accipio dolorẽ: homines amplissimis populi Ro. beneficijs usos L. Pisonem ducem optimæ sententiæ non secutos. Iccirco ne nos populus Ro. consulares fecit, ut in altissimo amplissimoq; gradu dignitatis locati, Remp. pro nihilo haberemus? non modo uoce nemo L. Pisoni consularis, sed ne uultu quidem assensus est.

Quid de reliquis.] παρασκευὴ, id est preparatio siue premunitio ad reprehensionẽ insequentiũ, & tractationẽ principalis questionis, quæ est de Cæsaris actis. In quo uide quàm cõmode ab Antonij persona huc delapsus sit, ut etiam

A attenti auditoris animaduersionē fefellisse uideatur. Licet ne dicere?] Sermocinatio, ex qua sensim delabitur ad obiurgandū senatū. In quo Ciceronis erga Remp. animus declaratur: qui pro eius dignitate tuenda, nec pericula, nec mortem ipsam recusat. quibus uerbis animos cōmouet, ut Reip. labentis & laborantis misereantur. Atq; utinā.] Et hæc optatio est, ad eosdem motus animorū cōparata. Cal. sextil.] Quibus relatū ab Antonio fuit, de supplicationibus & parētalibus Iulio decernēdis. Non quo profici.] Supra nō ut proficerē aliquid, sed ut si quod mihi humanitus accidisset, huius diei uocem testem, Reip. relinquerē, meæ perpetuæ erga se uoluntatis. Vnus consularis.] L. Piso: de quo supra, & paulo post etiā mentio fiet. Cōsulares erāt, qui consulatū gesserant. hi maioris habebantur prærogatiuæ & autoritatis in senatu. Dignus illo honore.] Quasi diceret: Si consulares dicti sunt, quod Reip. consulant, hic unus L. Piso, qui sententiā utilē Reip. dixit consularis est, dignusq; illo honore habendus. Qua quidem ex re.] παῤῥησία temperata per querimoniā. Hac autē quos uereri debemus liberius aut etiā licētius admonemus, reprehēdimus, obiurgamus. Amplissi. pop. R. benef.] Magistratibus qui in comitijs pop. Romani suffragijs deferebantur. L. Pis. du. op. sent.] Ne parentalia cum supplicationibus miscerentur, & alia pro Rep. quæ indicauimus supra. Idcirco ne nos pop. Rom.] Obiurgatio à causis ducta, quam paulo ante licentiā appellauimus: cuius acerbitatē in eo lenit, quod non V O S, sed N O S, dixit: quasi seipse cum alijs castiget. Debent enim huiusmodi obiurga-
B tiones in graues uiros, aliquo modo mitigari: id quod Cornificius admonet ad Heren. lib. 4. Cōsulares fecit.] Ex hoc loco & alijs id genus, colligunt quidam consularē, quemuis senatorē à Cicerone simpliciter appellari, quod non consulares solos, id est qui consulari munere perfuncti erant, sed omnes senatores totumq; consiliū reprehendat. alij legunt consules, sed male: id quod & antecedentia & cōsequentia ostēdunt. Remp. pro nihilo haberemus] Id est Remp. negligeremus. aut quid accidat Reip. non curaremus. locus est à consularis uiri, seu senatoris officio. Non modo uoce.] Id est sententia: Et est cum admiratione pronunciandum. habet tamen & admixtam indignationem. Sed ne uultu quidem.] Qui sermo quidem tacitus mentis est: quiq; sensum animi plerunq; indicat, ut Cicero ait.

Quænam, malum, est ista uoluntaria seruitus? fuerit quædam necessaria. nec ego hoc ab omnibus ijs desidero: qui sententiam consulari loco dicunt. alia causa est eorū, quorum silentio ignosco: alia eorum, quorum uocem requiro: quos quidem doleo in suspicionem populo Ro. uenire, non metu, quod ipsum est turpe: sed aliū alia de causa deesse dignitati suæ. quare primum maximas gratias & habeo & ago L. Pisoni: qui non quid efficere posset in Rep. cogitauit: sed quid ipse facere deberet. deinde à uo-
C bis P. C. peto, ut etiam si sequi minus audebitis orationem atq; authoritatem meam, benignè tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.

Quænam, malū, est?] Plena ἀγανακτήσεως. Et uox illa, M A L V M, inter alia interiecta uerba (quod non sine graui percunctatione fieri solet) indignationis est nota. Itaq; conuenit huic asperiori obiurgationi. Ista uoluntaria seruitus?] Seruitus contra naturā est: nam iure naturali omnes liberi nascuntur. Itaq; Inst. lib. 1. De iure personarū, seruitus dicitur esse constitutio iuris gentiū, qua quis imperio alieno contra naturā subijcitur. Seruitus autem alia est uoluntaria, & hæc turpissima est: alia necessaria siue coacta, quæ aliquā excusationē habet. Idcirco eos hic potissimū obiurgat orator, qui priuatis rationibus corrupti, ultrò se & ciuitatē in seruitutē darēt. Nam cū duobus modis fiant serui, ut iurisconsulti docent loco paulo ante à me citato: aut iure gentiū, id est, ex captiuitate: aut iure ciuili, cum liber homo maior uiginti annis ad preciū participandum, sese uenundari patitur: qui Romæ priuatis cōmodis adducti, sese domino subijciebant, ad secundum genus referuntur: eis tamen deteriores, quòd non se modo, sed etiam alios graui seruituti mancipabant. Fuerit quædam necessaria.] Propter regnū Cæsaris. facit autē infestā ἀνθυποφορὰν per concessionē, ut sit sensus: fuerit necessaria seruitus: certè uoluntaria esse non debuit. Nec ego hoc.] Pulcra præsumptio ad beneuolentiā. Elabitur autē per distinctionē. Excipit enim eos quos necessitudo Antonij, & Cæsaris beneficia, liberè loqui prohibebant, qualis erat L. Cæsar, Cæsaris patruus, & alij quidam. Non metu, quod ipsum est turpe.] Est
D enim fortitudini contrarius metus, ob quem honestum deseritur. Sed alium alia de causa.] Cum singuli sua, non Reip. cōmoda respiciunt, ibi nulla potest esse Reip. salus. Quare primum.] Cōclusio siue absolutio præmunitionis, ex locis beneuolentiæ & attentionis. Et cum agit L. Pisoni gratias, tacitè ostendit quid alij facere debuissent, ut & ipsis gratiæ agerentur. Gratias & habeo, & ago.] Vsus latinè linguæ docet habeo gratiā, ago gratias esse dicendum. Sed cum utrunq; uerbum iungimus, ago scilicet & habeo, tum gratias dicimus, non gratiam. Qui non quid efficere posset.] Erit γνώμην si quis ad θέσιν transferat hoc modo: Non quid effici possit in Rep. sed quid fieri debeat, cogitandum est. hoc est, in dando de Repub. consilio, nunquam ab honesto discedendum est. Deinde à uobis.] Præparat animos ad ea quæ de actis Cæsaris dicturus est attentè audienda. Vides igitur non in exordijs modo, sed per totam orationem esse attentioni & docilitati locum, id quod Cicero docet in secundo de oratore.

Primum igitur acta Cæsaris seruanda censeo: non quo probem, quis enim id quidem potest? sed quia rationem habēdam maxime arbitror pacis, & ocij. uellem adesset Antonius, modo sine aduocatis. sed, ut opinor, licet ei minus ualere: quod mihi heri per illum non licebat. doceret me, uel potius uos P. C. quemadmodum ipse Cæsaris acta defenderet. an in commentariolis, & chirographis, & libellis se uno autore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Cæsaris firma erunt? quæ

ille in æs incîdit,in quo populi iussa,perpetuasq; leges esse uoluit,pro nihilo habebun A
tur? Equidem existimo nihil tam esse in actis Cæsaris, quàm leges Cæsaris. an si cui
quid ille promisit,id erit fixũ? quod idem facere non potuit, ut multis multa promissa
non fecit:quæ tamen multo plura reperta sunt illo mortuo, quàm uiuo beneficia per
omnes annos tributa,& data.sed ea non muto:non moueo:summo etiam studio præ-
clara illius acta defendo.Pecunia utinam ad ædem Opis maneret, cruenta quidem il-
la,sed his temporibus,cum ijs quorum est,non redditur,necessaria:quanquã ea quoq;
sit effusa:si ita in actis eius fuit.

*Primum igitur acta.] Acta sunt quæ Græce αἱ πράξεις dicuntur,res uidelicet actæ ab eo qui magistratus est, uel
negocia ad Rempublicam pertinentia:hodie rerum & negociorum expeditiones à pragmaticis nostris dicuntur:possent
melius administrationes uocari.Errauit Valla Romanus,qui in Philippicis Ciceronem putauit de priuatis Cæsaris actis
intelligere,cum de publicis tantum intellexisse constet.Quæstio huius orationis siue status est, Sint ne Cæsaris acta ser-
uanda? Huius apta propositio hic constituitur,non integra,sed diuisa & sparsa longius,ut paulatim ascensum demere-
tur,hoc pacto:Cæsaris acta seruanda,sed quæ legibus eius non repugnent,ut multa eius chirographa,libelli, commenta-
rioli,& ea demum quæ legitime seruari deberent,ferantur,quæ non pro arbitrio Antonij excogitentur. Hæc enim tria B
sunt firmamenta,in hac quæstione contra Antonij rationes.hic operæprecium est uidere quàm callide orator, & sensim
incedat,quod fit plerunq; in firmamentorum collocatione. Non quo probem.] Occupatio.Si quis diceret : Pro-
bas tu Cicero omnia Cæsaris acta,quando seruanda censes:Respondet,Non probo.Quis enim ea probet,quæ cum iniqua
sunt,tum maxime contra Rempublicam.Cur igitur seruanda censes? quia rationem habendam maxime censeo pacis, &
quietis.Si enim aliter pax constare non potest,nisi Cæsaris actis seruatis,quæ uere Cæsaris acta sunt, censeo esse seruan-
da,non quòd æqua sint,sed quia ut res sunt,neq; pacem habere,neq; libertatem tueri satis possumus. Seruare igitur ne-
cessitas præsens cogit,non actorum omnium æquitas.Et hoc est quod ipse De officijs libro primo scribit: Mea quidem sen
tentia,inquit, paci quæ nihil habitura sit insidiarum ,semper est consulendum: in quo si mihi obtemperatum esset, & si
non optimam,at aliquam Rempublicam quæ nunc nulla est,haberemus. Vellem adesset Antonius.] Optat sibi
præsentem Antonium dari,ne uideatur in absentem liberius forsitan dicere. Modo sine aduocatis.] Grauis in
Antonium & amara ironia translatione ornata.Antonij enim aduocatos,armatos homines & fabros,quibus domos di-
sturbat,intelligit. Licet ei minus ualere.] Id est licet ei excusare ualetudinem,quod mihi heri licere noluit.Argu
mentum est ex pari.Nam si ei licet,cur mihi non licuit?Quod si mihi non licuit,cur ei licere debet?Quod enim in re pa-
ri ualet, ualeat & in hac quæ ei par est, & contrà. Cicero in Topicis. Doceret me.] Negat Antonium seruare
Cæsaris acta,quod in hunc confirmat modum.Qui leges Cæsaris non seruat,is nec eius acta seruat. Antonius autem le- C
ges Cæsaris non seruat,igitur nec eius acta. Argumentum est ex consequentibus. An in commentariolis?] Ex
minori confirmat,& simul ostendit pugnantia ab Antonio committi.nam si commentarioli seruandi sunt, multo magis
leges,quæ uere acta sunt. & diminutio nominis ad contemptionem pertinet.Sunt autem commentarioli negociorum co-
dices siue libelli. Vt autem quid sibi uelit Cicero de hisce actis intelligatur,afferam Plutarchi uerba, quæ plurimum lucis
afferent huic caussæ.Sic enim scribit in Antonio,ubi de ijs quæ post interfectum Cæsarem acta sunt,meminit. Cæsaris a-
mici,inquit,ad Antonium se contulerunt,ad quem etiam Calphurnia uxor pecuniam à Cæsare relictam transtulit,& pe
nes eum deposuit.Erat autem numerus talentorum quatuor millia.Accepit etiam Cæsaris commentaria,in quibus decre-
ta indicataq; erant scripta.Ad hæc Antonius quod libitum fuit addens,alijs magistratus dabat,alijs immunitates:multi se
natores facti,plerіq; ab exilio reducti.Atq; hæc omnia faciebat,quasi à Cæsare decreta . Quamobrem Romani eos om-
nes per iocum Charonitas appellabant.Quod si quid obijceretur,illico ad mortui confugiebant chirographa.Hæc et alia
præterea multa contra leges fecit Antonius:ipse quidem Consul,Lucium uero fratrem Tribunumplebis , & Caium alte-
rum fratrem prætorem,socios habens.His fieri fidem puto ijs quæ à Cicerone hic & in sequentibus de Antonij insolentia
dicuntur. Se uno autore.] Eleuat ijs quæ proferebat Antonius,fidem,ex eo quod ab eo solo, nemine approbante,
nemine testante,proferrentur. Ac ne prolatis quidem.] Correctione hac magis etiam eleuat fidem:quod tantum D
modo diceret penes se esse Cæsaris commentaria,non etiam proferret in publicũ,& ostenderet. In æs incîdit.]
In æreis siue æneis tabulis.nam in his incidebantur & inscribebantur leges,id quod non unus,sed omnes ueteres scripto-
res testantur.Errant qui putant,in æs incidere, tantum dicendum esse, non etiam in ære .Cicero enim in Verrem act. 6.
in ære incisum,inquit,nobis tradiderunt. sic etiam alij. Populi iussa.] Iurisconsulti Instit. lib. primo De iust. & iu
re,paragrapho Constat,legem à plebiscitis distinguunt. Legem enim ita definiunt , ut lex sit generale iussum populi Ro-
mani Senatorio magistratu interrogante.Plebescitum uerò aiunt esse,quod plebs plebeio magistratu interrogante,uelu-
ti Tribuno,constituebat.Plebs aũt à populo eo differt,quo species à genere.Nam appellatione populi,uniuersi ciues signi
ficantur,cõnumeratis etiã patritijs et senatoribus.Plebis aũt appellatione,sine patritijs & senatoribus,cæteri omnes si-
gnificãtur.Sed & plebiscita lege Hortensia nõ minus ualere quàm leges cœperunt.Ergo populi iussa leges intelligit pro
prie,non plebiscita:idcirco addit,Perpetuasq; leges. Equidem existimo.] Approbatio primi firmamenti ὁρι-
κῶς,id est ex definitione quadam. An si cui quid.] Infirmatio contrariæ sententiæ,à maiori,sic: Cæsar ipse mul
tis multa promisit,quæ non præstitit:& nos quibus ea promissa displicent, faciemus? Promissa facere , est præstare quæ
promiseris.Cicero De officijs lib. primo,Cum facere promissum non semper iustum esse dicit, id est seruare.

Quæ tamen multo plura.] Alterum firmamentum breuiter & paucis saltem indicatum.Et latenter notat Anto
nij improbitatem,qui commentarios Cæsaris uitiauerit,addiderit,ademerit quicquid libitum fuit. Beneficia.]
Immunitates,& id genus alia,quæ bene de se meritis principes tribuunt:gratias uulgus nostrum uocat. Sed ea*

A *non muto.] Oratoria præteritio est post rem expositam, ad id quod dixit leniendum. Pecunia utinam.] Profert aliam Antonij fraudem de pecunia quæ ex bonis Pompeianorum in illa proscriptione redacta fuerat: quam Cæsar restitui mandarat, sed Antonius interuerterat. Huius pecuniæ summam sequenti oratione dicit fuisse septies millies sestertiûm, quod ibi declarabitur. Ad Opis.] Ἐν τῷ ἱσῳ τῆς ῥέας. Nam Ops eadem dicitur Rhea, & Cybele, & Bona dea, & Matuta, & Fatua, dicta Ops ab ope ferenda, quam & Tellurem & Terram Saturni sororem, & alijs nominibus appellant. Ad Opis autem dixit, usitata Romanis & Graijs figura, pro ad ædem Opis: ut ad Telluris, ad Vestæ, ad Dianæ alibi usurpauit. De hac pecunia etiam ad Atticum scribit: Rapinas, inquit, scribis ad Opis fieri, quas nos tum ui debamus: nec liberati ab egregijs uiris, nec liberi sumus. Ita laus illorum est culpa nostra. Cruenta illa quidem.] Vtpote ex bonis cæsorum Pompeianorum. Hoc σχῆμα quidem ἀντεισαγωγὴν uocãt, ego malim Aristotelem sequi, & ἀντικατάλλαξιν uocare. In hoc autem loco prior pars quæ est ex permissione, eo suauior est, quo magis aduersariam causam, quàm suam lædit. Sit effusa.] Altera συγχώρησις, siue oratoria concessio.*

Ecquid est quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in Republica cum potestate imperioq; uersatus sit, quàm lex? quære acta Gracchi, leges Semproniæ proferentur: quære Syllæ, Corneliæ. quid? Cn. Pompei tertius consulatus, in quibus

B actis constitit? nempe in legibus. à Cæsare ipso si quæreres, quidnam egisset in urbe, & in toga? leges multas, responderet se & præclaras tulisse. chirographa uerò aut mutaret, aut non daret: aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed ea ipsa cõcedo, quibusdam in rebus etiam conniueo. In maximis uerò rebus, id est legibus, acta Cæsaris dissolui, ferendum non puto. Quæ lex melior, utilior, optima etiam Republica sæpius flagitata? quàm ut prætoriæ prouinciæ plusquam annum, ne plusquam biennium Consulares obtinerentur? hac lege sublata uidentur ne nobis acta Cæsaris seruari? quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia Decuria iudicum, nónne omnes iudiciariæ leges Cæsaris dissoluuntur? & uos acta Cæsaris defenditis, qui leges eius euertitis? nisi forte, si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis: & quamuis iniquum & inutile sit, defendetur? quod ad populum Centuriatis comitijs tulit, id in actis Cæsaris non habebitur?

Ecquid est quod.] ἐπανάληψις, hoc est rationis primi firmamenti resumptio. Actum definit ex efficientibus, ex

C *quo confirmat leges Cæsaris, acta eius esse. Lex, inquit, est actum eius qui togatus in Republica cum potestate imperioq; uersatus sit. Reciprocatur in hũc modum: Actum, lex eius qui togatus in Republica cum potestate imperioq; uersatus sit. Non discrepat à Iurisconsultorum legis definitione, sed eam hæc inuolutam continet, & illa hanc. Togatus.] Non armatus: neq; enim per uim legitimæ feruntur leges. Quære acta Gracchi.] Idem exemplis pluribus à simili confirmat: estq; forma quædam argumentationis per inductionem. Leges Semproniæ.] à C. Sempronio Graccho latæ. Leges enim quæ ab earum latoribus appellabantur, ex nomine eo quod prænomen sequitur, appellari consueuerunt. Idcirco statim leges Cornelias nominat, quæ à L. Cornelio Sylla latæ fuerant. De hisce legibus uide Instit. lib. 4. Digest. lib. 48. De publicis iudicijs, & Pomponium Lætum De legibus Romanorum. A Cæsare ipso si.] Fictum exemplum, καθ' ὑπόθεσιν hoc genus argumenti, quod à fictione uocat Quintilianus, Græci πλάσιν etiam uocant. In urbe & in toga.] Non in castris & inter arma, sed in pace & in magistratu togatus: siue ut ante dixit, cum potestate & imperio. Chirographa uerò.] ἀντίθεσις, leges daret, chirographa non daret. nam leges sunt publica acta: chirographa, priuata. Chirographa quiuis potest conficere: leges, nemo, nisi magistratu fungatur, ferre potest. Sed ea ipsa concedo.] Transitio facta rursus τὴν συγχώρησιν ad speciem quandam ἀντικατηγορίας faciendam.*

D *Criminatur enim Antonium, quòd magis in eo peccet ipse, quod ab alijs uelit seruari. Conniueo.] Dissimulo, non repugno, consentio, ferenda puto. Translatio est ab oculis sumpta. Semper Cicero dicit conniuere in aliqua re, alij etiam, ad aliquam rem. In maximis uero.] Propositio renouata, sequentis reprehensionis, qua ostendit Antonium eiusq; collegas, acta Cæsaris dissoluere & abrogare: cum tamen id uellent uideri unum poscere, ut illa seruarentur. Quæ lex melior?] Laudat leges Cæsaris, ut Antonij improbitatẽ, qui eas uiolat, augeat. Prætoriæ prouinciæ.] Prouinciarum duo erant genera, Prætoriæ, ad quas mittebantur prætores, præturæ munere finito: & Consulares, quæ consulibus consulatus munere perfunctis mandabantur: hiq; Proconsules uocabantur. Prætorijs consulares præstabant magnitudine, dignitate, tempore. Quid? ea lege.] Cæsar Tribunos ærarios, qui antea lege Aurelia iudicarant, iudicum ordinibus amouit: & senatorum equitumq; duas decurias reliquit. Antonius rursus tertiam addidit Centurionum, siue illi equites Romani essent, siue non essent. Id Cicero reprehendit, quod contra legẽ Iuliam de iudicijs factum esset. Decuria uero nomen est ordinis iudiciarij, à decies centenis iudicibus appellata, qui in singulis curijs sedebant. Hinc decuriare uerbum, id est, in curiam adscribere, segregare & describere. Dissoluuntur.] καταλύονται, abrogantur, irritæ fiunt, rescinduntur. Et uos acta Cæs.] ἀγανάκτησις loco conclusionis, quam enthymemate conficit, ex contrarijs. Nisi forte.] Ironica occupatio, siue correctio ex comparatione maioris & minoris, per contentionem. Nam si commentarij in actis sunt, multo magis leges. Hoc autem confirmat ex fine, & ex genere rei, & legũ ferendarum autoritate. Siquid memoriæ causa.] Commentarij definitio, quòd sit libellus memoriæ causa comparatus. Centuriatis comitijs.] Comitia à coeundo, conuentus populi, consilium omniũ ordinum dicebatur. Conueniebant autem ad suffragia ferenda in rem quampiam uel iubendo uel uetando: unde comitiales dies, quibus agere licebat cum populo: & comitialis morbus, quo soluebantur comitia. Item comitium locus comitiorum, Campus Martius, præsertim*

tim ad centuriata comitia celebranda, quæ in eo tantum haberi poterant. Sunt autem comitiorum tria genera, Centuriata, Curiata, Tributa. Centuriata comitia (ut summatim explicem) quæ apud Liuium, Dionysium Halicarnasseum, & Gellium, & alios sparsa leguntur, dicuntur quando non uiritim feruntur suffragia, sed centuriatim, hoc est ut singulæ centuriæ singulos calculos ferant. Curiata uerò comitia ex generibus omnium promiscue constabant: ea sunt in quibus uiritim populus sine delectu suffragium fert. In centuriatis comitijs potestas omnis erat penes optimates & nobiles: in curiatis uerò penes populum. In centuriatis comitijs ex censu & ætate suffragia ferebantur, idcirco grauiora: cōtrà in curiatis nullo census & ætatis habito delectu, ex quo sæpe sordidißimi, & adolescentes in suffragijs, optimatibus & senioribus præferebantur, id quod comitiorū imminuebat dignitatem. Hinc controuersiæ magnæ interdum ortæ, inter patritios & plebeios, postulantibus patritijs annitentibusq; ut centuriata comitia haberentur, in quibus ipsi pollebant: contra tendentibus plebeis, & curiata comitia efflagitantibus, in quibus ipsi erant domini suffragiorū. Tributa uero erant, cū ex regionibus & locis atq; adeo tributim uicatimq; comitia fiebant, in quibus interesse tribus, & suffragari per regiones & compita consuerant: in hisq; minores magistratus creabantur. Sunt etiam quæ calata comitia dicerentur, quæ pro collegio pontificum habebantur: aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa. Nam cum uniuersum populum sacerdotia mandare, uel quenquam sacris præficere, propter religionem non deceret, Cn. Domitio tribuno plebis legem ferente, cautum est, ut minor pars populi selectiq; uocarentur: & ab ea parte qui dignus collegio foret, cooptaretur: idcirco non plures quàm decem & septem tribus in pontificis aut sacerdotum comitijs unquam interfuisse compertum est. His quoq; comitijs calatis, arrogationes illorum, qui cum sui iuris sint, in alterius transeunt potestatem, fieri solitas legimus. Ijsdem & sacrorum detestationes, & testamenta factitabantur. Tria enim ueteribus fuere testamentorum genera, B *unum quod calatis comitijs fiebat: alterum quod per æs & libram: tertium militare, quod procinctum uocabatur: de quibus Institut. libro secundo, titulo De testamentis ordinandis.*

At quæ est ista tertia decuria? centurionum, inquit. quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam antè Pompeia, Aurelia, non patebat? census præfiniebatur, inquit. nō Centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. itaq; uiri fortissimi atq; honestissimi qui ordines duxerūt, res & iudicant & iudicauerunt. Non quæro, inquit, istos: quicunque ordinē duxit, iudicet. at si feratis, quicunq; equo meruisset, quod est laudatius: nemini probaretis. in iudice enim spectari & fortuna debet & dignitas. Non quæro, inquit, ista: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. aliter enim nostri negant posse se saluos esse. O contumeliosum honorem ijs quos ad iudicandum nec opinantes uocatis. Hic enim est legis iudex: ut ij in tertia decuria iudicent, qui liberè iudicare non audeant. in quo quantus est error dij immortales, eorum qui istam legem excogitauerunt. Vt enim quisq; sordidissimus uidebitur, ita libentissime seueritate iudicandi sordes suas eluet: laborabitq; ut honestis decurijs potius dignus uideatur, quàm in turpes iure coniectus. C

At quæ est ista tertia decuria?] Sermocinatione disputationē instituit contra legē iudiciariā Antonij. ἐκφαυλισμὸν habet τὸ αἰσχρόν, sed ad illud εἰσαγωγικῶς sensim peruenit: hoc autem facit ad eius contemptionē, & amicorū permotionem. nam quæ turpia sunt, contemnuntur: & indignamur, si quis de nostra dignitate aliquid imminutum uelit.

Centurionum, inquit.] Facit Antonium respondere ad rei indignitatem exaggerandam. Quid? isti ordini iudicatus.] Id est iudicandi potestas & munus, ordini Centurionū, qui ordo fuit militaris, ijs legibus tribuebatur, uerum certo præfinito censu, quem sustulit Antonius, ut iudicia magis popularia essent. nam lege Iulia duæ eligebantur decuriæ ex equestri ordine & senatorio: Pompeia uero lege, quā Pompeius secundo consulatu tulerat, ut amplißimo censu ex centurijs aliter quàm antea lecti iudices, ex equitibus, senatu, & tribunis ærarijs iudicarent. Aurelius quoq; Cotta aliquot annis ante accusatum Verrem prætor legem iudiciariam tulit, qua ijsdem tribus ordinibus iudicia communicata sunt. Autor Asconius Pedianus. Census præfiniebatur.] Sunt Antonij uerba, opponentis, antea & si ex centurionibus iudi- D *ces legerentur, id tamen non factum nisi ex certo censu bonorum: se autem nullius census rationem habere uelle, modo qui legitur ordinem duxerit. Erat autem is census, equitis Romani, hoc est quadringentûm sestertiûm: quæ summa, si ad nostri temporis rationem exigatur, coronatorum circiter duodecim millia efficere inuenietur. At non omnes Centuriones erant hoc censu: & priuari eos ob eam causam iudicatu, indignum uidebatur Antonio. Non Centurioni quidem solum.] Respondet Cicero. Verum quidem est, præfiniebatur census Centurioni, sed etiam equiti Romano. Ergo nihil habet quod queratur Centurio, si par sit ei cum equite Romano conditio. Dissoluit igitur Cicero ex pari, quod obijciebat Antonius. Itaque uiri fortißimi.] Concludit ex illis legibus, id fieri quod æquißimum sit, nimirum ut & fortißimi, & tribuni, & centuriones, & honestißimi propter censum (nam honestatem istam ad censum referebant) iudicarent, ut pariter & fortitudini simul & censui honos haberetur: & unà etiam decuriæ iudicum non dehonestarentur quibusuis sine delectu in eas allectis: quod fieret, si nulla census ratio haberetur. Non quæro, inquit, istos.] Hæc cum stomacho Antonium respondere facit: quasi diceret, Quid mihi cum ista uirtute & honestate? Satis superq; mihi est, si is qui legendus est, ordinem duxerit, siue sit amplo censu, siue paruo, siue adolescens, siue ætate processerit: siue fortis fuerit, siue ignauus: siue honestus, siue sordidus: nihil ad me, qui non quid æquum sit, sed quid mihi utile ac commodum quæro. Ducere autem ordinem, est magistratum aliquem in militia & in castris gerere, præesse decuriæ, centuriæ, manipulis, cohorti. At, si feratis.] καθ᾽ ὑπόθεσιν soluit, atque adeò ex maiori, hoc modo: Fertis uestra lege, ut*



A *ge, ut quicunque ordinem duxit, iudicet. Sed quom ducere ordinem poßint etiam pedites: & qui equo meret, dignior sit pedite etiam ordinem ducente, quales sunt manipulares centuriones, splendidius & popularius ferretis, ut quicunque equo meruisset, iudicaret. Sed si ita ferretis legem, nemo esset probaturus: multo igitur minus hoc sunt homines probaturi. Nam merebant etiam equo, qui equites Romani non erant, hoc est, qui in equestri ordine non censebantur: ut qui equum ex publico habebant, quorum nulla erat dignatio: tantum oportebat ut præsto cum equo essent, quoties Respublica eorum opera indigeret. ijs equum adimere penes Censorem erat, si quis strigosiorem habuisset, & ob alias quoque causas, ut est apud Gellium, & Valerium Maximum.* In iudice enim.] *αἰτιολογία, siue ratio cur nulli essent id probaturi. Et est locus communis, de eo quod in iudice eligendo spectandum sit. Duo autem spectari debent, fortuna & dignitas: fortuna, id est census: dignitas, id est honorum gradus, ut amplum aliquem magistratum cum dignitate obierit, ex quo digni homines habentur. Nam & tenuiores facilius corrumpi possunt, & qui magistratum nullum gesserunt, imperitiores sunt, & ad iudicis tuendam dignitatem minus apti uidentur.* Non quæro, inquit, ista.] *Paulo ante non quærebat istos Antonius: nunc non quærit ista, nimirum & fortunam & dignitatem. Facit autem Antonium ea dicere hac quasi prosopopœia, quæ ipse nunquam auderet. & ita facit illum superbe ac præfracte (ut erat) suas leges defendentē. Dicit se addere iudices manipulares, id est ex ijs qui manipulos duxerint, qui cēturiones manipula-*
B *res uocantur. Erat enim manipulus parua militum manus, ex uiginti militibus, & turba scutatorum. Quod autem dicit, ex legione Alaudarum, ad turpitudinem ostendendam factum est, quod etiam externi Romæ iudicarent. Legio enim Alaudarum ex Gallico milite constabat. Hanc Cæsar ex Transalpinis conscriptam, uocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) nominauit: quam disciplina cultuq; Romano institutam & ornatam, postea uniuersam ciuitate donauit: Suetonius in Caio Cæsare. Alaudam autem dictam existimant à Galearum forma, siue quod Alaudam in galeæ summo gestaret pro crista, ut mos est. Est autem alauda auicula pennas erectas in capite habens, quam galeritā Romani uocarunt, ut Varro docet.* Alter enim.] *Nisi tales iudices habeamus, inquit Antonius.*] Nostri, *hoc est nostræ factionis homines, qui multa per uim & contra Rempublicam fecerunt, negant posse se saluos esse, & iudiciorum seueritatem posse euadere.* O contumeliosum honorem.] *Exclamatio ad rei indignitatem augendam, cui epitheton contrarium magnam adiungit gratiam.* Nec opinantes.] *Nihil tale cogitantes, qui nunquam se ad tantum honorem uenturos somniassent: utpote qui eo se indignos deputent.* Hic enim est legis index.] *Ex hoc qualis sit ista lex, indicium licet sumere, cum ex ea lege ij iudicent, qui scelerum conscientia iudicare libere non audeant. Alij legunt iudex, intelliguntq; per synecdochen dictum esse, pro iudices.* In quo quantus est error.] *Inuersio est per exclamationem. Significat enim longe aliter euenturum, quàm ipsi legislatores putent: nimirum se ueritate iudicandi, qui lecti sunt ex sordidißimis, sordes eluere conaturos, ut eo munere digni uideantur. quæ tamen om-*
C *nia mihi per ironiā dici uidētur.* Sordidißimus.] *Obscurißimus, abiectißima fortuna.* Sordes suas eluet.] *Id est obscuritatem suam discutiet & illustrabit. Translatio sumpta est à corporum sordibus, quæ aqua eluuntur.*

Altera promulgata lex est: ut & de ui & de maiestate dānati, ad populū prouocēt si uelint. Hæc utrum tandem lex est? an legum omnium dissolutio? quis enim est hodie, cuius intersit istam legem manere? nemo reus est istis legibus: nemo est quem futurum putemus. armis enim gesta, nunquam profecto in iudicium uocabuntur. At res
al. uellet is popularis. utinam quidem uelletis aliquid esse populare. omnes enim iam ciues de reipublicæ salute una & mente, & uoce consentiunt. quę est igitur ea cupiditas eius legis ferendæ, quæ turpitudinem summā habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quam qui maiestatem populi Romani per uim minuerit, eum damnatum iudicio, ad eam ipsam reuerti, propter quam sit iure damnatus?

Altera promulgata lex est.] *C. Iulius Cæsar legem tulerat de ui & maiestate, contra eos qui aut uim facerent, aut amplitudinem magistratus & Reipublicæ minuerent. Lex Iulia nominatur, eiusq; caput est in libris Iurisconsultorum:*
D *cuius pœna est animæ amißio, & post mortem etiam infamiæ nota. Sustulit Cæsar ea lege prouocationem: noluit enim qui uim fecisset, aut maiestatem læsisset, ad populum prouocare posse. Contra hanc legem Antonius & Lepidus aliam promulgarāt, nondum tamen tulerant, ut de ui ac maiestate damnati, ad populum prouocare possent, qua lege nihil perniciosius excogitari potuit. Hanc igitur reprehendit Cicero, primo quòd armet licentiam seditiosorum hominū: deinde quòd abroget legibus optimis Cæsaris. Priorem partem enumeratione confirmat: non pertinere illam nec ad præsentes, nec ad posteros reos: ergo ad ciuium tantum armandam licentiam ualere. Vtrumque argumentatione explicatur. In eo autem quod Cæsaris legibus abrogat, acta Cæsaris Antonium non seruare, sed dissoluere demonstrat.* Ad populum prouocent.] *Populum appellent: populi opem & fidem implorent, quiritentur. Hoc uero non permittebat lex Iulia de ui & maiestate, ut infra quoque Cicero docebit.* Hæc utrum tandem lex?] *Percunctatione acrius urget, & ostendit à contrarijs legem non esse, quod leges omnes dissoluit.* Quis enim est?] *Enumerationis propositio. Neminē enim reum fieri posse ea lege enumeratione partium confirmat in hunc modum: Si ea lex ad aliquos pertinet, aut ad præsentes reos coercendos pertinet, aut ad futuros, aut ad eorum armādam licentiā. Sed nec ad præsentes, nec ad posteros pertinet, ergo ad licentiam.* Armis enim gesta.] *Id est hac lege qua potestas fit ad populum prouocandi, ui & armis defenditur reus, nec iudicijs erit locus. Silent enim leges inter arma. & est argumentum à consequentibus.*
At res popularis.] *Occupatio ex persona aduersarij, rem populo gratam esse, si ad eum prouocetur.*
Vtinam quidem.] *Optatione occupationi respondet Cicero, negans hoc esse populare.*

Omnes

Omnes enim iam ciues.] Quid sit uere populare, nempe hoc: Salutem, id est libertatem populi & Reipublicæ procurare. Populare enim est quod populo placet: populo autem placet libertas & salus ciuitatis: hæc autem lex contra salutem est populi, igitur non est popularis. Ergo à definitione id probauit. De hac re Cicero in Catilinam Oratione quarta, & pro Sestio. Quæ est igitur.] Concludit legem non esse popularem, sed turpem, & populo Romano ingratam. Quid enim turpius?] Legis eius turpitudinem declarat ab effectis: cuius effectus turpis, eius nõ potest esse causa honesta. Turpitudo autem in eo ostenditur, quòd ad scelus ipsum impellit, propter quod sit aliquis iure damnatus. De ui enim aut de maiestate damnatus, ea lege ad eandem uim reuertitur. A

Sed quid plura de lege disputo? quasi uero id agatur, ut quisquam prouocet. id agitur, id fertur, ne quis omnino unquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato obijci se multitudini conductæ uelit? aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? non igitur prouocatio ista lege datur: sed duæ maxime salutares leges, quæstionesq́ tolluntur. Quid est igitur aliud, quàm adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi ciues uelint esse? quam autem ad Reipublicæ pestem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæstionibus, de ui, & de maiestate sublatis? quid? quod abrogatur his legibus Cæsaris, quæ iubent ei, qui de ui, itemq́ ei qui maiestatis damnatus sit, aqua & igni interdici? quibus cum prouocatio datur, nónne acta Cæsaris rescinduntur? B *al. obrogatur*

Sed quid plura?] Corrigit, quasi pœniteat tot uerba fudisse: & id quod propositum enumeratione fuerat, confirmat. Quasi uero id agatur.] Non enim id agitur ut prouocet quisquam, sed ut nemo unquam accuset eum quem prouocatione elabi posse uideat: quod & turpe accusanti esset & periculosum. Ita à fine legis, legem improbat.

Quis enim aut accusator.] Coniecturis à personis ductis neminem reum hac lege fieri posse confirmat. Coniecturam autem tractat enumeratione hoc modo: Qui reus fit, accusatore & iudice fit, Sed nullus erit, qui accusare, nullus qui iudicare aut condemnare ausit propter armatorum metum. nullus igitur reus fieri poterit. Vim etiam accipit hoc argumentum à relatorum natura. Nam si non est accusator, nec reus. Si non est iudex, nec condemnatus quisquam erit.

Multitudini conductæ.] Multitudinem conductam, & operas mercenarias, seditiosos homines uocat precio corruptos, & comparatos ab reo, ut se iudicio eripiant. Protrahatur.] Si forte reum condemnauerit, condemnetur ipse, & supplicio afficiatur. Non igitur prouocatio.] Concludit quod primum proposuerat, istam legem, legum esse dissolutionẽ. Duæ maxime salutares leges.] De ui & maiestate, ut paulo post dicet. Quæstionesq;.] Quæstio tria significat, & orationem ad disputandum propositam, & ueritatis per tormenta exquisitionem, & iudicium simpliciter, siue iudicij formam. In postrema significatione capitur hoc loco quæstio ut etiam alibi sæpe in oratione sequenti. Quanquam, inquit, de morte P. Clodij fuit quæstio non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat noua lege quæri de eo qui hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta? Quam enim appellat hic quæstionem, in Milonianæ principio, & deinde sæpe iudicium nominauit. Tamen, inquit, hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Quid est igitur.] Concludit id quod ex illa efficitur enumeratione, legem Antonij ad scelerum licentiam & impunitatem tantum pertinere. Quam autem ad Reipublicæ p.] A spe impunitatis, qui locus ad causam & impulsionem coniecturalem refertur. Tribunitius furor.] Omnes enim seditiones Romæ à tribunis plebis ferè ortum habuerunt. Quid? quod abrogatur.] Altera pars reprehensionis, quæ docet hanc legem Antonij, legibus Cæsaris contrariam esse. nam abrogare est legem contrariam alteri rogare. dicitur etiam abrogare legem, ut ad Atticum, Quod promulgare, abrogare, obrogare non licet. Abrogare legi & legem, ad Herennium, Cui legi abrogatum uel derogatum sit. Item, Quæ res fidem abrogat orationi. Item De inuentione: Abrogare legẽ, derogare aliquid de lege, & commutare legem aliqua ex parte. Legis autem huiusce de ui fit mentio Institut. lib. quarto, titulo De publicis iudicijs, in hæc uerba: Lex Iulia de ui publica seu priuata aduersus eos exoritur qui uim uel armati, uel sine armis commiserint. Sed siquidem armata uis arguatur, deportatio ei ex lege Iulia de ui publica irrogatur: si uero sine armis, in tertiam partem bonorum suorum publicatio imponitur. Ex his uerbis intelligitur idem esse aqua & igni interdici, quod hoc loco dicit Cicero, & deportationem irrogari, quod in lege Iulia positum est. Est autem deportatio ad insulas perpetua relegatio & condemnatio, quòd eò condemnati deportẽtur, autore Vlpiano. Deportationis exempla multa extant in historijs: & Ouidius in Pontum Augusti iussu fuit deportatus, id quod eius de Ponto & Tristibus libri testantur. Quibus cum prouocatio.] Confirmatio breuis cum argumenti conclusione. Rescinduntur.] Irrita fiunt, tolluntur, dissoluuntur, abrogantur. Translatum ab iis qui cum scriptum aliquod aut pactum abolere uolunt, chartam scindunt, & rescindunt, ne quis ex eo deinceps fraudem possit facere. C D

Quæ quidem ego P. C. qui illa numquam probaui, ita conseruanda concordiæ causa arbitratus sum, ut non modo quas uiuus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem: sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas esse & fixas uidetis. de exilio reducti sunt à mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed etiam nationibus, & prouincijs uniuersis: immunitatibus infinitis sublata uectigalia à mortuo

A mortuo. Ergo hæc uno uiro optimo autore domo prolata defendimus. eas leges, quas ipse uobis inspectantibus recitauit, pronunciauit, tulit: quibus latis gloriabatur, ijsq; legibus Rempublicam contineri putabat, de prouincijs, de iudicijs: eas inquam Cæsaris leges nos, qui defendimus acta Cæsaris, euertendas putabimus? Ac de ijs tamen legibus, quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus: de ijs, quæ iam perlatę dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nulla promulgatione latæ sunt antequam scriptæ.

Quæ quidem ego P. C.] Redit ad primam propositionem, acta Cæsaris propter pacem seruanda esse: & amplificat leges Cæsaris à tempore, & actorũ magnitudine, ut leges Antonij ex altera parte deprimat. Hoc tempore.] Nondum confirmata concordia, spectãte ad principatum Antonio. Prolatas esse & fixas uidetis.] Promulgatas & ad columnas affixas. Solebant enim leges in ære incisæ ad columnas affigi, ut legi & inspici ab omnibus possent.

A mortuo.] Id est ab Antonio, tanquam à Cæsare, quasi id in actis reliquisset Cæsar. Et est amarus iocus, quasi mortui aliquid cum uiuis agant, quod fieri non potest. Itaq; hoc illud est, quod Plutarchus scribit in Antonio, qui hæc facerent, Charonitas per iocum appellatos, tanquam à Charonte remissos. Ad maiorem quoq; inuidiam, ter eiusdem uerbi facta est in extremum conuersio. Ciuitas data.] Facti ciues Romani, ciuitate donati, in ciuitatẽ adscripti: quæ omnia cum alibi, tum in Oratione pro Archia usurpauit. Non solum singulis.] Scilicet hominibus, uel ciuitatibus.

B *Sed etiam nationibus.] Natio genus hominũ qui non aliunde uenerunt, sed ibi nati sunt, quos Græci αὐτόχθονας uocant, nos indigenas, quasi inde genitos appellamus. Et prouincijs uniuersis.] Quas Romani procul deuicerãt, ut Gallia, Hispania, Macedonia, Creta. Sublata uectigalia.] Significat immunitates datas, quas Græci ἀνεισφορίας & ἀτελείας uocant. Nam qui uectigales sunt, id est qui uectigalia tributaq; pensitant, non sunt liberi aut immunes, qui à Græcis ἀτελεῖς ni fallor uocantur. Sunt autem uectigalia non solum publici prouentus, uerum etiam priuatorum. Cicero in Paradoxis, Ex meo tenui uectigali, annua ducenta capio. Item, Nesciunt homines quàm magnum uectigal sit parsimonia. Quanquam proprie uectigalia dicuntur, quæ pro importatis & exportatis penduntur: tributa uero quæ à subditis, dominis & principibus annua tribuuntur, uel ad tempus imperantur. Hinc imperare tributum. Et Græcis uectigalia τέλη proprie dicuntur: tributa uero φόροι. Ergo hæc uno uiro optimo.] ὑπόφανμα ex minore, & habet εἰρωνείαν cum dicit, uiro optimo, Antonium intelligens. Domo prolata.] Ab ipso conficta & excogitata: deinde nobis proposita. Recitauit.] Antonium ipse: pronunciauit per præconem: tulit, id est sanxit, & in ærarium reposuit. Eas inquam Cæsaris L.] Repetitio uehemens, uerbi quod interpositis quibusdam iam longius retro relictum uideatur. Ac de his tamen legibus quæ promulgatæ sunt.] Correctio, qua distinguit de quibus legibus loquatur, nempe quæ promulgatæ sunt, quibus ob id licuit intercedere. nam cæteras mutari iam nõ posse dolet, quæ nulla promulgatione ab Antonio latæ fuerant, antequam scriptæ, id est antequam in senatu essent comprobatæ. Vbi enim*
C *in eas senatusconsultum factum erat, perscribebantur, & plures autoritatem suam adscribebant: cuius rei complura extant exempla apud Ciceronem, præsertim Epistolarum familiarium libro primo & octauo. Mos autem ferendarum legum hic erat. Lex primum trinundino promulgabatur: deinde si nemo intercesserat, in æs incidebatur: postremo in ærario condebatur, & ita demum lata dicebatur, quam rescindere non licebat. Est autem promulgare quasi prouulgare, hoc est in uulgus edere, ut Pompeius Festus ait. Trinundinum uero dictum est à ternis nundinis, quibus lex promulgabatur. Nundinæ uero mercatum significant: quoniam octo diebus rustici in agris uersabantur in opere faciundo occupati, et nono quoq; die in urbem ueniebant, rerum permutationes facturi, lites composituri, ac suffragia, si opus foret, laturi. Primis igitur nundinis, & item secundis lex promulgabatur, ut à singulis atq; uniuersis, quod ait Macrobius, facile nosceretur. Eratq; tum integrum intercedere, id est contradicere & impedire, si parum probaretur, siue quid uitij inesset. Tertio uero mercatu, cum omnis & urbana & agrestis adesset turba, rogatio fiebat in hanc formã:* VELITIS IVBEATISNE QVIRITES HOC FIERI. *Præco uerba legis, subijciente scriba recitabat. Tum si populus sciscebat, lex ferebatur, hoc est in æs, ut dictum est, incidebatur, & in ærarium seruabatur. Queritur igitur Cicero quasdam leges ab Antonio sine promulgatione incisas, & in ærarium repositas esse, ut intercedere non licuerit.*

D Quærunt quid sit, cur aut ego, aut quisquam uestrum P. C. bonis Tribunis plebis leges malas metuat. paratos habemus qui intercedant: paratos, qui Rempub. religione defendant: uacui metu esse debemus. Quas tu mihi, inquit, intercessiones? quas religiones nominas? eas scilicet, quibus Reipublicæ salus continetur. negligimus ista, & nimis antiqua, & stulta ducimus. forum sepietur, omnes claudentur aditus, armati in præsidijs multis in locis collocabuntur. quid tum? quod erit ita gestum, id lex erit, & in æs incidi iubebimus? cedo illa legitima. Quæ Consules populum iure rogauerunt, hoc enim à maioribus accepimus ius rogandi. populusq; iure sciuit. quis populus? is ne, qui exclusus est? quo iure? an eo, quod ui & armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris, quod est augurum: antedicere ea, quæ uitari possunt: quæ si facta nõ erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrũ uobis. demonstro uitia, tollite. denuncio uim, arma: remouete.

Quærunt quid sit.] Occupatio oratoria per διαλογισμὸν ad ostendendam iustam esse causam doloris & metus.

occurrit igitur iis qui putarent nihil periculi esse, quod nõ sint defuturi boni tribuni plebis qui intercedant, augures qui A obnuncient, & legislationem impediant. Ab his dissentit Cicero, & Antoniũ per uim laturum monet. Itaq; occurrendũ esse, dum res integra est. Paratos habemus qui intercedant.] Scilicet tribunos plebis. Sunt uerba eorũ qui dicãt nihil ab Antonij legibus esse timendũ, ut hac ratione suum instituat dialogismũ. Erat autẽ Caius Antonij frater tribunus plebis. Religione defendãt.] Scilicet augures, qui obnunciatione augurali leges malas ferri prohibeãt. Iis enim ius erat obnunciandi si tribuni plebis egissent cũ populo Ioue tonãte, aut pluente, aut alioqui cõtra auguria, ut in sequentibus orationibus dicet Cicero. Erat aũt id tẽporis ipse M. Antonius augur, ut Cicero indicat Philipp. 2. Lex Helia et Fusia de auspicijs uetabant agere cũ populo, nisi seruatũ de cælo fuisset. Itaq; Cicero in Pisonẽ queritur obnunciationẽ, qua perniciosis legibus resistebatur, euersam esse, Fusiamq; & Heliã leges propugnacula murosq; trãquillitatis atq; ocij uocat. Obnunciatio autẽ auguris erat, qua obnunciabat, hoc est nõ posse per auspicia agi cũ populo, admonebat. Tribunorum plebis ea fuerat autoritas, ut quicquid senatus decreuisset, ita ratũ esset, si tribuni approbarent. Præcipue uero intercessione pollebant, sese alijs magistratibus opponẽdo, & per eos uim fieri prohibẽdo: adeo ut si unus collegis reliquis repugnaret, facile impedire omnes posset: erantq; sacrosancti atq; inuiolabiles ipsi tribuni. Augures quoq; tantæ fuerũt autoritatis et sanctitatis, ut nihil neq; domi neq; foris nisi auspicatò gereretur, quod Val. Max. docet de institutis antiquis.

Quas tu mihi, inquit.] Verba sunt Antonij omnes leges, omnẽ reip. morẽ superbe reijcientis, ut etiã antea induxit illum dialogismo dicentẽ, Non quæro, inquit, istos. Itẽ paulo post: Non quæro, inquit, ista. Itaq; facit illũ hominũ deorũq; B contemptorẽ, ut eum in odiũ adducat. Eas scilicet.] Respondet Cicero, & laudat leges illas, ut ex aduerso uituperati intelligantur, qui eas negligũt & per uim omnia faciũt. Sæpe enim saluti fuit reip. si quando aut tribuni pleb. malis legibus intercederẽt, aut augures infaustum esse eum diem obnunciarent, quo uel leges ferre, uel comitia inire uellent.

Negligimus ista.] Antonius loquitur, et dicit se per uim laturũ, quod facit Cicero ad inuidiã Antonio conflandam. Magis enim mouẽt hæc, cũ ea dicit Antonius, q̃ si de Antonio diceret Cicero. Quid tum?] Ciceronis indignatio per acclamationẽ. Locus est ex cõtrarijs. Leges iure & æquitate ferũtur, hoc per uim fertur. nõ est igitur lex. cõtraria enim sunt ius & uis. Iubebitis.] Ad Coss. duos Antoniũ & Dolabellã respicit, tanquã diceret, ó rem indignissimã, siquidẽ hæc feceritis. Cedo illa legitima.] τὰ νόμιμα. legitima sunt quæ legib. continẽtur aut fiunt. Alij legunt, Credo illa legitima quæ Coss. etc. quod mihi nõ improbatur, ut sint Antonij uerba Ciceroni respõdentis, qui negauit id legẽ esse, quod ita fertur, ut ei intercedere nõ liceat. Antonius uero dicit nõ esse tot intercessiones aut obnũciationes quærẽdas, quæ consules populũ iure rogauerũt, populusq; iure sciuit ea legitima esse. Locus ex definitione legis, siue eius quod legitimũ est. Est aũt ex legibus xij tab. lex hæc sumpta: quibus tamẽ legibus et ius tribunorũ intercedendi, et augurũ obnunciãdi etiã cõtinetur, ut apud Cic. De legib. lib. 2. uidere licet. Sciuit.] Decreuit, sanxit: à scisco. quanquam sciscere proprie populi est, siue plebis: unde plebiscita. Qui populus.] Refellit Cicero, et negat populũ esse, cum melior populi pars exclusa fuerit, ijs admissis qui Antonianæ factionis essent. Ius aũt siue legitimũ etiã id negat esse, ubi C ius et arma dominãtur: sunt enim cõtraria, ius, iniuria. Atq; ego hoc dico.] Alij, At ego hoc dico. Cõmonitio ex παλιντικῶς ad excitationẽ senatus loco cõclusionis. Monet enim quæ futura sint, et quasi obnunciat: ut mature uenientibus malis occurrãt, quæ præcaueri diligẽtia possunt. atqui hoc augurũ est munus, et Cicero augur erat. quanquã hæc nõ ex augurio dicit, sed cõiecturis ex ijs quæ ab Antonio et fieri et tentari uidebat collectis. Alludit tamen ad augurale diuinandi munus. Sic enim ad Att. lib. 8. προθεσπίζω igitur noster Attice, nõ ariolans, ut illa cui nemo credidit, sed coniectura prospiciẽs, etc. προθεσπίζω, inquit, id est, præsagio, diuino, uaticinor, nõ ariolans, id est nõ afflatu, instinctuq; diuino uaticinãs: ut illa cui nemo credidit, ut Cassandra Priami regis filia, cui Troiani nunquã crediderũt: hanc enim aiunt uaticinãdi quidẽ uera à Ioue munus accepisse, sed eo fato, ut nemo ei crederet. de qua sic Maro Aeneid. 2. Tunc etiã fatis aperit Cassandra futuris Ora dei iussu, nõ unquã credita Teucris. Quæ uitari possunt.] Recte. nam si uitari nequeũt, quid prænunciasse iuuat? Quæ si facta nõ erũt.] Nisi præcaueritis, et in tẽpore prouideritis. Refelletur oratio mea.] Refutabitur, ὡς ἐλεγχθήσεται, mendax et uanus dicar fuisse uates: hoc est, euẽtus ipse me ueridicum fuisse arguet. Veri enim nec ne sint uates ex euentu explorandum esse docet Moses, alia ratione non possumus.

Loquor de legibus promulgatis.] Id est, ab Antonio populo propositis, ut eas ferre liceat. nam his intercedi potest, et D est integrũ uobis et liberũ statuere uelitisne eas approbare, an improbare. Demonstro uitia.] Hæc est quasi quædam auguralis obnunciatio, quæ continet Ciceronis in hac consultatione de repub. sententiam. Est autem hæc eius sententia, leges Antonij uitiosas esse, et reipub. perniciosas: idcirco esse tollendas. deinde Antonium qui uim sit allaturus, esse cohibendum, & armatis illis quibus confidit, priuandum.

Irasci te quidẽ mihi Dolabella pro rep. dicẽti nõ oportebit: quanq̃ quidẽ te id facturum nõ arbitror. noui enim facilitatẽ tuã. collegã tuũ aiunt in hac sua fortuna, quæ bona ipsi uidetur: mihi, ne grauius quippiã dicã: auorũ & auunculi sui consulatũ si imitaretur, fortunatior uideret̃. sed eũ iracundũ audio factũ. uideo aũt q̃ sit odiosum, habere iratũ eundẽ & armatũ: cum tanta præsertim gladiorũ sit impunitas. sed † promã ius, ut opinor, æquũ, quod M. Antoniũ nõ arbitror repudiaturũ. ego si quid in uitã eius aut in mores † cõtumeliose dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, nõ recusabo: si cõsuetudinẽ meã, quã semper in rep. habui, renuero: id est si libere quæ sentiam, de rep. dixero: primũ deprecor ne irascat̃, deinde, si hoc nõ impetro, peto ut sic irascat̃, ut quib. armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa, ijs qui pro rep. quæ ipsis uisa erũt

al. proponam

al. cum contumelia

A dixerint, ista arma ne noceāt. Quid hac postulatione dici potest æquius? Quod si, ut à quibusdā mihi eius familiarib. dictū est: omnis eum quæ habetur cōtra uoluntatē eius oratio, grauiter offendit, etiamsi nulla inest contumelia, feremus amici naturā. sed ijdē illi ita mecū: non idem tibi aduersario Cæsaris licebit, quod Pisoni socero. & simul admonent quiddam, quod cauebimus: nec erit iustior P. C. in senatum nō ueniendi morbi causa, quàm mortis.

Irasci te quidem.] Dicturus quædam tum in Dolabellā consulē præsentē, tum in collegā eius Antoniū absentem, nouo quodā exordio utitur: & præmunitione diligentissima, ne eos lædere uelle uideatur, sibi aditū ad sequentē admonitionem & adhortationē facit. Hortatur aūt utrunq; ut relictis prauis consilijs remp. tueātur. capita hortationis sunt, à laude bonorū ciuiū, et à periculoso eorū qui dominatū affectarūt exitu. Est ergo à spe laudis et præmij, & cōtrà, à uituperationis & suppliciorū metu. Et hic quartus est huius orationis locus. Primū enim consiliū profectionis et reuersionis suæ explicauit: deinde de Antonij iniuria cōquestus est: tertio loco de actis Cæsaris disputauit. Iam sequitur adhortatio, ut siquidem sanabiles sint, eos ad frugē bonā & ad remp. reuocet: atq; hoc quidē boni uiri officiū est, errātes in uiā reducere conari si possit: sin omnino eorū desperata salus fuerit, tū prospicere ut quamminimū obesse possint. Pro rep.] Conciliat
B sibi animos à re ipsa. se quæ dicturus sit, nō priuato aliquo odio, sed pro rep. dicturū. Quanquā quidē.] A persona Dolabellæ beneuolentiā cōparat, eius facilitatē in audiendo lenitatemq; cōmendans. Collegā tuū aiunt.] Hic intelligendū est, quod paulo post dicet, iracundū factū. Auorū et auunculi sui.] Antoniū adhortatur ad maiorum suorū imitationē. habuit enim, ut alios omittā, M. Antoniū Oratorē auū, auunculū uero L. Cæsarē, qui fuerat frater matris Antonij. uterq; fuit uir excellens, & uterq; pro rep. occubuit. Sed eū iracundū.] Qui facile et cito irascitur, consuetudine irascēdi. notat igitur in Antonio nō repentinā aliquā affectionē iræ, de qua Horat. Ira furor breuis est, sed habitū, et permanentē iræ feruorē et irascendi consuetudinē. & est epanalepsis: resumit enim, etsi mutato uerbo, quod dicere cœperat: collegā tuū aiunt. hic uero pro aiunt dicit, audio: et quod cœperat absoluit. Video aūt.] Trahit eū ad inuidiā et odiū indicatione potētiæ. Iratū & armatū.] Nam iratus nocere cupit, armatus potest. Et est agnominatio, in iratū & armatū. Impunitas.] Licētia, id est cum impune liceat uti gladijs cædesq; facere. Sed proponam ius.] Id est æquissimā conditionē. Ego si quid in uitā eius.] Hoc est illud ius, hæc cōditio: et quo illū æquiorē habeat, pollicetur se in uitā eius nihil esse dicturū quod eū possit lædere: qua re auertit suspicionē & crimē dicacitatis ac studij in reprehendendo, ut nō suū animū sequi, sed reip. causam agere uideatur. Si consuetudinem.] Deprecatur offensionē, et est locus rhetoricæ purgationis. Id est si libere.] Expositio sententiæ suæ, quā ἐπεξήγησιν uocāt Græci. Libere aūt uiro cōsulari sententiā dicere, modo absit contumelia, semper licere debet. Primū deprecor.]
C Vt aut ne irascatur, aut mihi pro rep. dicēti, ira ne noceat. nam si, ut ipse Antonius dicit, armis utitur, tantū sui defendēdi causa, in me uti nō debebit, qui eū nō lædo, sed pro rep. et sentio, et sententiā dico. Quod si ut à quibusdā.] ἀπόδοσις ex aduerso illata factæ optioni, ut plus odij et inuidiæ Antonio, sibi beneuolentiā & fauorem maiorem conflet.

Grauiter offendit.] Quod est hominis admodū et superbi et iracundi. Feremus amici naturā.] Id quod Cicero ipse in Lælio faciendū esse docet, quoad eius fieri potest. Sed ijdē illi.] Antonij familiares scilicet loquuntur. μίμησις est, qua eorū sermonē imitatur, quod et cū uenustate fit, nec sine stomacho tamē. Non idē tibi.] Verba sunt Antonij familiariū. Quod Pisoni soc.] Scilicet Cæsaris, cuius antea mentionē nō semel fecit. Admonēt quiddā.] Id est rē quandā mihi periculosam: nēpe cauēā ne ab Antonio de improuiso interficiar. Sed nō uult proferre in apertū, quod cauere debet, ne quē offendat. uoluit tamē suspicionē mouere, ne quis miraretur, si et ipse armatos ad se defendendū deinceps haberet. Nō erit.] Latēter indicat sibi periculū mortis ab Antonio imminere. q. d. Ego morbo impeditus P. C. in senatū heri uenire nō potui: sed ne deinceps ueniā, iustior procurabitur causa, nempe mortis meæ.

Sed per deos immortales, te enim intuens Dolabella, qui es mihi charissimus, non possum de utriusq; uestrū errore reticere. Credo enim uos homines nobiles, magna quędam spectantes, nō pecuniā, ut quidā nimis creduli suspicant: quæ semper ab amplissi-
D mo quoq; clarissimoq; contēpta est: nō opes uiolētas, et po. Ro. minime ferendā potētiā, sed charitatē ciuiū, & gloriā cōcupisse. Ea aūt est gloria, laus rectè factorū, magnorumq; in remp. meritorū: quæ cū optimi cuiusq;, tū etiā multitudinis testimonio comprobat. Dicerē Dolabella qui rectè factorū fructus esset: nisi te paulisper esse expertū uiderē. quē potes recordari in uita tibi illuxisse diē lætiorē, quàm cū expiato foro, dissipato cōcursu impiorū, principib. sceleris pœna affectis, te domū recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius deniq; fortunæ studia tū laudi & gratulationi tuę se nō obtulerūt? quin mihi etiā, quo autore te in ijs reb. uti arbitrabant: & gratias boni uiri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare quæso Dolabella consensum illū theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant infensi: significauerunt se beneficio nouo memoriā doloris ueteris abiecisse. hāc tu potuisti Dolabella (magno loquor cum dolore) hanc tu inquam æquo animo potuisti tantam dignitatem deponere?

Sed per deos immortales.] ἀγανάκτησις, et reditus ad personā Dolabellæ, statim arrepta propositione. Vterq; uestrū errat, monetq; primū qua uia ad uerā gloriā contendendū sit: deinde reprehēdit, sed amice, quòd uoluntatē reip. defendenda

defendendæ proposuerit. Locus est ab honesto, et à studio nobiliũ, et ab exemplo eorũ quæ ipse ante pro rep. fecit. Incipit aũt ab exclamatione, et ab deorũ immortaliũ obtestatione, quo grauior maiórue res agi uidetur. Compositio est πολύκωλον, cõtinuata et producta ex repugnantibus ad orationis grauitatẽ. Qui es mihi charissimus.] Renouat Dolabellæ beneuolentiã. Cicero enim semper quendã erga Dolabellã amorẽ præ se tulit, donec deploratæ salutis eũ uidit. De quo sic ad Atticũ scribit: Ego, si me nõ improbissimè Dolabella tractasset, dubitassem fortasse utrũ remissior essem, an summo iure contenderẽ: nũc etiã gaudeo mihi causam oblatã, in qua & ipse sentiat, et reliqui omnes, me ab illo alienatũ: idq; præ me ferã, et quidẽ me mea causa facere, et reip. causa, ut illũ oderim, quòd cũ eã me autore defendere cœpisset, nõ modo deseruit emptus pecunia, sed etiã quantũ in ipso fuit euertit. De utriusq; uestrũ errore.] Nam tuus error, qui es præsens, collegæ tui Antonij absentis errorẽ mihi in mentẽ reducit: quare cũ de tuo te monuero, alterius quoq; errorem nõ reticebo. Credo enim uos.] Locus hic tractatur ἀντιθέσεως, ad amplificandã sententiã. Magna quædam spectantes.] Gloriã nimirũ & honoris principatũ quendã inter ciues. Non pecuniã.] Causas erroris ipsorũ dũ inquirit et inuestigat, falsas et alienas causas remouet, pecuniæ et potẽtiæ cupiditatẽ: charitatẽ aũt ciuilẽ et gloriã ueras et proprias esse statuit, quib. ad ea quæ agũt impellãtur. Callide hoc quidẽ Cicero: nã hæc ipsa uia est ad opes, ad potentiã et dominatũ, ut ipsemet dixit De off. lib. 1. Quæ semper ab amp.] Idipsum quoq; affirmat De off. lib. 1. Nihil enim, inquit, est tã angusti animi tamq; parui, q̃ amare diuitias: nihil honestius magnificẽtiusq;, q̃ pecuniã contẽnere si nõ habeas: si habeas ad beneficentiã liberalitatẽq; cõferre. Ea aũt est gloria.] Attẽde rei amplificationẽ, & B expolitionẽ ex definitionib. cõglobatis, id quod ipse in Partitionib. oratorijs faciendũ esse præcepit. Gloriã enim definiuit, ut eã uerã gloriã esse declaret, quæ ex rectè factis, et magnis in remp. meritis, nõ ex malis artib. aut ex opprimenda rep. oritur. Gloriã uero Tusc. 3. sic definit: Gloria est cõsentiẽs laus bonorũ, incorrupta uox bene iudicantiũ de excellẽte uirtute. Itẽ pro Marcello: Gloria, inquit, est illustris et peruagata multorũ et magnorũ uel in suos ciues, uel in patriã, uel in omne genus hominũ fama meritorũ. At de Inuent. breuissime in hũc modũ: Gloria est frequẽs de aliquo fama cũ laude. Quibus aũt rebus cõstet, idẽ Cic. docet de Off. lib. 2. Sũma, inquit, & perfecta gloria constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidẽ habet, si cũ admiratione quadã honore nos dignos putat. Dicerẽ Dolabella.] Aliorũ exempla tibi proponerẽ, si deessent tua. Vtitur aũt genere quodã præteritionis. quod enim se dicturũ negat, per θέσιν quandã hoc exẽplo ostendit, rectè factorũ fructũ scilicet. Paulisper.] Ad breue tẽpus, paululũ. nã unico facto semelq; tãtum gloriæ fructũ senserat, cũ antea nõ bonus tribunus extitisset. Quẽ potes recordari.] A fructu et gloria rectè factorũ Dolabellã ad remp. defendendã hortatur. quæ hortatio eo uehemẽtior est, q. ipse eum fructũ aliquando perceperit.

Illuxisse diẽ.] Exortũ esse, apparuisse, uenisse. Expiato foro.] Loquitur de eo die quo à cõcitata multitudine collũna erecta, et ara Cæsari in foro statuta fuerat, et diuini honores habiti: quã deiecerat Dolabella, et de autorib. supplicium sumpserat: qua de re suprà quoq; ex Suet. aliquid annotauimus. Expiato foro.] Quod piaculũ cõmissum, et pollutũ forũ esset, propter diuinos honores ibi Cæsari habitos. Pœna.] Serui in crucem suffixi, liberi homines C præcipites, è loco edito detrusi. Appian. lib. 2. Cuius ordinis.] Vel senatorij, uel equestris, uel plebeij. amplificat factũ Dolabellæ, per acclamationẽ ex multiplici ciuiũ laude et ab hominũ generibus. Cuius generis.] Hominum genus et in sexu cõsideratur, uirile an muliebre sit: et in natione, patria, cognatione, ætate, quæ uide de Inuentione lib. 1.

Cuius deniq; fortunæ.] A fortuna et cõditione distinguũtur homines, q. alij liberi, alij serui sunt, Institut. lib. 1. de iure person. Itẽ alij pecuniosi, alij cũ potestate, alij felices, alij cõtrà infelices. Quin mihi etiã.] Amplificatio ex eo quod nõ ad ipsum Dolabellã solũ, sed ad alios etiã, nẽpe ad se hæc quoq; laus et gratulatio redũdaret. Quin mihi etiam quo autore.] Id est cõsiliario, et duce. cõfirmat à minori. Recordare quæso.] Alterũ exemplũ, ad explanationẽ ueræ gloriæ fructus. Inculcat aũt eius diei memoriã, quo magis illũ moueat. In theatro aũt populus gratulatũ uenit Dolabellæ, propter pacatũ forũ, et illũ ad Cæsaris arã cõcursum dissipatũ. Obliti.] Tribunatũ Dolabellæ significat, quẽ ille seditiose gesserat, promulgata lege nouarũ tabularũ, quib. omne æs alienũ contractũ inter ciues abolebatur. Beneficio nouo.] Ita plerunq; fit, ut nouũ beneficiũ, ueteres iniurias aboleat, et cõtrà noua iniuria, uetera omnia deleat beneficia. Verũ illud boni et facilis uiri est, hoc mali, et implacabilis. uenustiorẽ reddit sentẽtiã cõtrarijs et repugnãtib. uerbis.

Hæc tu P. Dolabella.] Rursus ἀγανακτήσεις loco cõclusionis. parenthesis uero ad motũ spectat animorũ: nã cum dolore loquitur, ut in ipso quoq; dolorẽ creet, et ad remp. flectat. Hanc tu inquam.] Repetitio motui subseruiẽs. nam ea bis eius sauciatur animus. D

Te aũt M. Antoni absentẽ appello: unũ illũ diẽ, quo in æde Telluris senatus fuit: nõ omnib. ijs mẽsibus, quib. te quidã multũ à me dissentiẽtes, beatũ putãt, anteponis? quæ fuit oratio de cõcordia? quãto metu ueterani, quãta sollicitudine ciuitas tũ à te liberata est, cũ tuũ collegã depositis inimicitijs, oblit⁹ auspiciorũ, auguria teipso augure nunciãte, illo primũ die collegã tibi esse uoluisti: reip. tuus paruulus filius in Capitoliũ à te missus pacis obses fuit? quo senatus die lętior? quo po. Romanus? qui quidem nulla in cõcione unq̃ frequẽtior fuit. tũ deniq; liberati per uiros fortissimos uidebamur: quia, ut illi uoluerãt, libertatẽ pax consequebat̃. proximo, altero, tertio, deniq; reliquis cõsecutis dieb. nõ intermittebas quasi donũ aliq̃d quotidie afferre reip. maximũ aũt illud, quod dictaturæ nomẽ sustulisti. hæc inusta est à te, à te inq̃, mortuo Cęsari nota, ad ignominiã sempiternã. ut eñ propter unius M. Manlij scelus, decreto gẽtis Manliæ neminẽ patritiũ M. Manliũ uocari licet: sic tu propter unius dictatoris odiũ, nomẽ dictatoris funditus sustulisti. nũ huiusce, cum pro salute reip. tanta gessisses, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat?

A *Te aūt M. Antoni.] Iā se cōuertit ad Antoniū, tāetsi absentē reprehendendū, quia scit collegā eius & alios, ei quæ diceret renūciaturos: nec ob hoc solū, sed multo etiā magis, ut senatui ob oculos ponat Antonij mutationē, et in rep. maximū errorē. Eandē aūt rationē tenet, quā in Dolabella reprehendēdo seruauit, nisi q. Antoniū aliquāto urget grauius, eū à tyrānide deterrēs, ex infelici tyrannorū exitu. itaq; primo gloriā quā ex recte factis fuerat cōsecutus cōmemorat, uerum iter gloriæ ostendit, exēplis maiorū suorū hortatur ad tuendā remp. et ab ea oppugnāda cōtrarijs exēplis dehortatur. et attēde iucūditatē orationis ex uicißitudine personarū: quomodo scilicet primū à Dolabella inceperit, deinde ad Antoniū deflexerit: rursus ad Dolabellā redierit, iterū ad Antoniū iā diuerterit. Atq; hæc uirtus quædā est collocationis. Exponit aūt eius in rep. instaurāda bonā uoluntatē ac fidē qua principio usus est, et cū exaggeratione et uehemētis dictionis exponit, ut hoc modo ea quæ insequūtur indigniora uideātur. Appello.] Nomino, nominatim alloquor, uoco.*

Vnū illū diē.] Quo de obliuione discordiarū Antonius in æde Telluris egit. Mensib.] Idib. Martijs interfectus fuit Cæsar, hæc aūt oratio uidetur habita circiter Cal. Septemb. Interfuerūt igitur mēses sex: per eos mēses Antonius Cos. quoddā in urbe regnū obtinuit, quo tēpore quidā eius amici eū beatū fortunatūq; uocābāt, utpote cui Cæsaris calamitas bono fuisset, et ad quē sine magnis motibus, Cæsaris dominatus et potētia peruenisset: à quib. dissētit Cicero: et merito. nemo enim malis artib. beatus esse potest. Quæ fuit oratio tua de cōcordia.] De hac oratione diximus suprà ex Plu- B *tarcho. hoc aūt loco acta amplificat, quo maior sit mutatæ uoluntatis turpitudo. Quāto metu ueterani.] Metuebant enim ne acta Cæsaris rescinderētur, quib. beneficia in eos cōtinebantur. Cū tuū collegā.] Quarto, id est postremo cōsulatu Cæsar cū collegā sibi Antoniū assumpsisset, decreuit ex urbe exire, et se eo magistratu abdicare, et in suū locū Dolabellā subrogare. Cū ea de re senatus haberetur, dimissus est propter Antonij cōtra Dolabellā orationē. Rursus cū Cæsar instaret, opposuit auguria Antonius, effecitq; ut ab incepto desisteret Cæsar: quo postea necato, Dolabella insignia cōsularia arripuit: atq; ex cōmunione consiliorū pax inter eum et Antoniū facta est, eumq; sibi Antonius collegā, oblitus auspiciorū quæ obiecerat Cæsari esse uoluit. Depositis inimicitijs.] Oblatū enim sorori et uxori suæ à Dolabella stuprū dicebat Antonius, ut Cicero ipse sequēti orat. declarat. Auguria te ipso augure nun.] Id est quæ ante tanquā inauspicata opponebas, fausta esse nūciasti. Pacis obses.] Obses in pacis conditionib. pro pignore à uictis uictori datur. Quo senatus die lætior?] Cōmoratione amplificat rursus illius diei facta. De hac lætitia Plut. in Antonio hoc modo: Celeberrima, inquit, fuit illa dies Antonio, nec dici quidē posset quantā sit laudē iudicio omniū mortaliū consecutus. uidebāt enim intestinū bellū illius prudētia sublatū esse, et in rebus difficillimis ac turbulentissimis, bono cōsilio, ciuiliq; animo fuisse. Libertatē pax cōsequebatur.] Brutus enim et Cassius nō ut bellū ciuile accēderēt, sed ut in pace libertate fruerētur, Cæsarē interfecerāt. Ita enim Brutus & Cassius Antonio scripserunt, Epist. fam. lib. 11. Nos ab initio spectasse ociū, nec quicquā aliud à libertate cōmuni quæsisse, exitus declarat. Proximo, altero, tertio.] Obseruanda* C *est hæc numerādi et ordinis formula. Diē enim primū ab eo quo Cæsar interfectus est, proximū uocat, secundū, alterū, & itē reliqua. Dictaturæ nomē.] Et de hoc initio orationis dictū est. Inusta nota.] Impressa est ignominia. translatio sumpta ab equis et alijs animalib. quib. notæ et signa cauterio, id est cādenti ferro inurūtur. ut est apud Virg. Georg. 3. Continuoq; notas et nomina gētis inurūt. A te inquā.] Geminatio ad augendū factū accōmodata: quasi diceret, à te, qui modo eius interfectores persequeris, et Cæsaris dominatū affectas. Vt enim propter unius M. Manlij scelus.] Ab exēplo simili, factū Antonij exaggerat. Hic Manlius is est qui Capitoliū cōtra Senones Gallos ab ansere excitatus defenderat: uerū aliquāto pòst cū obstrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni dānatus, ab illa quā defenderat arce, id est è saxo Tarpeio deiectus est, in cuius notā senatusconsultū factū est, ne cui de gēte Manlia Manlio cognomē esset. De qua re Liu. lib. 6. ab urbe con. Nam huiusce.] Indignatio tēperata dolore et cōquestione, quæ ipsa actione magis cognosci potest q̄ uerbis declarari. Antonij facta à cōmodis et gloria quæ est cōsecuta amplificat, quo magis eum pudeat. Num gloriæ pœnitebat?] Num tibi parua uidebantur, quæ eras cōsecutus? Sic Virg. in Bucol. Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Item Aeneid. 1. Nec te pœniteat meritis certasse priorem.*

Vnde igitur subito tāta ista mutatio? nō possum adduci ut suspicer te pecunia captū. licet quod cuiq; libet loquātur: credere nō est necesse. nihil enim unq̄ in te sordidū, nihil humile cognoui. quanq̄ nihil est tam sanctū, quod nō soleāt domestici deprauare non D nunq̄: sed noui firmitatē tuā: atq; utinā ut culpā, sic etiā suspicionē uitare potuisses. illud magis uereor, ne ignorās uerū iter gloriæ, gloriosū putes, plus te unū posse q̄ omnes: & metui à ciuib. tuis q̄ diligi malis. quod si ita putas, totā ignoras uiā gloriæ. charū al. ciuem esse † ciuibus, bene de rep. mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est: metui uero & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum: quod uidemus etiam in fabulis, ipsis illis, qui oderint dum metuant, dixerint, perniciosum fuisse.

Vnde igitur subito.] Incipit causas mutationis huius inquirere, & nō obscure dicit esse affectatā potentiā. Sic enim argumētatur ab enumeratione: uel amore pecuniæ, uel regni cupiditate captus, uoluntatē tuā mutasti. nō pecuniæ gratia, regni igitur cupiditate mutasti. Prius membrū probat ab adiūctis: de posteriore suspiciose loquitur. Hoc etiā Plutar. post ea quæ paulo ante posuimus uerba testatur. Sed tamē, inquit, cito illū ab hac sentētia deiecit principatus cupido, quem se post cognitā plebis mentē haud dubie adepturū putabat, si Brutus è medio tolleretur. Hic animaduertāt studiosi, quanta hunc locū cū superiori, iucunditate tractet, ut nō tā extorquere, q̄ cū quadā beneuolentia impetrare quod cupit uideatur.

Non possum adduci.] Mira utitur reprehēsionis tēperatione, ne hominē irritet, quē scit esse admodū iracundum, sibiq; inimicū. Sordidū.] Auarū. nā auari ne quid impendāt, in sordibus esse malunt. Nihil humile.] Nihil enim est tā angusti animi, tamq; parui, q̄ amare diuitias, inquit Cic. de Off. lib. 1. Quanquā nihil est tā san.]

Id est

A Id eſt tã incorruptũ:hoc eſt,nullus eſt animo tã ab omni cupiditate alieno,quẽ non mali ſuaſores deprauare et corrũpere nõnunquã ſoleãt.Locus cõmunis de malis ſuaſorib.Male intelligũt hunc locũ,qui deprauare exponũt,prauũ uideri facere,et in deteriorẽ partẽ etiã que bene facta ſunt detorquere: hos refellit quod ſtatim ſubijcitur. Sed nouι firmitatẽ tuam.] Correctio,qua ſignificat,ſe tamẽ nõ poſſe adduci ut credat,eum eſſe corruptũ pecuniæ cupiditate. Domeſtici.] Quos ſupra dixit familiares,οἰκείους uocãt Græci. Atq; utinã.] Optatio oratoria,qua mirifice cõciliare ſibi infenſum Antonij animũ ſtudet reip.cauſa.ſignificat aũt illũ nõ carere auaritia,tũ ex Cæſaris pecunia propria,tũ ex illa que ad ædẽ Opis fuit,etiãſi forſitan culpa uacare poſſit. Illud magis uereor.] Vt Dolabellæ ſic etiã Antonio uerã gloriæ uiã oſtẽdit.Contẽtione igitur falſæ et ueræ gloriæ cauſas efficiẽtes tractat. quod enim iter gloriæ appellat et uiã,ea eſt efficiẽs gloriæ cauſa. Plus te unũ poſſe.] Id eſt,potẽtia reliquis omnib. excellere,dominatũ et tyrãnidem quandã inter ciues obtinere. Charũ eſſe ciuib.] Approbatio ab enthymemate. ſupra enim in tractãdo Dolabella definiuit gloriã,nũc eius explicat cauſas,atq; ea quibus cõtinetur enumerat,et cõtrariorũ cõflictione amplificat. Vide Part.or.ubi de amplificatione præcipit. Metui uero.] ἀντιθέτως falſum iter gloriæ exponit. Inuidioſum.] Inuidiæ plenũ,odioſum. Deteſtabile.] Execrandũ,abominandũ,deteſtandũ. Imbecillũ.] Infirmum,debile. Caducũ.] Fragile,incertũ.tranſlatũ à pomis que præmatura cadũt. Quod uidemus.] Enthymematis tractatio et explicatio:et primũ poſteriorẽ partẽ cõfirmat exẽplis fabuloſis & teſtimonio tragicorum.

B Etiã in fabulis.] Quaſi diceret,nõ modo in hiſtorijs ad ueritatem expreſſis,ſed etiã in fabulis,id eſt in tragœdijs in quibus tyrannorũ fata quaſi fictæ narrationis exẽplo exprimũtur,uidere licet. Oderint dũ metuãt.] Tyrãnica uox ſumpta ex Atreo Accij tragœdia,ut eſt apud Senecã lib.De clemẽtia 2.Citatur & à Cic.de Off.lib.1. nec diſſimilis admodũ eſt eiuſdẽ Ciceronis illa ſentẽtia de Off.lib.2. Rerũ aũt omniũ,nec aptius eſt quicquã ad opes tuẽdas ac tenẽdas,quàm diligi,nec alienius,quàm timeri.Præclare Ennius:Quem metuunt,oderunt:quem quiſq; odit,periſſe expetit.

Pernicioſum.] Peſtiferum,peſtilens,letale,noxium.

Vtinã Antoni auum tuũ meminiſſes,de quo tamen multa audiſti ex me ſæpiſſime. putas'ne illum immortalitatẽ mereri uoluiſſe, ut propter armorũ habendorũ licentiã metueretur?illa erat uita,illa ſecunda fortuna,libertate eſſe parẽ cum cęteris, principẽ dignitate.Itaq; ut omittã res aui tui proſperas,acerbiſſimum eius diem ſupremum malim,quàm L.Cinnæ dominatum,à quo ille crudeliſſime eſt interfectus.

Vtinã Antoni.] Optat Antoniũ similẽ auo ſuo M.Antonio Oratori eſſe,et ab eius exẽplo cũ ad remp.defendẽdam hortatur:atq; ita partẽ priorẽ enthymematis cõfirmat. De quo tã multa.] Cicero ſæpe huius præclari uiri mentionem fecit,præſertim in libris de Orat.ad Q.frat.& in lib.De clar.orat. Immortalitatẽ.] Gloriã apud poſteros ſempiternã,uel etiã reuera immortalitatẽ in cælo poſt hãc uitã,ut De ſomnio Scip.Cicero dicit:Omnibus,inquit,qui patriam conſeruauerint,adiuuerint,auxerint,certum eſſe in cælo,ac definitum locum,ubi beati æuo ſempiterno fruantur. C

Licentiã.] Impunitatẽ,ut ſupra dixit. Illa erat uita.] Exclamatio laudantis huius Antonij auũ.Interea tamẽ quæ ſit ciuis in rep.felicitas,et beatitudo definit. Libertate eſſe parẽ.] Hoc eſt,nolle alios ſeruire,ſe ſolũ liberũ in ciuitate eſſe. Principẽ dignitate.] Id eſt imperio,magiſtratu,uel officio,nõ dominatu & tyrannide.Quod cõtra fit à pleriſq; qui ui potius ſuperiores uolũt eſſe,q̃ iuſtitia pares,ut de Off.lib.1.dixit. Itaq; ut omittã.] Confirmatio totius enthymematis cõiunctè facta.Amplificat aũt laudes cõparatione cõtrariorũ.Locus cõmunis. Expetẽdas magis eſſe bonorũ res aduerſas,q̃ malorũ proſperas:illæ enim laudẽ,hæ uituperationẽ habẽt. Proſperas.] Honores intelligit,qui in ſecundis rebus numerãtur. Acerbiſſimũ eius diẽ ſupremũ.] Diẽ quo à L.Cinna interfectus eſt. Bello enim ciuili Mariano,cũ ſe Cinna cũ eo cõiunxiſſet ad bellũ patriæ inferendũ,M.Antonius Orator,cũ alijs innumerabilib.nobilitatis Romanæ à Cinnæ militib.interfectus eſt.eius caput hoſtis crudelitas haſtæ infixũ circũferens in Cinnæ menſam poſuit:quo ſpectaculo Cinna ualde oblectatus eſt.De quo hiſtorici ferè omnes,& Lucanus lib.2.

Sed quid oratiõe te flectã?ſi enim exitus C.Cæſaris efficere hoc nõ poteſt, ut malis charus eſſe,q̃ metui;nihil cuiuſquã proficiet,nec ualebit oratio.quem qui beatũ fuiſſe putãt,miſerrimi ipſi ſunt.beatus eſt nemo,qui ea lege uiuit:ut nõ modo impune,ſed etiã cũ ſumma interfectoris gloria interfici poſſit.Quare flecte te quæſo,& maiores tuos reſpice:atq; ita guberna remp.ut natũ te eſſe ciues tui gaudeãt:ſine quo nec beatus, nec clarus eſſe quiſquã poteſt.Et populi quidẽ Ro.iudicia multa ambo habetis, quib. uos nõ ſatis moueri permoleſte fero.quid enĩ †gladiatorij clamores innumerabiliũ ciuiũ?quid populi †uerſus?quid Põpeij ſtatuæ plauſus infinitus?quid † ij trib.pleb.qui uobis aduerſant?parũ ne hęc ſignificãt,incredibiliter cõſentientẽ populi Ro.uniuerſi uoluntatem?Quid?†Apollinarium ludorum plauſus?uel teſtimonia potius & indicia populi Romani?uobis parua uidebantur? D

al. gladiatorib.
al. concurſus
al. ijs
al. Apollinaribus ludis

Sed quid oratione.] Correctio.deſperat enim ſe oratione eũ flectere poſſe,quẽ Cæſaris exitũ à tyrãnide non potuit reuocare. Si enim exitus Cæſaris.] Argumentũ ex maiori.Locus cõmunis de infelici tyrannorũ exitu. Hoc eodem exẽplo utitur Cic.de Off.lib.2.Multorũ aũt odijs,inquit,nullas opes poſſe obſiſtere,ſi antea fuit ignotũ,nuper eſt cognitũ.Nec uero id huius tyrãni ſolũ quẽ armis oppreſſa pertulit ciuitas,interitus declarat quãtũ odiũ hominũ ualeat ad peſtem:ſed reliquorũ ſimiles exitus tyrãnorũ,quorũ haud ferè quiſquã interitũ ſimilẽ effugit. Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus:cõtraq; beneuolẽtia fidelis eſt,uel ad perpetuitatẽ. Huc facit quod Iuuenalis Sat.10.dicit: Ad generũ Cereris ſine

A ris sine cæde & uulnere pauci Descendunt reges, & sicca morte tyrāni. Quem qui beatū.] Occupatio, ut uulgi
opinionē refutet. Miserrimi ipsi sunt.] Idcirco miserrimi, tū quia quæ sit beatitudo nesciūt, tū quia summā mise
riā, beatitudinē putāt. Beatus est nemo.] Locus cōmunis, nullū tyrannū beatū esse, aut neminē uitijs beatū esse,
quādo uirtute beatitas cōparatur. In hanc sententiā præclare Horat. lib. 4. Ode 9. Non possidentē multa, uocaueris Re-
cte beatū, rectius occupat Nomē beati, qui deorū Muneribus sapiēter uti, Durāq; callet pauperiē pati, Peiusq; leto flagi-
tiū timet. Non ille pro charis amicis, Aut patria timidus perire. Cum summa interfectoris gloria.] Sūma enim
gloria est tyrannū occidere: et tyrānicidis magna quondā præmia erant constituta apud Athenienses, & alias gentes.

Quare flecte te.] Conclusio cohortationis à maiorū eius exēplis, à populi uoluntate et expectatione, quæ probatur
multorū enumeratione, atq; ut ita ad communem amborū transeat. Sine quo.] Sine ciuiū suorū beneuolētia, sineq;
erga patriā charitate nemo clarus, nemo fortunatus esse potest. Et populi quidem Ro.] Colligit ex signis, populi
Ro. iudicis, quib. ostēdit illū factū Bruti et Cassij cōprobare de Cæsare interfecto, et uelle remp. liberā esse, ut ambo Cons.
ad id adnitātur, quod populus Ro. se uelle & cupere ostendit. Quid?] Suspendenda particula, & adiuuāda pro
nunciatione percōtatio. Gladiatorij clamores.] Ludis gladiatorijs editi, quib. in mutuā perniciē aliquot hominū
paria gladijs decertabāt. et hoc scilicet gratū fuit populo spectaculū. Pompeij statuæ.] Statua Pōpeij post mortē
Cæsaris coronata magnos plausus excitarat. Apollinariū ludorū.] In laudē Apollinis celebratorū, uictoriæ nō uale
B tudinis ergo, ut pleriq; rentur uotorū: ut est apud Liu. lib. 5. Decad. 3. Alij aliter sentiunt de horum ludorum origine. Vi
de Valerium Maximū & Macrobium. Hosce ludos sanè quàm magnificētissimos exhiberi se absente curauerat Brutus,
quos ob præturæ urbanæ dignitatem debebat, ut est apud Plutarchum in Bruto.

O beatos illos, qui cū adesse ipsis propter uim armorū nō licebat, aderāt tamē, & in
medullis populi Ro. ac uiscerib. hærebāt: nisi forte Accio tū plaudi, & sexagesimo post
anno palmā dari putabatis, nō Bruto q ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spe
ctaculo studiū popul⁹ Ro. tribuerit absenti, desideriū liberatoris sui ꝑpetuo plausu et
clamore lenierit. Equidē is sum q istos plausus, cū à popularib. ciuib. tribuerenť, semꝑ
cōtēpserim: idēq; cū à summis, medijs, infimis, cū deniq; ab uniuersis hoc idē fit: cūq; ij
qui ante sequi populi cōsensum solebāt, fugiūt: non plausum illū, sed iudiciū puto. Sin
hæc leuiora uobis uidenť, quæ sunt grauissima: nū etiā hoc contēnitis, q̄d sensistis, tam
charā populo Ro. uitā A. Hircij fuisse? satis enim erat, probatū illū esse populo Ro. ut
est: iucundū amicis, in quo uincit oēs: charū suis, quib. est ipse charissimus. tantā tamen
C sollicitudinē bonorū, tantū timorē omniū, in q̄ meminimus? certe in nullo. quid igiť?
hoc uos per deos immortales quale sit nō interpretamini? quid eos de nostra uita co-
gitare censetis, quibus eorū quos sperant reip. consulturos, uita tam chara sit?

O beatos illos.] Brutū et Cassiū intelligit. Et est exclamatio cū ad exaggerandā uoluntatē populi, tū ad animorum
motus excitādos ex cōmendatione liberatorū patriæ: tanquā dicat: illi beati qui reip. causa aberant, nō Antonius & alij
qui in urbe cōtra remp. agebāt. Propter uim armorū.] Brutus et Cassius cū uiderēt Antonij oratione seditiosa mul-
titudinē concitatā, ex urbe discessere, ut q̄ primū plebis furor deferbuisset, ad urbē reuerterētur: quod facile factu spera-
bant, tū propter uulgi mutabilē naturā, tū q. propitiū senatū habebāt. Interea ob Antoniū qui principatū fermè sibi con
stituerat, enixius cœpit Brutus desiderari: præterea expectari, ut ludos quos ob præturā debebat, præsens exhiberet. Sed
Brutus sentiēs plerosq; qui sub Cæsare militauerāt, et ab eodem agros et ciuitates acceperāt, insidias sibi parare, paula-
timq; in urbē cōfluere, Romā redire ausus nō est: sed statuit ut se absente ludi summo apparatu et magnificētia fierēt. lite-
ris etiā à Cicerone cōtendit uehemēter, ut ludis suis interesset. Plut. in Bruto. In medullis po. Ro.] Hoc est in corde,
in beneuolētia, et intimo desiderio. Nisi forte Accio.] Ironicos ista dicūtur. nō enim Accio qui mortuus erat, sed
D Bruto plaudebatur absenti. Accius aūt hic nō is est, cuius supra mentionē fecimus, sed alius iunior. is enim Pacuuio æqua-
lis fuit. Hic D. Bruti M. alterius filij familiaris, ut est apud Cic. in Bruto, & in Orat. pro Archia poeta. Fuit & hic poeta
tragicus, cuius fertur exhibita fabula, cui nomē Brutus, ab illo uidelicet Bruto qui reges Tarquinios exegit, appellata, ut
est apud Crinitum de poetis Latinis. Hanc denuo fabulam suspicor in his Bruti ludis inter alia actam, & ingenti populi
Romani plausu spectatam fuisse: quod Ciceronis uerba innuere uidentur. Equidem is sum.] Occupatione confir-
mat plausum iudicij loco esse, cum ab omnib. ordinibus redditur. Et est pulchra προομολογία, περιληπτικῶς ad exag
gerandū. Popularibus.] Seditiosis, qui populares sunt, cōmodi & gloriæ suæ causa, nō reip. A summis.]
A patritijs et senatoribus. nā is summus est ordo. A medijs.] Quales sunt equites, medij inter patritios et plebē.
Ab infimis. A populo, & plebe, qui ordo infimus est in ciuitate. Ab uniuersis.] A tota ciuiū multitudine, ad
uerbum reuocata oratio. Fugiunt.] Ne audiant plausum ijs dari quos ipsi odere, cuiusmodi erant Antoniani.
Sin hæc leuiora.] A populi Romani erga Hircium studio, eius in retinenda libertate consensum amplificat.
Vitam A. Hircij.] Hircius consul designatus, cum in morbū incidisset, populus uota pro salute eius susceperat, quod
eum libertatem defendere cognouisset. Satis enim erat.] Distributione amplificat omnium erga Hircium studia.
Illud autem obseruandum est, quod singulis distributionis partibus aliam adiungit amplificationem quadam ueluti inter
pretatione. Quid igitur.] Concludit hortationem argumento ex minore sumpto. Si enim populus Ro. tātopere
laborat de Hircij uita, quòd speret eum reip. consulturum, multo magis de ijs laborabit, qui iam profuerunt, de Bruto, Cas
sio & alijs. Hoc uos per deos.] Excitat extremo loco uehementius ad ista quæ dicit cogitanda, & maiora quàm
dicit, ut eos terreat, & ad remp. conuertat.

Cepi

Cepi P. C. reuerſionis meæ fructũ: quoniã ea dixi, ut quicũq; caſus cõſecutus eſſet, (A) extaret cõſcientiæ meæ teſtimoniũ: & ſum à uobis benigne, ac diligẽter auditus. quæ poteſtas ſi mihi ſæpius ſine meo ueſtroq; periculo fiet, utar: ſi minus, quantũ potero, non tam mihi me, quàm Reip. reſeruabo. Mihi ferè ſatis eſt, quod uixi, uel ad ætatem, uel ad gloriã. huc ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quàm uobis, Reiq; publicæ acceſſerit.

Cepi P. C.] *Peroratio breuiſsima totius orationis. Vt enim in deliberationibus principia uel nulla ſunt, uel non ſanè longa, ſic etiam Perorationes quæ naturam exordij imitantur, eſſe debent. Tota autem hæc cõcluſio amorẽ Ciceronis erga Remp. ſpirat.* *Fructum.*] *Quia nihil aliud quæro, quam Reip. ſalutẽ. cumq; ea dixerim quæ ad eius ſalutem & dignitatẽ pertinent, & quoniã ſum à uobis benignè ac diligenter auditus, exiſtimo me fructum reuerſionis meæ non exiguum percepiſſe.* *Benignè*] *Beneuole, amice, prolixe, liberaliter.* *Diligenter.*] *Attente, auide, cupide, animo uacuo.* *Quæ poteſtas.*] *Pollicetur ſe deinceps eadem libertate pro Rep. ſententiã, ſi per homines ſeditioſos liceat, eſſe dicturũ.* *Mihi ferè ſatis eſt.*] *Longiorẽ ſe uitã non optare dicit, niſi quantũ Reip. utilis eſſe poſſit. Sic ferè in Catilinã orat. 3. Mihi quidem ipſi quid eſt, quod iam ad uitæ fructũ poſsit acquiri? præſertim cum neq; in honore ueſtro, neq; in gloria uirtutis, quicquã uideam altius quo quidem mihi libeat aſcendere. Quin etiam eadem ſententia ſequentẽ terminat orationẽ. Lege etiam Epiſtolã 1. lib. 10. Famil. Atq; hic operæ pretium eſt memorare, quòd Ceſtius declamator dixit, ut hoc quaſi Ciceronis elogio, etiam nos peroremus. Si, inquit, ad deſiderium populi reſpicis Cicero, quandocunq; perieris, parum uixiſti: ſi ad res tuas geſtas, ſatis uixiſti: ſi ad iniurias fortunæ, & præſentem Reipub. ſtatum, nimium diu uixiſti. Si ad memoriam operum tuorum, ſemper uicturus es.* (B)

FINIS.

SECVNDAE PHILIPPICAE ARGVMENTVM.



SVPERIORE oratione cõmotus grauiſsime Antonius, poſt dies aliquot in Senatum uenit: & oratione multos dies in uilla Metelli meditata, in Ciceronem furioſe inuectus, cum infinitis maledictis lacerauit. Cicero tunc ei non reſpondit, propter Antonij arma, quibus perniciem afferre Ciceroni, ſiquidem reſpondiſſet, eum paratum eſſe ſatis conſtabat. Verum paucis poſt diebus Senatu militum præſidijs, & Octauij, quem Cæſar hæredem ſcripſerat, copijs confirmato, eius maledictis, & quidem ipſi præſenti in Senatu hac oratione reſpondit. primo igitur ſingula probra criminaq; diligentiſsime diluit: quorũ duo genera facit, maiora ſcilicet, & minora. Itaq; maioribus primum, deinde minoribus reſpondet. quo facto, tranſit ad uitam eius uituperandam: Ac cum factorũ collocatio ſit triplex, ut Cicero in Part. orat. docet, nam aut temporũ ſeruandus eſt ordo, aut in primis recentiſsimũ quodq; dicendum, aut multa & uaria facta in propria uirtutum aut uitiorũ genera ſunt dirigenda: in (C) *Antonij turpibus factis tractandis, temporũ ætatumq; gradus ſequitur: atq; ita ab eius pueritia exorſus, quæ in ſingulis uituperanda ſunt colligit, & artificio admirabili, eloquentiaq; ſingulari, in apertum lucemq; profert. Eſt enim hæc oratio exemplum perfectæ, omnibusq; numeris abſolutæ in Epidictico, id eſt demonſtratiuo genere eloquentiæ. Nullus eſt enim uituperandi locus, nulla figura, nullum dicendi genus, & lumen quod non uerſarit, tractarit, perluſtrarit. qua oratione tantum effecit, ut ualde non ſolum indignatus, ut erat, ſed etiam perterritus & fractus Antonius abierit, & hoſtis paulo poſt Reipub. ſit à ſenatu iudicatus. Ob hanc ipſam orationem creditum eſt Ciceronem ab Antonio in illa peſtifera Triumuirorum, Octauij, Antonij, & Lepidi cõſpiratione, ad necem poſtulatum, & paulo poſt interfectum fuiſſe. Quod Iuuenalis Satyra 10. illis uerſibus innuere uidetur.*

Ingenio manus eſt & ceruix cæſa: nec unquam
Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam, natam me conſule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet. Ridenda poemata malo,
Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
Volueris à prima quæ proxima.

Sed nihil effecit Antonius: nam et feliciter, utpote pro patria, à patriæ hoſte interfectus eſt Cicero: uerũ benefactorũ memoria, (D) *& omni genere monumentorũ, quibus ad bonas artes omnes mortales erudiuit, & ſibi & patriæ laudẽ & memoriã peperit ſempiternã: Antonius autẽ, & uitæ & mortis turpitudine, infamiæ memoriã ingratiſsimã omnibus mortalibus poſt ſe reliquit.*

CAVSAE GENVS.

Genus igitur cauſæ, quemadmodum diximus, demonſtratiuum eſt, quod græcè ἐπιδεικτικὸν nominatur. Perſonam enim M. Antonij eiusq; uitam uituperat quàm maxime.

STATVS.

Status eſt qualitatis. nam quæritur ſit ne talis Antonius qualis à Cicerone oſtenditur: id quod ex Q. Fufii Caleni contraria oratione, quæ apud Dionem lib. 46. hiſtoriæ Romanæ legitur perſpicuũ eſſe poteſt. Is enim Calenus, ita Antonij facta omnia interpretatur, ut aut excuſet, aut iure facta eſſe contendat.

FORMA ORATIONIS.

Habitus autẽ & forma orationis huius pulcherrimæ ampla eſt, & ſuauitate figurarũ mirabiliter cõdita, qualẽ eſſe decet in demonſtratiuo genere, quod non ſolũ ad laudandos claros uiros ſuſcipimus, ſed etiã ad improbos uituperandos. Quare hic omnia illa quæ Cic. ipſe in Part. or. De amplificatione & ſuauitate præcipit, exemplis illuſtrata cognoſcetis: quoniam ut idem ipſe ait, in his cauſis omnis oratio ferè ad uoluptatem auditoris, & ad delectationem refertur.

A PARTIVM DISPOSITIO.

Partes orationis hæ sunt, atq; hoc ordine collocatæ: principiũ à beneuolẽtia, refutatio criminationis Antonianæ, Narratio, siue Antonij uitæ expositio cũ uituperatione, quæ pro cõfirmatiõe esse potest, & Peroratio ab Antonij hortatiõe, & cõmẽdatione suæ in patriã charitatis. Nã partitiones ad docilitatẽ sparsim sunt dispositæ, quas suis indicabimus locis.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SECVNDA.



VONAM meo fato P. C. fieri dicam: ut nemo his annis uiginti Reip. hostis fuerit: qui non bellum eodem tempore mihi quoq; indixerit? Nec uerò necesse est à me quenq; nominari: uobiscum ipsi recordemini. mihi pœnarũ illi, plusq; optarẽ, dederunt. te miror Antoni, quorũ facta imitere, eorũ exitus non perhorrescere. Atq; hoc in alijs minus mirabar. nemo illorũ mihi inimicus fuit uoluntarius. omnes à me Reip. causa lacessiti. tu, ne uerbo quidẽ B uiolatus, ut audacior quàm L. Catilina, furiosior q̃ P. Clodius uideretur: ultrò maledictis me lacessisti: tuamq; à me alienationẽ ad ciues impios tibi gloriæ fore putauisti. quid putẽ? cõtemptũ ne me? nõ uideo nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mediocritate ingenij, quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillime de me detrahi posse credidit, qui ordo clarissimis ciuibus bene gestæ reipublicæ testimoniũ multis, mihi uni conseruatæ dedit? An decertare mecũ uoluit contentione dicendi? hoc quidem beneficiũ est. quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? illud profectò est: non existimauit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.

SECVNDAE PHILIPPICAE EXORDIVM.



Vonam meo fato.] Incipit à querela, quæ ad fauorem accõmodata est. hanc admiratione quadam atq; indignatione colorat, ut in auditoribus quoq; eandem affectionẽ excitet: quæ etiam ad attentionẽ ualet. quasi dicat: Hoc fato uideor esse susceptus & natus, ut omnes Reip. hostes qui fuerunt his annis uiginti, C mihi quoq; hostes fuerint. His annis uiginti.] Tot enim intercesserant anni à coniuratione Catilinæ, ad ea usq; tempora quibus hanc habuit orationem Cicero. Indixerit.] Denunciarit. De Off. lib. 1. Nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum.

Nec uerò.] Occupatio, qua uitat cõmemorationis molestiam. Mihi pœnarum illi.] Nam Catilina & Clodius interfecti fuerunt, Piso & Vatinius condemnati. Te miror Antoni.] Terret aduersarium aliorum exemplo, qui ob eadem facta pœnas dederant. Atq; hoc.] Aliorũ qui ei inimici fuerant, cõparatione, Antonij amplificat improbitatem. Ne uerbo quidem.] In superiore oratione: Ego (inquit) si quid in uitã eius aut in mores contumeliose dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Vltro.] Sponte, uoluntate, & ut dixit, ne uerbo quidem uiolatus. Potest igitur Cicero cum Terentio in Eunuchi prologo dicere: Tum si quis est qui dictum in se inclementius existimat esse, sic existimet: sciat responsum, non dictum esse. Quid putem?] Enumeratione colligit ueram offensionis causam, quam enumerationẽ tractat, & exornat subiectione. his autem uerbis magnam ostendit fiduciam orator, quam nemo iure possit reprehendere, ut etiam Quintilianus ait. Nam ut eloquentiæ indecora iactatio, ita nonnunquam concedenda fiducia est. Detrahi.] Maledicendo minui aliquid eorum quæ dixit mea, gratiam, ingenium & cætera. Mihi uni conseruatæ.] Nam cum patriam à coniuratorũ audacia liberasset, & de coniuratis supplicium sumptum esset, alij urbis conseruatorẽ, alij conditorẽ appellarunt, quòd uiuerent, quòd incolumes essent, D uirtuti eius acceptum referentes. Marcus Cato Patrem patriæ censuit appellandum, quòd in libera ciuitate ei duntaxat contigit. Hinc Satyricus ait: Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Illud profectò est.] Concludit enumerationem, & ueram profert causam, idq; Epiphonemate. Continet autem hæc conclusio, exordij propositionem.

Cui priusquam de cæteris rebus respondeo, de amicitia, quam à me uiolatam esse criminatus est, quod grauissimum crimen iudico, pauca dicamus. Contra rem suam uenisse me, nescio quando, questus est. an ego non uenirem contra alienum pro familiari, & necessario meo? non uenirẽ contra gratiam, non uirtutis specie, sed ætatis flore collectam? non uenirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure prætorio? sed hoc iecirco cõmemoratum à te puto, ut te infimo ordini cõmendares: cum omnes recordarentur libertinum generum, & liberos tuos nepotes Q. Fadi libertini hominis fuisse.

al. libertini al. Fadij, aliter M. Fundi

Cui priusquam.] Propositio est huius prioris partis quæ continet, criminũ dilutionẽ. Quoniã autẽ ea in duo genera partitus est, in maiora scilicet & minora, ab amicitia quam ille uiolatã questus est, incipit: quod grauissimũ crimẽ iudicat, & rectè iudicat. nam si amicitia, nihil præstabilius est, nihil maius, nihil uberius, nihil iucundius, ut Plato, & Cicero, atq; adeo res ipsa testatur, nullum etiam crimen, uiolata amicitia, aut maius, aut grauius esse potest. Attentionẽ igitur

tur, à rei magnitudine cōparat, tum etiam ex eo quod se pauca dicturum de ea re pollicetur. Contra rem suam.] A Primum crimen uiolatæ amicitiæ Ciceroni ab Antonio obiectum. An ego.] Diluit obiectum crimen ab honesto. nam contra officiū est, alienū anteponi familiari & necessario. De off. lib. 1. Itaq; non ijdem erunt necessitudinum gradus qui & temporum: suntq; officia quæ alijs magis quàm alijs debeantur. Vt uicinū citius adiuueris in frugibus percipiendis, quàm aut fratrem aut familiarē. At si lis in iudicio sit, propinquum potius & amicum, quàm uicinum defenderis.

Pro familiari & necessario.] Propinquo. quis autem ille fuerit, ignoratur, quoniā bona pars defensionum Ciceronis desideratur. Fuerat familiari cuidam Ciceronis lis cum Q. Fundo Bambalione Antonij socero (multas enim uxores habuit Antonius) familiarem suum defenderat Cicero in iudicio. hoc reprehendit Antonius, quasi in eo uiolarit suam amicitiam. Contra gratiam.] Contra hominē gratiosum Antoniū. est enim gratia hic fauor, quem quis apud aliquos habet, qua multum posse uidetur. Non uirtutis specie.] Non uirtutis splendore, colore, & opinione: uel non speciosa aliqua & illustri uirtute. Aetatis flore.] Florenti ætate. uidetur pathicum quiddam & impudicū in Antonij adolescentia subnotare. Non uenirem contra iniuriā.] Iniustitiæ duo genera sunt: unum eorū qui inferunt, alterū eorū qui ab ijs quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriā. Cic. de Off. lib. 1. alterū argumentū à iustitia & æquitate. Intercessoris.] Videtur Tribunū quempiam plebis significare, qui in iudicio intercesserit in Antonij gratiam, uel ut mutaretur iudicij ratio, uel ut proferretur dies, quod cōmodum esset Q. Fundo, incōmodum Ciceronis familiari. Nam res non extat ipsa. Non iure prætorio.] Inst. lib. 1. Prætorum quoq; edicta non modicam obtinent B iuris autoritatē. hoc etiam ius honorarium solemus appellare, quòd qui honores gerunt, id est magistratus, autoritatem huic iuri dederunt. Ergo, non iure prætorio, id est non prætoris edicto. Sed hoc idcirco.] Exprobrat Antonio libertini obscurā & ignominiosam affinitatem. Infimo ordini.] Plebi, is enim infimus & postremus est ordo.

Libertini generū.] Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Nam iure gentium, cum natura omnes liberi essent, tria hominū genera esse cœperunt, liberi, & his contrarium serui, & tertium genus libertini, qui desierant esse serui. Inst. lib. 1. De iure personarum. Legitur etiam hoc loco, Libertinum generum, ut si diceres libertinū hominem.

At enim te in disciplinam meam tradideras: nam ita dixisti: domum meam uentitaras. næ tu, si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses: sed nec fecisti, nec si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset.

At enim te.] Secundum Antonianæ criminationis caput, Dixerat enim Antonius, Ciceronē contra officiū fecisse, quod cum eius fuisset disciplinæ sectator, & auditor, eum sua læserit oratione, quod quidem à præceptore in discipulū faciendum non erat. id negat Cicero, argumento sumpto à consequentibus signis, & à Curionis uoluntate, sine qua nihil faciebat Antonius. Domum meam uentitaras.] Scilicet audiendi causa, quod Græci dicunt ἀφοιτᾶν.

Per C. Curionem.] Filium scilicet cuius τὰ παιδικὰ fuerat Antonius, qua de re Cicero infra plura dicet. C

Auguratus petitionem mihi te cōcessisse dixisti. O incredibilem audaciam. O impudentiam prædicandam. quo enim tempore me Augurem à toto Collegio expetitum Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt (neq; enim licebat à pluribus nominari) nec tu soluēdo eras, nec te ullo modo nisi euersa Republica fore incolumem putabas. poteras autem eo tempore Auguratū petere, cum in Italia Curio non esset: aut tum, cum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses: cuius etiam familiares de ui condemnati sunt: quod tui nimis studiosi fuissent.

Auguratus petitionem.] Tertium reprehensionis caput hoc refellit Cicero, à temporis repugnantia. O incredibilem audaciam.] Exclamat in Antonij uanitatē, ut etiā cōmoueat auditores. Me augurem.] Fuerat Cicero cooptatus in augurum collegium, in locum M. Crassi qui in Parthis perierat. Græci ut autor est Dionysius, Augures οἰωνοπόλους uocant, qui etiam οἰωνοσκόποι à Græcis dicuntur. & Auguratus, hoc est Augurum munus & ars οἰωνοσκοπική. Nominauerunt.] Cooptauerunt, & inaugurati sunt. ut de proœmium libri de Clar. orat. ubi se à Q. Hortensio & cooptatū in collegiū Augurū dicit, & ab eodem inauguratum. Nec tu soluendo eras.] Qui æs alienum dissoluere non poterant, uel damnati repetundarum, petere auguratum non poterant. Antonius autem tunc, ducentorum & quinquaginta talentorū, ut ait Plutarchus, damnatus erat: qua de re Cicero infra. Nec te ullo modo.] Exaggerat eius inopiam, & animi improbitatē. Poteras autem.] Aliud argumentū à temporis locíque repugnantia. non erat tum in Italia Curio, sine cuius & fauore & uoluntate, tibi nihil facere licebat. Aut tum, cum es factus.] Nam aliquanto post, & ipse Antonius augur factus est, suppeditante ei pecuniam, ad tribus corrumpendas, Curione. & ita ambitus notat Antonium. Vnam tribum sine Curione.] Quasi dicat, non suppetebat tibi pecunia, quam in ambitū collocares. Et obserua unam tribū ferre pro unius tribus suffragiū obtinere: & est ex minori argumentum. nam si unam non potuisses, multo minus omnes, sine Curione. Fauore autē Cæsaris inter Augures cooptatum fuisse Antonium Plutarchus scribit. Cuius etiam familiares.] Scilicet Curionis. nam Antonius Curionis opibus fretus, cum Auguratum peteret, competitores ui de foro expulerat, unde qui ei adfuerunt, de ui condemnati sunt. Ex consequentibus igitur, Antonij improbitatem arguit: simulq; eum sine Curione nihil potuisse. Ex quibus omnibus sequitur, falsum esse quod dixit, se petitionem Auguratus, Ciceroni concessisse.

At beneficio sum usus tuo. quo: quanquam illud ipsum, quod cōmemoras, semper præ me tuli. malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non satis gratus

tus

A tus uideri. sed quo beneficio? quod me Brũdusii non occideris? quem ipse uictor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, saluum esse uoluisset, in Italiam ire iussisset: eum tu occideres? fac potuisse. quod est aliud P. C. beneficium latronum, nisi ut cõmemorare possint, his se uitam dedisse, quibus non ademerint? quod si esset beneficiũ: nunquam ij, qui illũ interfecerunt, à quo erant seruati, quos tu ipse uiros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. quale autẽ beneficium est? quod te abstinueris à nefario scelere? qua in re, non tam iucundum uideri mihi debuit: non interfectum à te: quàm miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficiũ: quandoquidem maius accipi à latrone nullum potuit. in quo potes me dicere ingratum? an de interitu Reip. queri non debui, ne de te ingratus uiderer?

At beneficio.] Quartũ reprehensionis caput, quod & hic à Cicerone, & infra satis explicatũ est. Semper præ me tuli.] In prima oratione: cui sum amicus, inquit, idq; nonnullo eius officio debere esse, præ me semper tuli. hic autem negat beneficiũ fuisse. quomodo igitur ista cõciliabimus? facile, adhibita nempe distinctione. aliud est officiũ, aliud beneficiũ: officiũ est quod fieri debet, quodq; si nõ feceris ab honesto, à bono æquoq; recedas. beneficiũ autẽ, tunc dicitur, B cum etiã si non debeas, tamen facias, in quo liberalitas, siue beneficentia cernitur. Antonius igitur cum Ciceronẽ Brundusii non occidit, fecit quod debuit: quod si secus fecisset, iniustus esset. Nam nulla erat occidendi causa, primo quia bellum illud erat iniquũ, & latrociniũ potius quàm bellum, utpote quod cõtra patriã gerebatur. Deinde quod uictor Cæsar eum saluum esse iussisset. habet igitur alterũ, definitionẽ, alterũ, beneficij in alterũ translationem. Malui me tibi debere confiteri.] Ratio cur præ se quasi beneficiũ tulerit, cur ob eam rem se debere Antonio confiteretur, ut uidelicet imprudentibus & morosis satisfaceret, quibus si ita non fecisset, ingratus uisus esset. maluit igitur in eam partem inclinare, quæ esset laudabilior. Laudabilius enim est interdum, quod non debeas confiteri te debere, quàm negare. Fac potuisse.] Concedentis elegans formula, quam Cicero & Vergilius usurparunt, pro, esto potueris. Quod aliud P. C.] Odiosa cõparatione probat, non esse beneficiũ. Nam sic etiã latrones beneficiũ se conferre ijs dicere possint, quibus non nocuerunt. at hoc absurdum est. nam sic crimen crimine defenderetur. Quod si esset.] Ex contrarijs sic ratiocinatur. Si semper uitam non adimere, cum possis, esset beneficiũ, Brutus & Cassius, quibus tum etiam Cæsar non ademit, essent uituperandi, quòd Cæsarẽ interfecerunt. sed sunt uel tuo testimonio, laudandi. Ergo non adimere uitã cum possis, non est semper beneficij loco numerandum. Quale autem beneficium est?] Repetit argumentũ non esse beneficiũ à scelere abstinere, & est ex differentia, ut paulo ante docuimus. Qua in re.] Contentione miserationem & indignationẽ mouet. Non iucundũ, sed miserũ, & indignũ est, aliquẽ se iactare, quòd impune hominẽ sine causa C potuerit occidere. Sed sit beneficiũ.] Concedit rursus, esse beneficiũ, cum tamen euicerit, beneficiũ nullo modo fuisse. Verũ ita hoc concedit, ut tanquã à latrone se accepisse fateatur, in quo ualde ledit Antonium. In quo potes.] Dixerat Antonius Ciceronẽ ingratũ esse, quod cum à se uitam accepisset, tamen in superiori oratione illum offendisset.

An de interitu Reip.] Subiectio est qua qualitatem facti sui defendit ex cõparatione Antonij cum Rep. & querelam suam mitiorem fuisse ostendit, quàm sua dignitas postularet.

At in illa querela misera quidem, & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus populusq; Romanus collocauit, necessaria, quid dictum à me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Et quidẽ cuius temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? præsertim cum tu reliquias Reipublicæ dissipauisses: cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent uenalia: cum leges eas, quæ nunquam promulgatæ essent, & de te, & à te latas confiterere: cum auspicia Augur, intercessionẽ consul sustulisses: cum esses fœdissime stipatus armatis: cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, uino lustrisq; confectus. At ego, tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset: quo cum multæ, & magnæ fuerunt: non D cum uno gladiatore nequissimo, de Repub. grauiter querens, de homine nihil dixi. itaq; hodie perficiam: ut intelligat quantum tum à me beneficium acceperit.

At in illa querela.] cum tot lumina Reip. extincta sunt in illa pharsalica pugna. est autem refutatio subiectionis.

Quid dictum à me.] Ex contrarijs suæ querelæ lenitatẽ amplificat, nihil cum contumelia, omnia autem moderatè, amicè à me dicta sunt. Equidem cuius temperantiæ fuit?] Quasi dicat, maximæ fuit temperantiæ, & moderationis. Præsertim cum tu reliquias Reip. dissipauisses.] Id est quod reliquũ erat spei libertatis, post C. Cæsarem qui Remp. euertit: præsertim cum eius metu abessent Reip. liberatores. Aut reliquias Reip. intelligit pecuniam quæ ad Opis erat, ab Antonio interceptam: & quatuor milia talenta, quæ à Calphurnia uxore Cæsaris acceperat Antonius quæ omnia dissipauerat. Cum domi tuæ.] Frequentatio qua flagitia Antonij in unum locum coguntur, quo grauior & criminosior sit oratio. Cum leges eas.] De prouincijs, de tertia decuria iudicum, de prouocatione, quas leges Cæsar is tulerat, de quibus in prima oratione satis diximus. Cũ auspicia augur.] Hoc dicit propterea q. Antonius cũ leges suas ferret, neq; augurũ obnũciationẽ, cũ ipse augur esset, neq; Tribunorũ intercessionẽ, cũ haberet fratrẽ Tribunũ audire uoluit: sed his cõtemptis eas ui pertulit, sine promulgatiõe, ut in superiore oratione copiosius est explicatũ.

Vino lustrisq; cõfectus.] Ebrietate & scortis. lustra sunt ferarũ cubilia. hinc sordida meretricũ loca, lustra appellantur

tur. Mala lustra bono epitheto dixit Horat. intelligi uolens nequitiæ, libidinis, gulæ diuersoria. hinc fit lustrari, id est, lustris operam dare, & pergræcari: & lustra id est lustris confectus, assuetus, lustris initiatus. Plautus in Pseudolo: Ex conspectu heri si sui se abdiderunt, luxuriantur, lustrantur, comedunt. Item in Casina: Vbi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti? Notat igitur in Antonio duo uitia uentris & gutturis: & obscenas meretriciasq; uoluptates. Confectus.] Consumptus, exinanitus, perditus. At ego Cōtentio nō fui durus ut contra gladiatorē nequissimū debui, sed lenis, quasi mihi res esset cum M. Crasso oratore suo atq; humanissimo uiro. Quo cum.] Fuit hic M. Crassus cognomento diues unus è Reip. principibus, uir summa humanitate præditus (ut Plutarchus refert) & diligentissimus orator. Inter quem & Ciceronē multæ & grauium forenses tum senatoriæ contentiones fuerunt, quoniā uterq; de laude certabat. Itaq; hodie.] Nam cum dixero de eo, quæ tunc tacui, intelliget me tunc ei pepercisse. A

At etiā literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit, homo & humanitatis expers, & uitæ cōmunis ignarus. quis enim unquā, qui paululū modo bonorū consuetudinē nosset: literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita in medium protulit, palamq; recitauit? quid hoc est aliud, quàm tollere è uita uitæ societatē? tollere amicorum colloquia absentiū? q̃ multa ioca solent esse in epistolis, quę prolata si sint, inepta esse uideantur? q̃ multa seria? neq; tamen ullo modo diuulganda? sit hoc inhumanitatis tuæ. stulticiā incredibilē uidete. quid habes quod mihi opponas homo diserte, ut Mustelæ Tamisio, & Troni Numisio uideris: qui cum hoc ipso tempore stēt cum gladijs in conspectu Senatus: ego quoq; te disertū putabo: si ostenderis quomodo sis eos inter sicarios defensius. sed quid oppones tandem, si negē me unq̃ istas literas ad te misisse? quo me teste conuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam. qui possis? sunt enim librarij manu. Iam inuideo magistro tuo, qui te tāta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere docuit. quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quàm obijcere aduersario, quod ille si uerbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit. at ego non nego: teq; in isto ipso conuinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiæ. quod enim uerbū in istis literis est non plenum humanitatis? officij, beneuolentiæ? omne autē crimen tuum est: quod de te in his literis non male existimem: quo scribam tanquam ad ciuem, tanquam ad bonum uirum, non tanquam ad sceleratum, & latronem. B

At etiam literas.] Quintū crimen, Ciceroni ex literis ipsius obiectū. Antonius literas Ciceronis quasdam protulerat, ad arguendam eius inconstantiam. Quam rem Cicero primum ut inhumanam, deinde ut stultam, postremo ut iniquam reprehendit, & cum in odium contemptumq; trahit. literas autem eas esse puto, quæ lib. 14. ad Atticū leguntur. Quarū hoc est initiū: Quod mecum per literas agis, &c. *Quis enim unquam.*] Locus est cōmunis, quam inhumane, quàm capitale facinus sit, arcanas amicorū literas, propter aliquam offensionem in apertum proferre C

Bonorum consuetudinē.] In mittendis literis. humanius enim & ciuilius solent boni uiri scribere, uel ad inimicos, quàm scribendum esse censeant: uerum ita faciunt, ne si forte in aliorum ueniant manus, illorum inter se simultates detegantur: ex qua re is ad quem scribunt offendatur, quod minime uolunt uiri boni. *Offensione aliqua interposita.*] Id est si qua in re se offendissent post missas literas: & ex amicis, facti essent inimici. *Quid hoc.*] Amplificat, ex loco cōmuni. Non possunt homines semper esse præsentes, sed literis absentes quasi præsentes fiunt. Quod si timendum semper est, ne oborta aliqua offensione, literæ proferantur, satius fuerit, epistolarum ex hominum memoria tolli usum & aboleri. at id sine magna humanæ societatis iactura, & dissolutione fieri non potest. Qui igitur literas amicorum proferunt ob aliquam offensionem, quantū in ipsis est, uitæ tollunt societatem. *E uita uitæ societatem.*] Traductio, cum idem uerbum mutatis casibus ponitur. *Amicorum colloquia absentium.*] Epistolæ definitio quædā. In hunc enim modum Libanius Sophista, id est, Rhetor, Epistolam definit, ut sit absentis ad absentem colloquium. D

Quàm multa ioca.] Sic omnino legendum est, non loca, id quod ex eius contrario quod statim sequitur, quàm multa seria, perspicuum est. Sic etiam de Finibus ait: Qui cum ioca & seria, ut dicitur: nisi quis mauult iocosa legere. Nam & Fam. Epist. lib. 2. duo reliqua dicit esse Epistolarum genera, iocosum, & graue. *Inepta.*] Absurda, non loco, non tempori, non personæ, aut rei apta, & conuenientia. hoc uerbum Cicero initio lib. 2 de Orat. interpretatus est.

Sit hoc inhumanitatis tuæ, stulticiam incredibilem uidete.] Transitio qua inhumanitatem Antonij ostendit, & ad stulticiam arguendam transit. *Quid habes.*] Copiam facit opponendi, eumq; lacessit salse. *Homo diserte.*] Ironia, id est infantissime, & ineptissime. *Vt Mustelæ.*] Ab re non longe digreditur. Erant autem hi quos hic nominat, milites Antonij, homines imperiti, & latrones. *Si ostenderis.*] Obijcit ei uim, quod armatos in Senatum conduxerit. Stabant enim in uestibulo. *Sed quid oppones tandem.*] Redit ad rem, & idem à quo cœperat, reuocat uerbū, quæ duo in ornamentis enumerat Cicero lib. 3. de Orat. *Si negem.*] Non negat, sed fingit se negare posse si uelit, ut Antonium eludat. *Quo me teste conuinces?*] Nullo, intelligendum est. *An Chirographo?*] νοημα, quam Cicero significationē interpretatur lib. 3. de Orat. hac figura significat Antonium ex suppositis, & fictis chirographis Cæsaris, quæstum facere. *In quo habes scientiam quæstuosam.*] Egregius es artifex faciendorum chirographorum, ex quibus magnum quæstum facis. salse igitur, eum falsi arguit, & suppositorem uocat.

Librarij

A *Librarij.] Scribæ, & ut Suetonius uocat Amanuensis. Inuideo magistro tuo.] εἰρωνεία. infra. Duo millia iugerûm, inquit, campi leontini Sex. Clodio Rhetori assignasti quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. Nihil sapere docuit.] Hoc falsum est, ex contro. Docentur homines sapere, non desipere.*

Quid est minus.] Desiderat in Antonio sensum cōmunem, prob cum male doctum esse à suo magistro.

Si uerbo negarit.] Id est, si tantum negarit, sine ulla argumentatio, quod faciendum esse docet in Part. or. Cicero, si quod obijcitur, fictum, aut falsum esse possis dicere. At ego nego.] Arguit iniquitatem Antonij, & in eum transfert crimen, & ex tacita translationis ui, mutat actionem. q. diceret: Non nego me scripsisse, sed tu obijcere non debuisti, quoniam amice scripsi. Translatio enim est, cum non dedimus, sed actionem mutandam esse dicimus: Ita hic Cicero dicit, se accusare debere Antonium, non accusari ab eo. Quid enim.] Declarat nihil esse in literis suis, quod reprehendendum sit, & auget suam benignitatem. Quade te.] Profert uerba Antonij, eiusq; de suis literis iudicium. Nam hæc omnia dixerat Antonius, ut ex eo Ciceronem constantiæ redargueret. Sed Cicero uicissim refert, & regerit ut ex eo ipso eius nequitiam arguat, qui ex benedictis eum calumniandi quærat.

At ego tuas literas, & si iure poteram à te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quendam de exilio reducere, adiurasq́;, id te inuito me non al. quem esse facturum: idq́; à me impetras. quid enim interponerem audaciæ tuæ? quam B neq; autoritas huius ordinis, neq; existimatio populi Roma, neq; leges ullæ possent coercere? ueruntamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Cæsaris lege reductus? sed uidelicet, meam gratiam uoluit esse: in quo, ne ipsius quidem ulla esse poterat, lege lata.

At ego tuas.] ἀντικατηγορία, per occupationem. nam uicissim illum eiusdem criminis accusat, etiam si se non accusare dissimulet. Confert tamen suam modestiam cum Antonij uanitate, quam ex iis ad se literis cōmemorat. Harum etiam exemplum ad Atticum lib. 14. habetur. Quendam de exilio.] Sex. Clodiū P. Clodij filiū intelligit. Adiurasq́;.] Iuras. Hoc uult simulatum fuisse ut mox confirmat ex causa. Quid enim.] Ex maiori. nam si neq; senatus, neq; populus, neq; leges audaciam tuam possint coercere, multo minus ego solus id possim.

Veruntamen.] Aperte iam eius uanitatem & mendacia profert. nam si is erat lege à Cæsare reductus, non erat quod quicquam à Cæsare contenderet, cum in eo neq; Antonij, neq; Ciceronis ulla esset gratia. ubi enim debitum est, gratia locum non habet. repugnant enim. Ergo ex repugnantibus. Si uidelicet.] Dissimulatio, quam εἰρωνείαν Græci uocant. Meam gratiam uoluit esse.] Voluit mihi deberi gratiam à Clodio, mihi ferri acceptum uoluit. elegans est dictum.

C Sed cum mihi P.C. & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint: alterum peto à uobis, ut pro me dicentem benigne, alterum ipse efficiam: ut contra illum cum dicam, attente audiatis. simul illud oro: si meam cum in omni uita, tum in dicendo moderationem, modestiamq́; cognoscitis: ne me hodie cum isti, ut prouocauit, respondebo: oblitum esse putetis mei. non tractabo ut Consulem ne ille quidem me ut Consularem: & si ille nullo modo Consul: uel quod ita uiuit: uel quod ita Rempub. gerit: uel quod ita factus est Consul. ego sine ulla controuersia Consularis.

Sed cum mihi.] Postulat beneuolentiam, & offensionem procacitatis deprecatur. Alterum ipse efficiam.] Nam magna & inaudita Antonij scelera, & flagitia uobis exponam, quæ uos attentos reddent. Simul oro.] Præmunitio & præparatio, ad reliqua quæ responsurus est Antonio. Non tractabo ut consulem.] Relatio ex pari. Sic etiam Crassus ut refert Cicero in proœmio libri 3. de Oratore Philippo consuli respondit: cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset, quæ uox ut inquit Fabius, honestissimæ est libertatis. Item in Pisonem Cicero non dissimili utitur sententia. Ego, inquit, Consulem esse putem, qui senatum in Rep. non putauit? Et sine eo consilio con- D *sulem numerem, sine quo Romæ ne Reges quidem esse potuerunt? Sunt enim consul, & senator, siue consularis, & senatus relata, hoc est in iis quæ cum aliquo conferuntur. Ne ille quidem me ut consularem.] Scilicet tractauit, κατὰ σύλληψιν, quæ figura ad compendia sermonis reperta est. Et si ille.] Correctio, quam triplici ratione probat, ex uita consule indigna, ex eo quod Reip. non consuluit, sed euertit potius, & tertio quod non legitime, sed ui factus est consul. primus locus est, ex repugnantibus, secundus ex notatione, tertius ex causis efficientibus.*

Ego sine ulla.] Contentio. Ego consularis, etiam si tu non sis consul.

Vt igitur intelligeretis, qualem me esse consularē profiteretur: obiecit mihi Consulatum meum. qui Consulatus uerbo meus P.C. re uester fuit. quid enim ego constitui? quid gessi? nisi ex huius ordinis consilio? authoritate? sententia? Hæc tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaq́; gesta sunt, ausus es uituperare? quis autem meum Consulatum, præter P. Clodium, qui uituperaret, inuentus est? cuius quidem te fatum, sicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utriq; fatale.

Vt igitur intelligeretis.] Mire proponendo Antonij criminationē: eam in argumentum trahit, & ex eo quod ille criminatur, se uerè consularem, atq; utilem Reip. probat. A *Verbo.*] Nomine, & titulotenus. *Re.*] Consilio, autoritate, sententia. *Quid enim.*] Declarat quod proposuit. *Consilio, autoritate, sententia.*] Articulus, hoc est quod dixit, Re. *Hæc tu homo.*] Acrius instat, & eius stultam insantiam reprehendit.

Homo sapiens.] Ironia. neq; sapiens neq; eloquens. *Non solum eloquens.*] Obserua, non solum, pro nedum.

Quis autem.] Nemo meum consulatū uituperauit, præter Clodium, præterq; te. *Cuius quidem te fatum.*] Terret Antonium, significans idem fatum illi imminere, quod Clodium, quod Curionē male multauit. *Quoniam*] Ratio, cur idem immineat fatum: quia eadem est causa. ea autem est Fuluia uxor, quæ post P. Clodium & C. Curionem, Antonio nupserat. Erat autem ambitiosa mulier, & maritos ad immoderatas opes instigabat, ut est apud Plutarchum.

Fatale.] Perniciosum, pestiferum, atq; fato quodam.

Non placet M. Antonio consulatus meus. at placuit P. Seruilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus: placuit Q. Catulo: cuius semper in hac Repub. uiuet authoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, P. Figulo, D. Silano, L. Murenæ: qui tunc erant Consules designati: placuit idem quod consularibus M. Catoni: qui cū multa, uita excedens, prouidit: tum, quod te consulem non uidit. maxime uerò consulatum meum Cn. Pompeius probauit: qui, ut me primum B decedens ex Syria uidit: complexus, & gratulans, meo beneficio patriam se uisurum esse dixit. sed quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit: ut esset nemo, qui mihi non ut parēti gratias ageret: qui non mihi uitam suam, liberos, fortunas, Rempublicam referret acceptum.

Non placet M. Antonio.] Contentionem instituit autoritatum & testium enumeratione, quibus eius cōsulatus placuit. Non placuit meus consulatus Antonio homini improbo, placuit omnibus bonis, quod deinceps inductione cōfirmat.

At placuit P. Seruilio.] Is est qui Isauros in Cilicia domuit, ex quo Isaurici cognomen reportauit. *L. Catulo.*] Q. Catulo legendum puto, cui laudem bene loquendi & quandam non uitæ solum, atq; naturæ, sed orationis etiam tribuit in Bruto: cuiusq; personam in libris de Oratore loquentem facit. Is etiam consumptum incendio Iouis templum in Capitolio, refectum dedicauit. *Duobus Lucullis.*] Lucio & Marco: quorū Lucius ætate Pompeio grandior, res magnas contra Mithridatem gessit, fuitq; ditissimus, cuius horti in primis laudantur. Extat imperfectus Ciceronis liber, ab eo Lucullus inscriptus. uitam Plutarchus descripsit. *M. Crasso.*] Illi diuiti, qui à Parthis captus, & interfectus est. C Huius testimonium refert Cicero ad Atticum. Crassus, inquit, surrexit, ornatissimeq; de meo consulatu locutus est, ut diceret, se quod esset senator, quod ciuis, quod liber, quod uiueret, mihi acceptum referre. Quoties coniugē, quoties domum, quoties patriam uideret, beneficium meum uidere. *Q. Hortensio.*] Oratori omnium, Cicerone excepto, præstantissimo: cuius mortem deflet Cicero in Bruti sui proœmio. *C. Curioni.*] Patri, cuius cum alibi, tum de claris Orat. meminit. is pater fuit eius ad quem extant Ciceronis Epistolæ lib. 2. cuius etiam mortem dolet in ea Epistola, quæ incipit: Graui teste priuatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo clarissimo uiro. *M. Lepido.*] Hic Cæsaris magister equitum fuerat, postea in coniuratione Octauij, unus fuit ex Triumuiris. *C. Pisoni.*] Qui frater fuit L. Pisonis Cæsaris soceri. *M. Laboni.*] Huius ut arbitror mentio fit in catalogo Iurisconsultorū Digest. De origine iuris. Cum Cæsare in Gallia fuit: & tamen in ciuili bello Pompeium secutus est. Sunt qui pro Labeone, Glabrionem legant, quod mihi non displicet. nam & ad Atticū lib. 12. cum enumerat eos consulares qui in Catilinam sententias dixerunt, post C. Pisonē statim M. Atilium Glabrionem nominat. *L. Volcatio.*] Huius fit mentio in Epistolis ad Lentulum. *C. Figulo.* P. Figulo legendum est. Hic est ille P. Nigidius Figulus quem unum omnium doctissimum & sanctissimum appellat Cicero Epist. lib. 4. ad eum ipsum scribens. De quo etiam uide Gellium lib. 19. cap. 14.

D. Syllano.] Hic consul fuit post Ciceronē, de quo apud Sallustium in Catilinæ historia. Sunt qui Silanū scribant.

L. Murenæ.] Pro quo extat Ciceronis oratio ornatissima. *Placuit idem quod consularibus M. Catoni.*] D M. Cato non consularis, sed Prætorius fuit, Vticensis à suo fato nominatus. Nam Vticæ se in Africa occidit, uir Stoica seueritate admirandus, ne Cæsarem uictorem patriamq; seruientem uideret. Vide Plutarchum in eius uita. Huius quoq; uirtutes breuissime describit Sallustius in Catilina. *Prouidit.*] A longe prospexit, ut imperium Cæsaris, bella, seditiones, seruitutem pop. Rom. Et attende agnominationem, in prouidit & uidit. *Maxime uerò.*] Pompei testimoniū singulare, à reliquis separat, propter magnam uiri autoritatem. *Ex Syria.*] Cum rediens è Mithridatico bello, in Syria templum Solomonis diripuit, & profanauit rege Iudæorum Aristobolo capto. *Meo beneficio.*] De off. lib. 1. Mihi quidem certe uir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius multis audientibus hoc tribuit, ut diceret: Frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in Remp. beneficio ubi triumpharet, esset habiturus.

Sed quid?] Correctio ut ex partibus ad totum, siue ex singulis, ad uniuersos delabatur. *Vt parenti.*] Nam pater patriæ appellatus est, ut Plutarchus, & alij referunt. unde ille uersus.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Referret acceptum.] Acceptum referre, tractum à rationibus & libris accepti, & expensi, unde acceptum referre, & referre expensum dicimus.

Sed quoniam illis, quos nominaui, tot & talibus uiris, Respublica orbata est: ue-

A niamus ad eos, qui duo è consulari numero reliqui sunt. L. Cotta uir summo ingenio, summaque prudentia, rebus his gestis, quas tu reprehendis, supplicationẽ decreuit uerbis amplissimis: eique, illi ipsi, quos modo nominaui, Cõsulares, Senatusque cunctus assensus est: qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar auunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua grauitate sententiam dixit in sororis suæ uirum, uitricum tuum? hunc tu, cum autorem, & præceptorem omnium consiliorum, totiusque uitæ debuisses habere: uitrici te similem, quàm auunculi
al. alieni esse maluisti. huius ego †alienus consilijs Consul usus sum. tu sororis filius, †quid ad
al. ecquid eum unquam de Republica retulisti? ad quos refers dij immortales? ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt.

Sed quoniam illis.] Profert uiuorum testimonia ex quibus L. Cotta, & Cæsar, sententiam dixerant consule Cicerone in coniuratos. *Reliqui sunt.*] Supersunt, uiuunt, restant. *L. Cotta.*] Hunc prætorium uocat in Bruto (nondum enim consulatum fuerat tum adeptus) & in mediocrium oratorum numero reponit: eundem quoque in libris de Oratore, inducit Crassum & Antonium de oratorijs rebus disputantes, audientem. *Qui honos.*] Amplifi-
B catio honoris sibi pro conseruata à Catilinæ audacia patria. In Catil. orat. 3. Atque etiam, inquit, supplicatio dijs immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est Quirites, quod mihi primum post urbem conditam togato contigit, & his decreta uerbis est: QVOD VRBEM INCENDIIS, CAEDE CIVEIS, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Item in oratione 4. Cæteris enim semper bene gestæ, mihi uni conseruatæ Reip. gratulationem decreuistis. Idem dicit Philip. 14. Item pro Sylla, & in Pisonem. Hic autem supplicationis honos bellum extra urbem gerentibus imperatoribus tantum decerni consueuit: nunquam ijs qui in urbe, & in toga Rempub. administrarent. *Auunculus.*] Matris tuæ frater. nam patruus dicitur, patris mei frater. De quibus copiose iurisconsulti in Pandectis titulo de Gradibus affinitatis, & Inst. lib. 3. De gradibus cognationum. *In sororis suæ uirum.*] P. Lentulum, qui fuerat inter coniuratos, cui Antonij mater uiro mortuo, nupserat. *Vitricum tuum.*] Matris tuæ maritum, non tamen patrem tuum. *Hunc tu.*] Deflectit bona occasione ad reprehendendam nequitiam Antonij in gerenda Republica. *Vitrici.*] P. Lentuli, Reip. hostis. *Huius ego alieni.*] Vicissim Antonij consulatum criminatur: & est antithesis. Ego alieni consilio usus sum, tu auunculi tui uti noluisti. Legitur etiam, alienus, quod idem est. *Ad quos.*] Exclamatio ad indignitatem spectans. *Ad eos scilicet quorum nobis.*] Consularibus scilicet, quasi id senatus intersit, quo quiuis nebulo natus sit die, intelligere. & est ironia, ut illa Terentij: Id populus curat, scilicet.

C Hodie non descendit Antonius. cur? dat natalicia in hortis. cui? neminem nominabo. putatote cum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitiosam: O impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam. tu cum Principem Senatorem, ciuem singularem, tam propinquum habeas: ad eum de Republica nihil refers: ad eos refers, qui domũ suam nullam habent: tuam exhauriunt. tuus uidelicet salutaris Consulatus: perniciosus meus? adeo ne pudorem cum pudicitia perdidisti? ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego Senatũ illũ, qui quondã florẽs orbi terrarũ præsidebat, cõsulebã: tu homines perditissimos cum gladijs collocauisti.

Hodie non.] Dialogismus, id est Sermocinatio, ad Antonij mores exprimendos accõmodata. *Dat natalitia.*] Conuiuio celebrat diem natalem, uel suum, uel assentatoris alicuius, aut parasiti, aut lenonis, quales hi fuerunt quos comici poetæ inducunt, unde horum sumpta sunt nomina. nam Phormio & Gnatho Terentianæ sunt personæ: Ballio, nomen est Plautini lenonis ex Pseudolo, qui Bustirapus, Sociofraudus, Legirupa peruerissimus conuicio lenonio appellatur. Huius etiam mores describit Cicero pro Roscio comœdo, Phormionis uerò pro Cecinna. *O fœditatem.*] Exclamat
D in Antonij indignitatem, ut eum contemptibilem senatui reddat. *O impudentiam.*] Audaciam, confidentiam.
Nequitiam.] Nequitia, ab eo quod nequicquam est in tali homine, ex quo idem nihili homo dicitur, cui contraria uirtus est frugalitas, & frugi. Cic. Tusc. lib. 3. *Libidinẽ.* Quæ cupiditas, siue appetentia effrenata, definitur à Cicerone Tusc. lib. 4. *Tu cum principem senatorem.*] L. Cæsarem auunculum tuum. Iam acrius castigat Antonium. *Ad eum de Rep. nihil refers.*] Eum non consulis, tua cum eo consilia non cõmunicas. *Ad eos refers.*] Antithesis, ex negantibus. *Qui domum suam nullam habent.*] Cuiusmodi erant, quos supra nominauit, Tamisius, & Numisius. *Tuus uidelicet.*] Ironica contentio, enthymemate conclusa. *Adeone pudorẽ.*] Grauis increpatio. est autem pudor siue uerecundia, metus quidam dedecoris, & infamiæ. Arist. Eth. lib. 4. cap. 9. Differt à pudicitia pudor, quòd pudicitia sit corporis integritas, cum nulla obscœna libidine uiolatum est: pudor autem mentis. Itaque potest aliquis pudicitiam, saluo pudore amittere, ut de Lucretia Collatini lectum est: pudore autẽ amisso, nulla est reliqua pudicitia. Et est criminis amplificatio ex loco, qui sacer est, & eorum qui ibi consultant, maiestate.

At etiam ausus es: quid autem est, quod tu non audeas? cliuum Capitolinum dicere me Consule plenum seruorum armatorum fuisse. ut illa, credo, nefaria Senatusconsulta tum fierent, uim afferebam Senatui. O miserum, siue illa tibi nota non sunt: nihil

nihil enim boni noſti:ſiue ſunt,qui apud tales uiros tam impudenter loquare. quis enim Eques Romanus?quis præter te adoleſcens nobilis?quis ullius ordinis?qui ſe ciuem meminiſſet:cum Senatus in hoc templo eſſet:in Cliuo Capitolino non fuit?quis nomen non dedit?quanquam nec ſcribæ ſufficere,nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim cum homines nefarij de patriæ parricidio confiterentur,conſciorum indicijs,ſua manu,uoce penè literarum coacti,ſe urbem inflãmare,ciues trucidare,uaſtare Italiam,delere Rempub. conſenſiſſe: quis eſſet, qui ad ſalutem cõmunem defendendam non excitaretur? præſertim cum Senatus populuſq; Romanus haberet ducem:qualis ſi qui nunc eſſet:tibi idem,quod illis accidit,contigiſſet. A

At etiam auſus es.] Reuocatio uerbi. Ceperat enim ſupra,ut in hoc templo dicere auſus ſis: uerum ut amplificaret, paululum deflexit ab eo. *Quid autem eſt.*] Et hoc amplificandæ eius audaciæ cauſa,interpoſuit.

Cliuum Capitolinum.] Collem,in cuius uertice Capitolium erat,quæ Romana fuit arx,& ibidem Iouis Capitolini templum. etiamſi cliuus propriè,ſit collis deſcẽſus,& inclinatio. nam hic cliuus ducebat in Capitolium ex Romano foro.

Vt illa nefaria S.C.] Ironia. nam non nefaria, aut pernicioſa erant illa Senatuſconſulta, quæ in pernicioſos ciues facta fuerant,ſed ſancta & ſalutaria Reip. *Illa nefaria.*] Vt tu appellas. utitur Antonij uerbos per μιμησιν. B

O miſerum.] Dilemma,quam Cicero complexionem uocat. Nam ſi nota tibi ſunt,miſer es qui de induſtria mentiaris:ſi tibi non ſunt nota,nihilominus tamen miſer,qui de incognitis tam audacter pronuncies. Miſerum autem nihil facit (ut Stoici uolunt) niſi turpitudo, in qua mendacium eſt maxime. *Nihil enim boni noſt.*] Exaggeratio breuis,Antonij nequitiæ. *Quis enim eques?*] Refellit,quod de armatis obiecerat Antonius: non fuiſſe eos homines armatos, ad inferendam uim Senatui, ſed omnes ciuitatis ordines, ad ſenatus contra coniuratos, ſi qui forte extitiſſent, defenſionem. *In hoc templo.*] Concordiæ nimirum, ut infra. *Quis nomen non dedit?*] Milites dabant nomina,ubi delectus ex ſingulis claſsibus habebatur. Deinde ſacramento obſtringebantur. qui milites huiuſmodi conquirebant, conquiſitores dicebantur, & militia ipſa ſacramentum. *Etenim cum homines nefarij.*] Cauſa cur ciues darent nomina,cur armatos haberet ſenatus,ut ſcilicet ſine ullo & periculo & impedimento, de coniuratis ſtatuere liceret ſenatui. *Conſciorum indicijs.*] Ergo non indicta cauſa, ſed maximis teſtimonijs, ipſorumq; met confeſsione conuicti,fuerunt condemnati:id autem perſpicuum eſt,tum ex Salluſtio,tum ex Ciceronis orationibus contra Catilinam.

Si urbem inflammare.] Amplificat coniuratorum improbitatem, malorum quæ deſtinarant, enumeratione.

Haberet ducem.] Id eſt conſulem. ſeipſum intelligit. *Tibi idem.*] Minatur Antonio coniuratorum ſupplicium,cum etiam ille contra Remp. coniuraſſe,ut eius facta oſtendunt,uideatur.

Ad ſepulturam corpus uitrici ſui negat à me datum. Hoc uerò ne P. quidem Clodius dixit unquam: quem,quia iure ei fui inimicus,doleò à te iam omnibus uicijs eſſe ſuperatum. †Quî autem tibi uenit in mentem,redigere in memoriam noſtram,te domi P. Lentuli eſſe educatum? an uerebare,ne non putaremus natura te potuiſſe tam improbum euadere,niſi acceſſiſſet etiam diſciplina? Tam autem eras excors:ut tota in oratione tecum ipſe pugnares:ut non modo non cohærentia inter ſe diceres,ſed maxime diſiuncta,atq; contraria:ut non tanta mecum, quanta tecum tibi eſſet contentio. Vitricum tuum in tanto fuiſſe ſcelere fatebare: pœna affectum querebare. Ita quod proprium meum eſt,laudaſti: quod totius Senatus eſt,reprehendiſti. nam cum comprehenſio ſontium,mea,animaduerſio,Senatus fuerit: homo diſertus non intelligit eum,quem contra dicit,laudari à ſe:eos,apud quos dicit,uituperari. C

al. Quid

Ad ſepulturam.] Crudele eſt, uel hoſti prohibere ſepulturam, quòd qui id facit, & in mortuum ſæuire uideatur. Hoc uerò obiecerat Antonius Ciceroni,quod P. Lentuli uitrici ſui corpus,poſtquam ſumptum de eo ſupplicium eſſet,humari prohibuerit:uerum id negat Cicero: & quod P. Clodius,inimiciſsimus Ciceronis nihil tale dixit,probat eſſe falſum. nam interdum teſtimonia,ubi deſunt ualent, ut eſt apud Quintilianum lib. 5. *Quia iure ei fui inimicus.*] Dolet Ciceroni ab Antonio Clodium uitijs fuiſſe ſuperatum, ex quo oſtendit ſe non male in Antonium affectum eſſe, etiam ſi Reip. cauſa illum inſectetur. Et tamen interea hoc eadem opera,ad hominis uituperationẽ ualet. *Qui autẽ tibi.*] Stultitiam criminationis oſtendit. *Redigere in memoriam.*] Reuocare,reducere. *An uerebare.*] Antonium uituperat à praua educatione,quod ferè in tota hac oratione facit, ut eum in odium & contemptionem adducat,ut etiam Quintilianus teſtatur. *Niſi acceſsiſſet etiam diſciplina.*] Locus cõmunis, de mala educatione. Quemadmodum,ad bonam naturam ſi accedat bona diſciplina,fit melior: ſic ſi ad prauam naturam praua acceſſerit diſciplina, & educatio,longe fit deterior. In attributis uerò perſonarum monent Rhetores naturam, & uictum, ſiue educationem, ſiue puerilem diſciplinam eſſe conſiderandam, utpote ex quibus & laudantur homines, & uituperantur. Hinc Horatius, Druſum laudans, inquit: Auguſti paternus in pueros animus Nerones, Doctrina ſed uim promouet ipſam. D

Tam autem eras excors.] Amens,uecors,ſtultus. cuius contrarium eſt cordatus. Cic. Tuſc. lib. 1. Oſtendit autem pugnantia dicere, quod eſt tum mentientis, tum inconſtantis. *Vt non modo non.*] Multa ſunt non cohærentia, quæ tamen contraria non ſunt, ut numerus, & affectio non cohærent, alter enim eſt Quantitatis, altera Qualitatis.

A Contraria tamen non sunt. at Laus & uituperatio sunt contraria. Vt non tanta mecum.] Plus à te ipse, quàm à me dissentiebas. Vitricum tuum.] Probat quod dixit, cum repugnantia loqui, ex ipsius de P. Lentulo, oratione, & sententia. Homo disert[illegible]] εἰρωνεία, infantissimus. Quem contra dicit.] Præpositionis ἀναστροφὴ, pro, contra quem. Est autem hæc magna in Oratore offensio, quem uituperandum susceperit laudare, quos maxime sibi conciliare debeat, nempe apud quos dicat uituperare, quod hic fecisse Antonium euincit Cicero.

Iam illud cuius est, non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici) sed, quod minime uult, stulticiæ? qua uincit omnes: Cliui Capitolini mentionem facere? cum inter subsellia nostra uersentur armati: cum in hac cella concordiæ (ô dij immortales) in qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt: quibus ad hanc diem uiximus: cum gladijs homines collocati stent. accusa Senatum: accusa Equestrem ordinem: qui tum cum Senatu copulatus fuit: accusa omnes ordines: omnes ciues: dum confiteare hunc ordinem, hoc ipso tempore, ab Ithyreis circumsederi. hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter: sed, qui tantarum rerum repugnantiam non uideas, nihil B profecto sapis. quid est enim dementius, quàm cum ipse contra Rempub. perniciosa arma ceperis, obijcere alteri salutaria?

Iam illud.] Aliam ostendit in Antonio repugnantiam. nam facta cum eius oratione pugnare docet: qui cum consulem reprehendat, quòd armatos habuerit circa senatum, ipse consul idem faciat. Redit autem Cicero ad superiorem Antonij criminationem, de armatis in cliuo Capitolino habitis, eamq; non negat, sed eam defendit iuris statu, iure nimirum factum esse quod pro salute Reip. cum armatos ipse contra Remp. habeat. Ita igitur eius resistit criminationi, ut grauiorem obijciat: quod interdum faciendum esse docet Cicero de Orat. lib. 2. ubi docet quomodo argumentis resistendum sit. Huius exempla uidere licet apud Verg. Egloga 3. Cupit enim se audacem dici.] Supra. Quid autem est quod tu non audeas? In hac cella Concordiæ.] Cella & locum significat, ubi aliquid ad uictum reconditur, ut cella uinaria, olearia, & sacrum locum in parte templi, ubi res diuina fit, quam Capellam uulgus uocat. Amplificat autem, ut ante fecit, à loco religioso, sumpta peristasi, & à personis senatorum, & à rebus ipsis, quæ ibi agerentur. O dij immortales.] Vehemens exclamatio, ad indignationem. In qua me consule.] Supra: In quo ego senatum illum, &c. consulebam, tu homines perditissimos cum gladijs collocausti? Accusa senatum.] Enumeratio, qua omnes ordines consensisse confirmat, in eum delectum qui tunc habitus est. Ab Ithyreis.] Ithyrea Palestinæ Iudeæ regio C est, in qua Antonius sub Gabinio militauerat, unde multos secum ministros & satellites abduxerat, qui hic Ithyrei uocantur. & Ithyreos dixit, quasi barbaros. infra: cur homines omnium gentium maxime barbaros Ithyreos cum sagittis deducis in forum? Quid est enim dementius?] Enthymema ex cõtrarijs, quo Antonij dementiã cõcludendo redarguit.

At etiam quodam loco facetus esse uoluisti. quàm id, dij boni, non decebat. in quo est tua culpa nonnulla. aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. Cedant arma togæ. quid? tum nónne cesserunt? at postea tuis armis cessit toga. Quæramus igitur utrum melius fuerit: libertati populi Romani, sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere? Nec uero tibi de uersibus respondebo: tantum dicam breuiter, neq; illos, neq; ullas te omnino literas nosse. me nec Reipublicæ nec amicis unquam defuisse: & tamen omni genere monumentorũ meorum perfecisse operis subcisiuis: ut meæ uigiliæ, meæq; literæ & iuuentuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferrent. sed hæc non huius temporis. ad maiora ueniamus.

At etiam quodam loco.] Reprehendit ineptiam obiecti uersiculi, & uerum esse declarat, atq; [illegible] literas suas & studia, ab utili & honesto tuetur. Quàm id dij boni.] Ineptum enim est, & indecorum, intempestiue D dictum. In quo.] In eo quod intempestiue mihi meum uersiculum obiecisti, peccasti tu quidem nonnihil qui occasionem arripueris, ex re laudabili me uituperandi. sed & ego peccaui, qui de re à me bene pro salute Reip. gesta, uersiculum illum uerissimum effudi. ob posteriorem igitur rationem tibi reprehendendi occasionem dedi, qualem Homerus Zoilo. Subest ironia, in eo quod dicit: In quo est tua culpa nonnulla, quia cum uxorem aliquando mimam habuisset, non didicit tamen ab ea uti iocis in loco. Salis.] Vrbanitatis, & lepôris. Nam urbanitatis quodam lepôre tanquam sale perspergitur oratio, ut Cicero de Oratore dicit. Ab uxore mima.] Histrionica muliere, quæ cum Hippia prius uocaretur, ab eo post Volumnia appellata est. huius autem mentionem iniecit Cicero, ad Antonij uituperationem, qui homo nobilis, mimam, psaltriamq; duxisset uxorem. Cedant arma togæ.] Hunc uersum etiam lib. de Off. 1. defendit. Cedant (inquit) arma togæ, concedat laurea linguæ. Vt enim alios omittam, nobis Rempub. gubernantibus, nónne togæ arma cessere? Neq; enim in Rep. periculum fuit grauius unquam, nec maius odium &c. Sed subijciamus hoc loco, Ciceronis ipsius illam alteram defensionem huius uersus, ex illa acerbissima in Pisonem oratione. Atq; id eo libentius facimus quòd ipsemet figuram quæ est in uerbis toga & laurea, exponit. Cedant arma togæ. quid tum? hæc res tibi fluctus illos excitauit. at hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod te Consule in sepulchro Reipublicæ incisum est: uelitis, iubeatis, ut, non quod M. Cicero uersum fecerit: sed quod uindicarit. uerumtamen, quoniã te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus: qui non notam apponas ad malum uersum: sed poetam armis persequare: scire cu-

pio

pio quid tandem isto in uersu reprehendas? Cedant arma togæ. tuæ dicis, inquit, togæ, summum imperatorẽ esse cessurum. A quid nunc te asine literas doceam? non opus est uerbis, sed fustibus. non dixi hanc togam, qua sum amictus: nec arma, scutum, & gladium unius imperatoris: sed quod pacis est insigne, & ocij toga: contra autem arma tumultus atq; belli: more poetarum locutus, hoc intelligi uolui: bellum, ac tumultum paci, atq; ocio concessurum. quære ex familiari tuo Græco illo poeta: probabit genus ipsum, & agnoscet: neq; te nihil sapere mirabitur. At in illo altero, inquit, hæres. concedat laurea laudi. Imò me hercule habeo tibi gratiã: hærerem enim, nisi tu me expedisses. nam cum tu timidus ac tremens tuis ipse furacissimus manibus detractam cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abiecisti: indicasti non modo amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse. Atq; ista ratione hoc tamen intelligi scelerate uis: Pompeium inimicum mihi isto uersu esse factum: ut si uersus mihi nocuerit: ab eo, quem is uersus offenderit, uideatur mihi pernicies esse quæsita. omitto, nihil istum uersum pertinuisse ad illum: non fuisse meum, quem quantum potuissem multis sæpe orationibus scriptisq; decorassem, hunc uno uiolare uersu. Sed sit offensus primo: nónne compensabit cum uno uersiculo, tot mea uolumina laudum suarum? quod si est cõmotus: ad perniciem ne non dicam amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita de Republica, non consularis, non senatoris, non ciuis, non liberi: in hominis caput ille tam crudelis propter uersum fuisset?

At postea.] Ex Antithesi percellit Antonium. *Quæramus.*] Comparatione ostendit se melius fecisse qui togatus libertatem defenderit, contra Catilinam, & alios coniuratos, quàm Antonius, qui armatus eandem euertit.

Libertati sceleratorũ arma.] Cõmutatio est, cũ duæ sententiæ inter se discrepantes transiectione ita efferuntur, ut à B priore posterior, contraria priori proficiscatur. ut Si poema loquens pictura est, pictura tacitum poema debet esse.

Nec uerò tibi de uersibus.] Occupatione respondet: fuerunt enim duo uersus: is cuius mentionem iam fecimus, & hic: O fortunatã natam me consule Romam. *Tantũ dicã breuiter.*] Obijcit Antonio literarũ ignorantiam, qui uersus reprehendat, quos non intelligat. *Me nec Reip.*] Suam in amicis defendendis operam suaq; studia commendat, quæ & utilitatẽ & laudẽ multis attulerunt. *Nec Reip.*] Senatorijs muneribus obeundis. *Nec amicis.*] Causis ipsorũ defendendo. *Omni genere monimentorũ.*] Scriptorũ, operũ, & librorũ in omni philosophia, & ingenuis artibus, de quibus satius est tacere, quàm pauca dicere. Nullus enim est qui nesciat, quæ & quanta scripserit Cicero, nisi qui bonis & elegantibus literis bellum indixerunt. *Meæ uigiliæ.*] Meæ lucubrationes, Gellius noctes appellauit monumenta literarũ noctu conscripta. *Operis subcisiuis.*] Id est subsequentibus, secundarijs, & à quotidianis operis detractis. à subcidendo & amputando subcisiuũ dicitur. Græci dicũt, πάρεργον. Sunt qui cõtendant, subsecíuis esse legendũ à subsecando: citentq; Frontinũ dicentẽ, Subseciuũ est quod à subsecante linea nomen accepit. nam in agrorũ assignationibus subseciua nominantur, quæ sunt tanquã assignatorũ finiũ reliqua, quæ quòd linea claudantur, & subsecentur, subseciua dicuntur. Ab hac igitur similitudine, operas, horas, tempora, quæ amicorũ, fori, Reipublicæ, supersunt, atq; ex his eripiuntur, & quasi subsecantur, quæ nobis reseruamus, nec perire sinimus, sed in legendo, cõmentando, scribendo consumimus, subseciua nuncupari uolunt. Sed parũ interest, siue à succidendo, siue à subsecando deduci uelis, modo res ipsa intelligatur. Cicero de legibus. Subcisiua quædam tempora incurrũt, quæ ego perire C non patior. *Vtilitatis, & non Rom. laudis.*] Ab utili & honesto. Nam & docti & eloquentes ab eo multi sunt facti, & cum Romani Græcos antea tantum belli gloria superarent, propter Ciceronem, etiam ingenij laudem sunt consecuti. Lege Tusculanarum procemium. *Sed hoc.*] Transitio Rhetorica, ad Antonij criminationem.

P. Clodiũ meo consilio interfectũ esse dixisti. quid nam homines putarent? si tum occisus esset, cum tu illum in foro † spectãte populo Rom. gladio stricto insecutus es, *al. inspectante* negociũq; transegisses, nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ coniecisset, hisq; oppilatis impetũ tuum cõpressisset? sed quid? ego fauisse me tibi fateor: suasisse ne tu quidẽ dicis. at Miloni ne fauere quidem potui. prius enim rem transegit: quàm quisq; tum suspicaretur eum facturum esse. At ego suasi. scilicet is animus erat Milonis: ut prodesse Reipub. sine suasore non posset? At lætatus sum. quid ergo? in tanta lætitia cunctæ ciuitatis me unum tristem esse oportebat? quanq; de morte P. Clodij fuit quæstio non satis prudenter illa quidẽ cõstituta. quid enim attinebat noua lege quæri de eo, qui hominẽ occidisset: cum esset legibus quæstio cõstituta? quæsitũ est tamen. † quid ergo? D tum cum res agebatur: nemo in me dixit: & tot annis post tu es inuentus, qui diceres? *al. Quod ergo cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis*

P. Clodiũ.] Criminatio Antonij, de Clodij nece. causa nota est, ex oratione pro Milone. *Quidnam homines.*] Resilit ex maiori, & simul Antoniũ eodem crimine accusat. *Gladio stricto.*] Nudo, uagina uacuo, tunc enim gladiũ stringimus, cum è uagina eripuimus. *Tabernæ librariæ.*] Vbi & scribuntur, & uenales prostant libri. hinc librarij, qui libros describunt, qui etiã scribæ nominantur. *Negotiumq; transegisses.*] Illũ occidisses, rem confecisses. Huius etiã facti meminit Cicero pro Milone: Nuper, inquit, cum M. Antonius summã spem salutis nobis omnibus attulisset, grauissimamq; adolescens nobilissimus Reip. partẽ fortissimè suscepisset, atq; illam belluam iudicij laqueos declinantẽ, iam irretitã teneret, qui locus, quod tempus dij immortales fuit, cum se ille fugiens, in scalarũ tenebris abdidisset? *Oppilatis.*] Scalis occlusis, & obfirmatis. Lucretius lib. 6. de Nili incremento loquens, hoc uerbum usurpauit: & quidẽ solus inter omnes ueteres autores quod sciam: Est quoq; uti possit magnus congestus arenæ Fluctibus aduersis oppilare ostia contra. Non pessime igitur medici eo utuntur, cum uias, & quasi hostia iocinoris oppilata dicũt.

Sed quid?] Sequens argumentatio ita conficitur: si tibi cum fauerẽ non suasi: nec suasi Miloni, cui fauere nõ potui.

Sed quid.] Hæc formula, adfert quandam orationi uehementiam, quemadmodum & illa: Quid ergo, & id genus.

A *Prius enim.] Ratio cur Miloni fauere non potuerit, à tempore sumpta. priùs occidit, quàm ego id potuerim suspicari. ergo fauere non potui. At ego suasi.] Ironia, quasi diceret, nihil magis absurdũ dici potest, quàm opus fuisse Miloni suasore, ut aliquid efficeret ad Reip. utilitatẽ, quale fuit Clodium perniciosum ciuem tollere, cum ipse arderet studio iuuandæ Reip. Id Cicero multis rationibus probare nititur, in Miloniana. Pendet autem argumentũ, ex ui uerbi, suadere. suademus enim ei qui sponte sua non sit ad aliquid suscipiendum animatus. At lætatus sum.] Id obijciebat Antonius, ut ex eo signo, uoluntatem atq; animum eius ea de cæde argueret: id nõ negat Cicero: sed ita defendit, ut id signum cõmune totius ciuitatis fuisse dicat: non se igitur ex eo magis posse reprehendi, quàm alios. In quo etiam subest ueris ratio, quod scilicet, iure lætatus sit, malum ciuem iure sublatum esse, id quod sequentibus declaratur. Quanquam de morte.] Clodianũ iudiciũ improbat, ut iure Clodium cæsum arguat. Ergo defensio est, ex qualitate. Quæstio.]. Iudicium. Forma enim quærendi de eo qui hominem occidisset, à Pompeio qui tum erat creatus consul, noua lege constituta fuerat: cum tamen leges essent ueteres quibus liceret cõmode quæri. Leges erant à Pompeio latæ duæ ut Ascon. Ped. scribit, altera de ui qua nominatim cædes in Appia uia facta, & alia nonnulla continebantur: altera de ambitu, de quo postulatus etiam fuit Milo. his legibus pœna grauior, & forma iudiciorum breuior cõstituebatur. Vtraq; enim lex prius testes dari, deinde uno die, atq; eodẽ & ab accusatore & ab reo perorari iubebat: ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. In altera harum legum id quoq; scriptum erat, ut Quæsitor suffragio populi ex ijs qui consules fuerant, crearetur: adeo ut seuerius in Milonem tunc quæsitum fuerit, quàm esset in alium quenquam. Hoc queritur Cicero, & penè uim Miloni factam, illa iudicij mutatione dolet. Tu cum res.] Ex maiore: si tum cum recens ea causa ageretur, & diligentius omnia inquirerentur, nemo tamen mihi uel leuissimam suspicionem obiecit: multo minus nunc uetustate penè memoria eius rei deleta, mihi quicquã obijci potest. Est etiam à testium remotione, ut supra alio simili loco indicauimus.*

Quod uero dicere ausus es, idq; multis uerbis: opera mea Pompeium à Cæsaris amicitia esse disiunctũ: ob eamq; causam mea culpa ciuile bellum esse natum: in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti. Ego M. Bibulo præstantissimo ciue Consule, nihil prætermisi quantum facere, enitiq; potui: quin Pompeium à Cæsaris coniunctione auocarem: in quo Cæsar fuit felicior. ipse enim Pompeium à mea familiaritate disiunxit. Postea uerò quàm se totum Pompeius Cæsari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare: suadere impudentis. duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea uelim reprehẽdas si potes. unum, ne quinquennij imperium Cæsari prorogaretur:
C alterum ne pateretur fieri, ut absentis eius ratio haberetur: quorũ si utrumuis persuasissem, in has miserias nunquã incidissemus. Atq; idem ego cum iam omnes opes suas & Reip. Pompeius ad Cæsarem detulisset: seroq; eadem sentire cœpisset, quæ ego ante multo prouideram: inferriq; patriæ bellum nefariũ uiderem: pacis, concordiæ, compositionis author esse non destiti: meaq; illa uox est nota multis: Vtinam Cn. Pompei cum C. Cæsare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses. fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea M. Antoni semper & de Pompeio & de Repub. consilia fuerunt. quæ si ualuissent, Resp. staret: tu tuis flagitijs, egestate, infamia, concidisses.

Quod uero dicere ausus es.] Aliud crimẽ, ciuile bellum inter Cæsarem & Pompeium, culpa Ciceronis esse natum. idcirco resilit à tempore, se integra re conatum quidem fuisse Pompeium abstrahere à Cæsare, quod obtinere non potuit: post nihil tentasse, quod uideret id se frustra esse facturum. ubi autem ex amicis inimicos sua sponte factos cerneret,
D *autorem semper pacis, concordiæq; fuisse: utrunq; autem propter Reip. salutem fecisse: quorum si alterutrum ualuisset, Remp. saluam fore. hoc autẽ ex historia pendet, & pertinet ad politiam ciuilemq; statum. Temporibus errasti.] Tentaui equidem quod dicis, uerum non eo tempore quo tu putas: tuo tempore nocuisset, eo quo ego id tentaui profuisset, si obtinere potuissem. Ego M. Bibulo.] Rem ipsam dilucide exponit. Fuit autem Bibulus Cæsaris in consulatu collega: in quo sic impotenter Cæsar se gessit, ut uenire Bibulum in senatum prohibuerit, & cõmunem magistratum penè solus administrauerit. Quamobrem quidam homines faceti, suppresso Bibuli nomine, ex unico Cæsaris nomine duo faciebant: scribebantq; Caius & Cæsar consules. Hinc quoq; duo illi uersiculi iactati: Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare gestum est: Nam Bibulo fieri consule, nil memini. Tunc concordia & societas quædam inita inter Cæsarem, Pompeium, & Crassum: atq; ita horum trium arbitrio, omnia gerebantur: id quod Lucanus illo uersu significauit: Tu causa malorum Facta tribus dominis communis, Roma.*

In quo Cæsar fuit felicior.] Ego quod uolebam, efficere non potui: Cæsar uoti compos factus est. Atq; ita Cæsar Ciceroni par pari, ut dicitur, retulit, quod eum remorderet. Postea quam uero se totum Pom. Cæs. tr.] Iuliam enim Cæsaris filiam duxit: qua affinitate inter ipsos amicitia firmata est. ea uero mortua, ad simultates rediere.

Stulti erat sperare.] Distributione causam subiungit, cur non sit conatus Pompeium à Cæsare disiungere. causæ fuerunt duæ, altera quod fieri non poterat: altera quod non erat tale aliquid tentandum. At conari quod fieri non potest, dementis est: quod iniquum uideatur, impudentis. Recte enim Sallustius in Iugurtini proœmio: Frustra autem niti, inquit, nihil aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est.

Duo tamē tempora.] *Tēpora uocat negocia & res quæ tēporibus fiunt et occasiones rerū gerendarū, id quod res ipsæ quas subijcit declarant. Sic etiam de Off. lib. 1. Sed incidunt sæpe tempora, cum ea quæ maxime uidētur digna esse iusto homine, eoq; quem uirum bonum dicimus, cōmutantur fiuntq; contraria, &c. Profitetur aūt conatū suū in impediendis crescentibus opibus Cæsaris, quibus ille ad tyrannidem prouehebatur: sed hoc negat reprehendi posse, quod pro rep. fieret.* A *Vnum ne quinquennij imper.*] *Cæsar Galliam utramq;, & togatam scilicet & comatā, Illyrico quoq; adiecto lege Vatinia obtinuit in quinquenniū: deinde effecit Crasso Pompeioq; adiuuantibus, ut in alterū quoq; quinquennium lege Trebonia sibi imperiū prorogaretur: cui legi cum intercederet Cato, à Trebonio trib. plebis ipsius legis autore, in uincula ductus est.* *Ne pateretur fieri ut absentis.*] *Id est, ne proximis comitijs petitio consulatus absenti Cæsari, tanquā præsenti permitteretur. Obtinuit tamē per tribunos plebis Cæsar, ut de eo ad populum ferretur: qui iussit eius absentis rationē proximis comitijs haberi, inuitis & cōtradicētibus tum alijs, tū maxime Cicerone: cuius hæ sunt ad Atticum Epist. libro 8. de Pompeio querelæ: Nihil actum est à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter: adde etiam, nisi contra consiliū, autoritatemq; meam. Omitto illa uetera, quòd istum in rempub. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per uim & cōtra auspicia ferendis autor, ille Galliæ ulterioris adiunctor, ille gener, ille in adoptādo P. Clodio augur, ille restituendi mei, q̃ retinendi studiosior, ille prouinciæ propagator, ille absentis in omnibus adiutor: idem etiā tertio consulatu, postquā esse defensor reipub. cœpit, contendit ut decem tribuni pleb. ferrent, ut absentis ratio haberetur. quod quidem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoq; Marcello Cos. finienti prouincias Gallias Cal. Martij, restitit. De hac quoq; re uide* B *Cæsaris Comment. lib. 8. De bello Gall. & primū De bello ciuili, & Plutarchum in Pompeio.* *Atq; idem.*] *Persequitur narrationē, seruato temporum ordine.* *Opes reip.*] *Nam & duas legiones Pompeius Cæsari ad bellū Gallicum concessit, autore Plutarcho in Pompeij uita.* *Seroq; ea sentire cœpisset.*] *Pompeius scilicet. Sero sapiunt Phryges.* *Prouiderā.*] *Hanc Ciceronis prouisionem testantur loci penè innumerabiles in Epistolis ad Atticum.*

Meaq; illa uox.] *Hoc testimonij loco profert.* *Vtinā Cn. Pompei cum Cæsare societatē aut nunq̃ coisses.*] *Coire societatem, inire societatē, facere societatem, conflare societatē, contrahere societatem, sic sæpe Cicero, sic Iurisconsulti loquuntur: ut in Pandect. Pro socio. & Institut. lib. 3. De societate.* *Fuit alterum.*] *Distributio altera. nā prudentiæ fuisset & animi longe futura prouidentis, non coire societatē: grauitatis uero & constantiæ semel initā societatē & amicitiā non dirimere, sed eam tueri & conseruare.* *Hæc mea M. Antoni.*] *Epilogus narrationis huius, & loci à commiseratione.* *Te tuis flagitijs.*] *Amplificatio ex antithesi, qua Antonium ledit ab euentis, quæ sua consilia si sequuta essent, respublica staret, Antonius concidisset.*

Sed hæc uetera: illud uero recens, Cæsarem meo consilio interfectum. Iam uereor
P. C. ne, quod turpissimum est, præuaricatorem mihi apposuisse uideat: qui me non
solum meis laudibus ornaret, sed etiam honoraret alienis. Quis enim meum in istius C
†societate gloriosissimi facti nomen audiuit? cuius autem, qui in eo numero fuisset, *al. conscientis*
nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non statim diuulgatum? citius dixerim iactasse se aliquos: ut fuisse in ista societate uiderentur, qui socij non fuissent: quàm ut quisquam celare uellet. Quàm uerisimile porrò est in tot hominibus partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? etenim si autores ad liberandam patriam desiderarentur, †illis autoribus Brutos ego im- *al. ullis*
pellerem? quorum uterque Iunij Bruti imaginem quotidie uideret, alter etiam Halæ. His igitur maioribus orti, ab alienis potius consilium peterent, quàm à suis? & foris
potius, quàm † domi? Quid? C. Cassius in ea familia natus, quæ non modo domina- *al. domo*
tum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me autorem, credo, desiderauit? qui etiam sine his clarissimis uiris, hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni
confecisset: si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam † nauim appli- *al. nauis*
cuisset. Cn. Domitium non patris interitus clarissimi uiri, non auunculi mors, nō spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea autoritas excitauit? An C. Tre-
bonio persuasi? cui ne suadere quidem ausus essem? quo etiam maiorem ei respublicæ D
gratiam debet: qui libertatem populi Romani, unius amicitiæ præposuit: depulsorq; dominatus, quàm particeps esse maluit. An L. Tullius Cimber me est autorem sequutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quàm facturum putaui. Admiratus sum aūt ob eam causam, quod immemor beneficiorū, memor patriæ fuisset. Quid duos Seruilios, Cascas dicam, an Halas? & hos autoritate mea censetis excitatos potius, quàm charitate reipublicæ? longum est persequi cæteros: idq; reipublicæ præclarū fuisse tam multos: tum multo ipsis gloriosius est.

Sed hæc uetera.] *Transitio cum distributione, qua dociles atque intelligentes facit.* *Cæsarem meo consilio interfectum.*] *Aliud crimen recentius. Hoc primum refellit coniectura: deinde qualitatem facti (iure nempe Cæsarem ut tyrannum interfectum) defendit, ea prorsus ratione, qua paulo ante de Clodij cæde egit.* *Præuaricatorē mihi.*] *Præuaricator is dicebatur, qui cum aduersario colludebat, causamq; simulatè agere uidebatur, corruptus nimirum à contraria parte. Cui contrarius est uerus accusator. In hanc ferè sententiam interpretatur Vlpianus in Pandectis De rerum*

A & uerborum significationibus, lege ducentesima duodecima. Præuaricatores, inquit, eos appellamus, qui causam aduersarijs suis donant: & ex parte actoris in partem rei concedunt: à uaricando enim præuaricatores dicti sunt. Præuaricationis nomen (inquit Cicero in Partitionibus oratorijs) significat eum, qui in contrarijs causis, quasi uarie esse positus uideatur. Hoc idcirco dicit Cicero, quia quum Antonius uituperandum Ciceronem susceperit, ea afferat, quæ ille sibi laudi ducit. Quis enim.] A testimonijs resilit, idq; uehementer. Occultatum dico.] Correctio, quæ tollit id quod dictum est, & pro eo id reponit, quod magis idoneum uideatur. In hac uero correctione inest etiam incrementum siue amplificatio uerborum. Non occultatum, diuulgatum, iactatum. Latet autem in his ratiocinatio in hunc modum ex secunda dialecticorum figura. Omnium coniuratorum nomina fuerunt diuulgata. Meum nomen non fuit diuulgatum, igitur non fui inter coniuratos. Quàm uerisimile.] Probat quod protulit à minori. Obscuri non latuerunt, ergo multo minus ego latere potuissem. Etenim si autores.] Enumeratione ostendit singulos coniuratos alia habuisse consilia, alios impulsores ad Cæsarem occidendum: ut ex his appareat, nihil sua hortatione aut impulsione opus fuisse. si suasoribus siue autoribus opus fuisset, meliores habuerunt quàm ego essem, nempe Iunium Brutum illum qui Tarquinios reges exegit, & filios proprios interemit, regnum affectantes, & Halam Seruilium, qui Spurium Melium regnum pariter affectantem interfecit. Illis autoribus.] Illis maioribus, ut paulo post. Iunio Bruto scilicet, atq; Hala Seruilio. Aut legendum est ullis autoribus, quasi diceret nullis autoribus impellendos, qui domi autores habeant.

B Quorum uterque.] Marcus & Decius cognomento Albinus, qui ambo à uetere illo Iunio Bruto orti essent.

Iunij Bruti imaginem.] Quæ non modo domi ipsorum erat, sed etiam in Capitolio, ubi ex ære reposita fuerat.

Alter etiam Hala.] Alter, scilicet Marcus Brutus, qui maternum genus ex illustri Halæ Seruilij familia ducebat. Matri enim eius, Seruiliæ nomen fuit. Hala uero, ut diximus, Spurium Melium ob dominatus suspicionem priuatus interfecerat. Imaginibus autem illustrium uirorum, homines ad uirtutem accendi, docet Sallustius in proœmio Iugurtini belli his uerbis: Nam sæpe audiui ego Quintum Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis nostræ præclaros uiros solitos ita dicere: Cum maiorum imagines intuerentur, uehementissime animum sibi ad uirtutem accendi: scilicet non ceram illam, neque figuram tantam uim in se habere, sed memoria rerum gestarum, eam flammam egregijs uiris in pectore crescere: neq; prius sedari, quàm uirtus eorũ famam atq; gloriam adæquauerit. His igitur maioribus orti.] Conclusio argumenti. Qui domi habent autores, alienis non egent: Bruti maiores suos autores liberandæ patriæ habuerunt, nihil igitur opus alienis. Quid?] Transit ad Cassiũ, & excitat ea uoce auditores. C. Cassius in ea familia natus.] Erat Cassio (inquit Plutarchus in Bruto) naturalis quædam impatientia atq; difficultas, ad omne tyrannorum genus, sicuti cum adhuc puer esset ostendit: cum ad eundem præceptorem cum Fausto filio Syllæ iret. Nam cum inter pueros se efferret, & patris sui principatum laudaret, ei Cassius colaphos inflixit. Præterea ab illo Cassio prætore seuerissimo oriun

C dus, cuius dictum illud celebre in criminibus erat, cui bono fuit: quod infra citabit Cicero. Ex his intelligi puto cur sic de Cassio Cicero in hoc loco dicat. Me autorem, credo.] Ironia, in qua negatio intelligitur. Qui etiam sine his.] Sine Brutis, sine Brutorum exemplo, & suasione. Hanc rem.] Cæsaris cædem & interitum.

In Ciliciam.] Scilicet profectus. uel in Ciliciam, Cæsare nauigante. Ad ostium fluminis Cydni.] Quo putabat appulsurum Cæsarem bello ciuili Pompeiano, cum Cæsar in Aegyptum proficisceretur. Cydnus autem fluuius est, qui Tarsum Ciliciæ urbem in Asia minore clarissimam interfecat, ut geographi tradunt. Patris interitus.] L. Domitij qui in Pharsalica clade Pompeium affinem sequutus occubuit. Non auunculi.] Cn. Pompeij, ex cuius sorore natus erat. Non spoliatio dignit.] Nam eũ Cæsar nullo in rep. honore fungi passus fuerat. enumeratione hac causarum, & quasi frequentatione non modo probat, sed etiam mouet. Cui ne suadere quidem ausus essem.] Quòd esset ex amicis Cæsaris. Ex minore. minus est enim suadere quàm persuadere. Suadere enim est hortari, monere: persuadere uero, inducere, & omnino in suam trahere sententiam. Qui libertatem pop. Ro.] Locus communis. Vnius amicitiæ, salutem reip. esse anteferendam. Chari sunt parẽtes (ut Cicero de Off. dicit) chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Idcirco (ut idem de Amicitia ait) turpis excusatio est, & minime accipienda, cum in cæteris peccatis, tum si quis contra

D remp. se amici causa fecisse fateatur. Longum est persequi.] διελθεῖν, id est enumerare. abrumpit autem coniuratorum enumerationem, quòd ex ijs quos recensuit, de cæteris existimari posset. Idq; reipublicæ præclarum.] Concludit ab honesto. Quo plures sunt in libera ciuitate qui tyrannicidæ esse uelint, & sint, eo tũ ciuitati honestius, tum ipsis gloriosius est, qui tantum discrimen pro republica adire non uerentur.

At quemadmodũ me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæsare interfecto, inquit, statim cruentũ alte extollẽs M. Brutus pugionẽ, Ciceronẽ nominatim exclamauit: atq; ei recuperatã libertatẽ est gratulatus. Cur mihi potissimũ? † qui sciebã? Vide ne illa causa fuerit appellandi me, ꝙ cũ rẽ gessisset cõsimilẽ rebus ijs quas ipse gesserã, me potissimũ testatus est, se æmulum mearũ laudũ extitisse. Tu aũt omniũ stultissime nõ intelligis, si id quod me arguis, uoluisse interfici Cæsarẽ, crimẽ sit: etiam lætatũ esse morte Cæsaris, crimen esse. Quid enim interest inter suasorẽ facti, & probatorem? aut quid refert, utrum uoluerim fieri, an gaudeam factũ? ecquis est igitur, te excepto, qui illum regnare gaudebas, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? omnes enim in culpa. etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt. alijs consilium, alijs animus, alijs occasio defuit: uoluntas nemini.

al. quòd

At quemadmodum

At quemadmodum.] *Diluit Antonij coniecturam, & requirit eius causam: unam autem ipse affert ex dicti Bruti in* A
terpretatione atq; sententia. *Homo acutus.*] *Ironia. Stupidus, hebes, plumbeus.* *Cæsare interfecto.*] *Re-*
fert uerba aduersarij, cum quadam elusione, quòd ea coniectura perquam infirma sit & friuola. *Cur mihi.*]
Respondet orator, & causam requirit, cur Brutus ei potißimum esset gratulatus. *Qui sciebam.*] *Quomodo id*
noram? negat se resciuisse de nece Cæsaris consilium, quod etiam Plutarchus scribit. Non fuisse autem Ciceronem eius con
scium, perspicuum est uel ex duabus ad C. Caßium epistolis libro duodecimo Famil. quarum altera incipit: Auget tuus a-
micus furorem. altera ea est quæ hanc sequitur. *Vide ne illa.*] *Soluit ab interpretatione, ex statu ambigui scripti*
siue dicti (intelligitur enim & dictum, in eo statu) & sententiæ. secus enim atq; Antonius Bruti dictum interpretatur.
Quas ipse gesseram.] *Oppresso Catilina & alijs eiusdem consilij contra rempublicam socijs.* *Tu autē.*]
Ingreditur partem alteram responsionis, qua iure interfectum Cæsarem cōfirmat, ac proinde iure quoq; se lætatum esse.
Idq; probat à totius ciuitatis, & præsertim bonorum iudicio. *Si id quod arguis.*] *A pari. æque enim crimen est,*
& uelle hominem iniuria interfici, & eius nece lætari. nam hoc signum est uoluntatis. Voluntatem enim in criminibus
iurisconsulti puniunt, habentq; pro facto, ut testatur Martianus ad legem Corneliam de sicarijs. *Inter suasorem*
facti.] *Tempore fortaßis differre poßunt, quòd suasor ante factum, probator post factum esse uideatur. Hæc autem dicit*
ut probet crimen non fuisse lætari: quoniam occidere Cæsarem crimen non fuit, & contrà. *Ecquis est igitur.*]
Omnium bonorum iudicio iure interfectum probat, & ad absurdum inducit hoc modo: Quicunq; uoluerunt Cæsarem in
terfici, sunt in culpa. omnes autem boni id uoluerunt, omnes igitur in culpa. At id dicere, non modo absurdum, sed seditio
sum. ergo non sunt in culpa. iure enim tyrannum sublatum è medio uoluerunt, id quod in sequentib. pluribus explicabit. B
Quantum in ipsis fuit.] *Voluntatem nimirum quæ in ipsis & in eorum fuit potestate: facultas uero sola de-*
fuit, ut ostendit.

Sed stuporē hominis, uel dicam pecudis, attendite. sic enim dixit. M. Brutus, quem
ego honoris causa nomino: cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit: ex
quo intelligi debet eum conscium fuisse. Ergo ego sceleratus appellor à te: quem tu su
spicatum aliquid suspicaris? ille, qui stillantem præ se pugionem tulit: is à te honoris
causa nominatur? esto, sit in uerbis tuis hic stupor: quanto in rebus sententijsq; maior?
constitue hoc consul aliquando: Brutorum, C. Caßii, Cn. Domitij, C. Trebonij, reli-
quorum, quam uelis causam esse: edormi crapulam, inquam, & exhala. An faces admo
uendæ sunt, quæ te excitent tantæ causæ indormientem? nunquam ne intelligis statu-
endum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidij rei sint, an uindices liber
tatis? Attende enim paulisper, cogitationemq; sobrij hominis ad punctum temporis C
suscipe. Etenim ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris: ut à te arguor, socius:
nego quicquam esse medium. confiteor eos, nisi liberatores populi Romani, conserua
toresq; reipublicæ sint: plusquam sicarios, plusquam homicidas, plus etiam quàm par-
ricidas esse. siquidem est atrocius patriæ parentem, quàm suum occidere. Tu homo sa-
piens & considerate quid dicis? Si parricidæ, cur honoris causa à te sunt & in hoc ordi
ne, et apud populum Romanum semper appellati? cur M. Brutus te referente, legibus
est solutus, si ab urbe plusquam decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili
M. Bruti honore celebrati? cur prouinciæ Caßio & Bruto datæ? cur quæstores additi?
cur legatorum numerus † additus? Atque hæc acta per te. non igitur homicidæ. Se- *al. auctus*
quitur ut liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse.

Sed stuporem.] [illegible]. *pergit defendere facti qualitatem, & simul Antonium pugnantia dicere osten-*
dit. *Vel dicam pecudis.*] *Vel potius pecudis, id est rationis expertis. Correctio.* *Sic enim dixit.*] *Repe* D
tit Antonij uerba, ut ex eis pugnantia colligat. *Ciceronem exclamauit.*] *Suprà: Ciceronem nominatim excla-*
mauit, id est clamans, uel magna uoce nominauit. *Ex quo intelligi*] *Criminose colligit Antonius, & falso.*
Ergo ego.] *Hic Cicero colligit enthymemate repugnantia ex Antonij uerbis hoc modo: Me accusas, quòd conscius*
fuerim, Brutum laudas quòd occiderit. atqui, si crimen est conscium fuisse, & fecisse crimen sit necesse est.
Quem suspicatum aliquid suspicaris.] *Hoc est suspicatum, non certis indicijs & argumentis, sed tua tantum suspi-*
cione colligis. *Stillantem.*] *Cruentum, ut antea dixit, cruore manantem. Hoc uerbo Cicero tantum hoc loco usus*
reperitur, à stilla, quæ fluens gutta est. *Esto.*] *Concessio amara, & ad hominis contemptum spectans.*
Sit in uerbis.] *Verborum pugnantiam ostendit, iam rerum & sententiarum profert, ex qua euincit interfectores*
Cæsaris non parricidas, sed patriæ liberatores esse, uel ipsius Antonij testimonio. Argumentationem acriter tractat, cum
increpatione, qua stoliditatem hominis exagitat. *Constitue hoc.*] *Argumentationem ex disiunctione conficere*
uult. Idcirco primo constituit propositionem cum approbatione, deinde assumptionem, quam pariter confirmat, postea
concludit. Sed inspiciamus nudam ratiocinationem. Qui Cæsarem interfecerunt, aut parricidæ sunt, aut liberatores pa-
triæ: non sunt autem parricidæ, liberatores igitur. *Edormi crapulam.*] *Increpat hominem & insultat, eiq; ex-*
probrat ebrietatem. Edormi, inquit, id est concoque, & expurga. Simile est Terentianum illud in Adelphis: Ibo in angu-
lum, ibi interea edormiscam hoc uilli. Crapulam uero κραιπάλην *dicunt Græci.* *An faces.*] *Solent faces to-*

co in

A co in cubiculum afferri eis, qui post solem exortum diutius dormiunt, ut illatis de improuiso flammis excitentur eosq; pudeat segniciei. Solent etiam attoniti, stupidi, ueternosi, ac lethargici, igni adhibito excitari. Tantæ causæ indormientem.] Id est in tanta causa. Vindices libertatis.] Liberatores, recuperatores libertatis. Attende enim.] Excitat quasi dormientem aut ebrium. Ad punctum temporis.] Momento temporis, paulisper. Temporis est minima pars momentum, & punctum in geometria, quod magnitudine prorsus caret, ἄτομον, indiuiduum.

Etenim ego.] Propositionem argumenti format. Aut sicarij sunt qui Cæsarem interfecerunt, aut uindices libertatis.

Nego quicquam esse medium.] Nam in disiunctione (ut Cicero dicit in Topicis) plus uno uerum esse non potest.

Plusquam sicarios.] Amplificatio à Cæsaris interfecti persona. Siquidem est atrocius.] Si patriæ charitas omnibus anteponenda est, ergo patriæ parentem necare, atrocius est crimen, quàm suum. nam qui parentem suum occidit, cum tantum lędit quem occidit: sed qui patriæ parentem principem necat, omnes ciues iniuria afficit. grauius autem est omnes quàm unum iniuria afficere, ergo grauius est parentem patriæ occidere quàm suum. Ex eo loco plura mala atrociora sunt, quàm unum, ut Aristoteles in Topicis docet. Tu homo.] Assumptio. Sunt autem liberatores, id quod uel ipsius Antonij testimonio confirmat. Si parricidæ.] A præmijs quibus ab Antonio ornati sunt, probat interfectores Cæsaris non esse parricidas. Legibus est solutus.] Liberatus, quod inepti dicunt dispensatus.

Plusquam decem dies.] Prætori urbano plusquam decem dies ab urbe abesse non licebat. erat autem M. Brutus præ-
B tor. Cur ludi.] De quibus superiore oratione dictum est. Cur prouinciæ.] M. Bruto Gallia Padana, alteri Creta, Cassio Libya, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia. Cur quæstores additi?] Quæstorum fuere uaria genera, Vrbani, Prouinciales, Castrenses. Cum imperatoribus populi Romani mittebantur, id est cum consulibus, proconsulibus, & prætoribus, (hi enim omnes imperatores uocabantur) ad administrandam rem pecuniariam, prædamq; ac manubias in rationes publicas referendas, ut uidere apud Liuium multis in locis licet. Pro his habemus hodie quos Thesaurarios uocant, Veneti etiam Prouisores, gli Proueditori. Titulus est in Pandectis, De officio quæstoris libro primo: de quo etiam Fenestella. Cur legatorum numerus additus?] Auctus legunt alij, quod mihi nō displicet. nam uix solet Cicero eodem uerbo continenter hoc modo uti. nec referre puto, etiam si legatorum numerus non auctus, sed consuetus datus sit. significare tantum uoluit Cicero, Brutum & Cassium legatis de more ornatos fuisse. Mos autem erat ut imperatoribus decem legati darentur, quibus legiones & auxilia uniuersa obtemperarent, quiq; iurisdictionem sibi ab imperatore mandatam obtrent. Vices enim sui imperatoris gerebant. Hinc uulgo hodie huiusmodi legatum Locumtenentem uocant. De his Digestorum libro primo, De officio proconsulis & legati. & apud Liuium & Vegetium. Aliud est genus legatorum, qui ad reges & ciuitates mittuntur cum mandatis, quos etiam Oratores nominamus, de quibus Cicero in Philippica duodecima. Atq; hæc acta per te.] Te referente, te autore. Non igitur homicidæ.] Id est homicidij rei, ut paulo ante. Hæc est aperta & breuis assumptio. Sequitur ut liberatores.] Conclusio ex repugnantibus.

C Tuo iudicio.] Qui præmijs non pœnis dignos iudicasti. Tertium.] Medium, ut paulo ante: Nego quicquam esse medium.

Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. sed tamen hæc est summa conclusionis meę: quoniam scelere à te liberati sunt: ab eodē te amplissimis præmijs dignissimi iudicati sunt. Itaq; iam retexo orationem meam, scribam ad illos: ut si qui forte, quod à te mihi obiectum est, quærent sit ne uerum? ne cui negent. Etenim uereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestum: aut inuitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quæ enim res unquam, prò sancte Iupiter, non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quæ gloriosior? quę commendatior erit hominum memoriæ sempiternæ? In huius me consilij societatem, tanquam in equum Troianum includi cum principibus non recuso. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut inuidiam istam, quam tu in me uis concita-
D re, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos à te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari, atque appetere uideatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos aspexerint, nō maximum cœpisse uitæ fructum putent? Quæ uero tam immemor posteritas? quæ tam ingratæ literæ reperientur? quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu uero adscribe me talem in numerum.

Quid est?] Excitat Antonium, ut conturbet & illudat. Num conturbo te?] Copia hac scilicet, et argumentationibus. Quæ distinctius dicuntur.] Artificiosius, limatius, & acutius disseruntur. Ita Antonium stuporis arguit, quasi quæ arte limantur, minus intelligat. Sed tamen.] Enthymemate colligit argumentationis summam. Vocatur autem ab oratoribus Conclusio, referturq; inter ornamenta rhetorica. Ad Herennium libro quarto. De Oratore libro tertio. Itaq; iam retexo.] Dissoluo, corrigo, immuto, quod Græce dicitur ἀναλύω, & quod prouerbio dici solet, Palinodiam cano. translatum est à textoribus. Ait autem gloriandum esse, & prædicandum, & præ se ferendum, quod sibi obiectum est ab Antonio de Cæsaris cæde: nec se iam negare, sed palam confiteri. In quo est species ironiæ, audacius ex causæ fiducia concedentis. Quintilianus libro octauo & nono duas facit ironiæ species, inter tropos alterā, alterā inter schemata. hæc inter schemata est. Ad illos.] Brutos et Cassiū, tyrānoctonos, ut Cicero eos nominat.

Etenim uereor.] Causæ pro tempore commode excogitatæ. Ne aut celatum.] Dilemma. Id est illos mihi celasse coniurationem. Coniurationis enim in Cæsarem expers fuit Marcus Tullius, quanquam coniuratorum amicissimus, & reipublicæ amantissimus, quod, ut historici prodiderunt, esset natura meticulosior, & ingrauescentis ætatis, in qua robustissimis etiam uiris solent animi deferuescere. Quæ enim res.] Delabitur ad amplificationem facti. Est autem hæc amplificatio obseruanda studiosis eloquentiæ, propter eius & artificium & elegantiam. Amplificat enim primum, ex re ipsa, deinde ab autorum persona: hanc rursum à locorum & regionum attributis, ab hominibus qui eos uiderint, à posteritatis memoria, & à literarum monumentis quibus gloria eorum celebrabitur. Quæ enim res?] A rei magnitudine & honestate. Prô sancte Iupiter.] Exclamatio cum admiratione ad rem attollendam accommodata. A

Consilij.] Coniurationis interfecti tyranni. Tanquam in equum.] Venusta & illustris comparatio, ad rei amplificationem inserta. Nota est fabula ex Homeri Iliade, ex quo Maro noster sic Aeneidos secundo canit:

Fracti bello, fatisq; repulsi
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant: sectaq; intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant: ea fama uagatur.
Huc delecta uirûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusq; cauernas B
Ingentes, uterumq; armato milite complent.

Plinius libro septimo Naturalis historiæ, existimat equum Troianum fuisse machinā muralem, id est ad muros deijciendos factam, qui & aries appellatur, cuius inuentorem Epeum facit. nam & Vergilius Aeneid. secundo ait, Et doli fabricator Epeus. Cicero etiam hoc adagio alia paulo ratione utitur De oratore lib. secundo, cum Isocratis è ludo, tanquam ex equo Troiano, innumeros principes exisse dicit. Includere autem cum in præpositione & cum accusatiuo, & cum ablatiuo iungitur. Infra oratione tertia, Armatos in cella Cōcordiæ inclusit Antonius. Cum principibus.] Tanquam cum delectis ducibus Græcorum, sic cum Bruto & alijs huius & consilij & facti autoribus. Ego etiam gratias.] Et hæc ironia amplificat. Quid enim beatius illis.] Amplificat a personis & commutatione uerborum, frequentat eandem sententiam. Hæc expolitio efficitur ex adiunctis. Qui locus.] A locorum fortuitis attributis, in quo illud uenustum est, & penè poeticum, quod locis sensum attribuit. Talis est amplificatio in oratione pro Archia. Saxa, inquit, & solitudines uoci respondent, &c. Qui homines.] A persona eorum qui eos aspexerint. Quæ uero.] A posteritatis memoria, & à literarum monumentis, & historijs quibus gloriosum hoc factum commendabitur.

Ingratæ literæ.] Hoc dicit quoniam hoc exemplum utile futurum sit posteritati. qui autem id non magni fecerint, ij ingrati atque immemores sint. Et talis amplificatio legitur etiam pro Marcello. Tu uero ascribe me.] Concessio acerba, annumera, adiunge. Dicimus ascribo te huic rei, in hanc rem, ad hanc rem, & ascribo in hac re. C

Sed unam rem uereor ne non probes. si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de republica sustulissem: & si meus stylus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quanquā si interfici Cæsarem uoluisse crimen est: uide quæso Antoni quid tibi futurum sit: quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est: & ob eius cōsilij societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio uidimus seuocari. Ego autem uide quàm tecum agam non inimice: quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non fecisti, ignosco: uirum res illa quærebat. Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetq; illud Cassianum, cui bono fuerit: uide quæso ne hæreas. Quanquam quidem illud fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui uni seruire nolebāt: tibi tamen præcipue, qui non modo non seruis, sed etiam regnas: qui maximo te ære ad ædem Opis liberasti, qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipauisti: ad quem è domo Cæsaris tam multa delata sunt, cuius domus quæstuosissima est falsorum commentariorum, & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, uectigalium flagitiosissimæ nundinæ. Etenim quæ res egestati, & æri alieno tuo præter mortem Cæsaris subuenire potuisset? Nescio quid conturbatus mihi esse uideris. nunquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere uideatur? liberabo te metu: nemo credet unquam: non est tuum de republica benè mereri: habet istius pulcherrimi facti clarissimos uiros respublica autores: ego te tantum gaudere dico, fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus, nunc etiam reliquis respondendum est. D

Sed unam rem.] Hoc dicit in Antonium quem significat unà cum Cæsare tollendum fuisse. Non solum regē, sed regnum etiam.] Id est, non Cæsarem solum, sed te quoq; & alios qui regnum, hoc est tyrannidem in libera ciuitate amitis. In Epistolis ad Atticum: Sublato, inquit, tyranno, tyrannidem manere uideo. Item ad C. Cassium Famil. libro decimo: Vellem, inquit, Idibus Martijs me ad cœnam inuitasses, profecto reliquiarum nihil fuisset: nunc me reliquiæ uestræ exercent. Intelligitur Antonius, & Lepidus, & Dolabella, & alij quidam. Stylus.] Allegoria rem obscurat. Alludit

autem

A *autem ad Bruti pugionem quo interfectus fuit Cæsar. Translatio sumpta est à fabularum & comœdiarum autoribus, quorum stylo & calamo fabula tota conficitur.* Actum.] *Comœdia quinq; actus continet.* Sed totam fabulam.] *Extremum actum, hoc est te quoq; interfecissem.* Quanquam si interfici.] *Transfert grauiorem suspicionem in Antonium, ut eius frangat petulantiam in alijs criminandis.* Narbone.] *Est in prouincia Galliæ Narbo Martius colonia nostrorum ciuium, specula populi Romani. Cicero pro Fonteio.* Hoc consilium.] *De Cæsare interficiendo. Plutarchus in Antonio, scribit eum quidem à Trebonio tentatum, sed nõ assensum fuisse.* Et ob eius consilij societatem.] *Probat à signo, non necessario tamen.* Tum te à Trebonio.] *Hoc etiam scribit Plutarchus in Bruto. Trebonius, inquit, iuxta fores curiæ moratus cum Antonio, eum colloquia cum eo producens, foris retinebat.*

Seuocari.] *Abduci, & seorsum ab alijs euocari, & retineri ne cum Cæsare interficeretur. In Famil. lib. decimo ad C. Trebonium: Quod uero à te uiro optimo seductus est, tuoq; beneficio adhuc uiuit hæc pestis, interdum, quod mihi uix fas est, tibi subirascor, &c.* Quod bene cogitasti.] *Distributio elegans.* Quod non indicasti.] *Fideliter Antonium id Trebonij consilium tacuisse semper, testis est idem Plutarchus in Antonio.* Virum illa res.] *Id est fortem hominem, & magnanimum.* Quod si te.] *A spe commodi facit suspicionem credibiliorem in Antonio quàm in alijs. Hoc argumentum ex causa est, quam finem dicimus. quidam etiam ratiocinationem appellant.*

Cui bono fuerit.] *L. Caßij prætoris, & iudicis uerißimi & sapientißimi dictum, quo sæpe in causis usus est Cicero.*
B *Est ergo locus etiã ab autoritate.* Ne hæreas.] *Ne uacilles, ne titubes, néue satis poßis in iudicio cõsistere. Translatio à nauibus & uelis.* Quanquam quidem.] *Correctio, ab Antonij testimonio.* Omnibus bono.] *Commodo, utilitati, emolumento.* Qui uni seruire.] *Ergo Antonij etiam sententia, Cæsar fuit tyrannus.*

Tibi tamen.] *Enumerat commoda quæ ex morte Cæsaris consecutus sit Antonius, ut ex his uoluntas in eo occidendi fuisse probetur.* Regnas.] *Tyrannum uocat Antonium, & tyranni successorem.* Ad ædem Opis.] *Ubi Pompeianorum proscriptorum pecuniam surripuisti. De hac diximus in prima oratione, & dicet Cicero infra.*

Per easdem tabulas.] *In quas et aliæ pecuniæ relatæ sunt. Erat enim in æde ærarium unum ciuitatis. Itaq; Antonium insimulat peculatus.* Ad quem è domo Cæsaris.] *Calphurnia Cæsaris uxor pecuniam à Cæsare relictam, ad Antonium transtulit, & penes eum deposuit. Plutarchus in Antonio.* Cuius domus.] *Antonij scilicet, quod sequentia docent.* Quæstuosißima.] *Turpißimo quæstui, & lucro maxime dedita, cupidißima, auarißima.*

Officina.] *Officina est in qua res fiunt, taberna in qua uenduntur. hæc ualde sunt criminosa, et quæ Antonium odiosum reddant.* Immunitatum.] *τῶν ἀτελειῶν, siue potius ἀνεισφοριῶν. nam immunitates tributorum intelligit.* Vectigalium.] *τῶν φορῶν, id est tributorum. quam uocem in prima etiam Philipp. notauimus.*

Nundinæ.] *Mercatus maximus. Nundinæ ita dictæ sunt, quòd nono quoq; die celebrarentur à Romanis.*
C Etenim quæ res.] *Enthymemate concludit. Egens, inquit, fuisti, ære alieno obstrictus, ergo mortem Cæsaris optasti, ut te ære alieno liberares.* Aere alieno tuo.] *Quod tu debebas: notanda est formula sane elegans.* Nescio quid.] *Abrumpit hunc locum, & interpretatur quæ dixit, ne quod modo laudauit, tribuere uideatur Antonio. Et, nescio quid, περιττὸν est, ac redundans, ut sæpe Græcis illud suum, τί.* Nemo credet unquam.] *Non est ea de te opinio & existimatio.* Non est tuum.] *Ratio. Non consuesti de republica bene mereri.* Ego te dico.] *Diuisio. Dico tibi mortem Cæsaris bono fuisse, occidisse non dico.* Respondi maximis.] *Transitione attentos & dociles facit. Prior pars refutationis perfecta est, sequitur altera, quæ minora quædam & pauciora conplectitur crimina.*

Castra mihi Pompeij, atque omne illud tempus obiecisti. quo quidem tempore, si
ut dixi, meum consilium autoritasq; ualuisset, tu hodie egeres: nos liberi essemus: res-
publica non tot duces & exercitus amisisset. Fateor enim me, cum ea, quæ acciderũt,
prouiderem futura: tanta in mœstitia fuisse, quanta cæteri optimi ciues, si idem proui-
dissent, fuissent. Dolebam, dolebam P. C. rempublicam uestris quondam meisq; con
D filijs conseruatam, breui tempore esse perituram. Neq; uero eram tam indoctus, igna
rusq; rerum, ut frangerer animo, propter uitæ cupiditatem, quæ me manens confice-
ret angoribus, dimissa molestijs omnibus liberasset. Illos ego præstantissimos uiros,
lumina reipublicæ uiuere uolebam: tot consulares, tot prætorios, tot honestissimos se
natores, omnem præterea florem nobilitatis ac iuuentutis, tum optimorum ciuium
exercitus, qui si uiuerent, quamuis iniqua cõditione pacis (mihi enim omnis pax cum
ciuibus bello ciuili utilior uidebatur) rempublicam hodie teneremus. quæ sententia
si ualuisset, ac non ij maxime mihi, quorum ego uitæ consulebam, spe uictoriæ elati
obstitissent: ut alia omittam: tu nunquam in hoc ordine, uel potius nunquam in hac
urbe mansisses.

Castra mihi.] *Meos castrenses mores & consuetudinem. Metonimia. Obijcit quòd sero in Pompeij castra uenisset: quòd in his magna cum mœstitia uersatus esset, quòd suis consilijs omnia perturbasset, quòd iocis ne in castris quidem abstinuisset: quorum omnium ueritatem qui nosse uolet, is præter historias legat ea quæ ipsemet scripsit de toto illo tempore ad Atticum libro septimo, octauo, & nono: & in his octaui libri illam potißimũ epistolam quæ incipit: Quod me magno animi motu perturbatum putas, &c. quorum hæc summa est: Quo tempore Pompeius ueniente ex Gallia Cæsare urbem deseruit, Cicero cum fascibus & lictoribus quos populus illi dederat, se in prædijs suis circa Campaniam oramq; maritimam*

ritimam continebat, redire in urbem, cum Cæsar post Pompeij à Brundusio fugam hortaretur, recusauit: quia si adesset, ea A
dicenda essent, quæ nullo modo tacere posset: & Cæsarem offenderat, qui cum in Hispaniam proficisceretur, ex itinere Ciceroni (quem ad Pompeium nauigaturum satis constanti fama ferebatur) epistolam scripsit, ne ad aduersarios transiret hortatus, & ut ab omni abesset ciuili contentione. Sed cum puderet uirum bonum semper reipublicæ partes suscipere solitum, non esse in his castris in quibus & Pompeius optime de se meritus, & senatus ac consules consisterent, minusq; honestos in castris de se haberi acciperet sermones, tuto ocio periculosum prætulit bellum. Occulte enim parata naui, cum omnis maritima ora à Cæsaris custodiretur militibus, & Antonio in primis mandatum à Cæsare esset, ut Ciceronem obseruaret, ad castra Pompeij nauigauit: ubi cum peiora omnia opinione offendisset, & neque gerendi belli consilium, neque Pompeij copias probaret: pacem primo, deinde quód Pompeius ualde ab ea sententia abhorrebat, ut bellum traheret suadere instituit. Cumq; eum multorum uaria offenderent uitia, quæ emendare non poterat, quasi pœnitẽtia ductus, quód eò accessisset, omnia contemnere, & sese à rebus gerendis quantum poterat cœpit abducere. Omne illud tempus.] Quo fuimus in castris, omne illud belli tempus. Quo quidem tempore.] Dicit se paci semper consuluisse, propter publicũ bonũ. Ergo falsum est, eum bellum ciuile suasisse. Vt dixi.] Supra: Quæ si ualuissent, resp. staret: tu tuis flagitijs, egestate, infamia concidisses. Non tot duces.] Pompeium, Scipionem, Catonem, Domitium, Petreium, Afranium, & alios innumerabiles. Et exercitus.] Legiones, in pugna Pharsalica, cum Pompeio: in Africa, cum Scipione & Catone: in Hispania, cum Petreio & Afranio. Fateor enim.] Obiecerat Antonius Cicero- B
nem in castris tristem & abiecto animo fuisse. id non negat Cicero, sed causam iustißimam affert, quòd prouideret futuram reipublicæ cladem. uere igitur tristis erat. Dolebam, dolebam.] Geminatione siue conduplicatione uerbi, animi dolorem declarat. Vestris quondam meisq;.] Modestiæ est quod sibi non omnis consilia tribuat, cum tamen pauci bene sensissent, & ex ijs qui bene senserant beneq; consuluerant, paucißimi superessent. Neq; uero.] Anteoccupatio, ne ipse sibi timuisse uideatur, suam remouet personam. Quæ me manens.] Ratio cur uitam tunc longiorem non cupiuisset, quia uita manens in angoribus & molestijs illum diutius retineret: dimissa, id est amissa eisdem liberaret. Locus communis, mortem in miserijs esse iucundam. Angoribus.] Molestijs & mœroribus. Angor est ægritudo premens. Cicero Tusculanarum quarto. Illos ego.] Contentio. Vbi suam personam remouet, alios profert. Lumina reipublicæ.] Viros clarißimos. translatio sumpta à stellis, quæ mundum illuminãt: ita enim uiri clari ciuitatem illustrant. Tot consulares.] Causam sui doloris exponit per distributionem, ad rem augendam accommodatißimã. Consulares.] Qui aliquando consules fuerant: alias etiam quemuis senatorem. Eadem forma prætorios dicit, qui prætores fuissent. Mihi enim omnis pax.] Locus communis de pace & concordia ciuium, quo rationem reddit cur dixerit, quamuis iniqua conditione pacis, quoniam iniqua pax bello ciuili melior. Huc quoq; respiciens de Officijs libro primo: Mea quidem sententia, inquit, paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. in quo si mihi obtemperatum esset, & si non optimam, at aliquam rempublicã, quæ nunc nulla est, haberemus.
Quæ sententia.] Repetitio, cum acclamatione uice conclusionis. Vt alia omittam.] Scilicet incommoda C
quæ ex eo sunt consequuta. Vel potius in hac urbe.] Correctio. Minatur autem Antonio exilium.

At uero Cn. Pompeij uoluntatem à me abalienabat oratio mea. an ille quenquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum: de summa re dissentientes, in eadem consuetudine amicitiȩ permanere. sed & ego quid ille, & contra ille quid & ego sentirem & spectarem, uidebat. Ego incolumitati ciuium primum, & postea dignitati, ille præsenti potius consulebat. Quod autem habebat uterque quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid uero ille † consularis uir, ac pene diuinus de me senserit, sciunt qui eum Pharsalica fuga Paphum prosequuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderij: cum me uidisse plus fateretur: se sperauisse meliora. & eius uiri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare? sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti.

al. clarißimus uir. utroque enim modo C. V quod in ueteribus scriptũ erat intelligi potest

At uero.] Pompeium à Cicerone abalienatum fuisse in ipsis castris Antonius obijciebat, quód Cicero quædam liberius dixisset. hoc falsum esse docet Cicero, partim coniectura & signis, partim ipsius Pompeij testimonio.
Cum ullo aut sermones.] Signa uoluntatis & beneuolentiæ Pompeij erga se profert: sermones familiares, consilia D
sæpius collata communicataq; cum eo, quàm cum alijs. De summa re.] De tota republica & imperio, de rerum summa. Ego incolumitati.] Ego utilitatem præsentem, qua sublata, ne dignitatem quidem retinere poteramus: Pompeius contrà, dignitatem præsentem contempta utilitate spectabat. Quod autem habebat uterq;.] Vterque suas causas suasq; rationes habebat, quare neuter alteri odiosus esset. Enthymema est. Quid sequeretur.] Quid spectaret, quasi finem & σκοπόν. Quid uero ille.] Remouet causam dissensionis, & Pompeium à se alienatum non fuisse, à signis ostendit: nunc profert testimonium, idq; cum maxima Pompeij laude. Paphum.] Ciuitas est Paphos in Cypro insula, non procul ab Alexandria Aegypti, nimirũ stadia tria millia & sexcẽta. Me uidisse plus.] Me longius uentura prouidisse. Male intellexit Latomus hunc locum, & mire se torquet, ut aliquam sententiam eruat, quæ tamen in promptu est & clarißima. Et eius uiri.] Conclusio per acclamationem, qua indignationem mouet. Me amicum, te sectorem.] A differentibus. Sector est (ut Pedianus ait) bonorum quæ publicata sunt redemptor, qui spe lucri sectatus, emit uniuersa bona, ut si uisum fuerit, in auctione reuendat. Bona autem Pompeij Anto-

A *nius de Cæsare emerat, quæ nunquam dissoluit. Plinius lib. 36. etiam sectricem fœminam uocat. Vnde enim, inquit, uitricus Sylla & Metella mater proscriptionum sectrix? Sed omittatur.] Transitio, qua abrumpit belli ciuilis mentionem. Nimium felix.] Quia cum Cæsare uicisti.*

Ne iocis quidem respondebo, quibus me in castris usum esse dixisti. Erant illa quidem castra plena curæ. ueruntamen homines, quamuis in turbidis rebus sint, tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Quod autem idem mœstitiam meam reprehendit, idem iocum, magno argumēto † sit, me in utroq; fuisse moderatum. al. est

Ne iocis quidem.] Vrbanus erat homo Cicero, nec unquam tam tristis erat, quin liberali alicui dicto & salso locum daret. Quare & antequam ad Pompeium proficisceretur, & in ipsis Pompeij castris quibusdam non inepte usus erat. Velut quum ad eum Atticus scripsisset, eum debere se comitem adiungere Pompeio ex Italia abeunti, respondit: Ego uero quem fugiam habeo: quem sequar non habeo, ad Atticum libro octauo. Pompeio autem obijcienti, eum sero in castra uenisse, respondit Cicero: Minime sero ueni. nam hic nihildum parati uideo. Interroganti Pompeio, ubinam gener eius B *esset Dolabella, respondit: Cum socero tuo est. Quum uero post Pharsalicam pugnam Nonius quidam dixisset, adhuc aquilas septem, quæ sunt Romanorum signa, superesse, & ob id bono animo essent hortaretur: Recte, inquit, admones, si aduersus graculos pugnaremus. Hanc Antonij de iocis reprehensionem diluit Cicero, primum à communi humanitate, & hominum more: deinde ab decoro, quòd in his mediocritatem seruauit, quo modo etiam iocos probat Aristoteles in Ethicis. Si modo homines sunt.] Hominis propria est comitas & urbanitas, ac præsertim eruditi: qui autem omnem aspernantur hilaritatem, & rustici & immanes appellantur: siquidem temperantiam immanitas (ut Cicero in Partitionibus orat. ait) imitatur, in uoluptatibus aspernandis. Veruntamen homines.] Locus communis, de usu iocorum & urbanitate. In turbidis rebus.] Id est in turbulentis, tristibus, & periculosis, molestiarumq; & curarum plenis. Turbidus translatum est ab aquis, agitatione turbatis. Quod autem.] Se mediocritatem in modestia & hilaritate tenuisse, ex Antonij reprehensione declarat.*

al. tuorum Hæreditates mihi negasti uenire. Vtinam hoc † unum uerum crimē esset. plures amici mei & necessarij uiuerent. Sed qui istuc tibi uenit in mentem? ego enim amplius HS ducenties acceptum hæreditatibus retuli: quanquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. me nemo nisi amicus fecit hæredem: ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur: te is, quem nunquam uidisti, L. Rubrius Cassinas fecit hæredem. Et quidem uide, quàm te amarit is, qui albus ater'ue fueris, ignorans, fratris filium præterijt: Q. Furij honestissimi equitis Romani, suiq; amicissimi, quem palam hæredem semper factitarat, ne nomen quidem perscripsit: quem nunquam uiderat, ac ne unquam salutauerat, fecit hæredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Tursecius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu? nihil scio inquies, nisi quæ prædia habuerit. igitur fratrem exhæredans, te faciebat hæredem. In multas præterea pecunias alienissimorum hominum, eiectis ueris hęredibus, tāquam hæres esset, inuasit. Quanquam hoc maxime admiratus sum: mentionem te hæreditatum ausum esse facere: cum ipse hæreditatem patris non adisses. Hæc ut colligeres homo amentissime, tot dies in aliena uilla declamasti? Quanquam tu quidem, ut tui familiarissimi dictitant, uini exhalandi, non acuendi ingenij causa declamitas. Et uero adhibes ioci causa magistrum suffragio tuo, et compotorum tuorum, Rhetorem: cui concessisti, ut in te quæ uellet diceret: salsum omnino hominem: sed materia facilis in te & in tuos † dicta dicere.

(Margin, beside line 5 of this paragraph: C)

al. in tuos dicere

Hæreditates mihi negasti uenire.] Hæreditate uenire bona dicuntur, quæ iure hæreditario alicui obueniunt. Hæreditas uero à Cicerone in Topicis hoc modo definitur: Hæreditas est pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Iurisconsulti uero lege sexagesima secunda, De regulis antiqui iuris, in hunc modum: Hæreditas nihil aliud est quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuit tempore mortis. Ex eo autem quod nullæ hæreditates uenirent Ciceroni, colligit Antonius eum paucos amicos & propinquos habere: cumq; esset tamen diues, malis eum artibus ditatum esse. Vtinam hoc.] Optatione pietatis plena falsum esse ostendit quod obiecit Antonius de hæreditatibus. Vtinam, inquit, uerum diceres: mallem enim meos amicos uiuere, quàm eorū bona hæreditate possidere. Ego enim amplius HS ducenties.] Hæc summa continet, quinquies centena millia coronatorum. Acceptū hæreditatibus.] Ex hæreditatibus accepi. De hac eleganti formula dicendi, diximus antea.

(Margin, beside line 2 of this note: D)

Quanquam in hoc genere.] Ironicôs loquitur. non enim felicem, sed improbum esse uult, qui in alienas hæreditates per fraudes irrepserit. Me nemo.] Cōparatione sui cum Antonio ostendit, non esse semper laudabile hæreditates alicui obuenire, nisi ab amicis relinquantur & donentur: se ab amicis quas habuit accepisse: Antonium & ab alijs quos nunquam norat: ex quo intelligi uult, fraude & dolis eas Antonium adisse. L. Rubrius Cassinas.] Duorum quorum hæres fuerit Antonius, exemplo, dolum malum probat. Est autem Cassinum Campaniæ oppidum, ubi Latina uia coniungitur

iungitur Appiæ. *Albus aterue.*] *Prouerbij formula ex contrarijs, qua significamus nos prorsus nescire, quinam sit aliquis, nos eum nunquam uidisse, ignorare bonusne an malus sit. Catullus in Cæsarem:* A

Nil nimium studeo Cæsar tibi uelle placere,
Nec scire utrum sis albus an ater homo.

Fratris filium præterijt.] *Nihil ei in testamento reliquit, eum non nominauit. Nam præteriti dicuntur, qui cum debuissent nominari, nulla eorum mentio facta est. Quo uerbo frequenter utuntur Iurisconsulti, Institut. lib. 2. De inofficioso testamento, & Digestorum lib. 28. De liberis & posthumis, &c.* *Quem nunquam uiderat.*] *Incredibile igitur heredem fecisse. Idcirco sequentibus coniecturis, falsis eum tabulis in defuncti bona inuasisse conuincit.*

Qua facie.] *Quo ore, quibus lineamentis, quo colore, qua specie.* *Qua statura.*] *Breuiane an procera. Est enim statura, quæ hominem cum stat, quantus sit ostendit.* *Nihil scio.*] *Dialogismo improbè & audre respondentem facit Antonium.* *Igitur fratrem.*] *Et hoc incredibile, & penè contra naturam.* *Quanquam hoc maxime.*] *Antonij pater moriens magnum æs alienum reliquit, quod uidens Antonius, hæreditatem adire noluit, neque se hæredem patris appellare, ne plus dissoluere cogeretur, quàm possideret. Quas igitur habebat diuitias, eas malis artibus pararat.* *Hæc ut colligeres.*] *Epilogus refutationis criminum quæ sibi obiecerat Antonius, in quo ineptiam eius in declamando ostendit, ut contemptibilem reddat.* *In aliena uilla.*] *In uilla Metelli Scipionis, ut ipse dicit in Philippica quinta: In Tiburtino Scipionis declamitauit sitim quærens. hæc enim ei causa solet esse declamandi. De hac declamatione ad Cassium scribens Famil. lib. 12. Quæ, inquit, in lustris & in uino cõmentatio potuit esse? Itaq; omnibus est usus, ut ad te antea scripsi, uomere suo more nõ dicere.* B *Vini exhalandi.*] *Ebrietatẽ rursum exprobrat Antonio. testantur autem & medici, clara pronunciatione concoctionem adiuuari.* *Et uero adhibes.*] *A præceptore uituperat Antonium.* *Suffragio tuo.*] *Nimirum hominis temulenti & uecordis.* *Compotorum.*] *Συμπότων. Nam & συμπόσιον appellant compotationem. quod Cicero in dialogo De senectute reprehendit: Bene, inquit, maiores accubationem epularem amicorum, quia uitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarũt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem uocant.* *Salsum.*] *Mordacem, dicacem, facetum.*

Sed materia facilis.] *Dicti siue ridiculi materia, est turpitudo, ut Cicero de Oratore libro secundo testatur.*

Dicere.] *Id est dicacem & facetum esse, siue iocari, & quadam urbanitate mordere & defricare. Vnde dicta pro iocis & salibus & scommatibus usurpata. Cicero de Oratore libro secundo: Dicere enim aiunt Ennium, flammam à sapiente facilius ore in ardenti opprimi, quàm bona dicta teneat: hæc scilicet bona dicta, quæ salsa sint: nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. Budæus in Commentarijs linguæ Græcæ legit dicta dicere, ea forma qua dicitur, uitam uiuere, gaudium gaudere, pugnã pugnare, statuam statuere, & id genus alia: non tamen male dicere sine ea adiunctione, ut paulo ante dixit: Vt in te quæ uellet diceret.*

Vide autem inter te & auum tuum quid intersit. Ille sensim dicebat, quod causæ prodesset: tu cursim dicis aliena. At quanta merces Rhetori data est? Audite, audite P. C. & cognoscite reipublicæ uulnera: duo millia iugerum campi Leontini Sex. Clodio Rhetori assignasti, & quidem immunia: ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc homo audacissime ex Cæsaris commentarijs? Sed dicam alio loco & de Leontino agro & de Campano: quos iste agros ereptos reipublicæ turpissimis possessoribus inquinauit. C

Vide autem.] *Collatio Antonij eius qui in libris de Oratore, de oratoria facultate tam docte disputat, & huius Antonij eius nepotis, ex qua huius stultitia elucet.* *Tu cursim.*] *Contentio. & aduerte, sensim & cursim contraria.*

Aliena.] *Scilicet à causa, & discrepantia.* *At quanta merces Rhetori.*] *Supra: Iam inuideo magistro tuo qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere docuit.* *Iugerum.*] *Columella libro sexto: Duo, inquit, actus iugerum efficiunt longitudine pedum ducentorum quadraginta, latitudine pedum centum uiginti. Est autem actus soli quadratum spacium pedibus centum uiginti, undiq; definitum. Hinc iugerum quidam dictum uolunt, quod ex duobus quadratis actibus iunctum sit. Sed Varroni & Plinio placet dictum iugerum, quòd uno boum iugo in die exarari potest.* D

Campi Leontini.] *A Leontio siue Leontino Siciliæ oppido: unde Gorgias magnus ille rhetor Leontinus dictus est. De his campis & eorum fertilitate uide in Verrem actione quinta.* *Et quidem immunia.*] *Quæ nihil cuiquam pendant, nulli seruiant: idcirco pluris æstimanda. hoc dixit ad mercedem exaggerandam.* *Num etiam hoc.*] *Ironia, & amara percontatio.* *Sed dicam alio loco.*] *Reiectio in alium locum, ad attentionem retinendam.*

Campano.] *A Campania regione Italiæ, cuius caput Capua fuit, Romanæ urbis pertinax æmula.*

Iam enim quoniam criminibus eius satis respondi: de ipso emendatore & correctore nostro quædam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam, ut si sæpius decertandum sit, ut erit, semper nouus ueniam. quam facultatem mihi multitudo istius uitiorũ, peccatorumq; largitur. Visne igitur te inspiciamus à puero? sic opinor. à principio ordiamur. Tenes ne memoria prætextatũ te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est. concedo. etenim est pietatis plena defensio. Illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus: quamuis quis fortunæ uitio non suo decoxisset.

Iam enim.] *Transit ad alterã huius orationis partem, quæ Antonij uituperationem continet, cuius est scopus, An-*

A toniuum odiosum, inuisum, & contemptibilem reddere senatui. Nec enim omnia.] *Attentos facit, atq; eadẽ opera plura relinquit in suspicione, ut ostendat eum turpiorem esse, quàm describat. Talem autem fuisse Antonium, qualis à Cicerone describitur, uel ex Plutarcho liquere potest.* Vis ne igitur.] *Communicatio. Communicat enim & deliberat cum aduersario, unde uituperatio sit inchoanda, idq; non sine gratia & uenustate. Admonet simul quem ordinem sequi uelit. Incipit enim à pueritia, & ordinem ætatis persequitur, criminose commemorans tum priuata, tum publica flagitia, interpositis crebris amplificationibus, id quod in hoc genere maxime faciendũ est, ut Cicero ipse testatur in Oratorijs libris.* A puero.] *A pueritia: bono ordine uituperationem aggreditur.* Prætextatũ te.] *Id est cũ adhuc esses puer, & prætextam ferres. Erat autem prætexta uestis nobiliũ Romanorũ tam marũ quàm fœminarũ, præsertim tamen marium, & quidem puerorum. habebat autem purpureum limbum & oras, etiamsi alterius esset coloris: hinc prætexta uocata. Et quanquam magistratuum etiam esset, tamen pueri potißimum usq; ad annum decimumsextũ ea utebantur, quo tempore ea deposita togam puram uirilemq; sumebant: puellæ uero donec nuberent eam gestabant, pòst stolam assumebant.* Decoxisse.] *Rationes conturbasse, creditores fefellisse. Res decoxit Columella dixit, pro diminuta & deterior facta est.* Patris.] *Nulla defensio. nam non se purgat, sed eodem flagitio patrem secum inuoluit.* Pietatis plena.] *Ironia. nam in patrem culpam conferre, impietatis est potius.* Illud tamen audaciæ tuæ.] *Cum esses decoctor, non debuisti in honestorum uirorum & frugi ordinibus sedere. Nam lege Roscia in theatro*
B quatuordecim gradus equitibus assignati erant, ex quibus ludos spectarent, proxime post senatum. Hanc legem tulit Lucius Roscius Otho Cos. de qua Horatius: Roscia dic sodes melior lex, an puerorum Nænia?

Decoctoribus.] *Fraudatoribus, & qui male rem suam gesserunt: de quibus multa in Pandectis Iurisconsultorum.*

Quamuis quis.] *Ex minore. Certus locus erat ijs constitutus, qui fortunæ uitio decoxissent, nõ suo. igitur multo magis tibi, qui tuo uitio bona consumpsisti tua, & fidem creditoribus fefellisti.*

Sumpsisti uirilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. Primo uulgare scortum, certa flagitij merces, nec ea parua. Sed cito Curio interuenit, qui te à meretricio quæstu abduxit: & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locauit. Nemo unquam puer emptus libidinis causa, tam fuit in domini potestate, quàm tu in Curionis. Quotiens te pater eius domo sua eiecit? quotiens custodes posuit, ne limen intrares? quum tamen tu nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per regulas dimitterere. quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Scis'ne me de rebus mihi notissimis dicere?

C Sumpsisti uirilem togam.] *Sequentem ætatem, id est adolescentiam uituperat. Virilẽ autem togã decimosexto ætatis anno sumebant, deposita prætexta, quod etiã Ouid. tradit in Fastis.* Muliebrẽ stolam.] *Honeste ei nefandam Venerẽ obijcit, & Ganymedẽ uocat. Stolam esse muliebrẽ uestem Vlp. putauit Digest. lib. 38. De auro & argento leg. cui hic Ciceronis locus suffragari uideri poßit. Nonius tamen Marcellus stolam dicit esse, omne quo corpus tegitur, ut uestem simpliciter significet. Et Ciceronẽ hoc loco possemus dicere muliebrem addidisse, quod uxorum quoq; esset. Videtur enim dicta ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι, quod est induere & uestire. Sed forma facit, ut muliebrẽ putem, q. esset ad imos pedes usq; demissa: cuius extremã partẽ ambibat instita assuta, quæ erat fascia quædã siue limbus. Argumẽto sunt etiã statuæ ueteres Romæ, quæ stola ornatæ uisuntur.* Primo uulgare.] *Pudicitiã tuam, flagitiosa, sed magna tamen mercede, quasi uulgare scortum, prostituisti.* Et tanquã stolam dedisset.] *Quod mariti nouis uxoribus facere consueuerant.*

In matrimonio stabili.] *Te Curio tanquam sponsam & uxorem duxit. Sic Virg. Aeneidos primo:*

Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.

Nemo unquam puer.] *Amplificat Antonij obscœnam & pathicam turpitudinem, conditionis peristasi.*

Quoties te pater.] *Quod dixit, probat ex signis.* Nocte socia.] *Id est solus de nocte, siue noctu.*

Hortante libidine, cogente mercede.] *Turpißimi flagitij, turpißima causa.* Per tegulas.] *Sic Iupiter apud*
D Terent. in Eunucho: Per alienas tegulas uenisse clanculum, & fucum fecisse mulieri, dicitur.

Recordare tempus illud: cum pater Curio mœrens iacebat in lecto: filius se ad pedes meos prosternens lachrymãs te mihi commendabat: orabat ut te contra suum patrem, si sestertiûm sexagies peteret, defenderem. tantum enim se pro te intercessisse dicebat. ipse autem amore ardens, confirmabat, quod desideriũ tui dissidij ferre nõ posset: se in exilium esse iturum. quo tempore tanta mala florentissimæ familiæ sedaui, uel potius sustuli. patri persuasi, ut æs alienum filij dissolueret, redimeret adolescentẽ summa spe & animi & ingenij præditum, rei familiaris facultatibus: eumq; à tua nõ modo familiaritate, sed etiã cõgressione, patrio more & potestate prohiberet. Hæc tu, cũ per me acta meminisses: nisi illis, quos uidemus, gladijs cõfideres: maledictis me prouocare ausus esses? sed iã stupra & flagitia omittã. sunt quædã quæ honeste nõ possum dicere. tu aũt eo liberior, q ea in te admisisti, quæ à uerecũdo inimico audire nõ posses.

Recordare.] *Narratio facti cuiusdã, ex quo turpitudo Antonij elucet.* Si sestertiûm sexagies.] *Id est sexagies centena: quæ summa continet centũ quinquaginta millia coronatorũ, ut hodie loquimur. Breuior sum in hac ratione pecuniarũ, q. præsto sint qui hanc rem copiosissime tractarint, Gul. Budæus, & post illum Georgius Agricola physicus*

non

non uulgaris. Intercesisse.] Spopondisse, & pro ea summa, fidem suam interposuisse. Se in exilium.] A
Magnum insani amoris argumentũ. Patri persuasi.] Prudens & sanctũ Ciceronis consilium, quo illa turpitudo sublata est. Patrio iure & potestate.] Quæ quidem potestas, propria fuit ciuiũ Romanorũ. ut Instit. lib. 1. & C. lib. 8. De pat. potest. scriptũ est. Poterat enim pater filium uinculis & carcere coercere, uerberibus & morte, si opus esset, afficere. Hec tu.] Quod me maledictis insectatus es, non uitæ tuæ honestate fretus sed armis, ausus es facere.

Sed iam stupra.] Abrumpit orationem oratoriè, idq; uerecundiæ consulens. Sunt quedã quæ.] Pudorẽ ingenuum præ se fert orator, & maiora in suspicione relinquit. Quæ honeste.] Quædam enim etsi turpia sunt, honeste tamen dici possunt, de quibus in epistola quadam ad Petũ, & in 1. de Off. disputat Cicero. Tu tamẽ eo liberior.] Comparatione Antonij inuerecundiã & turpitudinẽ exaggerat, qui ea in se admiserit, quæ inimicus proferre nõ ausit. oportet igitur ea esse ualde turpia, cum inimici omnia dicãt, ac sæpenumero quæ uera nõ sunt confingant, ut inimici famam lædant. In te admisisti.] Id est cõmisisti. Cic. de Legibus: Quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat. Idem pro Milone: Nihil timent, atqui nihil commiserunt.

Sed reliquũ uitę cursum uidete: quẽ quidẽ celeriter perstringã. Ad hæc eñ quæ in ciuili bello, in maximis reip. miserijs fecit: & ea quę quotidie facit, festinat animus. quę peto, ut quanq̃ multo notiora uobis, q̃ mihi sunt, tamẽ, ut facitis, attente audiatis. debet enim talib. in rebus excitare animos nõ cognitio solũ rerũ, sed etiã recordatio: tam etsi incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema ueniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio. qui sua erga me beneficia cõmemorat: eius omniũ incendiorũ fax. cuius etiã domi quiddã iam tum molitus est. quid dicã, ipse optime intelligit. Inde itum Alexandriã contra senatus autoritatẽ, contra religiones. sed habebat ducem Gabiniũ, qui cum quiduis rectissime facere posset. qui tum inde reditus? aut qualis? prius in ultimam Galliam ex Ægypto q̃ domũ. quę aũt erat domus? suam enim quisq; domũ tum obtinebat: neq; erat usquam tua. domũ dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedẽ poneres? præter unum Misenum, quod cum socijs tanquam Sisaponem tenebas. B

Sed reliquum uitæ cursum.] Renouat attentionẽ, & transit ad alia, quia nõ dubitat hec auditoribus uideri molesta. Ad hec enim.] Ratio cur omissis prioribus, festinet ad alia. Quæ peto.] Aperte petit, ut attente audiãt. Ad idem etiã facit, quod se celeriter ea perstricturũ pollicetur. Debet enim.] Rerum seu factorũ quæ ignoramus cognitio delectat: eorũ uero quæ nouimus recordatio solet esse nõ iniucunda. Incidamus.] Prætermittamus, breuitatis gratia amputemus. Intimus erat.] Ad reliquũ uitæ Antonij cursum uituperandũ, ut proposuit, accingitur. Et primũ qualis fuerit in illo turbulento & seditioso tribunatu Clodij ostendit. Qui sua erga.] A repugnantib. siue dissentaneis. Intimus fuit Clodio, in tribunatu cum me Clodius in exilium ire coegit, ergo mihi amicus non fuit. C

Incendiorũ fax.] Turbarũ & seditionũ autor & incitamẽ. amplificatio per translationẽ: non solũ socius eius, sed etiã autor fuit. Eundem etiã facem appellat Philip. 7. Cuius etiã domi.] Antonius cum familiariter in Clodij domo uersaretur, eius uxorẽ Fuluiã de stupro appellauit, eiusq; pudicitiã tẽtauit, nam & candẽ occiso Clodio duxit uxorẽ.

Quid dicã ipse optime intelligit.] Reticentia, in qua licet uidere Ciceronis in Clodiũ & Antoniũ inimicos liberalem uerecundiã. Inde itum Alex.] Expulsus Antonius & exclusus à Curione patre, primũ Clodio se adiunxit, inde eo relicto, in Asiam se contulit, ubi & corpus ad militaria certamina, & linguã in dicendo exercuit. Pòst Gabinio aduersus Aristobulũ in Iudæos exercitũ ducenti, præfectus equitũ fuit. Cumq; Ptolemæus cognomẽto Auletes Aegypti rex, regno pulsus, Gabinium se ut reduceret, decem millia talentorũ pollicitus obtinere nõ posset (timebat enim Gabinius sine autoritate senatus exercitum Alexandriã ducere) hortatu Antonij eam expeditionẽ suscepit, regemq; reduxit. Plutarch. in Antonio. Contra religiones.] Id est contra Sibyllina oracula, quæ cum multitudine regẽ Aegypti reducere uetabant. qua de re multa Cicero Epist. fam. lib. 1. Sed habebat.] Ironia. perniciosissimus enim fuit Gabinius iste.

Qui cum.] Cum quo. Anastrophe, id est præpositionis inuersio. Qui tuus inde reditus?] Id est, quàm turpis & dissolutus? Nam Antonius omnem pecuniã quam ex regis Ptolemæi largitione acceperat, in itinere absumpserat. Plutar. Præterea turpis quoq; ex eo, quòd prius in Galliam comatã, q̃ in patriã uenit. Quæ antẽ erat domus.] D
Nullam domum eum habuisse dicit. Domũ dico.] Correctio ad maiorem uituperationem spectans. Quid erat?] Paupertatẽ exprobrat Antonio, in quam suo uitio ceciderat. Misenũ.] Villa quæ fuerat etiã eius aui Antonij Oratoris ad mare iuxta Baias posita, non longe à Miseno promontorio. qui locus sic ab Aeneæ tibicine Miseno ibi sepulto dictus est, ut præter geographos Virg. Aeneidos sexto testatur:

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq; arma uiro, remumq;, tubamq;,
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per secula nomen.

Tanquam Sisaponẽ.] Obscura comparatio, & prouerbiũ quod nõ temere in ullo autore inuenias. Videtur tamen nomen esse loci alicuius infamis, ubi homines dissoluti uiuerent. In Betica Hispania oppidum huius nominis fuisse reperio, uerũ nihil de eo legi quod magnopere ad hunc faciat locũ intelligendũ. Quòd tamẽ fodinis & minio eum locũ celebrem fuisse legimus, intelligere possumus, tanq̃ Sisaponẽ, id est tanq̃ speluncã & latebrã suis uoluptatibus accõmodam.

Venisti è Gallia ad quæsturam petendã. aude dicere prius ad patrẽ tuum uenisse, q̃ ad me. acceperã enim iam ante Cæsaris literas: ut mihi satisfieri paterer à te. Itaq; ne lo-

al. cultus qui quidem sum te passus de gratia. postea †custoditus sum à te: tu à me obseruatus in
A petitione quęsturę. quo quidem tempore P. Clodiũ approbante populo Ro. in foro es
conatus occidere. cumq́; eam rem tua sponte conarere, nõ impulsu meo: tamẽ ita prædicabas: te nõ existimare, nisi illũ interfecisses, unquam mihi pro tuis in me iniurijs satis esse facturũ. In quo demiror, cur Milonẽ impulsu meo rem illam egisse dicas: cum
te ultro mihi idem illud deferentẽ nunquam sim adhortatus. quanquam, si in eo perseuerares, ad tuã gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam.

Venisti è Gallia.] Persequitur singula seruato temporũ ordine. Aude dicere.] Ita constringit aduersariũ, ut ei facultatem adimat respondendi. Satisfieri.] Vt in gratiam tecum redirem, ut me placabilem præstarem, ut acciperem tuã excusationẽ & purgationẽ. De gratia.] Scilicet reconcilianda: sed ultro te recepi, & sum amplexatus. Custoditus.] Id est obseruatus, & cultus. hinc custodire pro colere. Q. Fr. De pet. cons. Fac ut se abs te custodiri atq; obseruari sciãt. Legitur etiã cultus, sed idem est. In petitione questuræ.] Quæstura, quæstoris munus, à quærendo, quòd conquirerent publicã pecuniã, & maleficia, quæ postea triumuiri capitales conquirebant, ut Varro ait. De quęstoribus antea diximus. Quo quidem tempore.] De hac re iam diximus supra. Cumq́; eam
B *rem.] Hoc cõmemorat, ad refellendũ Antonij maledictũ. In quo demiror.] Antonij mendaciũ impudẽs arguit.*

Quæstor es factus. deinde continuo sine senatusconsulto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi. id enim unum in terris egestatis, æris alieni, nequitiæ, perditis uitæ rationibus perfugiũ esse ducebas. ibi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuisses, si hoc est explere, quod statim effundas, aduolas egens ad tribunatum, ut in eo
al. uiri magistratu, si posses, †uitrici tui similis esses.

Quæstor es factus.] Quæsturam reprehendit Antonij. Sine senatuscons.] Non licebat quæstori, nisi senatusconsulto eam sortitus esset, in prouinciam proficisci. Qua de re uide etiam De officio quæstoris Digest. lib. 1.
Ad Cæsarem.] In Gallia prouinciã gerentem. Id enim unum.] Addit causam, cur ad Cæsarem potius quàm ad alium imperatorem. Talem fuisse Cæsarem Suetonius testis est in eius uita, nisi quòd Cicero hæc oratorie amplificat, & tropis siue modificatis uerbis exornat. In hac oratione notanda est casuum uarietas. nam cum multa uni attribuuntur, iisdem casibus id fieri debere grãmatici iubent, ut inferiora superioribus respondeant, siue coniunctionibus attributa uinciantur, siue dissoluta sint: quòd si contra fit, ἀνακόλουθον uocant, quod quidam inconsequẽs uerterũt. Nam cũ dixisset,
C *Id enim unum in terris egestatis, æris alieni, nequitiæ, quæ genitiui sunt casus, dandi casu reliquũ addidit, perditis uitæ rationibus, perfugiũ esse ducebas. Idem fecit de Nat. deorũ lib. 2. Itaq; plectri similẽ linguã nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis quæ ad neruos resonant in cantibus. Idem modũ mutauit interiecta cõiunctione ad Att. scribẽs, Nusquam facetijs miserrimã uitã uel sustentabo, uel (quod est melius) abiecero. Idem diuersa tempora coniunxit, in 2. De Finib. Num etiã P. Decius cum se deuoueret, & equo admisso in mediã aciem Latinorũ irruebat, aliquid de uoluptatibus suis cogitabat? Idem fecit in participijs in Somn. Scip. Ille autem, inquit, me complexus atq; osculans, flere prohibebat.*
Ibi.] Apud Cæsarẽ, in eo perfugio & perditorũ asylo. Largitionibus.] Effusionibus immoderatis & ambitiosis pecuniarũ. Si hoc est.] Correctio ad augendã uituperationẽ. Aduolas.] Omnia uerba sunt odiosa. nam hæc celeritas nimia, ambitionẽ magnã cupiditatemq́; significat. Vt in eo.] Causam addit, sed turpem, ne quid sine causa factũ esse uideatur. Vitrici tui.] P. Lentuli, Catilinæ socij. Sunt tamẽ qui uiri legendũ contendãt, ut uiri nomine, C. Curionẽ filiũ intelligas, qui superiore anno tribunus plebis fuerat, emptusq́; à Cæsare, ab eius causa pertinaciter steterat. Virũ aũt q eum Antonij uocat, ad id respicit quod antea dixit: Sed cito interuẽnit Curio, qui te à meretricio quęstu abduxit, & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locauit. Sic etiã locutus est post reditũ suum in senatu de Clodio. Eaq; dixit, quæ si uir eius Catilina reuixisset, dicere non esset ausus.

D Accipite nũc quęso non ea, quę ipse in se, atq; in domesticũ dedecus impure atq; intẽperãter, sed quę in nos fortunasq́; nostras, id est in uniuersã Rẽp. impie ac nefarie fecerit: ab huius em̃ scelere omniũ malorũ principiũ natũ reperietis. Nã cũ L. Lẽtulo, C. Marcello cõsulib. Calẽ. Ian. labẽtẽ, & ꝓpè cadẽtẽ rẽp. fulcire cupereretis, ipsiq; C. Cæs. si sana mẽte esset, cõsulere uelletis: iũ iste uẽditũ atq; mãcipatũ tribunatũ, cõsilijs uestris opposuit: ceruicesq́; suas ei subiecit securi, qua multi in minorib. peccatis occiderunt.

Accipite nunc.] Renouat attentionẽ dicturus de tribunatu, quẽ Antonius pro Cæsare populariter ac seditiose gesserat, contra senatus autoritatem. qua de re uide Plutarchũ in Antonij uita, & Cæsaris comment. Bell. ciuil. lib. 1.
Nam ea quæ ipse in se.] Remotio. nã de his iã dixit. In se.] Possunt homines in se tantũ mali esse, possunt in alios, nõ in se, & in se & in alios simul. Qui rẽ suã profundit, sibi tantũ nocet: qui surripit aliena, qui expilat, aliũ simpliciter lædit: qui utrũq; facit, & se & alios lædit. Impie.] Pietas, patriæ cõplectitur charitatẽ. qui igitur cõtra patriã facit, impie fecisse dicitur. Nefarie.] Scelerate, iniuste, crudeliter. Ab huius enim scelere.] Antoniũ ciuilis belli causam fuisse dicit. Nam cum.] Confirmat Antoniũ belli ciuilis & omniũ malorũ quæ ex eo sunt consecuta causam extitisse hoc modo: Qui obstitit quo minus reprimeretur Cæsaris potentia, is belli ciuilis causa fuit. Antonius id fecit: ergo belli ciuilis fuit autor. Verũ Cicero maiorẽ quã uocãt, omittit, ut notissimam. Fulcire.] Sustentare, tueri. translatio sumpta ab ædificijs, ut respõdeat uerbo labentẽ & propè cadentem. Si sana mente esset.] Circuitio, si sapuisset, si sanus fuisset. Cõsulere.] Bonũ ciuẽ esse docere, dimittere exercitũ, senatui sese submittere. Mancipatum

patū.] Addictū. Verbū est iuris, de rebus quæ contractu seu emptione alienantur. Consilijs uestris.] Consultabat senatus de adimendo exercitu Cęsari, & de mandanda Rep. Pompeio, ne eam armis Cęsar inuaderet. Huic cōsultationi intercessit Antonius, Tribunitia potestate fretus. Itaq; unà cum Cęsare & alijs nonnullis hostis fuit iudicatus. Ceruicesq; suas.] Id est, eas pœnas meruit eo facto, quas plerią; in minoribus peccatis pertulerūt, ut Gracchus, Saturninus, & alij. A

In te autē M. Antoni id decreuit senatus, & quidē incolumis, nondū tot luminibus extinctis, quod in hostē togatū decerni est solitū more maiorū. & tu apud P. C. contra me dicere ausus es: cū ab hoc ordine ego conseruator essem, tu hostis Reip. iudicatus. cōmemoratio illius tui sceleris intermissa est: non memoria deleta. dum genus hominum, dum Pop. Rom. nomē extabit: quod quidē erit, si per te licuerit, sempiternū: tua illa pestifera intercessio nominabitur. quid cupide à senatu, quid temere fiebat? cū tu unus adolescens uniuersum ordinē decernere de salute Reip. prohibuisti? neq; id semel, sed sępius. neq; tu tecū de senatus autoritate agi passus es. quid autē agebatur? nisi ne delere & euertere Remp. funditus uelles? cū te neq; principes ciuitatis rogando, neq; maiores natu monēdo, neq; frequēs senatus agēdo, de uēdita atq; addicta sententia mouere potuit? tū illud, multis ante rebus tētatis, necessario tibi uulnus inflictum: B quod paucis ante te, quorū incolumis fuit nemo. tū cōtra te dedit arma hic ordo cōsulib. reliquisq; Imperijs & potestatib. quę nō effugisses, nisi te ad arma Cęsaris cōtulisses.

In te autē M. Antoni.] ἀποστροφὴ in Antoniū, qua Oratio acrior redditur. Hunc locū amplificat uersando cōmutatis uerbis, & diutius in eo cōmorando. Amplificationē ducit, à iudicio senatus, ab infamia sempiterna, ab audacia Antonij, & incōmodis Reip. cōmorationē uocant oratores. Incolumis.] Integer, autoritate pollens, nondum Cęsari subiectus. Nondū tot lum. ext.] Ergo maiorē uim habere debet decretū illud in te. Luminib. legendū est, ut supra. More maiorū.] Vt in exiliū iret, qui nō armatus, se senatus decreto opposuisset. Et tu apud Patres C.] ἐπιφώνημα, indignationi subseruiens. Cōseruator.] Propter oppressam Catilinæ cōiurationē. Tu hostis.] Enthymema ex cōtrarijs. Cōmemoratio intermissa.] Suspensa ad tempus, non sepulta. Dū genus hominū.] Ab ignominia illius facti sempiterna, quæ grauissima est pœna. Si per te licuerit.] Nam nullū præter te hostē habet: tu solus exitiū Reip. minitaris. Quid cupide?] Antonij castigat audaciā, & eius intercessionis amplificat improbitatem. Vnus.] Solus. ergo tanto magis uniuerso ordini cedere debuisti. Adolescens.] Ab ætate rem exaggerat. quo enim iunior eo audacior propter inscitiā, & imprudentiā. Recte Cicero de Off. lib. 1. Adolescentiū inscitia, senum regenda prudentia est. Neq; id semel.] Grauius est enim sæpius quod malum est facere, quàm semel. C

Sed sæpius.] Quo sæpius eo grauius peccasti. primū enim intercessit senatuscōsulto, legiones Pompeio decernenti, tulitą; ut Bibulo in Syriā aduersus Parthos mitterentur: deinde cum Cæsar literas misisset, & eas senatus legi in publico nollet, Antonius fretus Tribunatu, populo eas recitauit. Plutar. in Antonio. Neq; tu tecū.] Preces senatus audire noluisti. qua in re tertio peccasti, cōtumaxą; fuisti. Quid autē agebatur.] Id est, rem æquissimā rogabat senatus.

Cum te neq; prin.] Cōmorationis locus. Iterū enim sed alijs uerbis, q̃ obstinato animo fuerit, ostendit. Rogando.] Quasi natu maiorē, de inferiore loco. Monendo.] Vt minorē, in quo uides similiter desinentibus quæsitam suauitatem. Agendo.] Iure tecū disceptando & contendendo. Addicta.] C. Cæsari mancipata tanquam propria possessio. ut supra uenditū & mancipatū tribunatū. Tum illud.] Redit ad θέμα, id est primū locū, de iudicio senatus. Vulnus.] Translatū uerbū, pro iudicio & condemnatione. Quod paucis ante te.] Pœnæ seueritas, criminis magnitudinē arguit. Tū cōtra te.] Alter cōmorationis locus: quo senatus iudiciū declarat.

Dedit arma.] Id est, Remp. cōmendauit, mandauitą; uiderent, ne quid Resp. detrimenti pateretur, quod non nisi in grauissimis periculis fieri cōsueuit, ut in Catilinæ cōiuratione, & aliâs quoq;. Vide primā in Catilinā orat. Reliquisq; imperijs.] Prætoribus, Quæstoribus, tribunis. Quæ.] Arma nimirū, & aciē autoritatis & seueritatis.

Tu, tu inquā M. Antoni princeps C. Cæsari perturbare omnia cupienti, causam belli cōtra patriā inferendi dedisti. quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui cōsilij, & facti afferebat? nisi quod intercessio neglecta, ius Tribunitiū sublatū, circūscriptus à senatu esset Antonius? omitto q̃ hæc falsa, q̃ leuia: præsertim cum omnino nulla causa iusta cuiq; esse possit, cōtra patriā arma capiendi. sed nihil de Cæsare. tibi certe cōfitendū est: causā perniciosissimi belli in persona tua cōstitisse. O miserū te, si intelligis: miseriorē, si non intelligis: hoc literis mādari, hoc memoriæ prodi, huius rei ne posteritatē quidē omniū seculorū unq; immemorē fore: Cōsules ex Italia expulsos: cūq; his Cn. Pompeiū, qui imperij Pop. Rom. decus ac lumē fuit: omnes consulares, qui per ualitudinē exequi fugam illam clademq; potuissent: Prætores, Prætorios, Tribunos plebis, magnam partem senatus, omnē sobolem iuuentutis, unoq; uerbo, rempublicam expulsam, atq; exterminatam suis sedibus. D

Tu, tu.] Tertio loco iterat eandē sententiā. Geminatio uero urget, & affert uehemētiam. Causam belli.] Hoc argumentū tractauimus supra. Quid enim.] Ratio sumpta ex causis quas prætexebat Cæsar bellum patriæ illaturus. Circumscriptus.] Oppressus, circumuentus, potestate prohibitus, ui repulsus. Circūscribere, uerbū est

A iuris. Circũſcriptio, quaſi iuris diminutio. Alias circũſcribere eſt cõcludere, definire, circũuenire, fallere. Omitto quam.] Oratoria præteritione refellit eas cauſas, primũ quòd falſæ, & leues. deinde quòd nulla iuſta cauſa ſit, bellũ patriæ inferendi. Sed nihil de Cæſare.] Scilicet dico, utpote mortuo. cum mortuus enim, ut dicitur, non niſi larue luctantur. Tibi certe.] Quarto eandem repetit ſententiã, ut Antoniũ magis in odiũ trahat. In perſona tua.] In te, tuoq; Tribunatu. Dum genus hominũ, &c. O miſerũ te.] Exclamatio, ad cõmiſeratione pertinens.

Si intelligis.] Dilemma, cum comparatione, quæ ualde hominẽ premit. Huius rei.] Repetit eandẽ ſententiam de Antonij infamia. Supra enim eam ſic protulit: dum genus hominũ, dum populi Rom. nomẽ extabit: quod quidem erit ſi per te licuerit, ſempiternũ, tua illa peſtifera interceſsio, nominabitur. Conſules.] Marcellũ & Lentulum. exaggerat enumeratione. talem uſurpauit ſupra: Illos ego præſtãtiſsimos uiros, lumina Reip. &c. De hac fuga Pompeij, conſulũ, & aliorũ, uidendus Plutarchus in Pompeio & Cæſare: itemq; Cæſaris Cõment. De bello ciuili lib. 1. Qui ex equi.] Circuitio. qui fugere, & ea clade fungi, aut eam calamitatẽ obire. Omnẽ ſobolẽ.] Quaſi ſeminarium Reip. propagatio. Nam in iuuenibus ſpes eſt ſufficiendæ prolis, quemadmodũ in agnis & iuuencis uidemus. Idcirco idem Cic. De off. lib. 1. Iuuentutẽ principiũ urbis, & quaſi ſeminariũ Reip. eſſe dicit. ibidem, Quæ propagatio & ſoboles, inquit, origo eſt Rerumpub. Dicitur autẽ ſoboles à ſuboleſcendo, id eſt creſcendo. Creſcunt enim adoleſcentes, & ſuccedunt parentum & ſeniorum ætati. Vnoq; uerbo.] In uerbum contrahit orationem, quæ cõtrario modo, ex uerbo dilatatur, ut ipſe in Part. docet. Exterminatam.] ἐξοριστθεῖσαν, extra terminos poſitam, eiectam.

B Vt igitur in ſeminibus cauſa eſt arborum, & ſtirpium: ſic huius luctuoſiſſimi belli ſemen tu fuiſti. doletis tres exercitus populi Rom. interfectos: interfecit Antonius. deſideratis clariſſimos ciues: eos quoq; eripuit uobis Antonius. autoritas huius ordinis afflicta eſt, afflixit Antonius. omnia deniq;, quæ poſtea uidimus, quid autem mali non uidimus? ſi recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. ut Helena Troianis, ſic iſte huic Reip. cauſa belli, cauſa peſtis, atq; exitij fuit.

Vt igitur in ſeminibus.] Sexto idem iterat, ſimilitudine aptiſsima. Semen autẽ cauſa eſt ſtirpiũ, ſine qua non oriuntur, ipſum tamen per ſe arborẽ gignere non poteſt, ſed terra, humore, caloreq; eget. Naſcuntur autẽ arbores partim ſponte, nullaq; hominum opera: partim ex ſemine poſito, partim deniq; ſine ſemine ab radice pullulant. Verg. Georg. 2.

Stirpiũ.] Aliarũ plantarũ, quales ſunt herbæ & frutices. Doletis tres exercitus.] Pompeij in Pharſalia, Petrei & Afranij in Hiſpania, Scipionis & Iubæ regis in Africa. enumeratione incõmodorum, rem amplificat, & illuſtrat, & aduerſariũ uehementius premit, crebra conuerſione ad nomẽ Antonij facta. Complexionẽ uocat Cornificius ad Herenniũ lib. 4. Græci συμπλοκὴν uocant. Fabius lib. 9. Interfecit Antonius.] Nam ut Cicero Philip. 9.

C dicit, Is profecto mortẽ attulit, qui cauſa mortis fuit. Afflicta.] Labefactata, uexata, proſtrata. Si recte ratiocinabimur.] συλλογισόμεθα, ſi recte rationẽ ſubduxerimus, ſi boni ratiocinatores erimus, ſi ad calculos omnia reuocabimus. eſt enim tranſlatio à rationibus ſumpta, quod oſtendit ſequens uerbũ, accepta referemus. Vt Helena.] Optima & magnifica comparatio. Nota eſt fabula Homeri, & Vergilij uerſibus. Hoc loco diſſentit à Cicerone Plutarchus in Antonio. ut autẽ tota res intelligatur, & quid egerit Antonius, ſubijciã uerba Plutarchi. Antonius ſenatu & curia eiectus, aſſumpta ueſte ſeruili, & cõducto uehiculo, unà cum Q. Caſsio collegã ad Cæſarẽ fugit, clamitans nullas leges in urbe ualere, ius Tribunitiũ ſublatũ eſſe, omnibus qui æquũ bonumq; defendant, periculum capitis imminere. Quibus uerbis motus Cæſar, in Italiam cum exercitu properauit. Hac de cauſa ſcribit Cicero in Philippicis, ut Helenam Troianis, ſic Antoniũ Reip. belli, exitij, peſtis cauſam fuiſſe. Quod equidem uerũ non puto. Neq; enim ita leuis erat Cæſar, neq; ira tam præceps, ut niſi diu antea ſtatuiſſet bellũ patriæ ſuæ inferre, tam ſubito proſiluiſſet, ob uiſum Antonium in uili ueſte & uehiculo conducto, cum Q. Caſsio ad ſe fugientẽ. Sed hæc Cæſari iam diu id optanti occaſionẽ cõmodam præbuere. Ceterũ illa magis impellebant eum quæ nuper Alexandrũ, prius Cyrũ impulerant, amor immoderatus dominandi, & principatus inſana cupido, quæ ſtante Pompeio aſſequi non poterat. Verũ pace Plutarchi dixerim, id non eſt contra Ciceronẽ, qui non negat in Cæſare fuiſſe eam regnandi cupiditatẽ, ſed Antoniũ occaſionẽ præbuiſſe, & cupiditatem impuliſſe confirmat, quod & fatetur Plutarchus, & Suetonius in Cæſare. Eum autẽ id cognouiſſe, teſtatur ille locus de off. lib. 1. cum dicit Cæſarẽ omnia iura diuina & humana peruertiſſe propter eum quẽ ſibi ipſe opinionis errore fin-

D xerat principatũ. Idcirco de Off. li. 3. Cæſarẽ in ore ſemper Græcos uerſus illos de Phœniſsis Euripidis habuiſſe ſcribit: εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. quos ſic Cicero conuertit: Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia Violandum eſt: in alijs rebus pietatem colas.

Reliquæ partes Tribunatus principio ſimiles. omnia perfecit: quæ Senatus, ſalua Repub. ne fieri poſſent, perfecerat. cuius tamen ſcelus in ſcelere cognoſcite. Reſtituebat multos calamitoſos. in his patrui nulla mentio. ſi ſeuerus: cur nõ in omnes? ſi miſericors: cur non in ſuos? ſed omitto cæteros. Licinium Lenticulam de alea condemnatum colluſorem ſuum reſtituit. quaſi uero ludere cum condemnato non liceret. ſed ut quod in alea perdiderat, beneficio legis diſſolueret. quam attuliſti rationẽ populo Romano, cur eum reſtitui oporteret? abſentem credo in reos relatum: rem indicta cauſa iudicatam: nullum fuiſſe de alea lege iudicium: ui oppreſſum & armis: poſtremo quod de patruo dicebatur: pecunia iudicium eſſe corruptum. nihil horum. At uir bonus, & Republica dignus. nihil id quidem ad rem. ego tamen, quoniam condemnatum eſſe pro nihilo uis, ſi ita eſſet, ignoſcerem. hominem uero omnium nequiſſimum, qui non dubitaret

dubitaret uel in foro alea ludere: lege quæ est de alea condemnatum, qui in integrum A
restituit: is non apertissime studium suum ipse profitetur?

Reliquæ partes.] *Primam Antonij actionē contra senatū exposuit: deinceps cōmemorat quæ reliquo tempore Tribunatus sui fecerit.* *Cuius tam scelus.*] *Propositio cum attentione. Scelus fuit leges soluere, scelus patruū non restituere, cum restitueret alienos.* *Calamitosos.*] *Exilio damnatos. nam calamitas sæpe à Cicerone pro cōdemnatione ponitur. unde Or. pro Sylla.* *Patrui multa mentio.*] *C. Antonij, qui collega Ciceronis in consulatu fuit: postea repetundarū damnatus in Cephalenia insula exulauit. quam insulam totam perinde ac propriū prædium, subiectam habuit: mox ab exilio reuocatus, uita defunctus est. Ergo impietatis accusat Antoniū, qui patruū contempserit, cum homines alienos eosq; infames reuocaret.* *Si seuerus.*] *Dilemmate ex contrarijs, remouet quod dici contrà posset.*

Licinium.] *Huius restitutionem ita refert, ut uituperet.* *Collusorem.*] *Qui cum alea ludere soleret.*

Quasi uero.] *Irridet Antoniū, & urbanitate perstringit. est autē ironia.* *Sed.*] *Scilicet Liciniū restituit.*

Dissolueret.] *Ambiguū est, utrū de Antonio an de Licinio dicat, ut dissolueret. nam potest ad utrunq; referri. De Antonio ut beneficio legis, id est uendita restitutione, Licinio, Antonius dissolueret, quæ in alea perdiderat: uel ut Licinius beneficio legis restitutus, quod in alea perdiderat denuo lucraretur, & ita quibus debebat, ex ludo dissolueret.*

Quam attulisti.] *Improbat restitutionē aleatoris, ut eum de patruo neglecto redarguat. Subest enim cōparatio ex minori. Nam si alienū propinquo anteferre improbatū est, quanto nequius si id cōtra leges fiat?* *Absentē credo.*] B
Ironia. Inuestigat enim causas propter quas lenticulam restituerit, easq; remouet ad extremū. Et est hic locus obseruādus, ut qui omnia quæ afferri solent, ad iudiciū aliquod improbandū, cōplectatur. *Lege, iudiciū.*] *Id est legitimū, & lege cōstitutum.* *Quod de patruo.*] *Antonio scilicet. nam de eo hoc postremū dicebat, pecunia iudiciū fuisse corruptum. iniuria igitur fuisse cōdemnatū, restitui igitur posse.* *O uir bonus.*] *Occupatio. negat fuisse uirum bonum.*

Pro nihilo.] *Id est, ob nullū suum crimen, sine causa, iniuria, uel de re nihili, qualē existimabat aleæ ludū Antonius.*

Si ita esset.] *Si uirū bonū, & iniuria condemnatū restituisses, etiā contra leges, condonarē. haberet enim iuris aliquam speciē, & colorē.* *Hominē uero.*] *Contentio, qua probat non fuisse uirum bonum, & improbe restitutum.*

Qui non dubitaret.] *O tempora, ó mores, hodie passim luditur alea, idq; in foro: & nobis putamus licere quod Romanis ante hanc Euangelij lucē, & sacrosanctā religionē, lege uetitū, & nefas erat. Atq; utinā ij essemus qui Ciceronis illa pro Archia poeta usurpare possemus: Quis mihi iure succenseat? si quantū cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorū celebrandos, quantū ad alias uoluptates, & ad ipsam requiē animi & corporis conceditur temporis: quantū alij tribuunt tempestiuis cōuiuijs, quantū denīq; aleæ, quantū pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero? Sed de Alea & Aleatoribus uide Digest. lib. 11. & Cod. 3. Tit. 15. Est autē alea omnis ludus in quo temeritas & casus, non ratio aut consiliū ualet, ut tesserarū, & talorum ludus. Hinc alea pro fortuna & incerto rei euentu: hinc subire aleam, & quod Iul. Cæsar Rubiconē transiturus, ut patriæ arma inferret, usurpauit. Iacta est alea, de quo adagio,* C
ut de reliquis omnibus scitè & copiose D. Erasmus Germaniæ suæ lumen, in Chiliadibus suis disseruit.

Studium suum.] *Id est, se aleatorem esse fateatur necesse est.*

In eodem uero Tribunatu, cum Cæsar in Hispaniam proficiscens, huic conculcandam Italiā tradidisset: quæ fuit eius peragratio itinerū? lustratio municipiorū? scio me in rebus celebratissimis sermone omniū uersari: eaq;, quæ dico, dicturusq; sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere, q̃ mihi, qui non fui. notabo tamē singulas res: & si nullo modo poterit oratio mea satisfacere uestræ scientiæ. Ecquod enim unq̃ in terris tantū flagitiū extitisse auditū est? tantā turpitudinē? tantū dedecus? Vehebatur in essedo Tribunus plebis: lictores laureati antecedebāt: inter quos aperta lectica mima portabatur: quam ex oppidis municipales homines honesti obuiā necessario prodeuntes, non †uero illo, & mimico nomine, sed Volumniā cōsalutabant. sequebatur al. noto
rheda cum lenonibus: comites nequissimi: reiecta mater amicā impuri filij tanq̃ nurum sequebatur. O miseræ mulieris fœcunditatē calamitosam. horū flagitiorū iste ue- D
stigijs omnia Municipia, Præfecturas, Colonias, totam deniq; Italiam impressit.

In eodem uero Trib.] *Persequitur reliqua tribunatus Antonij facta. quod autē hic cōmemorat, tum factū est, cum pulso ex Italia Pompeio, ne quid hostium à tergo relinqueretur, ad Afraniū Cæsar, & Petreiū Pompeij duces persequendos in Hispaniā profectus est: quo tempore urbē Lepido tum prætori cōmendauit, Antonio negotiū dedit, ut Italiam lustraret.* *Conculcandam.*] *Non lustrandam & custodiendam, sed uastandā potius: esset enim leue uerbū. uerbum igitur incredibiliter tollit, ut ipse Cicero loquitur, in Part. orat.* *Quæ fuit?*] *Quasi diceret, dissolutissima.*

Lustratio.] *Circuitio, per omnia municipia.* *Scio me.*] *Rem omnibus notā & testatā esse dicit, ne quid fingere uideatur. Et est præmunitio quædā ad ea quæ dicturus est. quā recēset Cic. inter ornamēta sententiarū lib. 3. De orat.*

Versari.] *Hoc est, de rebus notissimis dicere.* *Qui non fui.*] *Quippe qui in castris tum essem Pompeij.*

Ecquod enim.] *A rei nouitate & magnitudine attentionē parat, & rem mirifice amplificat uerborū cōgerie, sine interpretatione.* *Vehebatur in Essedo.*] *Inuidiosa ἐνάργεια, id est, illustris explanatio & demonstratio, qua turpitudinē itineris Antonij, quasi res geratur, sub aspectū pene subijcit. Alij ὑποτύπωσιν uocant, quam Fabius sub figurationē interpretatur: quam recte ipse uiderit: melius Cicero, subiectionē, & alijs elegantibus modis. Essedum uero uehiculū est, Belgicū & Britannicum. Verg. Georg. 3. Belgica uel molli melius ferret Esseda collo. Hinc fit Essedarius, Essedi auriga.* *Lictores laureati.*] *Hoc quoq; ad Antonij dissolutionem ostendendam facit.* *Mimico nomine*

A *mine.] Nam & Hippis primũ, deinde facta mima, mimico nomine, Cytheris appellata est. Sed Antonius cum eam duxisset uxorẽ concubinã, Volumniã uoluit appellari, ut una cum forte nomen quoq; mutaret. supra: aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. Mima autem, psaltria est, & histrionica muliercula. Sequebatur Rheda.] Et hoc uehiculi Gallici genus est, quo nobiliores utebantur, ut hodie quoq; fieri uidemus, præsertim in Italia, in qua Rheda magnifica primariæ fœminæ uehuntur. Cum lenonibus.] Mihi risum mouent qui leonibus legunt, & cõminiscuntur nescio quæ de leonibus currum trahentibus. non igitur leones, sed lenones erant & mimæ, huius Antonianæ Rhedæ ornamenta.] Retecta mater.] Impietatẽ notat Antonij, qui matrẽ tuliã contemneret. Tanquã nurum.] Ergo non uera nurus, sed filij concubina, siue potius scortum. O miseræ mulieris.] Exclamatio, qua Cicero deplorat miseram Antonij matrẽ, quæ tam impiũ peperit filium. Horum flagitiorũ.] Memoriã flagitiorũ suorũ reliquit. infixit hominũ memoriæ sua flagitia: translatio est à notis quæ corporibus imprimuntur. Municipia.] De municipijs & colonijs, eorũq; iure, uide A. Gel. lib. 16. cap. 13. Præfecturas.] Præfecturæ autore Festo Pompeio dicebantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agitabantur: & erat quædam eorũ Respublica, nec tamen magistratus suos habebant, uerum ad eas præfecti siue prætores quotannis mittebantur, qui ius dicerent. Lubrica.] Anceps, incerta, dubia, periculosa. translatio sumpta ab unctis Athletarum corporibus.*

Reliquorum factorum eius P. C. difficilis est sanè reprehensio, & lubrica. uersatus
B in bello est. saturauit se sanguine dissimillimorũ sui ciuium: fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. sed quoniam ueteranis cautum esse uolumus, quanquam dissimilis est militum causa, & tua: illi secuti sunt, tu quæsisti ducem: tamen, ne apud illos me in inuidiam uoces, nihil de genere belli dicam. Victor Thessalia Brundusiũ cum legionibus reuertisti. ibi me non occidisti. magnũ beneficiũ. potuisse enim fateor. quanquam nemo erat eorũ, qui tunc tecũ fuerunt: qui mihi non censeret parci oportere. tanta enim est charitas patriæ: ut uestris etiam legionibus sanctus essem: quod eam à me seruatam esse meminissent. sed fac te dedisse mihi, quod non ademisti: meq; à te habere uitam,
al. licuitne quia à te non sit erepta: †liceat nunc mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, ut tuebar: præsertim cum te hæc auditurum uideres.

Reliquorũ factorũ.] Hæc εἰρωνικῶς dicit. reprehendit enim tempus Pharsalici belli. Est, inquit, in promptu, & expedita eius in Pharsalico bello reprehensio. Versatus est.] Breuissima narratio, qualis illa Terentij, in Andria: Effertur, imus, ad sepulchrũ uenimus, in ignẽ posita est. Dissimilimorũ sui.] Id est bonorũ, cum is sit hostis
C *patriæ. Fuit felix.] Id est, uicit, uictoria potitus est. Si potest ulla.] Correctio. nam non fuit felix, quando illud non bellũ sed latrociniũ fuit. Sed quoniã.] Abrumpit hunc locũ, estq; εἰρωνεία tacita, qua inter ueteranos cõnumerat Antonium. Quanquã.] Correctio. qua separat Antoniũ à reliquis ueteranis, ut Antoniũ reprehendat, reliquos ne offendat. Tu quæsisti ducem.] Cæsarem, cui obligatus non eras. Tamen, ne.] Epanalepsis, id est, reuocatio uerbi. Victor Thessalia.] Hæc idcirco renouat, ut, occasionem habeat ea quæ Brundusii Antonius nequiter egit, & flagitiose uituperandi. Tanta enim est charitas.] Epiphonema, & locus cõmunis, de charitate patriæ, quæ tantũ potest ut etiam hostium animos emolliat, & frenet. Sanctus.] Non uiolandus, à profanis non tangendus. Sed fac.] Concedit rursum id beneficiũ, sed ita ut non minus ex ea concessione uituperetur Antonius. Liceat nunc.] Præmunitio: in qua licet contemplari, miram oratoris in dicendo prudentiam & moderationem. Præsertim cum.] Id est, cum noui nihil tibi obijciatur. Alij legunt, licuitne mihi, &c. sed prior lectio melior, mea sententia est.*

Venisti Brundusiũ in sinum quidẽ & complexũ tuæ mimulæ. quid est? num mentior? quàm miserũ est id negare non posse: quod sit turpissimũ confiteri. si te municipiorũ non pudebat: ne ueterani quidẽ exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundusii illam non uiderit? quis, qui nescierit uenisse eam tot dierũ tibi uiã gratulatũ? quis qui
D non indoluerit tam sero se, quẽ hominẽ secutus esset, cognoscere? Italiæ rursus percursatio eadẽ comite mima: in oppida, militũ crudelis & misera deductio: in urbe auri & argenti maximeq; uini fœda direptio. accessit, ut Cæsare ignaro, cum esset ille Alexandriæ, beneficio amicorũ eius magister equitũ cõstitueretur. tum existimauit se suo iure cum Hippia uiuere: & equos uectigales Sergio mimo tradere. quid ego istius decreta? quid rapinas? quid hæreditatũ possessiones datas? quid ereptas proferã? cogebat egestas: quo se uerteret nõ habebat: nondũ ei tanta à L. Rubrio, nõ à L. Tursecio hæreditas uenerat: nondũ in Cn. Pompei locũ, multorũq; aliorũ, qui aberãt, repentinus hæres successerat. erat ei uidendũ latronũ ritu, ut tantũ haberet, quantũ rapere potuisset.

Venisti Brundusium.] Turpissimum mimæ amorem perstringit, & milite, nedum duce indignas cum ea congressiones, & circumductiones: qua de re uide Val. Max. lib. 2. De disciplina militari. Mimulæ.] Diminutio, ad flagitium exaggerandum. Quid est?] Instat, urget, exagitat hominem. Quàm miserum est.] Locus communis, Enthymemate conclusus, ornandi & amplificandi causa. Si te.] Amplificatio, ex eo quod flagitium celari non poterat, cum & municipijs & ueteranis esset notissimum. Quem hominem secutus.] Nimirum nequissimum

simum. hoc dicit indoluisse milites, quòd tam sero cognouissent, se habuisse ducem nequissimũ & flagitiosissimũ: quem si A
antea cognouissent, secuti non essent: male igitur quidam, Secuta, legi malunt, ut ad mimam referatur. Italiæ rursus percursatio.] Id est peragratio, & lustratio facta est. Conficit autem distributionem, dum quid singulis locis factum sit proprie exponit, & scelera in loca distribuit. Deductio.] Similiter desinens, quod Græci ὁμοιοτέλευτον uocant. Auri.] Auaritiam hominis inexplebilem notat. Vini.] Hoc significat Antonium ebriosum hominem esse. Fœda.] Turpis & crudelis. Accessit.] Quomodo sit magister equitum factus, & quomodo se in eo munere gesserit. Cæsare ignaro.] Quasi diceret, Cæsarem non fuisse tam stultum qui Antonium magistrum equitum faceret. Deinde, neq; recte neq; ordine fuisse eum magistrum equitum factum quòd dictatoris sit, sibi magistrum equitum designare. erat autem Cæsar dictator. Nam ut dictatoris summum in populum ius fuit, sic & magistro equitum in milites omnes, & accensos. Magistri equitum munus, in præfectum prætorio apud Cæsares mutatum fuit, atq; eius autoritas aucta: ut habetur in Digestis de officio præfecti pretorio. Cum Hippia.] Cum mimula sua, cum Cytheride, de qua satis dictum. Et equos uectigales.] Equos quatuor factionum quibus uectigal erat impositum intelligit, quos nulla pecunia Sergio mimo tradidisset Antonius. De quibus equis Asc. Pedianus sic scriptum reliquit. Diximus iam supra Syllæ ludis quos propter uictoriam fecerat, quadrigas C. Antonium & alios quosdam nobiles homines agitasse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario uectigales quadrigas: quam redemptionẽ senatori habere licet per legem. De Sergio & Cytheride etiam mentionẽ facit Plutarchus in Antonio. Sergio mimo tradere.] Quasi diceret: equos Sergio curandos tradidit, ipse uerò Hippiã mimã curandam suscepit. fuerat fortasis hic Sergius, B
Hippiæ maritus. quicquid sit, ludit in nomine magister equitũ, tanquã diceret, ipsum non equites, aut milites, sed scorta curasse. Hippia enim nomen ab equis deductum est, ἵππος enim equus est. Quid ego.] Præteritio oratoria: quæ frequentationẽ continet Antonij scelerũ. nam ea miro artificio in unum congerit locum, ut cumulo suo, magis extent & emineant. Cogebat egestas.] Scelerum causas, sed illas tres enumerat. Aliorum.] Ciuium Romanorum, & proscriptorum. Erat ei uiuendum latronum ritu. Ita defendit, ut criminetur acerbius.

Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus. loquamur potius de iniquissimo genere leuitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiæ nuptijs exhauseras: ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie. O rem non modo uisu fœdam, sed etiam auditu, si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset: quis non turpe † diceret? in cœtu uerò populi, negocium publicum gerens, magister equitum, cui al. duceret
ructare turpe esset: is uomens frustis esculentis uinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal impleuit. C

Sed hæc.] Epilogus, ut ad alia flagitia transeat. Robustioris.] Translatũ, id est maioris, grauioris, ualentioris, utpote quæ ui, non nequitia tantum cõmissa sunt. Leuitatis.] Nequitiæ. de leuitate diximus alibi.

Tu istis faucibus.] Amplificatio ex tacita ratiocinatione. Nam ad fauces & latera respicientes, ratiocinari & æstimare possumus, quantũ ille uini in Hippiæ nuptijs exhauserit, quod ferre & coquere non posset, illa gladiatoria corporis firmitate. siquidẽ tanta uis fuit uini erumpentis, ut non casum afferret, aut uoluntatem, sed necessitatem, ubi minime deceret, uomendi: & cibus non recens, ut accidere interim solet, redderetur, sed qui usq; in posterũ diem redundaret. Quintil. lib. 8. cap. 4. De Antonij ebrietate Plinius sic scribit: M. Antonius auidissime apprehenderat hanc palmam, edito etiam uolumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbauit planè (ut quidẽ arbitror) quanta per temulentiam mala terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum illud uolumen euomuit: quo facile intelligebatur ebrius iam sanguine ciuium, & tanto magis eum sitiens. hæc Plinius. Istis lateribus.] Erat robusto & amplo corpore Antonius. Gladiatoria.] Valentissima, qualis requiritur in Gladiatoribus, siue Athletis.

Exhauseras.] Amplificatio in uerbo, pro ebiberas. Necesse.] Ergo non casu, aut uoluntate, quod excusari posset. In pop. Rom.] Amplificat à personis, & Pop. Rom. dignitate. Vomere.] Quod magnæ ebrietatis & intemperantiæ fuit argumentum. Postridie.] Ergo non recens cibus ut fit in imbecillioribus stomachis, amplificatio à tempore. O rem.] Auget exclamatione. Non modo uisu.] Rem iam sensibus obijcit, quo D
fœdior uideatur. Si inter cœnam.] Amplificatio ex cõparatione. Inter cœnam.] Alij dicunt inter cœnandum. Immanibus illis poculis.] Intemperantiæ Antonij amplificatio, à magnitudine, & amplitudine poculorum quibus domi utebatur. In cœtu uerò.] Altera pars, & maior comparationis. In cœtu uerò populi.] In Pop. Rom. conspectu, cuius maiestas est summa. Negotium publicum.] Amplificat ab officio. Nam ut Horatius inquit: Omne animi uitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Cui ructare turpe esset.] Tanto igitur uomere turpius. Frustis esculentis.] Voracitatem hoc hominis arguit, qui cibũ dentibus non satis conficeret. Et esculentis comesis, & in cibo uinoq; natantibus. Vinum redolentibus.] Ad nares ferè fœdissimũ admouet, male cocti cibi, & uomitionis odorem. Gremiũ suum, & totũ tribunal impleuit.] Non leuiter aspersit, ut fit. hic rem ante oculos ponit, ut modo fecit ad nares. Hæc re uera fuit tempestas comessationis, etiã si hunc tropũ reijciat Cicero de orat. 3. Nam ex eo quod gremiũ suũ, haud dubie amplum, & totum tribunal impleuit, cogitare possumus quanta illa uomitionis tempestas fuerit. Antonium nobis Cicero tanquã ebrietatis & uoracitatis imaginẽ, picturamq; proposuit: & mihi quidẽ maxime uidetur locum Homeri de Polyphemi temulentia imitatus ex Odysseæ 9. De quo etiam ex eodem Romanus Poeta Aen. lib. 3. Nam simul expletus dapibus, uinoq; sepultus, Ceruicem inflexam posuit, iacuitq; per antrum Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento Per somnum commista mero.

Sed hoc

A Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus. ueniamus ad splendida. Cæsar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem uidebatur: mea autem sententia, si quis Reipub. sit infelix, felix esse non potest: hasta posita pro æde Iouis Statoris, bona (miserũ me, consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij Magni, uoci acerbissimæ subiecta præconis: una in illa re seruitutis oblita ciuitas ingemuit: seruientibusq; animis, gemitus tamen populi Ro. liber fuit. expectantibus omnibus, quis nam esset tam impius, tam demens, tam dijs hominibusq; hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere: inuentus est nemo, præter Antonium: præsertim cum tot essent circa hastam illam, qui alia omnia auderent. unus inuentus est: qui id auderet, quod omnium fugisset & formidasset audacia. tantus igitur te stupor oppressit? uel, ut uerius dicam, tantus furor? ut primũ, cum sector sis isto loco natus: deinde cum Pompeij sector: non te execrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias?

B *Sed hoc ipse.] Inuidiosa prosopopœia, qua facit illum suas sordes fateri. Veniamus.] Transitio, ex contrarijs constans. sordida, splendida. Cæsar Alexandria.] Insectatur Antonium, quod solus Pompeij bona publicæ auctioni à Cæsare Alexandria post interfectum Pompeium reuerso subiecta, emere ausus fuerit. Si quis Reip.] Locus cõmunis, Miseros esse qui Remp. opprimant. Hasta posita.] Quæ esset auctionis signum. Cicero de Officijs: Nec uerò unquam bellorum ciuilium semen & causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam, & meminerint & sperabunt. Pro æde.] Ante ædem, & fanum Iouis Statoris, qui stare fecit Romanos contra Sabinos, uide Liuium. Miserum me.] Prorumpit in cõmiserationem, priusquam sententiam absoluat, quo res indignior uideatur. Consumptis enim lacrymis.] Magna amplificatio doloris, qui dicat se tantum lacrymarum effudisse, ut lacrymari amplius non possit: & tamen dolorem nondum esse sedatum. Bona inquam.] Epanalepsis, propter interruptum orationis cursum. Cn. Pomp. Magni.] Inest in nomine Pompeij indignitatis amplificatio.*

Voci acerbissimæ.] Scilicet Populo Romano. Præconis.] Et hoc rei indignitatem auget. Nam non talium uirorum, præconis uoci bona subijciebantur, sed uel sceleratorum, uel decoctorum. Vna illa in re.] Mirifica Pompeij laus, cuius calamitatem Pop. Romanus suæ anteposuerit seruituti. Seruientibusq; animis.] Non uoluntate, sed tyrannide oppressis, ne quid proferre auderent. Gemitus tamen.] Id enim solum relinquitur liberum, seruitute oppressis. Expectantibus.] Ab expectatione Pop. Romani Antonij auget audaciam. Quisnam
C *esset tam impius.] A cogitatione iudicioq; populi, rem exaggerat. nam Pompeius pro patria propugnãs occubuit, non tamen in acie, sed in Aegypto, proditus ab amico rege. impius igitur est, qui eius bona tanquam proscripti, & scelerati, aut uendit, aut emit. Tam demens.] Vt qui eo facto non timeret subire inuidiam pop. Romani.*

Tam dijs.] Qui sacrosancti imperatoris bona ausit profanare. idem tamen est quod impius. Hominibusq;.] Quod dixit, demens, paria enim paribus relata sunt. Qui illud scelus.] Quasi diceret, quod instar sacrilegij est, ἐμφατικῶς dictum est, illud. Sectionis.] Auctionis, emptionis. uerum sectionis nomen atrocius est: unde sectores dicti sunt, qui proscriptorum bona sub hasta posita, redimunt, quod semper uituperabile est habitum.

Præsertim cum.] Rem auget, comparans Antonium cum audacissimis qui circa hastam illam erant, indicans illum reliquos omnes audacia superasse, qui solus ea bona redemerit. Tantus igitur.] Rem eandem rursum uersat, idq; conuersa ad Antonium oratione, quo magis eum urgeat, remq; maiorem faciat. Vt uerius dicam.] Correctio. Corrigit enim uerbum stupor, in eius locum altero subiecto grauiore. Isto loco natus.] Claro & honesto, idcirco magis uituperandus, qui sis sector. nam honestos honesta decent. Deinde cum Pompeij.] Quod simpliciter dixit, amplificat, adiunctione personæ cuius est sector. Omnes tibi deos, omnes homines.] Paulo ante: dijs hominibusq; hostis, dixit. Et futuros.] Temporis distributione rem grauiorem facit.

D At quàm insolenter statim helluo inuasit in eius uiri fortunas: cuius uirtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iusticia charior. In eius igitur copias cum se subito ingurgitauisset: exultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente diues. sed ut est apud poetam nescio quem: male parta, male dilabuntur: incredibile ac simile portenti est: quonã modo illa tam multa, quàm paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. maximus † uini numerus fuit: permagnum optimi pondus argẽti: preciosa uestis multa, & lauta supellex & magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. horũ paucis diebus nihil erat. quæ Charybdis tam uorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. nihil erat clausum: nihil obsignatũ: nihil scriptũ: apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant: alia mimæ: domus erat aleatoribus referta: plena ebriorũ: totos dies potabatur, atq; id locis pluribus: suggerebantur etiã sæpe, non enim semper iste felix, damna aleatoria: conchiliatis Cn. Pompei peristromatis

al. auri

ſtromatis ſeruorum in cellis lectos ſtratos uideres. quamobrẽ deſinite mirari hæc tam A celeriter eſſe conſumpta. non modo unius patrimonium, quamuis amplum, ut illud fuit: ſed urbes, & regna tanta nequitia celeriter deuorare potuiſſet.

At quàm inſol.] Amplificat contentione. confertur enim Helluo, cum uiro forti, & iuſto Pompeio. Pompeij uirtutes & laudes, uide in orat. pro Lege Manilia. Inſolenter.] Superbè, intemperanter. Ingurgitauiſſet.] Factum, & translatum uerbum, à gurgite aquarum, id eſt, ſe tanquam erumpens gurges immiſiſſet. immenſam hominis cupiditatem rapiendi & expilandi declarat. Perſona de mimo.] Id eſt, de fabula ſumpta, in qua idem mimus, & hiſtrio, modo pauperis, modo diuitis perſonam agit. Apud poetam.] Is Neuius eſt, autore Feſto Pomp. Sed Cicero eius nomine abſtinet, ne ſtudioſus artis hiſtrionicæ uideatur. Itaq; dicit: neſcio quem. ſic enim grauẽ decet uirum. nam tota hiſtrionica, & ſcena, leuis eſt, & legibus infamiæ notata. Male parta.] Parata & acquiſita, ut Feſtus interpretatur, hunc ipſum Neuij citans uerſiculum. Eſt autem ſententia, de cõſuetudine uitæ cõmunis ſumpta: quam oſtendit uerißimam in Antonio fuiſſe. Huic ſententiæ ſimilis eſt illa Plautina: Male partum, male diſperit. Metellus ille cognomento fœlix, inter alia quæ optima habuit, gloriabatur ſe pecuniam magnam, bono modo partam habere. Plato in Gorgia cantilenam conuiualem celebrat, in qua canebatur optimum eſſe bene ualere, ſecundo loco formoſum eſſe, tertio habere diuitias bene & iure partas: tanquam optanda non ſint, nec pro bonis habenda quæ male parta ſint. Nam quæ huiuſmodi ſunt, à flagitioſo hærede dilapidabuntur. B Tam multa, quàm paucis.] Contentio, ad amplificandam nequitiam Antonij. Non dico menſibus.] Hominis luxum, & profuſionem exaggerat à breuitate temporis.

Vini numerus.] Reſpicit ad cados, & dolia. ſunt tamen qui pro uini, auri legendum eſſe putent. neutrum ego reijcio, ſequitur enim pondus argenti. Permagnum optimi.] Enumeratio copiarum Pompeij, ad Antonij luxuriam arguendam, qui tanta bona, tam cito conſumpſerit. Veſtis.] Singularis pro plurali. Multa & lauta.] Supellectilem quatuor ex locis amplificat. quod multa, quod lauta, quod magnifica, quod multis locis. Non illa.] Occupatio, qua defendit Pompeium, ne & ipſe luxurioſus in huiuſmodi rebus fuiſſe uideatur. Horum paucis diebus.] Quàm paucis uerbis hoc dicit, ut uel ex eo quàm cito illa conſumpſerit, eluceat. Quæ charybdis.] Hyperbole alia ſuper alia addita, rem in immenſum exaggerat. Charybdin dico.] Correctio, quaſi parum dixerit. Et tamen charybdin bonorum ſi quis dicat, non probat Cicero De or. 3. mauultq; Voraginem dici. Vide Fabium lib. 8. capite de Tropis. Quæ ſi fuit.] Hoc dicit, quia ſunt fabuloſa, quæ poetæ de Charybdi, Scyllaq; cecinere. finxerunt enim mulieres fuiſſe, in marina monſtra conuerſas, cum re uera ſint loca in Siculo freto periculoſa nauigantibus, quod ibi mare ſit inter ſaxa & ſcopulos uorticoſum & præceps, ut à Geographis, qui magis ueritatem ſequuntur, deſcribuntur. De his Vergilius Homerum ſecutus, ſic Aeneidos 3. ſcripſit:

Dextrum Scylla latus, læuum implacata charybdis C
Obſidet, atq; imo barathri ter gurgite uaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusq; ſub auras
Erigit alternos, & ſydera uerberat unda.
At ſcyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore uirgo
Pubetenus: poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas utero cõmiſſa luporum.

Eadem ferè habet Ouidius Met. 13. Oceanus.] Pro charybdi, Oceanum ſubijcit, & eſt uehemens amplificatio.

Tot res.] A rerum multitudine auget. Tam diſſipatas, tam diſtan. lon.] A locorum interuallis. Cõmoratur autem in eodem loco, & illum ſubinde uerſat. Tam cito.] A tempore, ſicut paulo ante: horum (inquit) paucis diebus nihil erat. & iam ter idem dixit. Abſorbere.] Ad Oceanum & Antonium ſimul refertur. Nihil erat clauſum.] Membrum cum repetitione. Nihil obſignatum.] Cic. de Orat. 2. Hoc in furace ſeruo ſi quis dicat, ridiculum ex ambiguo eſſe dicit: ut ſi quis dicat: Huic nihil obſignatum eſt, nec occluſum. quod idem in bono ſeruo dici ſolet. Nihil ſcriptum.] Hoc eſt inſcriptum. ut cum tituli inſcribuntur clauſis rebus. Apothecæ.] Enargia, rem ipſam ante oculos ponit, ut Antonij luxuriam atq; nequitiam augeat. D Apotheca uero, eſt cella uinaria, teſte Plin. multis locis. Vlp. quoq; iuriſconſ. de ijs quæ legata ſunt ſcribit: Vina quæ in Apothecis ſunt, fundo inſtructo legato, non cedere, ſi ſint illic non uſus, ſed cuſtodiæ gratia. Apothecæ totæ.] Id eſt, totos dies potabatur, ut paulo poſt. poſſunt tamen etiam meo iudicio, apothecæ intelligi de omnibus locis, in quibus reponuntur res, & ſeruantur, præſertim eſculenta & poculenta, quæ etiam penaria appellant latini. Condonabantur.] Donabantur, permittebantur.

Plena.] Amplificatio à multitudine. Totos dies.] A temporis attributis. Locis plurimis.] A loco. grauius eſt enim multis in locis, quàm in uno. Suggerebantur.] Subijciebantur. Interea etiam in alea magnam æris iacturam faciebat Antonius. Conchyliatis.] Conchylijs tinctis, purpureis. eſt enim conchylium, conchæ marinæ genus, cuius ex ſanguine purpura tingebatur. de quibus apud Plinium lib. 9. Et eſt amplificatio ex tacita ratiocinatione. Si enim tantus luxus ſeruorum fuit, quantus in domino cogitandus? Periſtromatis.] Græcum eſt, ſicut etiam Peripetaſmata, & aulæa. Stragulam ueſtem, & tapeta uocamus. In cellis.] In cubiculis. idem ſignificat interdum cella. quanquam in cellis, ſignificare poteſt, ſeruos Antonij paſſim in uinarijs, granarijs, & olearijs cellis ſtrauiſſe lectos, ut cellas hic uocet, quas paulo ante dixit Apothecas. Rerum enim precioſiſſimarũ contemptũ, & abuſum uoluit ſignificare. Quamobrem.] Epilogus, cum amplificatione Antonij luxuriæ. Tanta nequitia.]

A *Tanta luxuria quam Greci ἀσωτείαν uocant. Intelligit autem luxum uitæ prodigum effusamq; prodigalitatem cui contraria est (ut Cicero in Tusculanis docet) frugalitas. P. Africanus dicere solebat probra & flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus esse, in malitia, & nequitia.*

At eiusdem ædes etiam & hortos. O audaciã immanem: tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium dijs penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquandiu nemo aspicere poterat: nemo sine lachrymis præterire: hac te in domo tamdiu diuersari non pudet? in qua quamuis nihil sapias: tamen nihil tibi potest esse iucundum. an tu illa uestibula, rostra, spolia, cum aspexisti: domũ tuam te introire putas? fieri non potest. quamuis enim sine mente, sine sensu sis, ut es: tamen & te, & tua, & tuos nosti. nec uero te unquam neq; uigilantem, neq; in somnis credo mente posse consistere. necesse est, quamuis sis, ut es, uiolentus & furens: cum tibi obiecta sit species singularis uiri: perterritum de somno excitari: furere etiam sæpe uigilantem. me quidem miseret parietum ipsorum, atq; tecto
B rum. quid enim unquam domus illa uiderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille uir P. C. sicut scitis, cum foris clarus: tum domi admi-
al. ædibus randus: neq; rebus externis magis laudandus, quàm institutis domesticis. huius in sedibus pro cubiculis stabula, pro triclinijs popinæ sunt. & si iam negat. nolite, nolite quærere. frugi factus est. mimam illam suam suas res sibi habere iussit: ex duodecim ta
al. claues ademit, exegit bulis causam addidit, †exegit. quàm porro spectatus ciuis? quàm probatus? cuius ex omni uita nihil est honestius: quàm quod cum mima fecit diuortium.

At eiusdem ædes.] Seorsim de domo dicit, postquã de ijs quæ in domo erant, dixit, ut hac separatione, Antonij non solum nequitiã, sed etiã audaciã arguat. Et hortos.] Scilicet, ingredi ausus es. O audaciam.] Exclamatio hæc pertinet ad rei indignitatẽ augendam. est enim indignationis plena. Tu ingredi.] Exaggerat, increpatione uehementi. Tu illud.] Interpretatio cum repetitione. Sanctissimũ limen.] Omnis uirtutis, honestatis, sanctitatis plenũ, dijs amicũ, deorũ domicilium. Tu illarũ.] Interpretatur quod dixit: sanctissimũ. Et obserua, eiusdem uerbi crebrius positi distinctionẽ, illam, illud, illarum. Dijs penatibus.] Dij penates, sunt dij patrij,
C *dij domestici, lares, foci, siue à penu ducto nomine, siue quod penitus insident, siue, quod penes nos nati esse putentur, quos quidam proprios & priuatos cuiusq; genios uocant. Os importunissimũ.] Molestissimũ, improbissimũ, infestissimum. Quã domũ.] Sæpius iterat nomen domus, ad cõmiserationẽ permouendã, & senatorũ in Antonium odiũ inflãmandum. Diuersari.] Habitare, sed tamen ut in diuersorio. nam tua non est. Nihil sapias.] Nam stultis, & insulsis, omnia iucunda sunt, quod nihil cogitent, nisi præsentes uoluptates. Et tamen Antonio quamuis nihil saperet, iucunda iratis dijs, esse non poterant. An tu.] Antonij improbitatem ostendit, ex uirtutis insignijs quibus Pompeij domus erat ornata. Vestibula, rostra.] Id est rostra & spolia, quibus uestibula ornata erant.*

Rostra.] Scilicet nauiũ, quæ à Pompeio foribus suspensa sunt, cum de Piratis uictoriã reportasset. Rostra uero, in nauibus ad prorã addi solebant, quasi suis, aut rapacis auis, ut cõcurrentes naues, se mutuo, figerent, confoderent, & deprimerent. Spolia.] Vt galeæ, loricæ, hastæ, uexilla, & id genus alia, quæ ex uarijs uictorijs, domum retulit Pompeius. Postibus autẽ hæc affigendi Romanis mos fuit, quem poeta ad regem Latinum transtulit, dicens:

Quin etiam ueterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italusq;, paterq; Sabinus:
Vitisator curuam seruans sub imagine falcem:
Saturnusq; senex, Ianiq; bifrontis imago,
D *Vestibulo astabant: aliq; ab origine reges,*
Martia qui ob patriam pugnando uulnera passi.
Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaq;, clipeiq;, ereptaq; rostra carinis.

Hæc hostium spolia, ut inquit Plinius erant animorũ ingentiũ imagines, quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiã dominus mutatis, domus ornamenta erant: erantq; hæc stimulatio summa & ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominũ intrare in alienũ triumphum. Sine mẽte.] Amens, demẽs, παραφρενιτικός. Sine sensu.] Stupidus, & sine cõmuni sensu. Vt es.] Hoc maiorẽ uim addit uituperationi. Et tuos.] Qui talia non habetis uirtutis insignia. Nec uero te.] Fingit Antoniũ, quod impijs accidere solet, furijs agitari, & terreri spectris, ut poetæ fingunt: quæ nihil aliud sunt, quàm sua cuiusq; mens & conscientia, & scelus, ut ipse Cicero alibi interpretatur. Species singularis uiri.] Imago, spectrum Cn. Pompeij, ut Vergilius Aeneidos 4.

Me patris Anchisæ quoties humentibus umbris
Nox operit terras: quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago.

Me quidem.] Delabitur in cõmiserationem, & rebus mutis sensus tribuitur quidam, quo uehementius animi perturbentur. *Fuit enim.*] Pompeium laudat, ut ex altera parte uituperet Antonium. *Cum foris clarus, tum domi admirandus.*] Id est in bellicis rebus, & in administranda Republica. *Neq; rebus externis.*] Versat eandem rem ex coniugatis, foris, externis rebus: domi, domesticis institutis. *Huius in ædibus.*] Contentione ex differentibus moribus, rem exaggerat. Legitur etiam huius in sedibus quod idem est. *Stabula.*] Meretricum lustra. unde prostibulum, pro meretrice. *Pro triclinijs Popinæ.*] Id est pro cœnaculis Ganeæ, siue tabernæ rerum esculentarum & cupediarum. *Et si iam negat.*] Occupatio, Antonium meliorem esse factum, quod probatur ex eo, quod mimam repudiauit. negat Cicero meliorem factum. etiam si honeste fecerit qui impudicam repudiarit, non consequi tamen ex eo frugi factum, cum nihil unquam præter id unum, honestius fecerit: multa alia concurrant oportet, qui se frugi factum probare uelit. *Frugi.*] Moderatus & temperans, frugalis, ut Cic. interpretatur Tusc. 3. Græci frugi homines χρησίμους appellant, id est utiles, at frugalitas patet latius. complectitur enim & reliquas uirtutes. A

Suas res sibi.] Verba solennia sunt, repudij atq; diuortij: sic enim Caius Iurisconf. L. 2. De diuortijs: In repudijs (inquit) id est, renunciationibus, cõprobata sunt hæc omnia: Tuas res tibi habeto. Item hæc: Tuas res tibi agito. His itaq; uerbis, non nouis nuptijs, & tacito consensu, repudiosæ fieri diuortium & ualere censent Iurisconsulti, etiam si quidam aliter sentiant. Similis formula matrona Plautina à marito diuertit: Valeas, inquit, tibi habeas res tuas, reddas meas.

Ex 12. tabulis causam.] Verrius Iurisconf. ut Festus tradit, repudium dictum ait, quod fit ob rem pudendam. Ex quo licet existimare impudicitiam mulieris causam diuortij fuisse in legibus 12. tabularum: quam etiam potissimũ probauit Christus. Iustinianus tamen alias etiam causas recenset, in libris Digestorum, uerum quæ si quis diligentius expendat, ad impudicitiam omnes, unde ortæ sunt, referantur. *Fecit diuortium.*] Mimæ nuncium remisit, Mimam repudiauit. Diuortium, uox translata est, ab aquis quæ à se mutuo separantur, & in diuersas partes eunt. Diuortium igitur dicitur, cum aliò atq; aliò maritus uxorq; diuertunt & discedunt, ut etiam Paulus Iurisconf. De rerum & uerborum significatione declarauit. B

At quàm crebro usurpat, & Consul, & Antonius? hoc est dicere & Consul, & impudicissimus, & Consul, & homo nequissimus. quid enim est aliud Antonius? nam si dignitas significaretur in nomine: dixisset aliquando credo auus tuus se & Consulem & Antonium. nunquam dixit. dixisset etiam collega meus, patruus tuus: nisi solus es Antonius.

At quàm crebro.] Morem quendam Antonij & superbum & ineptum reprehendit, qui cum quid ediceret literis uel imperaret. Et consul & Antonius usurpabat, cum Antonius consul sine copula dicendum foret. Illud autem uidebatur Antonius facere, quo maiorem uim autoritatemq; edictis conciliaret suis, quasi in Antonij nomine inesset dignitas quædam, & pondus: nec intelligebat, autoritatem in consule esse, non in Antonio. Sed hoc poterat usurpare Antonius, qui plura suo quàm consulis iure faceret, aut potius, plura ex cupiditate & libidine, quàm ex officij ratione. Quamobrẽ iure Cicero interpretatur eius ridiculam formulam, & quid in Antonio separatim contineatur, enodat. Et recte quidem Cicero. nam si Antonius est homo nequissimus, & Antonius est consul, igitur, & consul & Antonius est homo nequissimus, ut si dicas, si homo est animal bipes: & Socrates est homo: ergo Socrates, & homo est, & animal bipes. *Nisi tu solus.*] Id est, nisi tu solus es impudicissimus & nequissimus ut ex præcedentibus, in Antonij nomine emphasis. C

Sed omitto ea peccata, quæ non sunt earum partium propria, quibus tu Remp. uexauisti. ad ipsas tuas partes redeo: id est ad ciuile bellum: quod natum, conflatum, susceptum, opera tua est: cur ei bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti? gustaras ciuilem sanguinem, uel potius exorbueras: fueras in acie pharsalica antesignanus: L. Domitium nobilissimum & clarissimũ uirum occideras: multos, qui de prælio effugerant, quorum Cæsar nonnullos fortasse seruasset: crudelissime persecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus, gestis, quid fuit causæ, cur in Africam Cæsarem non sequerere? cum præsertim belli pars tanta restaret? D

Sed omitto.] Transitio cum occupatione. *Nam si dignitas.*] Ab exemplo Antonij errorem arguit.

Earum partium.] Cæsarianarum. nam Cæsaris partes secutus Remp. uexarat. Errat Maturantius, alioqui doctissimus, qui earum partium, earum actionum interpretatur: id quod sequentia indicant: Ad ipsas tuas partes redeo, inquit, id est ad ciuile bellum. Ergo tuas partes, id est partes Cæsaris quas tu secutus, bellum ciuile conflasti. *Natum, conflatum, suf.*] Bono ordine, & naturali, quasi diceret, tu origo, tu artifex, tu susceptor executorq; belli ciuilis fuisti.

Cur ei bello.] Inconstantiam hominis arguit, qui cum autor belli ciuilis extitisset, non esset Cæsarem in Africã secutus. Idcirco Cæsaris ei obijcit offensionem. Et ex eo simul probat, idq; Antonij ipsius testimonio, eum fuisse belli ciuilis facem. *Propter timiditatem.*] Causas duas recenset, cur bello ciuili defuisset Antonius. *Gustaras.*] Translatio, id est, effuderas. sed illud uisum est atrocius. *Vel potius exorbueras.*] Hauseras. correctione exaggerat: nam plus est exorbere (in quo uerbo auiditas quædam inest) quàm gustare. *Antesignanus.*] Dux, siue miles, qui in acie ante signum stat. narrat autem eius in bello Pharsalico crudelia facta, ut appareat illum inconstantia sola, & uanitate, reliquis defuisse. *Seruasset.*] Vt erat clemens. nam & multos seruauit, ut Plutarchus, Dion, & Suetonius testantur *Belli pars tanta.*] Restabat debellandus Scipio, cum Iuba rege, restabat Cato, & Sex. Pomp. F, Petreius & Afranius, atq; alij Pompeiani.

A Itaq; quem locũ apud ipsum Cæsarẽ post eius ex Africa reditũ obtinuisti? quo numero fuisti? cuius tu imperatoris quæstor fueras: dictatoris magister equitũ, belli princeps, crudelitatis autor, prædæ socius, testamenti, ut ipse dicebas, filius: appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. Primo respondisti plane ferociter: & ne omnia uidear contra te, propemodũ æqua & iusta dicebas. A me C. Cæsar pecuniam? cur potius quàm ego ab illo? an ille sine me uicit? at ne potuit quidem. ego ad illum belli ciuilis causam attuli: ego leges perniciosas rogaui, ego arma contra consules imperatoresq; populi Romani, contra senatum populumq; Romanũ, cõtra deos patrios, arasq; & focos, contra patriã tuli. num sibi soli uicit? quorũ facinus cõmune, cur nõ sit eorũ præda cõmunis? ius postulabas. sed quid ad rem? plus ille poterat.

Itaq; quem locum?] Offensionem Cæsaris, cum amplificatione cõmemorat, ex persona, & eius erga Cæsarem meritis. Habet locus hic, uim iudicij Cæsaris in Antonium. His præterea irridet Antonium, quod parum gratiæ ex rebus in Pharsalia gestis, apud Cæsarem consequutus sit. *Quo numero.*] Quo loco, quo gradu honoris. *Cuius tu*
B *imperat.*] Enumeratio, ad amplificandam Antonij dignitatem, & erga Cæsarem merita: ut eo contemptior iudicio Cæsaris esse uideatur. *Vt ipse dicebas.*] Dubitat de testamenti fide, ut ante de omnibus eius actis dubitauit.

Appellatus es.] Id est pecuniam à te postulauit Cæsar. Verbum est forense appello, & proprium creditorum, cum à debitoribus pecuniam exigunt, eosq; in ius uocant. Cicero pro R. P. Neminem unquam quo ea pecunia peruenisset, causam dixisse, qui in æstimandis litibus appellatus non esset: in litibus autem nemo appellabatur nisi ex testium dictis. hinc illud Columellæ: Bona nomina fieri mala, si nunquam appelles. Appellare præterea, est prouocare, id est, auxilium alterius magistratus inuocare. Cic. pro Quint. Cuius procurator à Prætore ad Tribunos appellare ausus sit. Idem in Verrẽ: Appellasti Tribunos plebis, ne causam diceres. De nota huius uerbi significatione nihil dicemus. *Primo Resp.*] Inducit oratoriam sermocinationem, siue prosopopœiam, sanè odiosam, eamq; non sine εἰρωνείᾳ. Nam defendentis specie, inducta Antonij persona, scelera eius exponit cum ratione dignitatis, id est, ad personam accõmodata.

Ferociter.] Superbe, arroganter. *Et ne omnia.*] Amarulenta dissimulatio. *A me C. Cæsar.*] Hæc est illa inuidiosa siue personæ notatio, siue sermocinatio, siue conformatio. *A me C. Cæsar pecuniam?*] Reticentia est: intelligitur enim postulat, sine quo uictor non fuisset. est autẽ hæc figura iratis accõmodata. *Cur potius.*] Hoc dicit: non pecunia, sed ego potius ab illo uocandus essem, & præmijs amplissimis afficiendus. *An ille sine*
C *me.*] Propositio, quam sequentibus turpiter confirmat. *Ego ad illum.*] Confirmatio sumpta à causis, & rerum agendarum adiumentis. *Ego arma.*] Repetitio, ad turpitudinem exaggerandam. *Deos patrios*, quos paulo ante, deos penates appellauit. *Arasq; & focos.*] Hypallage est. ex locis enim ubi resident dij, deos ipsos intelligit. *Focos.*] Focus est, ubi ignis fouetur: in quo Vesta dea intelligitur, quæ ignis æterni symbolo non apud Romanos modò, uerũ alias quoq; gẽtes colebatur. Ouid. Fast. lib. 6. Nec tu aliud Vestã quàm uiuam intellige flammam.

Contra patriam.] Cuius partes sunt, ij quos enumerauit, Consules, Imperatores, Senatus Populusq; Rom. dij patrij. Ergo ad unum patriæ uerbum omnia amplificando reuocauit. *Quorum facinus.*] Enthymema ex consequentibus. *Ius postulabas.*] εἰρωνείᾳ. id est æqua & iusta dicebas, ut ante dixi.

al. excusis Itaq; † exclusis tuis uocibus, & ad te & ad prędes tuos milites misit, cũ repente à te præclara illa tabula prolata, qui risus hominũ de te erat? tantam esse tabulã, tã uarias, tã multas possessiones: ex quibus præter partem Miseni, nihil erat, quod is qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis uero miserabilis aspectus, uestis Pompeij multa, eaq; maculosa: eiusdem quædam argentea uasa collisa, sordidata mancipia: ut doleremus quicquam esse ex illis reliquijs, quod uidere possemus. hanc tamen auctionem
D hęredes L. Rubrij decreto Cæsaris prohibuerunt. hærebat nebulo: quo se uerteret, nõ habebat. quippe in his ipsis temporibus domi Cæsaris percussor ab isto missus deprehensus dicebatũ esse cum sica: de quo Cæsar in senatu aperte in te inuehens questus est.

Itaq; exclusis.] Hoc dicit, ut ad illam turpem bonorum Pompeij tabulam, & nouam auctionem delabatur, ex qua summopere uituperatur Antonius. Sunt qui pro exclusis tuis uocibus, malint excusis: quoniam idem Cicero pro Sylla dixerit: Qui si attulerint neruos & industriam, mihi crede excutient tibi istam uerborum iactationem. cui simile sit Tibulli illud: Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto, Excutiunt clausæ fortia uerba fores.

Et ad te, & ad prædes tuos.] Sic enim legendum est, non ad prædas tuas. Nam & paulo post dicit, Ne L. Plancus prædes tuos uenderet. Antonius enim Pompeij bonis emptis de Cæsare, ei prædes dederat: ad quos, ut etiam ad Antonium cum repræsentare nollet, misisse milites Cæsarem uerisimile est: id quod ex libro 12. ad Atticum confirmatur: Heri, inquit, cum ex aliorum literis cognouissem de Antonij aduentu, admiratus sum nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptæ, quàm datæ. Neq; ista quidem curo: sed tamen opinor propter prædes suos accurrisse. *Præclara.*] Ironia. Tabulam bonorum Pompeij significat, in auctione propositam, quam Antonius facere cogebatur, ut precium sectionis dissolueret Cæsari. *Qui risus.*] Suauitatem conciliat narrationi, ex hominum risu. *Partem Miseni.*] Diminutio, quod non totum Misenum, id est tota Miseni uilla esset Antonij, sed pars tantũ: Reliqua omnia bona Pompeij.

Auctiona-

Auctionaretur.] Auctionem faceret, praeconis uoci subijceret. Miserabilis aspectus.] Mouet animos ex deformata Pompeij supellectile: qua quidem ex re uehementer uituperatur Antonius, qui tam splendidã, tam lautam, tamq; mundam supellectilem, tam neglectè, & dissolutè habuerit, tam negligenter curarit, tam cito consumpserit, & est penè ante oculos subiectio. Hanc tamen.] Heredes L. Rubrij cuius facta mentio supra est, decreto Caesaris interposito, auctionem prohibebant: quia Antonius, bona quae bis ex L. Rubrio iure uenirent, nullo iure inuasisset. Nam Antonius, ut sectionem dissolueret, bona non modo Pompeij, sed etiam aliorum, quos spoliarat, in tabula proscripserat. Ergo aliud flagitium Antonius ex alio inserebat. Atq; ad maiorem Antonij pudorem, saepius idem auctionis uerbum alia atq; alia repetit forma: Tabula prolata, auctionaretur, auctionis, auctionem. habent autem haec traductionis cuiusdam uim. A

Haerebat.] Dubius, & anceps erat. hoc uerbum sequentibus uerbis interpretatur. Quo se uerteret non habebat, id enim est, haerebat. Nebulo.] Vel planus & fur, quia nebulas obijciat, uel inanis & uanus ut nebula est: hic autem etiam sicarium significat ut mox dicet ipse. hunc Antonius auctioni praefecerat: per huiusmodi homines res suas curabat Antonius. Quippe.] Nam, quia. reddit enim rationem. Ab isto.] Ab Antonio, per contemptum ita eum innuit. Ergo Antonius necem Caesari machinabatur. Percussor.] Sicarius, ad Caesarem percutiendum missus. Cum sica.] Cum pugione. erat enim sica breuis gladius, latens: à quo sicarij dicti: quanquã sica, pro quouis telo, & gladio, & sicarius pro eo qui caedem telo fecit, accipiatur. De quo Caesare.] Hoc addit pro testimonio, ne uideatur ipse fingere.

Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad soluendum propter inopiã tuam, prorogatis diebus. ne tunc quidẽ sequeris. tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, id est, in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat? profectus est †tamen aliquando in Hispaniam: sed tuto, ut ait peruenire non potuit. quo nam modo igitur Dolabella peruenit? aut non suscipienda fuit ista causa Antoni: aut cum suscepisses, defendenda usq; ad extremum. ter depugnauit Caesar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus affuit his pugnis Dolabella. in Hispaniensi etiam uulnus accepit. si de meo iudicio quęris: nollem. sed tamen consilium à principio reprehendendum: laudanda constantia. B al. tandem

Proficiscitur in Hisp.] Haec fuit tertia Caesaris aduersum Pompeianos expeditio. Propter inopiam.] Quae idcirco turpis Antonio erat, quod eius luxuria, & dissoluta uita contigisset. Prorogatis.] Dilatis, & prolatis.

Gladiator.] Gladiatorẽ appellat Antoniũ, qui gladios in ciues Romanos strinxerit, & exercuerit. Rudem] Id est uacationem ab arte gladiatoria. Rudis enim uirga erat siue baculus, quo donabantur emeriti gladiatores, in signum uirtutis, quibus per aetatem artem finire licebat, illudit autem acerbè Antonio. Hunc igitur.] Enthymema ex contrarijs, ad hominis contemptum, quasi diceret, qui in uictoria timidus fuerit, quomodo eum fortem fore speres in offensione, & calamitate? Profectus est.] Ignauiam castigat Antonij, qui tam serò Caesarem sit secutus. Peruenire.] Praetexebat nescio quae pericula Antonius: deinde falsum de morte Caesaris rumorem, quibus deterritus, non est ausus in Hispaniam usq; peruenire, ut Aeneas lib. 6. Aeneidos: Si potuit manes accessere coniugis Orpheus, &c. C

Aut non.] Disiunctione hominem constringit. Duorũ enim alterum erat faciendum: quandoquidem tertium nihil esse potest. Ter. dep.] Antonij exaggerat inconstantiam, atq; etiam eo magis quod eum cum Dolabella comparat qui omnibus affuit pugnis. In Hispaniensi.] Hispanum bellum est, quod ab Hispanis geritur: Hispaniense, quod ab exteris in Hispania, quo modo de Sale Varro declarauit. Si de meo iudicio.] Ante occupatione interpretatur quid reprehendat. nam ex adiunctione turpe fit, quod per se erat honestum. ut bellum susceptum persequi, & ciuile bellum illud honestum, hoc adiuncto, turpe. Laudanda constantia.] An sit laudanda: ad hanc definitionem exploranda est: Perseuerantia siue cõstantia, est in ratione bene cõsiderata, stabilis, & perpetua permãsio. De Inu. li. 2.

†Tu uero quis es? Cn. Pompeij liberi primũ patriam repetebant. esto, fuerit partium haec causa cõmunis. repetebant praeterea deos penates patrios, aras, focos, larem suum familiarem: in quae tu inuaseras. haec cum repeterent armis ij, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? tamen erat aequissimũ contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare sectorem. An tu Narbone in mẽsas hospitum cum uomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? qui uero Narbone reditus? & tamen quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito reuertissem. exposui nuper P. C. causam reditus mei. uolui, si possem, etiam ante Cal. Ian. prodesse Reip. nam quod quaerebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris: deinde cum calceis, & toga, nullis nec †caligis, nec lacerna. al. Tu uero quid censes? D al. Gallicis

Tu uero.] A persona arguit, oportuisse Antonium potius interesse Hispaniensi bello, quàm Dolabellam: quod ipse bona Pompeij possideret, quae Pompeij filij repetebant. Tu uero quis es?] Cn. Pompeij sector: quod sequentibus declarat. Alij legunt: Tu uero quid censes? quod si recipitur, quod mihi non improbatur, erit communicatio oratoria, & quasi cum aduersario deliberatio. Esto, fuerit.] Altera occupatio, qua ita concedit, ut tamen refellat. Fuit causa illa cõmunis Caesarianorum, ergo etiam tua. deinde multo magis tua quàm reliquorum, qui in Pompeij bona inuaseras.

A *Deos penates, &c.] Congeries quædam est, siue interpretatio, ad rem augendã accersita. nam omnibus illis quinq; nihil aliud significat, quàm Pompeij liberos patriam & sua bona uoluisse repetere. uerum hæc fiunt augustiora, & sanctiora, cum deorum, & rerum sacrarum nominibus appellantur. habent uero hæc speciem denominationis.* Hæc *cum repet.] Concludit sententiam, & summam proponit eorum quæ exposuit.* An tu.] *Iterat quod expositione tractare cœperat, idq; cum increpatione. Est autem & hæc oratio imperfecta. intelligitur enim, partes tuas defendebas, aut eiusmodi quidpiam.* An tu Narbone.] *Ablatiuus est Narbone, à nominatiuo Narbo. nunquam enim Narbona ex prima declinatione usurpat Cicero, sed nec alij ueteres. Itaq; in Orat. pro Ponteio. Est in prouincia Galliæ, inquit, Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi Romani.* Cum uomeres.] *Quasi diceret: cum uomeres, præclare partes tuas defendebas.* Qui uero Narbone reditus?] *Hoc proposito in aliud delabitur, quod sibi ab Antonio fuerat obiectum, quod tam cito nauigaturus in Græciam rediisset. Itaq; suum, cum Antonij reditu comparat, ut illum turpem, suum uero honestũ fuisse ostendat. χῦμα facit minus præparatam orationem, cum uelut aliud ex alio occurrit.* Exposui nuper.] *In prima in Antonium oratione.* Nam quod quærebas.] *Hoc ita eludit, ut ineptã Antonij interrogationẽ, magis ridiculam faciat, suum cum illius reditu conferendo.* Primum luce.] *Lam omnia diuersa, in suo & Antonij reditu confert.* Non tenebris.] *Vt tu. Et obserua tenebris dictiõ, ut luce, ut uesperi, penè aduerbiali (ut Grammatici loquuntur) forma.* Nullis nec Gallicis, nec lacerna.] *Gallicæ sunt soleæ*
B *ligneæ, aut è subere quibus fœminæ potissimũ utebãtur: quas crepidas appellari posse Gellius confirmat, lib. 13. cap. 22. qui etiã Gallicis, non Caligis hoc loco legendum esse testis est locuples, atq; etiã uerbũ fuisse nouũ Ciceronis ætate dicit. Sunt autẽ Gallicæ, à Gallis appellatæ, apud quos earũ esset usus. Lacerna uero, idem est quod penula: qua nobiliores non utebantur, nisi pluuio tempore, aut in spectaculis. Erant igitur & Gallicæ, & lacerna, uiris senatorijs parum decora. tales erant apud Græcos, Sicyonij calcei, de quibus Cicero de Orat. lib. 1. de Socrate loquens, cum ei, inquit, scriptã orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei uideretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur: non inuitus legit, & cõmode scriptam esse dixit: Sed, inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamuis essent habiles, & apti ad pedem, quia non essent uiriles: sic illam orationẽ disertam sibi, & oratoriã uideri, fortẽ, & uirilẽ non uideri.*

At etiam aspicis me, & quidem, ut uideris, iratus. næ tu mecum iam in gratiam redeas: si scias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ: cuius teipsum non pudet. Ex omniũ omnibus flagitijs nullum turpius uidi, nullum audiui: quàm quod qui magister equitum fuisse tibi uiderere, in proximum annum cõsulatum peteres, uel potius rogares: is per municipia, coloniasq; Galliæ: à qua cum Consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere Consulatum solebamus: cum † caligis & lacerna cucurristi. (†Gallicis)

C *At etiam aspicis me?] Hoc dicit, tum ut audaciã eius ostendat, tum ut ei pudorẽ incutiat.* Næ tu.] *Profecto, certe. Græce ναὶ.* In gratiam redeas.] *Blanda ironia sed tanto acerbior.* Ex omniũ.] *Reditũ Antonij Narbona, paulo ante institutũ, nec absolutũ explicat, & simul à rei nouitate captat attẽtionẽ.* Viderere.] *Nõ esses. Interdũ imò plerunq;, aliud est uideri, aliud esse.* Vel potius rogares.] *Quod quidem abiectius est quàm petere. Ex hoc loco apparet discrimen esse inter petere & rogare: quasi petere iusta & debita poscere: rogare uero, non debita, sed quæ grata, & precibus nobis concedi cupimus.* Is.] *Idem, refertur enim ad, qui, quod paulo ante posuit.*
Consulatus noster.] *Sui cum Antonij consulatus petitionẽ breuiter confert, an fortassis noster, id est, Romanus, ut ueterem morem innuat cum per uirtutẽ & bonas artes consulatus petebatur, non per ambitũ rogabatur.* Petebatur, non rogabatur.] *Et ex hoc loco eadem colligitur distinctio, quam modo posui. petebat enim Cicero consulatum, tanquam præmium suæ uirtuti debitũ, non rogabat, non precario, non gratia sibi concedi flagitabat.* Galliæ.] *Quæ hodie Longobardia uocatur.* Cum Gallicis & lacerna.] *Quod uiro senatori erat indecorum, ut ante diximus.*
Cucurristi.] *Vt colligeres suffragia, id quod magnæ cupiditatis ambitionisq; signum est.*

At uidete leuitatem. Cum hora diei decima ferè ad Saxa rubra uenisset: delituit in quadã cauponula: atq; ibi se occultans perpotauit ad uesperũ. inde cisio celeriter ad
D urbẽ aduectus, domũ uenit capite inuoluto. ianitor, quis tu? à Marco tabellarius. cõfestim ad eam, cuius causa uenerat, deducitur: eiq; epistolã tradidit. quã cũ illa legeret flẽs, erat enim amatorie scripta, caput autẽ literarũ, sibi cũ illa mima posthac nihil futurũ: omnẽ se amorẽ abiecisse illinc, atq; in hanc transfudisse. cum mulier fleret uberius: homo misericors ferre non potuit: caput aperuit: in collũ inuasit. O hominẽ nequã: quid enim aliud dicã? magis propriè nihil possum dicere: ergo ut te catamitũ, neq; opinatò cum ostendisses, præter spem mulier aspiceret: idcirco urbẽ terrore nocturno, Italiam multorũ dierũ metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuisti: foris etiam turpiorẽ: ne L. Plancus prædes tuos uenderet. productus autem in concionem à Tribuno pl. cũ respõdisses, te rei tuæ causa uenisse: populũ in te dicacẽ etiã reddidisti.

At uidete.] Renouat attentionem in nouo narrando flagitio. Leuitatem.] *Nequitiam, ut paulo ante. Aulus Gellius citat hunc locum docens leues à ueteribus dictos esse uiles, nullius precij & nullo honore dignos: & leuitatẽ, quasi uilitatem, tanquam hoc uocabulo ista in Antonio dedecora notarentur, quod in caupona delitesceret, quod ad uesperam perpotaret, quod capite inuoluto ad mimulam suam ipse, quasi tabellarius ueniret.*

Hora diei decima ferè.] Duo dierum sunt genera, ut ex ueteribus accepimus, naturalis, qui est ab exortu solis in oc A
casum: cui opponitur nox ab occasu in ortum: ita ut diei duodecim horas attribuamus, et totidem nocti: uerũ inequales pro
temporis ratione, ad dierum noctiumq; longitudinem uel breuitatem accommodantes: & ciuilis, qui interuallo horarum
uigintiquatuor continetur. Verum hoc uarijs modis. nam alij à solis ortu in alterum ortum, ut Babylonij: alij ab occasu in
occasum, ut Athenienses: alij à meridie in meridiem, ut Vmbri in Italia, & ferè astronomi: alij à media nocte in alteram
mediam, ut Romani sacerdotes & Aegyptij, & Hipparchus, ut Plinius ait. Romani igitur in auspicijs & alijs sacris, in
temq; in natiuitatibus hominum notandis, & alijs nonnullis ciuili die utebantur: aliàs autem, cum quid factum esset, no-
ctu, quid die significare uolebant, & quota hora, naturalis diei noctisq; rationem sequebantur. Quare hoc loco cum dicit
hora diei decima ferè, id de die naturali est intelligendum. Erat enim hora ab ortu solis decima. Sic etiam illud intelligen-
dum est in Epistolis famil. ubi Sulpitius scribit circiter horam decimam noctis se de uulnerato Marcello accepisse: erat
enim hora decima ab occasu solis. Ex hac metiendi temporis uarietate, extitit illa induciarum calumnia, cuius meminit Ci
cero de Officijs libro primo, de eo qui cum triginta dierum essent pactæ induciæ, noctu populabatur agros: cumq; cum eo
ex hac distinctione naturali dierum ageretur, se tuebatur, quòd dierum essent pactæ induciæ, non noctium. alter uero ciui
lem diem intelligebat, in quo etiam noctes continentur. Ad saxa rubra.] Locus est inter urbem & Veios, auto-
re Liuio libro Ab urbe condita secundo. Delituit.] Latuit, siue timens, quoniam Pompeiani occupasse urbem dice
bantur, siue, quod uerisimilius est, ut liberius perpotaret tempusq; produceret. uolebat enim tenebris in urbem uenire. B

Cauponula.] Vinaria taberna. Et diminutione utitur ad sordes Antonij etiam ex eo nequitiamq; notandam.

Cisio.] Rheda citißima, cuiusmodi Itali nostri utuntur, quos Cochios appellitant, Britanni ueteres, Couinos, ut est
apud Corn. Tacitum in Agricolæ uita. Cisij quoq; mentionem facit Cicero pro S.R. Amerino. & à cisio cisiarius dicitur,
cisij auriga, quod legitur in Pandectis in titulo Locati. Inuoluto.] Obuoluto, obtecto, ne agnosceretur.

Ianitor.] Portæ custos, sed urbisne an domus suæ? Quis tu?] Dialogismo exornat, suauemq; facit narra-
tionem. A Marco.] Scilicet Antonio: cum ipse is M. Antonius esset. Confestim.] Actutum, illico, sine ul-
la mora. Ad eam.] Ad Fuluiam suam. nam eius causa uenerat ignotus, ut eam eiusmodi ludis deliniret, sibiq; pla-
cabiliorem redderet, ut ait Plutarchus in Antonio. Amatoriè.] ἐρωτικῶς. Continebat enim ea quibus amato-
res solent amicas suas æmulatione quadam urere. Caput autem.] Summa & argumentum literarum.

Illinc.] Id est ab illa mima. In hanc.] In uxorem Fuluiam. Transfudisse.] Transtulisse. Transla-
tum uerbum est à uasis, cum ex alio in aliud quid transfunditur. Cum mulier fleret.] Reuocatio uerbi est. Reuo-
cat enim illud: Cum illa lugeret flens. nam interiectis multis, iam longius aberat. Caput aperuit.] Quod inuolu-
tum antea dixit. Aperuit igitur, id est euoluit, detexit, ut eam cõsolaretur sua repentina præsentia. In collum inua
sit.] Amplexatus est Fuluiam. tum illa, ut consuetum amorem facile cerneres, uicißim reiecit se in eum flens quamfamilia
riter. O hominem nequam.] Exclamat in Antonij inauditam nequitiam. Magis proprie nihil possum
dicere.] Recte quidem. nam ut Cicero in Tusculanis dicit: Nihil turpius aut nequius effœminato uiro. Et nequam dicitur C
homo improbus & impurus, quòd nequicquam sit, nulliusq; frugis bonæ. quod genus Græci ferè ἄσωτον, ἢ ἀκόλα-
στον, ἢ ἄχρηστον, ἢ κακότροπον, appellãt. his contrarius est frugi. Ergo ut.] Inuehitur acerbius in hominem
& acrius increpat. Catamitum.] Pro Ganymede (inquit Festus) Catamitum dixerunt, qui fuit Iouis cõcubinus,
hoc est hominem mollem & effœminatum, aut masculum scortum. Nec opinato.] Improuiso, uel, quod sequitur,
præter spem. Idcirco urbem.] Rumor enim falsus exortus fuerat, Cæsarem in Hispania cæsum fuisse. et Antonius
noctu tam repente urbem ingressus, trepidationem auxerat. Et domi.] Noua narratiuncula, & utitur transitio-
ne. Ne L. Plancus.] Qui forsitan sponsor eius fuerat. Prædes tuos uenderet.] Sic enim legendum, non
prædas. Ita etiam supra: Cæsar ad prædes tuos milites misit. Præs dicitur is qui pro altero se obligat, in re præsertim pecu
niaria, qui & sponsor dicitur: nam uades rei capitalis sponsores sunt. Verum hoc loco, & superiore, & alijs multis, præ-
des numero multitudinis, non personas, sed res sponsione à sponsoribus obligatas, μετωνυμικῶς intelligimus. cuiusmo
di sunt prædia, uillæ, ædes, & id genus alia. Cicero in Verrem: In bonis prædibus prædijsq; uendendis. Dicacẽ.]
Σκωμματικόν, facetum & mordacem, utpote qui in te dictis & cauillis luderet.

Sed nimis multa de nugis. ad maiora ueniamus. Cæsari ex Hispania redeunti ob-
uiam longissime processisti: celeriter isti, & redisti: ut cognosceret te, si minus for-
tem, attamen strenuum. Factus es ei rursus nescio quomodo familiaris. Habebat hoc D
omnino Cæsar: quem plane perditum ære alieno egentemq;, si eundem nequam ho-
minem, audacemq; cognouerat: hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His
igitur rebus præclare commendatus, iussus est renunciari consul, & quidem cum ip-
so. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus, inductus, elusus. qua in re quanta
fuerit utriusque uestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret:
promissum & receptum interuertit, ad seq; transtulit: tu eius perfidiæ uoluntatem tu-
am adscripsisti.

Sed nimis multa.] Correctio cum transitione rhetorica. De nugis.] De rebus leuibus, præ ijs quæ dicenda
sunt. Ad maiora.] Maiora sunt quæ quis peccat in rempublicam, quam quæ sola nequitia in se admittit.

Cæsari ex Hispania.] Narrat quomodo Antonius in gratiam Cæsaris redierit: idq; reprehendit, quod abiectè fa-
ctum, quod perfidè, quod superbè. Celeriter isti & redisti.] Syncope, pro iuisti & rediuisti, ad celeritatem Anto-

A *nij, uerbis imitandam.* Si minus fortem.] *Magnanimum, excelso animo, & humanas res contemnente.*

Attamen strenuum.] *Nauum, industrium, sedulum, officiosum, promptum, alacrem. Ex hoc loco apparet, quid differat fortis à strenuo.* Habebat hoc.] *ἦθος, morem, naturamq́; Cæsaris breuiter describit. Ita suprà: Ad Cæsarem cucurristi. Id enim unum in terris, egestatis, æris alieni, nequitiæ, perditis uitæ rationibus, perfugium esse ducebat. Hunc Cæsaris morem, id est uitia, pleriq; hodie strenue imitãtur, uirtutes autem quis?* Præclare commendatus.] *Non mirum hoc. nam pares cum paribus ueteri prouerbio facillime congregantur.* Renunciari.] *A præcone declarari, nominari.* Cum ipso.] *Cæsare scilicet, quarto eius consulatu, in quo est interfectus.* Nihil queror.] *Excusat Dolabellam, ut in prima quoq; oratione. Cæsar induxerat Dolabellam ut consulatum peteret: sed ubi dies uenit, ipse petiuit, & collegam assumpsit Antonium. Mox constituit bellum in Parthos, & Dolabellam sibi subrogare. de quo cum ageretur Calendis Ianuarijs in senatu, restitit Antonius, qui inimicus erat Dolabellæ, & se auspicia oppositurum esse denunciabat. De his agit Cicero in sequentibus.* Impulsus, elusus, inductus.] *Articulus, cum scilicet, singula uerba distinguntur, cæsa oratione. Cornificius ad Herennium libro quarto.* Inductus.] *Dolo impulsus, & adductus, deceptus.* Qua in re.] *Perfidiam Cæsaris & Antonij perstringit.* Ille induxit.] *Hoc est quod dixit, impulsus.* Interuertit.] *Hoc est quod dixit, elusus. Interuertere est dolo auferre, intercipere: cum quod nos assecuturos iamiam putamus, alius dolo anteuertit, & capit.* Adscripsisti.] *Eius perfidiam comprobasti.*

B Veniunt Calendæ Ianuarij: cogimur in senatum: inuectus est copiosius multo in istum, & paratius Dolabella, quàm nunc ego. Hic autem iratus, quæ dixit, dij boni: cũ primum Cæsar ostendisset, se prius quàm proficisceretur, Dolabellam consulem esse, iussurum: quem negant regem, qui & faceret semper eiusmodi aliquid & diceret. Sed cum ita dixisset, hic tum bonus augur, eo se sacerdotio præditum esse dixit: ut comitia auspicijs uel impedire, uel uitiare posset: idq́; se facturum esse asseuerauit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim? istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti: si augur non esses, & consul esses: minus facere potuisses? uide etiam ne facilius. Nos enim † nunciationem solum habemus: consules & reliqui magistratus etiam † inspectionem. Esto hoc imperite: nec enim ab homine nũquam sobrio postulanda prudentia: sed uidete impudentiam. Multis ante mensibus in senatu dixit Dolabellæ comitia aut prohibiturum auspicijs, aut id facturum esse, quod fecit. Quisquam'ne diuinare potest, quid uitij in auspicijs futurum sit? nisi qui de cœlo
C seruare constituit? quod neq; licet comitijs per leges, & si quis seruauit, non habitis comitijs, sed prius quàm habeantur, debet nunciare. Verum implicata inscitia, impudentia est: si nescit quod augurem, nec facit quod pudentem decet.

al. obnunciationem
al. spectionẽ

Veniunt Calendæ.] *Narrat quomodo Dolabella in senatu sit circumuentus Cæsaris & Antonij perfidia.*

Hic autem iratus.] *Antonius, nimirum ut solebat.* Dij boni.] *Exclamatione excitat indignatatis admirationem, quasi diceret: Quàm nefanda dixerit, uos dij testes estis.* Iussurum.] *Verbum tyrannicum: Sic uolo, sic iubeo, ut Satyricus ait, sit pro ratione uoluntas.* Quem negant regem.] *Præteriens cum indignatione inuehitur in eos qui Cæsaris tyrannidem defendebant.* Qui & faceret.] *Regem fuisse, id est tyrannum Cæsarem, à signis & effectis probat.* Sed cum Cæsar.] *Reuocat se ad institutum suum, & quid Cæsari respõderit Antonius exponit.* Bonus augur.] *Ironia. nam imperitum & inauspicatum intelligit.* Sacerdotio.] *Auguratu nimirũ, uel ea autoritate, & quidem sacra.* Vel impedire.] *Antequã crearetur consul Dolabella.* Vel uitiare.] *Postquam creatus esset, id est uitio, & contra auspicia creatum esse, docere.* In quo primum.] *Reprehendit inscitiam auspiciorum in Antonio, quorum tamen cum augur esset, peritus esse debuisset. & renouat attentionem, cum dicit, Cognoscite.* Stupiditatem.] *Stuporem, uecordiam.* Nos enim.] *Augures scilicet. nam & Cicero augur. Probat quod dixit, facilius id posse consulem quàm augurem, quod Antonius auguratus iure se posse iactabat.*
D *Augures enim solum obnunciare possunt, consules autem & senatus inspicere debent & iudicare, an quod obnunciatum sit, impedire posit. Legitur etiam, Nos enim augures.* Etiam spectionem.] *Augurale uerbum est spectio, sicut etiam nunciatio, pro inspectione & obnunciatione. Sunt tamen qui legant inspectionem: sed melius hoc loco spectionem ut nunciationem.* Esto, hoc imperite.] *Scilicet dixerit. Concessio.* Nec enim ab.] *Sententia siue locus cõmunis.*

Prudentia.] *Quam alij autores, ijq́; boni, peritiam uocant: nam dixit: Esto, hoc imperite: & est locus ex coniugatis, casibus, imperite, imperitia, siue imprudentia.* Nunquam sobrio.] *Semper ebrio & temulento.*

Sed uidete impudentiam.] *Redarguit hominis inscitiam, iam eius castigat impudentiam.* Quod fecit.] *Quod habitis comitijs uitium comitiorum obnunciat, quod utiq; ante comitia faciendum fuerat, quod ostendunt sequentia.* Quisquamne.] *Negat uitium obnunciari posse, & complexione probat, neq; comitijs seruare licere per leges, & ante comitia si seruatum sit, nunciari debere, non post.* De cœlo seruare.] *Est auspicia in aere obseruare, & captare si tonat, si fulminat, si qua tempestas apparet, quibus comitia impediantur.* Per leges.] *Fufiam & Heliam scilicet, ut Cicero docet De prouincijs consularibus, de quibus alibi.* Et si quis seruauit.] *Seruare est obseruare, quid in cœlo, quid in auspicijs accidat, ut id obnuncies.* Verum implicata.] *Γνώμη, id est sententia catholica.* Implicata.] *Inscitia cum impudentia coniuncta.* Quod pudentem decet.] *Qui nescit, tacere debet, ut impudentiæ crimen effugiat.*

Atq; ex

Atq; ex illo die recordamini eius usq; ad Idus Martias consulatum. quis unquam A apparitor tam humilis, tam abiectus? nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in aduersam lecticam inferens, beneficia quæ uenderet, à collega petebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies: sortitio prærogatiuæ: quiescit. renunciatur: tacet. prima classis uocatur: renunciatur: deinde, ut assolet, suffragia. tum secunda classis uocatur: quæ omnia citius sunt facta, quàm dixi. Confecto negocio bonus augur, Lælium diceres: alio die, inquit. O impudentiam singularem: quid uideras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de cœlo seruasse dixisti, neq; hodie dicis. id igitur obuenit uitium, quod tu iam Calendis Ianuarijs futurum esse præuideras, & tanto ante prædixeras.

Atq; ex illo die.] Ingreditur reprehensionem consulatus Antonij. In quo uide in quanta uarietate rerum, tamen temporis ordinem sequatur. Ad Idus Martias.] Quo die Cæsar interfectus fuit. Quis unquam?] Colligit & enumerat uaria Antonij scelera & flagitia, idq; facit summa breuitate, quasi frequentatione quadam. Apparitor.] Qui perpetuo apparet, & astat ad obeunda magistratus imperia. Satelles, minister. Ab apparitore apparitio dicitur, apparitoris officium & ministerium. Nihil ipse.] Antonius nulla autoritate ualebat: omnia Cæsar administrabat. In aduersam lecticã.] Nam Cæsar lectica uehebatur, hanc comitabatur Antonius, quem Cæsar quartũ consul declaratus, collegã sibi adiunxerat. B Inferens.] Immittẽs & proferẽs. Omnia rogabat.] Supplex petebat et orabat. Quæ uenderet.] Cæsar dabat gratis, Antonius ad quæstũ suũ uẽdebat: uelut hodie quoq; principum hirudines, & aulici factitant. Ecce.] Improuisum narrat, quare attentos facit. Dies.] Aderat scilicet comitiorũ. Sortitio prærogatiuæ.] Scilicet fit. Erant enim tribus prærogatiuæ, quæ primæ suffragia ferrẽt, ut Pedianus docet. Tribus Romanæ bifariam suffragia ferebant, aut per prærogatiuã, aut per iure uocationem. per prærogatiuam dabantur suffragia, quando tribus aut centuriæ obtinebant, sed sorte, ut primæ suffragia ferrent. ceteræ ferè prærogatiuarum tribuum suffragia sequebantur. & attende narrationis breuitatem. Quiescit.] Antonius nihil dum audiens quod placeret, sperans tamen. Renunciatur.] Scilicet quænam classis prærogatiuã obtinuisset sortitione. Tacet.] Antonius, euentum comitiorũ expectans. Vocatur.] A magistratu per præconẽ ad ferendum suffragiũ. Renunciatur.] Primæ classis suffragatio declaratur. Suffragia.] Colliguntur uel feruntur. Citius sunt facta.] Superlatio, quæ Græce ὑπερβολὴ dicitur. Confecto neg.] Lato suffragio, facta & collecta suffragatione. Bonus augur.] Antonius. Ironia est iam sæpe usurpata. Læliũ diceres.] Ridicula comparatio cum ironia. Fuit Lælius singulari autoritate augur & sapiens appellatus, Minori Africano familiaris. Alio die, inquit.] Verba sunt Antonij obnunciantis, uitium in comitijs esse. O impudentiã.] Amplificat Antonij impudentiã exclamatione, & simul attentos facit. C Quid uideras?] Percõtatio cum enumeratione, an sinistras uolantes aues, aut coruscare flammã? Quid senseras?] Terræmotumne? Quid audieras?] Num iouẽ tonantẽ? Nec enim te.] Refutatio, nihil eũ seruasse dicit, ergo nulla est obnũciatio. Id igitur ob.] Interpretatur obnunciationẽ Antonij, & eius notat uanitatẽ. Prædixeras.] A præcurrẽtibus. Te uelle uel impedire uel uitiare hæc comitia longe ante prædixisti. nulla igitur sunt auspicia, nulla religio, nisi uana & ementita.

Ergo hercule magna, ut spero, tua potius, quàm reip. calamitate emẽtitus es auspicia: obstrinxisti populum Ro. religione: augur auguri, consul cõsuli obnunciauisti. nolo plura, ne acta Dolabellæ uidear cõuellere, quæ necesse est aliquãdo ad nostrũ collegium deferantur. Sed arrogantiã hominis, insolentiamq; cognoscite. quamdiu tu uoles, uitiosus cõsul Dolabella: rursus cum uoles, saluis auspicijs creatus. si nihil est, cum augur his uerbis nunciat, quibus nunciasti: confitere te, cum alio die dixeris, sobrium D non fuisse: sin est aliqua uis in istis uerbis, ea quæ sit, augur à collega requiro.

Ergo hercule.] Concludit, & in Antonium omen si quod est malum reijcit & imprecatur. Obstrinxisti.] Vt piaculum fieri oporteat. Religione.] Deorũ metu, & iræ terrore. Augur auguri, consul cõsuli.] Dolabellæ, quod fieri per leges non licet. Erat enim & Dolabella augur, & tamen creatus consul. Nolo plura.] Dicere scilicet. Abrumpit hunc locum, & addit causam cur id faciat. Conuellere.] Rescindere, irrita facere. Nam si uitio creatus consul Dolabella fuisset, omnia eius acta irrita fuissent. Ad nostrum collegiũ.] Scilicet augurum, ut de his statuat, uitiosa ne fuerint. Sed arrogantiã.] Ex alio aliud annectit, ut quanta sit Antonij insolẽtia prodat.

Arrogantiã.] Leuitatẽ, inconstantiã: qui per insolentiam quandam quod paulo ante improbarit, probet: et improbet quod probarit. Verum quoniã non uidetur hoc inscitia facere, sed animi quadã elatione, idcirco eam leuitatẽ oratorie arrogantiã uocat. Vitiosus.] Vitio creatus. tales enim ferè magistratu se abdicare cogebantur. Si nihil est.] Si nihil seruatum est ab augure. Sin est aliqua.] Si quid seruatum est, quod nunciandum esset.

Augur.] Ego scilicet qui sum augur. A collega.] A te. nam collega dicitur, qui eodem est præditus munere: & Antonius, ut dixi, augur erat.

Sed ne forte multis rebus gestis, M. Antonij rem unam pulcherrimã transiliat oratio: ad Lupercalia ueniamus. Non dissimulat P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet. quidlibet, modo ne nauseet, faciat: quod in porticu Minutia fecit. quæ potest esse turpi-

A ſe turpitudinis tantę defenſio? Cupio audire, ut uideam ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat.

Sed ne forte.] Regreditur unde progreſſus eſt, ne ſingulare facinus Antonij prætermittat, idq; cum amplificatione ad renouandam attentionem. *Pulcherrimam.*] Turpiſsimam, flagitioſiſsimam. *Ad Lupercalia.*] Tranſitio. Sunt uero Lupercalia ludi feſtiq; dies πανὸς, à lupis arcendis appellata. Diſcurrebant iuuenes nudi ſubligaculis tantum ſuccincti, per laſciuiam pellibus obuios quoſq; percutientes & diuerberantes. Virg. Aeneid. 8.

Hinc exultantes Salios, nudoſq; Lupercos.

De Lupercis uide Liuium, & Plutarchum in Romulo, & Ouidium in Faſtis. *Non diſsimulat.*] Inſultat in hominem à conſcientia conuictum. *Sudat, pallet.*] Colligit & profert ſigna conſcientiæ atque animi commoti. Sudor enim & pallor, cum ſimul accidũt, ſunt uel animi uel corporis grauiter affecti ſymptomata, hoc eſt affectiones ſubſequentes. Rubere quoq; interdum ſolent homines uel morbo, uel pudore, uel iracundia inflammati. Iuuenalis:

Rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa.

Locus eſt ex adiunctis, quæ poſt rem ſpectantur, & rem ipſam probabiliter conſequuntur. *Modo ne nauſeet.*] Ne euomat. Acerba & amara irriſio. Nauſeo, id eſt quod Græci dicunt ναυτιάω, à naue in qua qui non aſſueuere, nauB ſeant, præſertim in mari. *Quod in porticu Minutia fecit.*] Sic enim potius legendum quàm Numicia, autoritate Victoris, qui de Vrbis regionibus ſcribens: Regio, inquit, nona circum Flaminium continet, & ſtabula quatuor factionum, porticum Philippi, Minutiam ueterem, & frumentariam. Eſt etiam Minutia uia prope urbem, cuius meminit Cicero ad Atticum libro nono. *Quæ poteſt.*] Proponit rem cum amplificatione. *Cupio audire.*] Declinatio breuis, ſiue digreſsio. *Campus Leontinus.* Vt ſuprà: Duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori aſsignaſti, & quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil ſapere diſceres.

Sedebat in Roſtris collega tuus, amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus: aſcendis, accedis ad ſellam, ita eras Lupercus, ut te eſſe conſulem meminiſſe deberes. Diadema oſtendis: gemitus toto foro. Vnde diadema? non enim abiectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plauſu reijciebat. Tu ergo unus ſcelerate inuentus es, qui quum autor regni inuentus eſſes, cum, quem collegam regni habebas, dominum habere uelles, & idem tentares, quid populus Romanus ferre, & pati poſſet. C At etiam miſericordiam captabas, ſupplex te ad pedes abijciebas, quid petens? ut ſeruires? Tibi uni peteres, qui ita à puero uixeras: ut omnia paterere, ut facile ſeruires. A nobis populóque Romano mandatum id certe non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, quum es nudus concionatus. Quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſupplicijs omnibus dignius? num expectas dum te ſtimulis fodiam? hæc te, ſi ullam partem habes ſenſus, lacerat, hęc cruentat oratio.

Sedebat.] Concinnus reditus ad propoſitum, cum illuſtri explanatione, quæ rem ante oculos ponit, quo & criminoſior ſit, & inuidioſior. Hiſtoriam huiuſce facti uide apud Plutarchum & Suetonium in Cæſare. *Collega tuus amictus.*] Iulius Cæſar ornatus. *Toga purpurea.*] τῇ πορφυρίδι. Regius ornatus eſt. *In ſella aurea.*] Et hæc regis eſt inſigne. *Coronatus.*] στεφανωθεὶς, triumphali more. *Lupercus.*] Nudus, quod non decebat conſulem. *Diadema.*] Inſigne regum eſt διάδημα. Eſt autem faſcia quæ capiti regio religatur, à διαδέω, id eſt religo, uel circumligo, uel redimio. Differt à corona. nam corona etiam ciuium priuatorum eſt, ſiue magiſtratum gerentium, aut triumphantium, honoris cauſa delata, etiam poetarũ. *Gemitus toto foro.*] Fiunt ſcilicet præ dolore, & mœſtitia. *Vnde diadema?*] Meditatum facinus fuiſſe, non ioco aut impudentia accidiſſe aſſeuerat, quo grauius crimen appareat. *Tu diadema.*] Contentio præclara, ſed luctuoſa. *Cum plangore.*] Cum ploraD tu & gemitibus. *Ille cum plauſu.*] Plaudente populo, qui regium nomen oderat. *Tu ergo.*] Factum Antonij exaggerat, quod ſolus id ſit auſus, quod ſibi dominum, qui collega eſſet, magna animi abiectione, & aſſentatione, imponeret, quód eo facto callide nimis & inſolenter populi Romani animos tentaret, an poſſent dominum ferre & pati.

At etiam.] ἐνάργεια. Antonij Cæſari ſupplicis geſtum exprimit. *Quid petens?*] Subiectio ironica. nam etſi aliud uidebatur, ex regno tamen Cæſaris illud ſequebatur ut ſeruiret. *Tibi uni.*] Seruitutem deprecatur, & in Antonium reijcit, qui à puero muliebria paſſus, eo oſtendit ſe quiduis pati poſſe. *Peteres.*] Petere debuiſſes, uel utinam tibi uni ſeruitutem petiuiſſes. *A nobis.*] Senatoribus ſcilicet. hoc dicit quoniam Antonius ſe pop. Romani iuſſu, regnum ei offerre dixerat, ut infra patebit: quod negat Cicero. *O præclaram illam.*] Aliud Antonij flagitium exagitat. nam in ipſis Lupercalibus conſul populi Romani auſus eſt coram Cæſare, ſenatu, populoq; Romano nudus concionari: idcirco eius irridet eloquentiam, quam præclaram uocat. *Quid hoc turpius?*] Flagitium amplificat repetitione & interpretatione, & urget percunctatione. *Num expectas.*] Quaſi dicat, miror te pudore doloreq; non mori, aut ſaltem non fugere, non ſolum uertere, in exilium ire. nam eſt tibi expectandum donec te aliquis ferro urgeat, pellat, confodiat. Si enim eſſet in te ſenſus aliquis, ſi uiuus eſſes, ſentires proculdubio te hac mea oratione lacerari atque diſcerpi.

Vereor ne imminuam uirorum summorum gloriam: dicam tamen dolore com- A
motus. Quid indignius, quàm uiuere eum, qui imposuerit diadema? quum omnes fateantur iure interfectum esse qui abiecerit. At etiam † inscribi iussit in Fastis, AD al. adscribi
LVPERCALIA C. CAESARI DICTATORI PERPETVO M. ANTONIVM CONSVLEM POPVLI IVSSV REGNVM DETVLISSE: CAESAREM VTI NOLVISSE. Iamiam minime miror, te ocium perturbare: non modo urbem odisse, sed etiam lucem: cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem uiuere. Vbi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, & iudicijs esse potest? quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? ideone L. Tarquinius regno exactus? Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius necati, ut multis post seculis, à M. Antonio, quod fas non est, rex Romæ constitueretur?

Vereor ne.] Dubitatione præmunit, quod liberius dicturus est. *Virorum summorum.*] Bruti & Caßij, à quibus unà cum Cæsare interfici oportuisse Antonium significat. *Dolore cõmotus.*] Hoc dicit, ut alios commoueat. *Quid indignius?*] Enthymemate rem complectitur, idq; ex minori. Si enim iure interfectus est Cæsar, qui diadema abiecit, multo iustius interfectus esset Antonius, qui imposuit. *At etiam inscribi iußit.*] Mouet indignationem. *In Fastis.*] Fasti libri sunt, quibus anni totius descriptio continetur, & in quos acta consulum referebantur. *Ad Lupercalia, &c.*] Sunt uerba quibus factum illud de oblato regno Cæsari, & ab eo reiecto, in Fastis in- B
scribi ad sempiternam rei memoriam, iußit Antonius. Idcirco Cicero epistolam quandam sic claudit: Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari. intelligendum est, diadema imposuit, uel regnum obtulit. Est enim reticentia, autore Fabio.

Populi iussu.] Id ante negauit Cicero, & refutauit ex signis. *Cæsarem uti noluisse.*] Et tamen tribunos qui diadema è statua Cæsaris detraxerant, dignitate priuauit, qui eis fauerant, increpauit, ut appareat eum regni cupiditate flagrasse, quo iam re, si minus uerbo potiebatur. Atq; hæc fuisse causa creditur, consilij de eius nece capiendi. Vide Plutarchum in Cæsare & Antonio. *Iamiam.*] Acriter & criminose inuehitur in hominem, cumq; exemplorũ ui, reum maiestatis ostendit, & extremo supplicio dignum. *Vrbem.*] Patriam tuam Romam, sed etiam lucem, id est hominum iudicia & conspectum. *De die.*] Sicut de nocte. *In diem uiuere.*] Id est tantum reponere, quantum ex rapinis, & latrocinijs uno die uiuere poßis. Cicero secundo de Oratore. Ex dissimilitudine: Si Barbarorum est in diem uiuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Est etiam in diem uiuere, quod dicitur ex sacris, nihil de crastino cogitare. Horatius:

Quid sit futurum cras, noli inquirere.

De Megarensibus celebratum illud: Aedificant, tanquam semper uicturi: edunt et bibunt, tanquam cras morituri. Id etiam iactabant quidam, & falso obijciebant Apostolis: Edamus & bibamus, cras enim morimur. Facit autem agnominatio- C
nem, de die, in diem, quam Græci παρονομασίαν dicunt. *Vbi enim tu.*] Premit ualde hominem, nec eum sinit respirare, huiusmodi amplificationibus. *Ideóne L. Tarquin.*] Horum exemplorum historia, ex Liuio cognoscendæ sunt. nam omnes hi propter suspicionem regni male mulctati fuerũt. *Quod fas nõ est.*] Erat enim capitale Romæ mentionem regis facere. nam cane peius & angue oderant Romani regium in urbe dominatum.

Sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus Idibus Martijs fuit in senatu Cæsar acturus, quæro tum tu quid egisses? Audiebam quidem te paratũ uenisse: quod me de ementitis auspicijs, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna populi Romani: tum etiam tuum de auspicijs iudicium, interitus Cæsaris sustulit. Sed incidi in id tempus, quod ijs de rebus, in quas ingressa erat oratio, prætereundum non sit. Quæ tua fuga? quæ formido illo die? quæ propter consciẽtiam scelerum desperatio uitæ? cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si sanus esses, sal- D
uum esse uoluerunt: clam te domum recepisti? O mea semper frustra uerissima auguria rerum futurarum. Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, quum me ad te ire uellent: ut ad defendendam rempublicam te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum: simulac timere desisses, similem te futurum tui. Itaq; cum cæteri consulares irent & redirent, in sententia mansi: neque te illo die, neque postero uidi: neque ullam societatem optimis ciuibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi.

Sed ad auspicia.] Non redit ad eandem rem, sed rationem temporis persequitur, & reprehendit quod Idibus Martijs facturus erat Antonius, nisi Cæsar interfectus esset. *Audiebam.*] Hoc dicit loco testimonij. *Paratũ.*] Oratione meditata instructum, ut contra me diceres. *De ementitis auspicijs.*] Ementita auspicia id est falsa, Græcorum more, & imitatione dixit, τὰ ἐψευσμένα. *Sustulit illum diem.*] Id est eius diei acta, quæ putabatis tu & Cæsar. *Fortuna.*] Felicitas, quòd eo die sublatus fuit Cæsar reipublicæ tyrannus. Et attende conduplicationem in uerbo sustulit, quod in capite, & fine conuersionis usurpatur. *Sed incidi.*] Breuiter distinguit orationem, ordine dicturus de ijs quæ mortem Cæsaris sunt consequuta, de quibus instituta fuit oratio: quæ quidem distinctio ad renouandam memoriam attentionemq; pertinet. *Quæ tua fuga?*] Insectatur Antonium, quòd occiso Cæsare, abiectis

insignibus

A insignibus consularibus, & mutata ueste fugerit, seseq; occultarit. ut Plutarchus quoq; testatur. Et amplificat repetitione & percunctatione. Beneficio eorum.] Bruti potißimum consilio, & C. Trebonij opera, ut Plutarchus testatur: & de Trebonio supra indicauit Cicero. O mea semper.] Exclamatione queritur de infelicitate suorum consiliorum, quæ auguria uocat rerum futurarum. Hoc etiam alicubi queritur in Epistolis ad Atticum, se uera uaticinari: uerum ut Cassandræ Troiani non crediderunt, Ioue res eorum ad interitũ uertente, sic sibi fidem à Romanis non haberi. De qua Virgilius ex Homero in hunc modum:

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora dei iussu, non unquam credita Teucris.

Dicebam illis.] Explicat auguria siue consilia sua de Antonio. Quoad metueres.] Dum metus & magister prohiberent, ut ait Terentius. Similem.] Ad mores, & (ut ait Terentius) ad ingenium rediturum. Huc facit quod Horatius dicit in Epistolis

Tolle periclum,
Iam uaga prosiliet frenis natura remotis.

Importunißimo.] Infestißimo, immanißimo.

Post diem tertium ueni in ædem Telluris, & quidem inuitus: cum omnes aditus ar-
B mati obsiderẽt. qui tibi ille dies M. Antoni fuit? quanquam mihi subito inimicus extitisti: tamen me tui miseret, quod tibi inuideris. qui tu uir, dij immortales, & quantus fuisses, si illius diei mentem seruare potuisses? pacem haberemus: quæ erat facta per obsidem puerũ nobilẽ M. Antonij filium M. Bambalionis nepotẽ: quanquã te bonum timor faciebat, non diuturni magister officij: improbum fecit ea, quę dum timor abest, à te non discedit, audacia. Et si tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni illius † sceleratissime præfuisti. Tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: tu, tu illas faces incendisti, & eas quibus semiustulatus ille est: & eas quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit: tu illos impetus perditorum hominum, & ex maxima parte seruorum, quos nos ui manúque repulimus, in nostras domus immisisti.

† al. sceleratißimi

Post diem tertium.] Ab interfecto Cæsare. De tota hac narratione sequenti dictum est in prima oratione.

Armati.] Ab Antonio collocati & dispositi. Qui tibi ille dies.] Amplificat recte facta, ut malefacta mox
C grauius uituperet. Seruare mentem.] Consilium & sententiam. M. Antonij filium.] Id est tuum. ut in prima oratione, Charißimus tuus paruus filius in Capitolium à te missus pacis obses fuit. M. Bambalionis nepotem.] Vtpote ex eius filia, Antonij uxore susceptum. Bambalionis autem præteriens attigit nomen, ad Antonij uituperationem, ut alibi supra notauimus. Quanquam te bonum.] Corrigit quod dixit, ne ueram & integram laudem Antonio tribuere uideatur. Noti sunt uersus illi:

Oderunt peccare boni uirtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Non diuturni magister offi.] Locus communis, quem integrum Cicero de Officijs libro secundo extulit: Malus est custos, inquit, diuturnitatis metus. & Terent. in Adelphis:

Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:
Si sperat fore clàm, rursum ad ingenium redit.

A te non discedit.] Latet enim, non discedit, quæ illico metu sublato, quasi ex insidijs existit. Et si tum cum optimum te putabant.] A signis ostendit Antonium ne tum quidem fuisse bonum aut amicum reipublicæ, cum optimus putaretur. nam seditiosam admodum habuit in Cæsaris funere laudationem. Funeri tyranni il.] C. Iulij Cæsaris.
D nam hunc tyrannum aperte sæpe nominauit. Tua illa pulchra laudatio.] Habuit Antonius in funere Cæsaris orationem: & non uerbis modo rem exaggerauit, uerum etiam corpus confossum populo spectandum proposuit & commonstrauit: quo uiso, in insaniam & rabiem ita ferebatur, ut extemplo ad ulciscendum Cæsaris interfectores curreret. Eius orationis tria fuisse præcipua capita & locos indicat Cicero. Personæ & factorum eius laudationem, hominis trucidati commiserationem, & ad necem eius ulciscendam cohortationem, id quod etiam Plutarchus diligenter scriptum reliquit, & alij rerum Romanarum scriptores. Verum præter reliquos Dion Græcus autor libro quadragesimoquarto, qui & hanc ipsam Antonij orationem, posteritati monumentis suis commendauit: quam quia mihi uisa est multum artificij continere, eam conuertit: ut & uos si quid fructus ex ea capi poßit, capiatis. Is igitur in hunc modum scribit: Habuit Antonius ornatam & disertam orationem: uerum pro temporis conditione & rerum statu perniciosam: nam in hanc loquutus est formam. Oratio.

Tua cohortatio.] Intelligitur, illas faces incendit, ex proximo membro petendum. Est enim syllepsis personæ.

Tu, tu.] Geminatione, uim addit criminationi. Illas faces.] Quibus plebs Antonij oratione incensa, & in furorem acta, rogum C. Cæsaris inflammauit. Semiustulatus ille est.] Vere loquitur. nam ne totum cadauer combureretur, Dolabella prohibuit, expulsis foro improbis & seruis. Hoc etiã modo locutus est pro Milone de Clodio loquẽs: Infelicißimis, inquit, lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Plautus dicit ambustulatum.

Deflagrauit

Deflagrauit.] Incensa & combusta est. Tu illos impetus.] Vide Plutarchum in Caesare, & Appianum libro secundo, & Dionem. Quos nos ui.] Nam uim ui repellere licet, ut Digestorum libro primo De iure naturali constitutum est. Vide etiam Ciceronem pro Milone. A

Idem tamen quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara senatusconsulta fecisti: ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, néue cuiusquam beneficij figeretur. Meministi ipse, de exulibus, scis de immunitate quid dixeris. Optimum uero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulisti. quo quidem facto tantum te cepisse odium regni uidebatur: ut eius omnem, propter proximum dictatorem, tolleres metum. Constituta respublica uidebatur alijs, mihi uero nullo modo: qui omnia te gubernante naufragia metuebam. num me igitur fefellit? aut num diutius potuit sui esse dissimilis? inspectantibus uobis toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis ueniebant immunitates, sed etiam populis uniuersis: ciuitas nō tum singillatim, sed prouincijs totis dabatur. Itaq; si haec maneant, quae stante republica manere non possunt: prouincias uniuersas, Patres conscripti, perdidistis: neq; uectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis nundinis diminutum est. B Vbi est septies millies sestertiûm, quod in tabulis quae sunt ad Opis, patebat? Funestae illius quidem pecuniae, sed tamen, si his quorum erat, nō redderetur: quę nos à tributis posset uindicare. Tu autem sestertiûm quadringenties, quod Idibus Martijs debuisti, quonam modo ante Calendas Aprilis debere desiisti?

Idem tamen.] Id est tu ipse, qui paulo ante plebem ad arma concitaueras. Quasi fuligine abstersa.] Quasi maculis deleta, de rogo Caesaris ducta similitudo atq; translatio. Praeclara senatusconsulta.] Praeclara in speciem uidebantur, cum reuera aliud respicerent. sapit hic locus ironiam ex Antonij persona. Ne qua post Idus Mart.] Id est post eum diem quo interfectus est Caesar. De hoc senatusconsulto & sequentibus dictum est in oratione prima.

Constituta respublica uidebatur alijs, mihi uero nullo modo.] En aperit cur dixerit, praeclara senatusconsulta: alijs non mihi: in speciem, non re uera. Naufragis.] Reipub. pericula. translatio sumpta de nauibus, unde &, Te gubernante, dixit. Vt enim nauis, sic respublica aut imperito, aut perfido gubernatore periclitatur. Num me.] Contrarijs superioribus tabulis, suam de Antonio cōfirmat coniecturam, siue potius iudiciū. Aut num diutius.] Ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt: nec simulatum potest quicquam esse diuturnum, ut Cicero de Off. ait. C

Veniebant immunitates.] Vacationes à publicis muneribus & tributis pendendis uendebantur. Sigillatim.] Priuatim, singulis, & priuatis hominibus. Quae stante repub. manere non possunt.] A repugnantibus, & contrarijs. nam si est respublica, ergo non priuata Antonij. Nundinis.] Pactionibus, uenditionibus, mercatu.

Vbi est septies?] Instat rursus, & obijcit interuersam pecuniam. Septies millies sestertiûm.] Haec summa continet septuagies quinquies centena millia coronatorum. nam mille sestertiûm nummûm sunt xxv. coronati.

Patebat.] Perscriptum erat, in tabulas relatum. Funestae.] Vtpote ex interfectorum et proscriptorū Pompeianorum bonis. Superiore oratione: Cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum ijs quorum est, non redditur, necessaria. Si ijs quorum erat.] Argumentum ex consequentibus. A tributis.] Quae à priuatis ciuibus in publicum tribuuntur. Vindicare.] Liberare, eximere. Tu autē HS quadringenties.] Id est decies cētena millia coronatorum, quae pro sectione bonorum Pompeij debuisti. Debere desijsti.] Dissoluisti. non enim dissoluerat Antonius, sed sibi suo tyrannico iure uindicauerat.

Quid ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? D sunt ea quidem innumerabilia, quae à diuersis emebātur non insciente te. Sed unum egregium de rege Deiotaro populo Romano amicissimo decretum in Capitolio fixum: quo proposito, nemo erat qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quàm Deiotaro Caesar? aeque atq; huic ordini: ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani charam esse sentiebat. Is igitur à quo uiuo nec praesens nec absens quicquam aequi, boni impetrauit: apud mortuum factus es † gratus. Compellarat hospitem praesens, computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchiam ex Graecis comitibus suis collocarat: Armeniam abstulerat à senatu datam. haec uiuus eripuit: reddidit mortuus.

† al. gratiosus

Quid ego de commentarijs.] Et de his in prima oratione dictum est. Sed unum egregium.] Profert ridiculam impudentiam Antonij, qui se ex Caesaris commentarijs sua Deiotaro redditurū promisit, quae Deiotarus suo Marte recuperarat. Deiotarus Tetrarcha Gallograeciae & Paphlagoniae, senatui populoq; Romano amicissimus, & rex à Cicerone senatus populiq; Romani nomine adiecta Armenia appellatus, in partibus fuit Pompeianis, & cum auxilijs in Pharsaliam uenit. Victo postea Pompeio, Caesari satisfecit. Equites quos imperauit et pecuniam misit. Diuertentem apud se in Luccio castello, cum aduersus Pharnacem proficisceretur, hospitio suscepit, rursumq; postulatam pecuniam Caesari

A numerauit. Accusatus deinde est à Phidippo quodam medico seruo suo, Castore nepote subornante, & aliorum criminũ, & quòd diuertentem apud se C. Cæsarem occidere cogitauerat. Cicero præclara illa oratione, quæ est in manibus defendit. Cæsar indignatus, Deiotarum ad ueterem tetrarchiam redegit, adempta Media, & quibusdam Græcis qui comitati in bellis cum fuerant, tradita, ac item Armenia ablata, quam senatus concesserat. Cæsare mortuo, quicquid ereptum fuerat, illico recepit. Sed Antonius cum legatis eius qui Romæ erant, inscio tamen rege, & regis hospitibus (quorum unus erat Cicero) dissuadentibus, pactus est, si certam pecuniam acciperet à Deiotaro, edictum se prolaturum, quo adempta ex Cæsaris uoluntate restituerentur. Insectatur hoc & irridet Cicero: &, Meditere, inquit, Antoni de syngrapha, hoc est de cautione per tuam & contrahentiũ tecum legatorũ scripturã facta. nam quę amiserat Deiotarus ea recepit, et sine ullis Cæsaris commentarijs tenet, & iure quidem tenet: quod ostendit Cicero. Proposito.] In pariete, ut ab omnibus legi posset. Quis enim cuiquam inimicior.] Ex repugnantibus probat, Cæsarem non reliquisse, ut Deiotaro sua redderentur. nam erat ei inimicus Cæsar. Aeque atque.] Id est tanquam, huic ordini senatorio.

Vt Massiliensibus.] Qui semper in fide populi Romani amicitiaq; steterant: de quorum fide passim historiæ testantur. Hos uehementissime oderat Cæsar, quòd in partibus senatus & Pompeij fuissent, quòd obsidionem & extrema omnia passi essent, id quod & Lucanus scribit, & legitur in Cæsaris commentarijs. Hinc postea triumphãs Cæsar portari in triumphi pompa etiam Massiliam uoluit, etsi minime licebat, quòd socia semper fuerat populi Romani. Hinc illa Cice- B ronis in Officiorum libris lamentatio: Itaq; uexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperij portari in triumpho Massiliam uidimus: & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Plura de Massilia, quæ Narbonensis prouinciæ metropolis quondam fuit, commentario quarto Strabo scribit. Is igitur à quo uno.] Enthymema ex repugnantibus, sed non sine ironia. Computarat.] Calculos subduxerat, rationes contulerat, depactus cum eo fuerat. hoc uerbo non inuenies alibi usum Ciceronem, quo sæpe utitur Plinius in Nat. hist. Iuuenalis de Nestoris senectute: Iam dextra computat annos. Pecuniam imperarat.] Obserua similiter desinens, & narrationis iucundam breuitatem. In eius tetrarchiam.] In quartam regni partem. Cicero de Diuinat. libro 1. Deiotarus à Cæsare tetrarchiæ regno pecuniaq; mulctatus est. Gens quæ unius esset linguæ, ut Strabo scribit, diuisa olim in partes quatuor, in totidem scissa dicebatur tetrarchias: quarum singulæ suum habebant tetrarcham, & iudicem, & ephorum, tetrarchæ ipsi subiectos. Comitibus suis.] Qui Cæsarem in bellum secuti fuerant. Armeniam abstulerat.] A Deiotaro scilicet, ut paulo ante diximus. Hæc unus eripuit, reddidit mortuus] Curtum sermone rotato torquet enthymema, ut Satyricus ait.

At quibus uerbis? modo æquum sibi uideri, modo non iniquum, mira uerborum C complexio. at ille nunquam, semper enim absenti affui Deiotaro, quicquã sibi quod nos pro illo postularemus, æquum dixit uideri. Syngrapha sestertium centies per legatos uiros bonos, sed timidos & imperitos, sine Sexti, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in gynæceo. quo in loco plurimæ res ueniere, & ueneũt, qua ex syngrapha quid sis acturus meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte nullis commentarijs Cæsaris, simulatque audiuit eius interitum, suo Marte res suas recuperauit. Sciebat homo sapiens ius semper hoc fuisse, ut quæ tyranni eripuissent, ea tyrannis interfectis, ij quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur iureconsultus, ne iste quidem, qui tibi uni est iureconsultus, per quem hæc agis: ex ista syngrapha deberi dicit, pro ijs rebus quæ erant ante syngrapham recuperatæ. Non enim à te emit: sed priusquam tu suum sibi uenderes, ipse possedit. Ille uir fuit: nos quidem contemnendi: qui autorem odimus, acta defendimus.

D At quibus uerbis.] Profert uerba decreti, quod prætexebat Antonius nomine Cæsaris, quo rem apertius coarguat. Mira uerborum complexio.] Irridet Antonij in decreto uerborum compositionem ineptam, molestam, inusitatam: ex quo discant adolescentes quanta sit habenda orationis cura, in ijs saltem quę literis mandantur, cum homo Romanus, nec indoctus, nec incultus à Cicerone linguę Romanæ facile principe reprehendatur. Et complexionem appellat, uerborum inordinatam & confusam collocationem, quam perplexitatem inepti uocant. At ille.] Cæsar. Decretum refellit Ciceronis & suo testimonio. Decretum dicit, æquum sibi uideri: Cæsar nunquam dixit. Semper enim absenti affui.] Semper illius absentis causam defendi. Syngrapha.] Cautio, chirographum, scriptum nostrum quo testamur, nos aliquid ab aliquo accepisse, & reddere promittimus. Est autem formula quædam obligationis. Sestertium centies.] Id est centies centena millia. Sunt autem hoc tempore ducenta & quinquaginta millia coronatorum.

Sine Sexti.] Sic etiam ad Atticum Cicero: Ecquid amas Deiotarum, & nõ amas Hieram? qui ut Blesamius uenit ad me, cum ei præscriptum esset ne quid sine Sexti sententia ageret, neq; ad illum, neq; ad quenquam nostrum retulit.

In gynæceo.] In mulierum conclaui. Aemil. Probus in proœmio libri De Imperat. Græc. γυναικωνῖτιν uocat. Locum nominauit Cicero ad Antonij uituperationem, qui decreta, qui pacta regnorum conficeret inter mulierculas.

Qua ex syngrapha.] Monet nihil actum esse cum legatis, & locum ex iure gentiũ profert. Suo Marte.] Per se, sine aliqua actione: suo iure & robore. prouerbium est. Ius semper hoc fuisse.] Iure gentium introducta sunt bella, ut Degest. libro 1. Hermogenianus inquit. Ergo quod bello ereptũ est, bello uindicari potest: præsertim à tyrannis, & ijs qui nullo iure, sed sola ui, & dominandi libidine rapuerunt. Ante syngrapham.] Ergo non ex syngrapha

pha tua: ergo nihil tibi debet. *Sed priusquam tu suum sibi uenderes.*] *Inuidiose hoc dicitur, uendere alicui quod* A
suum est. *Ne iste quidem.*] *Intelligit ni fallor Sex. Clodium rhetorem, malum Antonij & doctorē & consultorē.*
Ille uir.] *Deiotarus fortis & strenuus fuit, qui mortuo tyranno sua sine cunctatione recepit.* *Qui autorem*
odimus.] *Ex repugnantibus. castigat autem his uerbis senatus inconstantiam.*

Quid ego de cōmentarijs infinitis? quid de innumerabilib. chirographis loquar?
quorum etiam imitatores sunt, qui ea tanquam gladiatorum libellos palam uenditēt.
Itaq; tanti acerui numorum apud istum construuntur, ut iam appendantur, non nume
rentur pecuniæ. At quàm cæca auaritia est? nuper fixa tabula est, qua ciuitates locuple
tissimæ Cretensium liberantur: statuiturq;, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta
prouincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? an Cæsaris decreto Creta
post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum Cæsare uiuo perti-
neret? At huius uenditione decreti (ne nihil actum putetis) prouinciam Cretam per-
didistis. omnino ullius rei nemo fuit emptor, cui defuerit hic uenditor.

Quid ego de commentarijs infinitis?] *Ad maiorem inuidiam eundem locum sæpius repetit et uersat, Antonium ex*
falsis Cæsaris commentarijs ingentem pecuniarum uim contraxisse. Est autem commoratio, quam ἐπιμονὴν Græci di- B
cunt. commoratur enim in loco firmißimo, & inuidiosißimo, & eodem sæpius redit, ne auditoribus potestas detur, ani-
mum de re firmißima dimouendi. *Tanquā gladiatorū libellos.*] *Apta similitudo. opinor autem pugnas nobilium*
gladiatorum significari, in membranis ad uiuum expressas. Poßumus etiam intelligere gladiatorum libellos qui proponi
solebant, in quibus & nomina eorum continerentur, & patria, & ætas, & pugnæ, & cuius essent, ut qui emere uellent,
aut conducere, hæc intelligerent. *Tanti acerui construūtur.*] *Tanta uis auri & argēti coaceruatur et cōgeritur.*
Vt iam appendantur.] *Ad stateram nimirum. nam cum pecunia nondum signata esset, uetustis temporibus, cumq;*
uis magna esset numeranda, ob grauitatem ponderis ære appenso non numerato soluebant. ex quo illæ formulæ remanse
runt, pendere pœnas, pendere tributa: hinc quoq; pensiones dictæ. Pondus ergo hic significat, magnam fuisse pecuniarum
uim, atq; adeo illos auri montes. *At quàm cæca auaritia.*] *Pergit eius auaritiam unà cum socordia & stupiditate*
reprehendere. nam stupiditatis fuit quòd non animaduerterit se pugnantia scribere, cum Bruti Cretæ proconsulis mētio-
nem faciat Cæsarem facere, qui Brutus uiuo Cæsare proconsul non fuit. ex quo aperte ostenditur, decreti eius autorem An
tonium non Cæsarem fuisse. *Ciuitates locupletißimæ Cretensium liberantur.*] *Sic legendum est, non, uectigalibus*
liberantur, ut in plerisq; legitur. *Cicero paulo post: An Cæsaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit libe-* C
rari? Item in proxima Philippica: Vendiderit immunitates, ciuitates liberauerit. & quinta: Regna data, populi prouin-
ciæq; liberatæ. Item de Prou. cons. Vectigales multos & stipendiarios liberauit. Sic liberare agros, seruos, sine adiunctio
ne dicitur. *Tu non constringendus.*] *Vinciendus, ut furiosi solent catenis uinciri ne cui noceant.*
Perdidistis.] *In odium senatum impellit, ex prouinciæ Cretæ amißione.* *Omnino ullius rei.*] *Epiphonema*
te concludit hanc insectationem: idq; ex relatis, emptor, uenditor.

Et de exulibus legem quam fixisti, Cæsar tulit? nullius insector calamitatem: tan-
tum queror primum eorum reditus æquatos, quorum causam dissimilem Cæsar iudi-
cauerit. deinde nescio cur reliquis idem nō tribuas. neq; enim plus quàm tres, aut qua-
tuor reliqui sunt, qui simili in calamitate fuerint. cur tua misericordia simili non fruun-
tur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluisti. quem e-
tiam ad censuram petendam impulisti, eamq; petitionem comparasti, quæ & risus ho-
minum, & querelas moueret. cur autem ea comitia non habuisti? an quia tribunus ple
bis fulmen sinistrum nunciabat? tua quid interest? nulla auspicia tuorum sunt, quum
sis religiosus. quid? eundem in Septemuiratu nónne destituisti? interuenit enim. quid D
metuisti? credo, ne saluo capite † negare non posses. omnibus eum contumelijs one- *al. rogare*
rasti: quem patris loco, si ulla pietas in te esset, colere debebas. filiam eius, sororem tu- *alij, necare*
am eiecisti, † falsa conditione quæsita, & ante perspecta. non est satis: probri insimu- *al. alia*
lasti pudicissimam fœminam. quid est quod addi possit? contentus eo non fuisti. Fre-
quentissimo senatu Calendis Ianuarijs sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella
odij causam ausus es dicere, quod ab eo sorori, & uxori tuæ stuprū oblatum esse com-
perisses. quis interpretari potest? impudentior ne? qui in senatu, an improbior? qui in
Dolabellam, an impurior? qui patre audiente, an crudelior? qui in illam miseram tam
spurcè, tam impiè dixeris.

Et de exulibus legem.] *Transit ad legem ab Antonio latam nomine Cæsaris, de exulibus restituendis, quam Cæsaris*
fuisse acri percunctatione negat. *Nullius insector.*] *Præmunitio ad id quod aggreditur.* *Eorum reditus*
æquatos.] *Duo queritur, alterū quosdam sine delectu ab Antonio esse restitutos, quorū causæ dißimiles sint. dißimilium*
enim dißimilis esse debet ratio: ut qui grauius deliquerunt, grauius puniantur: & qui magis profuerunt, maiorib. affician
tur præmijs. Antonius autē nihil istam proportionē curans, quosdam ex ijs qui grauius peccarāt, etiā Cæsaris iudicio qui
illos proscripserat, æquauit ijs quorū causam meliorē Cæsar iudicarat, ut ex eo appareat nō Cæsaris decreto, sed Antonij

A libidine esse restitutos. Alterũ quod Cicero queritur illud est, q. cum tam promiscue quosdã restituerit, cur nõ omnibus pariter idem beneficiũ tribuerit, siquidem misericordia mouebatur. quod cum nõ fecerit, ex eo perspicuũ esse omnia ex sua libidine, nõ ex ratione aliqua aut miseratione factitare. Alij omnes legunt inquinatos, id est ignominia affectos, ex eo q. serius q̃ alij restituerentur. quæ quidem lectio refellitur sequentibus uerbis: dicit enim se dolere eorũ reditus æquatos esse, quorũ esset causa dissimilis, quod quidem uitiosum est & tyrannicũ, ut ostendimus. Quorũ causam.] Probat ex coniecturis. Cæsar eos à reliquis separauit exulibus, nec tam atrox contra eos fuit. ergo non tantũ iudicabat eos peccasse atq; alios. Idem nõ tribuas.] Cur nõ & reliquos restituas, cum pauci sint, cum in plures misericors fueris?

In loco patrui.] Scilicet C. Antonij, de quo supra. De quo ferre.] Id est quẽ nominare noluisti, quẽ præterijsti, in lege quã de exulibus restituendis ferebas. hic enim Antonij in patruũ impietatẽ redarguit. Quem etiã.] Colligit et alia in patruũ crimina. Eamq; petitionẽ.] Abiectissimos enim homines patruo cõpetitores subornarat Antonius, quo maiore eum afficeret ignominia, quæ singularis impietas fuit. Risus hominũ.] Propter abiectos competitores. Et querelas.] Indignabãtur enim hominẽ tã clarũ, & eius patruũ ab eo ludibrio haberi. Cur aũt.] Irridet Antoniũ de comitijs quæ instituerat nõ habitis. An quia trib.] Ironia. percontatur aũt oratorie, quod dici nõ potest. Fulmen sinistrũ.] Nam si ad sinistrã partẽ iaculatus esset, comitia impediebat, ut scribit Cic. de Diu. libr. 2. alioqui fulmina sinistra seu leua prospera existimãtur: quoniã leua parte mundi ortus est, ut Plin. lib. 2. cap. 53. docet.

B Tua quid interest?] Dissoluit quod sibi occupatione opposuit: idq; ex augurali disciplina, augurẽ auguri obnunciare nõ posse, quod & alibi supra indicauit. Nulla auspicia sunt tuorũ.] Id est, quoniã augur tu es & religiosus, tuos auspicijs teneri nõ existimas, sed auspiciorũ legibus solutos. Ironia tamen est. sic & hodie nulli minus se legib. Christi teneri putant, q̃ qui religiosi uocantur: adeo sibi libera omnia faciunt. Religiosus.] Augur & sacerdos. In septemuiratu.] Hi erant septemuiri epulones dicti, de quib. Cic. de Orat. lib. 3. Põtifices, inquit, propter sacrificiorũ multitudinẽ, tres uiros esse uoluerunt, ut ludorũ epularis sacrificia facerent. deinde numerus epulonũ auctus est, adeo ut septẽ fuerint numero epulones. Nisi forte quis septẽ uiros intelligendos putet, quos Antonius diuidendis agris creandos curauit: in quẽ numerũ patruũ allegi nõ est passus: quod mihi nõ displicet. Interuenit enim.] Patruus tuus, ne forte eius absentiam excuses. Credo ne saluo capite negare nõ posses.] Lego rogare: ut ad Antonij leges de quibus multa dicta sunt, et dicentur respiciat. Tanquã diceret, nõ is es Antoni qui patruũ in rogãdis legibus metuas, qui senatũ populũq; Ro. contẽnis. hoc igitur nihil obstabat, quo minus ille in septẽuiros allegeretur. quod aũt quidã necare legendum censent, non placet.

Omnibus eum cont.] Erumpit uehementius, & obijcit ei multa in uno crimina, quæ gradatim extollit & amplificat. Dixit enim in Part. orat. quæ gradatim tolluntur. Contumelijs.] Primus gradus. Contumelia aũt est cũ contemptu iniuria. Filiã eius sororẽ tuã.] Scilicet patruelẽ, nõ germanã. erat aũt C. Antonij patrui huius M. Antonij filia. quæ enim ex duobus fratrib. filiæ nascũtur, sorores patrueles appellantur: qui uero ex duob. fratribus filij generãtur, C proprie fratres patrueles dicuntur, ut est in Inst. De grad. cog. lib. 3. Obserua fratres & sorores dictos patrueles Romanis.

Eiecisti.] Repudiasti. secundus gradus. Falsa conditione.] Nulla ex causa, nullo iure, nullo suo peccato.

Probri insimulasti.] Id est stupri. nã probrũ ueteres interdũ pro stupro usurpabãt. & hic est tertius amplificationis huius gradus. Contẽtus eo nõ.] Quartus gradus. Sorori et uxori.] Id est patrueli tuæ, quæ eadẽ tibi uxor fuit.

Stuprum oblatum.] Id est quod cum uxore tua Dolabella concubuisset. Quis interpretari.] Distributione pulcherrima Antonij crimina exaggerat & tollit, & gradatim auget.

Sed ad chirographa redeamus. quæ fuit tua cognitio? acta enim Cæsaris pacis causa confirmata sunt à senatu, quæ quidẽ Cæsar egisset: nõ ea, quæ Cæsarẽ egisse dixisset Antonius. unde ista erumpũt? quo autore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si uera, cur ueneunt? at sic placuerat, ut ex Cal. Iunijs de Cæsaris actis cum consilio cognosceretis: quod fuit consiliũ? quẽ unq̃ aduocasti? quas Cal. Iunias expectasti? an eas, ad quas te peragratis ueteranorũ colonijs, stipatũ armis retulisti? O præclarã illã percursationẽ tuã mẽse Aprili atq; Maio: tũ cũ etiã Capuã deducere conatus es quẽadmodum illã adieris, uel potius pene nõ adieris, scimus. cui tu urbi minitaris. utinã conere, ut aliquãdo illud penè tollatur. †At q̃ nobilis est tua illa peregrinatio? quid prandiorũ apparatus? quid furiosam uinolentiã tuã proferã? tua ista detrimenta sunt, illa nostra.

D al. atq; nobilitata sit tua

Sed ad chirographa.] Redit ad rem, ut temporũ ordinem in Antonij factis narrandis persequatur. Acta enim Cæsaris.] Verba decreti, siue senatusconsulti de actis Cæsaris expendit & interpretatur. Acta Cæsaris, inquit, nõ Antonij: essent, non dicerentur tantũ. Pacis causa.] Non quia æqua essent, sed pacis retinẽdæ causa. Quo autore.] Non Cæsare, sed Antonio suppositore. Si sunt falsa.] Hæc in senatũ dicuntur liberius. & est complexio utrinq; concludens. At sic placuerat.] Hoc ei respondet quod modo dixit: Quæ fuit tua cognitio? Cum consilio.] Id est aduocato senatu & cõsiliarijs. Quod fuit consiliũ.] Antoniũ pactis nõ stetisse, contra decretũ senatus fecisse, arguit. ex quo illud intelligitur, eũ cognitionẽ illam subterfugisse, q. falsa esse quæ proferebat sciret. An eas.] Interrogat, idq; præter eius expectationẽ, quod negari nõ potest. O præclarã illam.] Ironica exclamatio in Antonij percursationẽ. Percursatio.] Peragratio. sed percursationis uerbũ grauius est. Capuã.] Coloniã. Antonius conatus fuerat Capuã nouã coloniã deducere ex ueteranis militibus, ut eorũ ad se studia cõuerteret: sed prohibitus fuit à Campanis, & penè interfectus. Vel potius penè nõ adieris.] Correctio. De hac quoq; re Phil. 12. Vestrũ, inquit, consiliũ Capua probabit? quæ temporibus his Roma altera est. Illa impios ciues iudicauit, eiecit, exclusit: illi inquã conanti, è manib. est ereptus Antonius. Illud penè tollatur.] Quia dixit penè nõ adieris, quo significauit pene illum occisum: optat ut

illud

illud, penè, aliquando tollatur, id est, ut omnino interficiatur. Atq; nobilitata sit.] *Interitu scilicet tuo. & nobi-* A
litata, id est, infamia notata. Quid prandiorũ?] *Sæpius redit ad Antonij luxuriã & ebrietatẽ, quoniã illo uitio*
uehementer uita eius deformabatur. Erat enim perpetuo & ebriosus & furiosus Antonius. Tua ista detrimenta
sunt.] *Tibi uni nocent, ad priuatum tuum dedecus pertinent.* Illa nostra.] *Quæ exponam, proinde grauiora.*
Nam ut iustitia societasq; hominum maxima est uirtus, sic eius peccata omnium grauissima sunt.

Agrũ Campanũ, qui cum de uectigalibus eximebatur, ut militibus daretur: tamen
infligi magnũ Reip. uulnus putabamus: hunc tu cõpransoribus tuis, & collusoribus
diuidebas. mimos dico, & mimas in agro, P. C. Campano collocatos. Quid iam querar
de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes Campani, & Leontini in
populi Romani patrimonio glandiferæ, & fructuosæ ferebantur. medico tria millia
iugerum, quasi te sanum fecisset: Rhetori duo, quasi disertum facere potuisset.

Agrũ Campanũ.] *Hæc sunt publica detrimenta, quæ Orator cum amplificatione profert. Graue erat agrũ Campa-*
num uectigalibus eximi, & militibus ueteranis à Cæsare dari: grauius collusoribus & mimis ab Antonio diuidi.
Vulnus.] *Translatio. detrimentũ, iactura, damnum.* Cõpransoribus.] *Verbũ cõiunctione nouatũ, ut cõ-* B
pascere & cõpascuũ. de qua re Cicero de Orat. 3. Appellantur etiã cõiugata, ut in Top. Quid iam querar de agro
Leontino?] *Repetit de agro in Sicilia Clodio Rhetori assignato, de quo supra.* Arationes.] *Agrorũ cultiones,*
atq; adeo agri ipsi & Campani. Glandiferæ.] *Glande ad sues pascendos abundantes. sic enim arationes glan-*
diferas appellauit, ut in primo de Legibus glandiferã quercũ. Alij legunt grandiferæ, alij grandifœnore, quæ mihi non
probantur. Et fructuosæ.] *Frugũ feraces, fertiles.* Quasi te sanũ.] *Ex ambiguo perstringit Antonij in-*
saniã. Et est festiua deflexio, à medico corporis ad animũ. nam sanus, & beneualentẽ corpore, & animo cõstantẽ, sapien-
tẽq; significat: ut est apud Iuuena. Orandũ est ut sit mens sana in corpore sano. Rhetori duo.] *Vt supra: Duo mil-*
lia iugerũ Campi Leontini Sex. Clodio Rhetori assignasti, & quidẽ immunia, ut pro tãta mercede, nihil sapere disceres.
Quasi disertũ.] *Sunt hæc duo cõiugata, medicus, sanitas. Rhetor, disertũ facere, ut Aristot. in Topicis docet.*

Sed ad iter, Italiamq; redeamus. Deduxisti coloniam Casilinum: quo Cæsar antè
deduxerat. cõsuluisti me per literas de Capua tu quidem: sed idem de Casilino respon
dissem: posses ne ubi colonia esset, eò coloniam nouam iure deducere? negaui in eam
coloniam, quæ esset auspicatò deducta, dum esset incolumis, coloniã nouam iure de-
duci: colonos nouos ascribi posse rescripsi. tu autem insolentia elatus, omni auspicio- C
rum iure turbato, Casilinum, coloniam deduxisti: quo erat paucis annis antè deducta:
ut uexillum uideres, & aratrum circumduceres: cuius quidem uomere portã Capuæ
penè perstrinxisti: ut florentis coloniæ territorium minueretur.

Sed ad iter.] *Reuocat se ad institutũ, id est, ad illã Antonij percursationem.* Italiamq;.] *Nam ea quæ nar-*
rauit, in magna Græcia facta fuerunt, ut quondã dicebatur. Deduxisti coloniã Casilinũ.] *Quid contra morem,*
contra auspicia & religionẽ fecerit. Et est facti propositio, quam sequentibus reprehendit. Casilinũ antè oppidũ est Cam-
paniæ ad flumen Vulturnũ situm, in quo Prænestini milites quingenti & quadraginta, & unà nonnulli Perusini sic obsti-
natè Annibalis obsidionẽ pertulere, ut fame uexati lora ac pelles scutis detractas, muresq; essent. nucibus quoq; à Roma-
nis per Vulturnũ amnẽ missis, aliquandiu uixere. Liuius lib. 23. ab urbe condita. Cicero item de Inuent. lib. 2. extremo,
Casilinensiũ obsidionẽ acerbã, in exemplũ necessitatis adducit. Vt necesse sit, nisi uelint se Casilinẽses dedere, aut fame
perire, aut uenire in Annibalis potestatem. Negaui in eam colon.] *Refutatio & reprehensio facti, ex auspicio-*
rum iure, & deducendæ coloniæ ritu. Auspicatò deducta.] *Auspicio prius captato. Nam Romani (ut Cicero de*
Diuinatione, & Val. Maximus lib. 1. testantur) nihil nisi auspicijs cõprobatũ prius adgrediebantur: eatenusq; ratũ erat
aliquid perpetuum & firmum, quatenus bonis auspicijs fuerat ante demonstratũ. Libro De legib. 2. Cicero hanc legẽ ex D
xij tabulis repetit: Quæq; augur iniusta, nefasta, uitiosa, dira defixerit, irrita infectaq; sunto. Dum esset in-
columis.] *Integra, non deleta aliquo casu, colonis ueteribus nondum extinctis.* Colonos nouos adscribi.] *Addi,*
adiungi. & noui ciues in ciuitatem adscribuntur, cum ciuitas aliquibus datur. Insolentia.] *Superbia, arrogantia,*
tyrannide. Vt uexillum uideres.] *Causam inuidiosam profert eius facti: sumptã à more uel deducendarũ colonia-*
rum, uel condendarum urbium. Erat enim in utroq; solenne, erecto uexillo sulcũ aratro proscindere in modum futuræ ur-
bis, quem sulcum primigenium appellabant. Huius moris Liuius mentionem facit, & Virg. primo Aen. libro:

Interea Aeneas urbem signabat aratro.

Quin etiã urbem aliquã deleturi, aratrũ circumducebant, carminib. nescio quibus obmurmuratis, id quod Porphyrio &
Acron etiam in Horatio explicando notarunt. Versus Horatij hi sunt Carminum libro primo:

Iræ altis urbibus ultimæ
Stetere causæ cur perirent
Funditus, imprimeretq; muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Vomere.] *Aratri acumine ferreo, quo terra proscinditur & uertitur.* Perstrinxisti.] *Attigisti, quia parũ*
abfuit quin Capuam ipsam euerteres, eius imminuto territorio. Amplificatio est ex eo genere quæ incredibiliter tollũtur,

A *ad odium excitandum quæsita.* *Territoriũ.*] *Pomponius Iurisc. De uerb. signif. Territoriũ esse definit, uniuersitatem agrorum, intra fines cuiusq; ciuitatis. Dicitur etiam communi appellatione ager, ut ostendit Cicero de Offic. lib. 1. Ex quo fit, inquit, ut ager Arpinás Arpinatium dicatur, Tusculanus Tusculanorum.*

Ab hac† religionum perturbatione aduolas in M. Varronis sanctissimi atq; integerrimi uiri fundum Cassinatem. quo iure? quo ore? eodem inquies, quo in hæredum L. Rubrij, quo in hæredũ L. Tursecij prædia: quo in reliquas innumerabiles possessiones. & si ab hasta, ualeant tabulæ, modo Cæsaris, non tuæ: quibus debuisti, nõ quib. tu tete liberauisti. Varronis quidem Cassinatẽ fundũ quis uenisse dicit? quis hastã istius uenditionis uidit? quis uocẽ præconis audiuit? misisse te dicis Alexandriã, qui emeret à Cæsare. ipsum enim expectare magnum fuit? quis uero audiuit unquam (nullius autem salus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? quid, si etiam scripsit ad te Cæsar, ut redderes: quid satis potest dici de tanta impudẽtia? remoue
B gladios illos parumper quos uidemus: iam intelliges aliam causam esse hastæ Cæsaris: aliam confidentiæ, & temeritatis tuæ. non enim te dominus modo illis sedibus, sed quiuis amicus, uicinus, hospes, procurator arcebit.

† al. regionum

Ab hac relig.] *Aliam Antonij improbitatem & insolentiã cõmemorat, de M. Varronis nullo iure occupato fundo. Laudat aũt Varronem à sanctitate & integritate, ut iniuria ei facta ab Antonio maior esse uideatur.* *Perturbatione.*] *Hoc dicit, quoniam inauspicato omnia fecit Antonius. Alij regionũ.* *Aduolas.*] *Verbum uiolentiæ & iniuriæ, & significat cupide inuadis.* *Fundum.*] *Fundus Iurisconsultis, ager cũ ædificio dicitur, siue aretur, siue non aretur, ut pratum, uinetum, & id genus alia. Sed in usu urbana ædificia, ædes: rustica, uillæ dicuntur. In Pandect. de uerum & uerb. sig.* *Cassinatẽ.*] *A Cassino oppido Campaniæ, ubi oleum optimũ prouenit.* *Quo ore?*] *Quo pudore, siue potius qua impudentia.* *Quo in hæred. L. Ru. etc.*] *Id est nullo iure, à simili. et de hac re dictũ est antea.*

Prædia.] *Prediũ idem est quod fundus.* *Etsi ab hasta.*] *Occupatione eludit, quod Antonius obijcere poterat, se quæ Cæsar sub hasta posuisset emisse, idcirco iure possidere. hoc negat Cicero, & ex signis cõuincit.* *Ab hasta.*] *Ab auctione. denominatio. erat enim hasta auctionis signum.* *Valeant.*] *Vim habeant, & põdus & autoritatẽ.*

Quibus debuisti.] *Ex bonorum Pompeianorũ sectione: huiusmodi enim tabulæ Cæsaris sunt, non istæ quib. te liberasti.*
C *Varronis quidem.*] *Refellit ex signis quæ ex corporis sensibus percipiuntur. nemo uidit istam uenditionẽ, nemo audiuit, nemo dixit, ergo nulla est.* *Misisse te.*] *Aliam Antonij rationem diluit.* *Ipsum enim ex.*] *Ironia qua Antonij cupiditatem innuit, qui aduentum Cæsaris expectare non potuerit.* *Quis uero audiuit?*] *A publico omnium testimonio istam Cæsaris uenditionem refellit.* *Nullius autem.*] *Parenthesi occupationem inserit, qua respondet ei qui diceret, idcirco non audiuisse, quod nemo ista curaret: contra, nullius salutem plures curarunt, quàm Varronis.* *De fortunis.*] *De bonis, de possessionibus eius & prædijs.* *Quid si.*] *Affert contrariũ, ut eius impudentiam insignem arguat. Varronis fundum tantum abest ut tibi uendiderit Cæsar, ut etiam cum te in eum inuasisse intellexisset, scripserit ut redderes.* *Remoue gladios.*] *Vim armatam obijcit Antonio: & Cæsaris causam, ab Antonij audacia seiungit. pendet autem ex loco de eodem & alio, qui locus ad definitionem refertur.* *Confidentiæ.*] *Audaciæ, quæ fortitudinis exuperantia est, eamq; imitatur, ut Arist. in Ethicis, & Cicero in Part. oratorijs.*

Non enim te dominus.] *Hoc est nõ te tuámue autoritatem uerentur homines, sed arma: quæ si remoueris paulisper, quiuis de plebe tecum audebit concertare, teq; contemnere.* *Dominus.*] *M. Varro uerus fundi eius dominus.*

At quàm multos dies in ea uilla turpissime es perbacchatus? Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, uomebatur. O tecta ipsa misera, quàm dispari domino, quanquam
D quomodo iste dominus? sed tamen quàm à dispari tenebantur. Studiorum enim suorum Marcus Varro uoluit esse illud, non libidinum diuersorium. Quæ in illa uilla ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? Iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnisq; doctrina. At uero te inquilino (non enim domino) personabant omnia uocibus ebriorum: natabant pauimenta uino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritorijs, scorta inter matresfamilias uersabantur. Casino salutatum ueniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo. iure id quidem. in homine enim turpissimo † obsolebant dignitatis insignia. Quum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obuiam ei processit (ut est frequens municipium) magna sane multitudo. at iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates. sed tamen in uia habitabant. Quid Anagnini? qui quum essent deuij, obuiam ei descenderunt: ut istum, tanquam si esset Consul, salutarent. Incredibile dictu, sed tum inter omnes constabat, neminem esse resalutatũ. præsertim quum duos secum Anagninos haberet, Mustellam & Laconem: quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum.

† al. obsolescebat

At quàm multos?] *Id est, quot dies? Insectatur hominis luxuriã, & uillæ alioqui dignissimæ fortunã calamitatemq;* deplorat

deplorat. Es perbacchatus.] Id est, insanijsti, luxu omni, & lasciuijs difluxisti. Ab hora tertia.] Incer- A
tum noctis ne an diei tertiam horã intelligat. Ac de diei, noctis, & horarũ ratione ante diximus. quanquã ego Ciceronẽ
antelucanas illas coenas intelligere arbitror, quas Catilinæ socijs oratiõe in Catilinã secunda, obijcit, ut ab hora tertia no
ctis Antoniũ cum suis in totã noctẽ coenas, & in antelucanũ tempus produxisse significet. Bibebatur, &c.] Si-
militer desinens, rei quam narrat accõmodatum. O tecta ipsa misera.] Conformatione & exclamatione amplifi-
cat rei indignitatẽ, & miserationẽ mouet, sensum enim mutis rebus tribuit. O tecta.] intellectio, quã Græci Sy
necdochen uocant. tecta pro ædificio, siue pro uilla. Quàm dispari domino.] De officijs lib. 1. paulo aliter hæc
habent. Odiosum est enim, inquit, cum à prætereuntibus dicitur: O domus antiqua heu quàm dispari domino dominaris.
Videtur è poeta quopiã sumptus uersiculus, quo prouerbij uice uterentur. sed hoc loco Cicero in medio positam senten-
tiam, ad suum propositũ, quibusdã mutatis, accõmodauit. Quanquã quomodo.] Corrigit quod dixerat, domi-
no: quod non dominus eius uillæ sit Antonius, sed Varro. Quàm a dispari tenebantur.] Varro sanctissimus &
integerrimus, Antonius impurissimus, & nequissimus. hic dispar, non de quantitate, sed qualitate dicitur. Studio-
rum enim suorũ M. Varro.] Amplificat contentione contrariorũ studiorum Varronis & Antonij, quæ uterq; in uilla
Cassinate sit secutus. Diuersoriũ.] Diuersoriũ appellat, quia in uilla ad tempus tantũ solent ciues cõmorari, &
relaxandi animi causa, non ut in urbe perpetuo habitare. Id probant illa Cic. de Sen. Ex hac uita discedo tanquã ex ho-
spitio, non tanquã ex domo: cõmorandi enim natura diuersoriũ nobis, non habitandi dedit. Quæ literis manda-
bantur.] Laudat M. Varronẽ paucis uerbis, sed maxima & plenissima sententia: quod cum alibi tum etiã facit Acad.
Quæst. lib. 1. his uerbis: Sunt inquam ista Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes, errantesq; tanquã hospites, tui B
libri quasi domũ deduxerunt, ut possemus aliquando qui & ubi essemus agnoscere. Tu ætatẽ patriæ, tu descriptiones tem
porũ, tu sacrorũ iura, tu sacerdotũ, tu domesticã, tu bellicã disciplinã, tu sedẽ regionũ, locorũ, tu omniũ diuinarũ huma-
narũq; rerũ nomina, genera, officia, causas aperuisti, & alia. Hic est ille Varro, qui à Lactantio Togatorum literatissi-
mus appellatur, quẽ D. Augustinus in opere de Ciuit. dei, miris laudibus celebrat, & omniũ hominum doctissimũ uocat.
Ex cuius doctissimis infinitisq; propè operibus, fragmenta tantũ quædã supersunt, de re rustica, de Lingua latina, & de
Analogia. Omnis sapientiæ ratio.] Quoniã Varro rerũ humanarũ & diuinarũ libros cõscripsit. Sapiẽtia ue-
ro, rerũ diuinarũ & humanarũ scientia definitur. De off. lib. 2. At uero te inquilino.] Cõtentionis altera pars,
in qua illustris est luxuriosi cõuiuij & Antoniani explanatio, quæ rem ante oculos ponat. talis fuit illa supra: is uomens
frustis esculentis, uinũ redolentibus, gremiũ suũ, & totũ tribunal impleuit. Et illa: Domus erat aleatoribus referta, plena
ebriorũ, &c. Inquilino.] Vt uel ex hoc loco apparet, Inquilinus est, qui in alieno priuato, & proprie in condu-
cto habitat, siue in urbe, siue ruri. Hinc Sallustius & Catilina iniuriose M. Tullium urbis Romæ inquilinum dixerunt.

Natabant.] Plus est quàm madebant. Cum meritorijs.] Id est impudicis, & impudica patientibus, quos cy
lones in Sallustiũ appellat Cicero. Casino &c.] Casino, non Casilino legendũ. Erat enim Casinũ propè in con-
spectu: Casilinũ multis millibus passuũ aberat à Cassinate fundo. Sunt omnia Campaniæ oppida. Et Interamna, non pro-
cul ab Aquino est, sic dicta, quod inter duos amnes in unũ cõfluentes iacet Melpim & Lirim, Græce Mesopotamia dicere C
tur. Narrat autem quæ turpia in eis locis fecerit Antonius, ne quis sit locus, non aliquo Antonij flagitio, quasi uestigio no-
tatus, & impressus. Obsolebant.] Obscurabantur, antiquabãtur, sordibus squallebãt, & iacebant, sine honore.

Vt mortuum.] Non ridicula modo, sed & ad contemptionẽ imago cõparata. Imaginẽ enim uocat Cornif. ad Her.
lib. 4. huiusmodi figuram. Stulte Aquinates.] Scilicet, fecerunt, quos tamen statim excusat. Anagnini.]
Ab Anagnis oppido Campaniæ. de qua Maro. Quos diues Anagnia pascit. Tanquã si esset consul.] Et hoc ad
Antonij contemptionẽ dicitur, quo negat eum consulem esse. Deuij.] Extra uiam siti, alias deuij dicuntur, qui aber-
rant à uia. Neminẽ esse resalutatũ.] Hominis arrogantẽ insolentiã arguit: quam auget præposito uerbo: Incre-
dibile dictu. Præsertim cum.] Hoc præteriens addit ad uituperationẽ maiorem. Quorũ alter gladiorũ est
princeps.] Alij legunt, gladiatorũ, sed parũ refert. Alter poculorũ.] Festiuũ hoc est. De Mustella & Lacone
idẽ dicit ad Atticũ lib. 16. Anagnini, inquit, sunt Mustella ταξιάρχης, & Laco qui plurimũ bibit: nam ταξιάρχης,
Centurio est, siue qui ordinem ducit, Cicero hoc loco principem interpretatur.

Quid ego illas istius minas, contumeliasq; cõmemorem? quibus inuectus est in Si- D
dicinos: uexauit Puteolanos, quod C. Cassiũ, quod Brutos patronos adoptassent, ma
gno quidẽ iudicio, studio, beniuolentia, charitate: non ut te, ut Basiliũ, ui & armis, &
alios uestri similes, quos clientes nemo habere uelit: non modo esse illorum cliens.

Quid ego.] ἀπόφασις Rhetorica, siue occupatio, qua dissimulat se preterire quod maxime insectatur. In Si-
dicinos.] Sidicinũ oppidũ Oscorũ in Cãpania fuit, proprie Teanũ appellatũ, sed cognomine Sidicinũ, ut differre intel-
ligeretur ab altero Teano, quod in Apulia est, et idcirco Teanũ Apulũ nominatũ, ut ex Plinio didicimus, qui etiã scribit
lapides agri Sidicini si oleo spargantur, ardere. Vexauit Puteolanos.] In Cãpania maritimũ oppidũ est Puteoli,
Cumanorũ olim emporiũ, in supercilio montis quodam cõstructum, Dicæarchia prius uocatum. Romani uero Annibale
Italiam bello uastante frequentes habitauere, & à puteorum frequentia, Puteolos appellauere. Sunt qui ab aquarum
putore, quæ sulphuratæ & male olentes per totum illum Baiarum & Cumarum sunt tractum, dictum uelint.

Quod Brutos, patronos adoptassent.] Mos fuit iste priscorũ, ut singulæ nationes, & populi patronos Romæ pro-
prios haberent, in quorũ essent & tutela & clientela. Ita Siculi patronos Marcellos habuerunt: Lacedæmonij in Clodio
rum tutela extiterunt: Bononienses Antoniorũ fuerunt, Taurini Curionũ: quo tempore à Cæsare in ciuitatẽ Romanam
ascripti sunt. Fabius Sanga patronus fuit Allobrogũ. Sic aliæ gentes alios patronos habuerunt. Quin etiã apud maiores
tantopere iustitia culta est, ut de Officijs testatur Cicero, ut ij, qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem cepissent,

A eorũ patroni essent more maiorum. Magno quidẽ.] Laudat Puteolanorũ factũ & probat. Non ut te.] ἐπιστροφὴ ad Antoniũ, cum cõparatione, qua ostendit, neminẽ esse qui eum aut eius sectores uelit, sibi aut patronos aut clientes esse. Sunt enim cliens & patronus relata. Cliens suscipitur, patronus suscipit clientis defensionem. Vt Basilium.] Sic legitur in Dione & Cæsaris cõmentarijs, non Basillũ. Apud Lucanũ uero, Basilũ legitur unico l, illo uersu: Vt primum aduersæ socios in litore terræ, Et Basilum uidere ducem: sed id fortasis à poeta metri causa factum est. fuit hic in partibus Cæsarianis, & postea in Antonianis.

Interea dum tu abes: qui dies ille Collegę tui? cum illud quod tu uenerari solebas, bustum in foro euertit? qua re tibi nunciata, ut constabat inter eos, qui unà fuerunt, concidisti. quid euenerit postea, nescio. metum credo ualuisse, & arma. collegam quidem de cœlo detraxisti, effecistiq; non tu quidem etiam nũc, ut sit similis tui: sed certe ut dissimilis esset sui. qui uero reditus inde Romã? quæ perturbatio totius urbis? memineramus Cinnam nimis potentem: Syllam postea dominantem: modo Cæsarem regnantem uideramus. erant fortasse gladij, sed ij absconditi, nec ita multi. ista uero quæ, & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladijs sequuntur scutati milites:
B scutorum lecticas portari uidemus.

Interea dum.] Descripsit Antonij peragrationẽ, nunc magis propinqua attingit: cũq; reprehẽdit, quod Dolabellam collegã suũ, metu & armis à præclaris factis absterruerit. Bustũ.] C. Cæsaris, ubi eius cadauer cõbustũ fuerat, erectũ ad illius memoriã renouandã. Hoc bustũ in prima oratione execratã columnã appellauit, & insepultã sepulturam. Vt cõstabat.] Hoc testimonij loco additũ est. Cõcidisti.] Scilicet metu exanimatus. Quid euenerit.] Dolabellæ scilicet. Metũ credo ualuisse.] Metu credo, & minis tuis immutatũ esse, & Remp. destituisse. Collegam quidem de cœlo detraxisti.] κατέσυρας, id est, è summo in imum deturbasti. Expressit enim Græcũ uerbum Orator κατασύρω, quod est detraho, deturbo, euerto, de gradu summo deijcio, quasi diceret: Dolabellã de summa gloria, in summã inuidiã deiecisti. Magnifica translatio est. nam in cœlo esse, est summis laudibus celebrari, in honore esse. hinc etiã illa contraria: efferre aliquẽ ad cœlũ, pro summè laudare, & summis honoribus afficere. sic in quarta Philippica: Cæsar in cœlũ fertur. Effecistiq; non.] Significat Dolabellã corruptũ quidẽ ab Antonio, sed minus quàm illum peruersum fuisse. Nam ut qui natus & factus est ad scelera, metu aut alia de causa, non malus ad tempus uideri potest: sic qui natura animũ præcultũ ad honestatẽ habet: aliqua de causa corrumpi potest ad tempus: peruerti omnino non potest. Qui uero reditus.] Redit ad Antonij aduentũ Romã, & rem amplificat collatione exẽplorum. Memineramus Cinnam.] In his exemplis sunt gradus, potentẽ, dominantẽ, regnantẽ: Item similiter cadentia. Absconditi.] Verecundiores erant illi, tu audacissimus, & impudentissimus.
C Barbaria.] Feritas tyrannis, nam tyrannica feritate quadam solẽt barbaræ nationes prædite esse. Agmine quadrato.] Euidentia est, quam rem quo magis inuidiosa sit, ante oculos ponit. Quadrato, ad pugnã instructo, & parato. Est enim una ex formis disponẽdi copias militũ, cum pugnandũ est. Helianus quidẽ quadrato agmine Persas & Siculos usos tradit, & maiorẽ ferè Græcorũ partẽ: quod putarent & componi posse facilius, & ad equitandi societatẽ expeditionisq; usum præstantius. Onosander quoq; qui ad Anastasium Cæsarẽ de re militari cõmentaria scripsit, cõtractiore quadratoq; agmine mouere exercitũ quàm alio modo, satius & tutius existimauit. Nam non una forma exercitus collocandi fuit: siquidẽ modo quadrata, modo trigona, plerunq; rotunda ex disciplina Lycurgi, interdũ lunata & hemicycla castra ueteres posuere: qua de re Vegetius, & exempla suppeditant historiæ. Scutati.] Scutis instructi, & tecti: sic dicitur ut hastati, galeati, &c. Scutorũ lecticas por.] Id est lecticas scutis oneratas & refertas. hunc locũ alter ille locus qui est in Philippica quinta, & declarat, & cõfirmat. At hanc pestem, inquit, agmen armatorũ sequebatur. Classitius, Mustela, Tyro, gladios ostentantes, qui similes greges ducebant per forũ. certũ agminis locũ tenebant barbari sagittarij. Cum autẽ erat uentũ ad ædem concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur, non quo ille scuta occulta esse uellet, sed ne familiares si scuta ipsi ferrent, laborarent. Ex his uerbis uidere licet, eos qui pro lecticas sicas reposuerunt, lapsos esse.

D Atq; his quidẽ iam inueteratis P. C. cõsuetudine obduruimus: Calend. Iun. cum in Senatũ, ut erat cõstitutũ, uenire uellemus: metu perterriti repente diffugimus. at iste, qui Senatu non egeret: neq; desiderauit quenq́;, & potius discessu nostro lætatus est: statimq́; illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causa: is leges Cæsaris, easq́; præclaras, ut Remp. cõcutere posset, euertit. numerũ annorũ prouincijs prorogauit: idemq́;, cum actorum Cæsaris defensor esse deberet: & in publicis, & in priuatis rebus acta Cæsaris rescidit. in publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimũ est testamẽtũ. leges alias sine promulgatione sustulit: alias, ut tolleret promulgatas, promulgauit. testamentũ irritum fecit. quod etiam infimis ciuibus semper obtentum est. signa, tabulas, quas populo Cæsar unà cum hortis legauit: eas hic partim in hortos Pompei deportauit: partim in uillam Scipionis.

Atq; his quidẽ.] Quæ dixit leuiora facit, ut quæ sequuntur, maiora grauioraq́; esse uideantur. Obduruimus.] Patientia duriores facti sumus, occalluimus, sensum penè amisimus. Mirabilia.] παράδοξα. Et ironia est, admirabilia turpissima: ut lib. 1. de Inuent. admirabile genus causæ uocat, non modo quod cõtra opinionẽ sit, sed quod sit turpe. non admirabile opponit honesto. Qui chirographa.] Ostẽdit ista mirabilia facta quæ dixit. Lucri causa.] Factum

ctũ à causa uituperat. Eas'q; praeclaras.] Serio loquitur. In prima oratione sic inquit: Quæ lex melior, utilior, optima etiã in Rep. sæpius flagitata? quàm ne prætoriæ prouinciæ plus quàm annũ, ne plus quàm bienniũ cõsulares obtinerentur? Et in eadẽ orat. leges etiã eas Cæsaris inter bonas numerat, quæ de iudicijs latæ fuerant: quo loco nos quæ dicenda erãt diximus. Prorogauit.] Auxit, extẽdit, ut prætoriæ plus q̃ annũ, cõsulares prouinciæ plus q̃ bienniũ tenerẽtur. A

Et in publicis & in priuatis.] Enumeratione exaggerat. Rescidit.] Trãslatio, uiolauit, abrogauit. In publicis actis.] Obseruẽt studiosi, Ciceronẽ acta semper uocare, quæ uulgo cõtractus uocãtur. Nihil est lege grauius.] Exaggerat facti Antoniani reprehensionẽ, ab actorũ quæ rescidit, grauissima autoritate & firmitate. Lege autem nihil esse grauius, intelligent studiosi, si legis definitionẽ cum reliquis iuris partibus cõtulerint, quæ habẽtur Inst. lib. 1. & Digest. lib. 1. Legis enim autoritas ex ijs omnibus cõstat, quibus singulæ partes iuris constituuntur. In priuatis firmiss. est test.] Quoniã Testamentũ est uoluntatis nostræ suprema iustaq; sententia, de eo quod fieri post mortẽ uolumus, sequitur. si testamentũ recte atq; ordine factũ sit, firmissimũ omniũ priuatorũ actorũ esse: Viui mutare multis modis, & infirmare quæ egerunt possunt, mortui non possunt. Labeo tamẽ in Pandectis lib. 28. De Testamentis, Testamẽti factionem publici, non priuati iuris esse, ait. Sed hoc nihil contra Ciceronẽ est. possunt enim priuata acta, publico iure gubernari. De firmitate & robore testamentorũ, sic Plin. Epist. 5. Mihi, inquit, defuncti uoluntas (uereor quã in partẽ iurisc cõsulti quod sum dicturus, accipiant) antiquior ipso iure est. Itẽ Quintil. in Declamat. sic definit: Testamentũ est potentissima defuncti proxima uoluntas, cõsignata iure legibusq; ciuitatis. Leges alias.] Quõ leges Cæsaris abrogarit, docet in superiore oratione. Ac de ijs tamen legibus, quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus: de ijs quæ iam perlatæ dicuntur, ne id quidẽ licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ sunt, antequã scriptæ. Testamentũ irritũ fecit.] Rescidit, infirmauit, ratũ esse noluit. Quibus autẽ modis testamenta infirmentur, docent iurisconsulti, Inst. lib. 2. & in Pandectis lib. 28. & in Codice. Quod etiã infimis.] Ex minore. Si infimorũ hominũ sunt rata testamenta, multo magis principum. Obtentũ est.] Firmũ, ratũ, seruatũq; fuit. Signa, tabulas.] Ex ijs quæ legata testamento, relicta'ue sunt à Cæsare, nec populo Rom. cui legata erant data sunt, ostendit ab Antonio testamentũ Cæsaris uiolatũ esse: qui locus propterea firmus est, quod ea iam diu in suas uillas trãstulerat, & ibi habebat quasi sua. Sunt autẽ signa, imagines eminẽtes, & solidæ, ut statuæ et alia fictorũ sculptorũq; opera, quæ quidẽ uaria ex materia fiunt, cera, gypso, ligno, metallo. Tabulæ uero pictæ sunt & pictorum opera. Hinc Sallust. in Catilina: Signa, tabulas pictas, uasa cælata mirari. B

Et tu in Cæsaris memoria diligens? tu illũ amas mortuũ? quẽ is maiorẽ honorem consecutus erat, quàm ut haberet puluinar, simulachrũ, fastigiũ, flaminẽ? est ergo flamen ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic diuo Iulio M. Antonius. quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: uide qui te inauguret: collegæ sumus: nemo negabit. O detestabilem hominem: siue quod Tyranni sacerdos es: siue quod mortui. quæro deinceps, num hodiernus dies quis sit, ignores? nescis heri quartũ in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse: ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsaris tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem contaminari passus es? puluinaria noluisti? aut undiq; religionem tolle: aut usquequaq; conserua. quæres placeat ne mihi puluinar esse, fastigium, flaminem? mihi uero nihil istorum placet. C

Et tu in Cæs.] μιμητικῶς eludit uerba Antonij, & inconstantiã eius reprehendit in defendendis honoribus Cæsaris: simulq; inuehitur in ἀποθέωσιν illius, quã uiuo Cæsari Antonius lege decreuerat. Tu illũ, tu illũ.] Iteratione auget: quasi diceret, non amas illũ mortuũ, sed bona quæ eius morte habes. At hæc geminatio in uetustis codicibus non legitur. Puluinar.] Lectum stratum in Capitolio, & alijs templis, quibus puluinaribus deos honorari putabant.

Simulachrũ.] Statuã, quæ Cæsaris effigiẽ præ se ferret. Fastigium.] Moles uidetur pyramidis instar fuisse, in altũ instructa, quã uarijs imaginibus ornatã, in cõsecrationibus diuorũ erigere solerent. Herodianus quidẽ in Seueri ἀποθέωσει (sic enim dicitur hominũ cõsecratio, cum in deos referuntur, quam uulgus sacerdotũ canonizationẽ uocant) scribit, extructũ fuisse suggestũ ex lignis ingentibus cõpactum, forma quadrata æquis lateribus in fastigij speciẽ, extrinsecus intextis auro stragulis, atq; eboris signis uarijsq; picturis exornatũ: intrinsecus uero positũ fuisse minutũ tabernaculũ, tertiũq; itẽ, & quartũ semper superiore cõtractius, & angustius. quæ machinæ forma mihi non absimilis uidetur turribus ijs quæ in portubus maris extruuntur, naues nocturno lumine dirigentes, quas uulgo pharos appellant. Suetonius uero de honoribus diuinis habitis Cæsari sic ait: Ampliora etiã humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in Curia & pro tribunali, thensam (currum intelligit argenteum) ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis ex nomine suo. operæpreciũ est & hic quæ Florus scribit referre. Itaq;, inquit, non ingratis ciuibus, omnes in Cæsarem congesti honores, circa templa imagines, in theatro distincta radijs corona, suggestus in Curia, fastigium in domo. haud ineptè fortassis quod nostri homines appellant il Baldachino, fastigium appellabimus. Solent etiam hodie reges & pontifices, huiusmodi fastigio uti honoris causa. D

Flaminem.] Sacerdotẽ, quoniã ipse fuerat sacerdos. Flamines autẽ dicebãtur, quòd uelato semper capite essent, & caput cinctũ haberent filo, ut Varro scripsit. Singulis uero dijs, singuli erant flamines. Cic. de Leg. Diuis alijs alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Quocirca flamines cognomina habebant ab ijs diuis quibus sacra faciebant, ut Martiales, Quirinales, &c. Est ergo.] Ironia acerba est, & tacita insectatio tyrannidis Antonij. Nam uult dicere. M. Antonius est Flamẽ Cæsaris, id est minister, & imitator eius tyrannidis. Vt Quirino.] Id est Romulo, qui Quirinus cognomento dictus est, unde Romani Quirites dicti. Diuo Iulio.] Diui proprie dicuntur homines

A mines propter excellentes uirtutes in deos relati, ut Arist. Eth. lib. 7. de Laconũ more dicit. Quid igitur cessas.] Cur differs & cunctaris? Quur non inaugurare?] Cur non te cõsecrari iubes? nam sacerdotes certo ritu & ceremonijs consecrabantur, ut hodie quoq; fieri passim cernimus. belle irridet Antonium, significat ea omnia irrita esse.

Collegæ sumus.] Id est, utriq; Augures, & eiusdẽ collegij & muneris. O detestabilẽ hominẽ.] Execratio cum exclamatione ad indignitatẽ exaggerandam. Siue quod tyranni.] Rationẽ cõiungit, cur sit detestabilis, & execrandus. Tyranni sacerdos.] Id est minister & imitator, & cultor. Siue quod mortui.] Significat nullum mortuũ esse ut deũ colendũ, & sacerdotio sacrificioue honorandũ. Quod si quis Romulũ siue Quirinũ obijciat, sciat de eo sparsum fuisse rumorẽ non esse mortuũ, sed uiuũ in deos relatũ, & non cõparuisse, ut est apud Liuium lib. 1. ab Vrbe condita. Quæro deinceps.] Ordine peruenit tandẽ ad postremũ & præsentẽ factorũ Antonij diem. Antonius enim cum mortuo Cæsari diuinos honores haberi uellet, ad populũ tulit, ut quinto die ludorũ Romanorũ Cæsari sacrificaretur, id quod populus sciuit. Sed Antonius istũ honorem non est executus, proinde eius Cicero inconstantiam exagitat.

Ludorũ Romanorũ.] Hi ludi etiã magni, & megalesia dicebãtur, & Circenses, & Consualia. In his ludis equites pugilesq; ad pugnæ simulachrũ dimicabãt. agebãtur 6. Idus Aprilis, autore Tarquinio Prisco, ut est apud Liuiũ lib. 1. ab Vrbe condita. Cur non sumus prætextati?] Festis diebus ac præsertim in ludis, prætexta utebantur Romani.

An supplicationes?] Supplicationes mortuo Cæsari præter cæteros honores addiderat Antonius, ut parentalibus
B celebrarentur. id Cicero execratur, quod contra auspicia, religionemq; factum esset. Aut undiq;.] Complexione constringit hominem. Vndiq; autem, id est omni ex parte, omnino. Vsq;quaq;.] Idem quod undiq; quod modo dixit. Quæres.] Occupat & interpretatur, quod reprehendit.

Sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere? cur alia defendas? alia non cures? nisi forte uis fateri, te omnia quæstu tuo, non illius dignitate metiri. quid ad hæc tandem? expecto eloquentiã tuam. disertissimũ cognoui auum tuum. at te etiã apertiorem in dicendo. ille nunquam concionatus est nudus. tuũ hominis simplicis pectus uidimus. respõdere ne ad hæc, aut omnino hiscere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respõdere posse confidas? sed preterita omittamus. hũc unum diem, hunc unum inquam hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende si potes. cur armatorũ corona Senatus septus est? cur me tui satellites cum gladijs audiunt? cur ualuæ Concordiæ non patent? cur homines omniũ gentiũ maxime barbaros Ithyreos cum sagittis deducis in forum? præsidij sui causa se facere dicit.

C Sed tu.] Hominẽ urget, & eius cum leuitatẽ, tum improbitatẽ exagitat. Nisi forte.] Inuidiosa cõfessio, qua Antonij propositum turpissimum profertur. Metiri.] Facere, æstimare, ducere, iudicare. translatum à mensuris.

Quid ad hæc.] Scilicet respondebis? ita hominẽ cõcludit, ut qua euadat, non habeat. Expecto eloquentiam tuam.] Irridet hominẽ. Disertissimũ auũ Antonij appellat, non eloquentissimũ, quoniã ipsemet, lib. de Or. 1. dicit, se disertos uidisse multos, eloquentẽ uero neminẽ. cum igitur cum hoc Antonio confert, sed per irrisionem. Apertiorem.] Iocus ex ambiguo. nam & ad corpus refertur, & ad orationẽ. Cicero illud respicit, cum Antonius Lupercus, Lupercalibus nudus est cõcionatus. supra, O præclarã eloquentiã tuã, cum es nudus concionatus, &c. quod & hic dicit. Ille nunquã cõcionatus est nudus. Tuũ hominis simplicis.] Simplices & aperti homines, nihil habẽt tectũ, nihil inuolutũ. omnia ita ut sentiunt agunt, & dicunt. cõtra faciunt uersuti & tortuosi. hac igitur amphibologia notat Antoniũ, & simul suauitate urbanitatis cõdit orationẽ. Respondebis ne.] Immoratur in eodẽ loco, urget, & insultat, quasi cõstrictũ hominẽ teneat. Hiscere.] Mutire, os aperire quod aiunt. Sed præterita.] Præteritio cũ transitione. Hunc unũ diẽ.] Geminatione auget, & postremũ obijcit crimen. Nã ex infinitis criminibus, cum ad unum pertraxit, quod quidẽ quoniã præsens cernitur, magis odiosum est, magisq; mouet. Hoc punctũ temporis.] Id est momentũ, ἄτομον. Corona septus.] Multitudine militũ circũstante obsessus. Cur me.] Exaggerat fa-
D ctum, & instat. Valuæ.] Fores, à uoluendo dictæ. Barbaros Ithyreos.] Hi erant Palestini, ut supra declarauimus. Præsidij sui.] Occupatio: ita enim Antonius excusabat.

al. armorum Nónne igitur millies perire est melius, quàm in sua ciuitate sine † armatorũ præsidio non posse uiuere? sed nullum est istuc, mihi crede, præsidiũ. charitate, & beniuolentia ciuium septum oportet esse, non armis. eripiet, extorquebit tibi ista pop. Rom. utinam saluis nobis: sed quoquomodo nobiscũ egeris: dum istis consilijs uteris: non potes esse, crede mihi, diuturnus. etenim ista tua minime auara coniunx quam ego sine cõtumelia describo: nimiũ debet diu populo Rom. pensionẽ tertiam. habet populus Rom. ad quos gubernacula Reip. deferat: qui ubicunque terrarũ sunt: ibi est omne Reip. prę sidiũ: uel potius ipsa Respub. quæ se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperauit. habet quidem certe Resp. adolescẽtes nobilissimos, paratos defensores. quàm diu uolent illi cedant, ocio consulentes: tamen à Repub. reuocabuntur.

Nónne igitur.] Hic incipit peroratio: cuius cum duæ sint partes primæ, amplificatio, & enumeratio: hæc, sola constat amplificatione: quæ locum habet maxime, cum aliquid aut confirmatũ est, aut reprehensum ut Cic. in Partitionib. docet. Consumitur autem tota ferè in cohortando Antonio ut ad sanitatẽ se recipiat: cui quo uehementius impellatur, adhibentur stimuli metus, & minarum: qui loci ex deliberatiuo genere assumuntur: ita enim miscentur causarum loci, & mu-

tuas

tuas sibi præstant operas. Loci rerum in hac amplificatione sunt, definitiones, exempla, similia, dissimilia. Nónne igitur.] *Hoc uituperat acrius, quoniam tyrannicum est. Præsidium enim & arma, sunt in ciue tyrannidis signa, ut ab exemplo colligunt Rhetores.* Sed nullum.] *Contentio. nullum autem esse docent tyrannorum exitus.* Charitate.] *Locus cōmunis. quem utinam principes in animo semper haberēt. Vt in prima oratione. Charum esse ciuibus, bene de Rep. mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. metui uero, & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum.* Septum.] *Munitum, armatum, custoditum.* Eripiet.] *Minis terret hominem, ut sanet.* Istis consilijs.] *Tyrannicis nimirum, & furiosis.* Non potes esse, crede mihi, diuturnus.] *Nam malus est custos diuturnitatis metus.* Minime auara coniux.] *Auarissima. ut Philip. 3. auarissimam & crudelissimam uocat: cuius mores describit Plutarchus in Antonij uita. Sed Cicero dissimulanter locutus est, Idcirco addit: Quam ego sine contumelia describo, id est Noto, designo, depingo, sine conuitio.* Pensionem tertiam.] *Allegoria hæc quoq; est. Fuluia enim ante Clodio, deinde Curioni nupserat (ut ante diximus) qui crudeli fato sublati fuerant. Et est ominatio ex mulieris fato, Antonium quoq; tertium maritum eadem manere fata.* Pensionem.] *Antonij interitum, & mortem, quam quasi pensionem, & tributum Reip. debeat.* Habet Pop. Rom.] *Brutos & Cassium intelligit, in quibus denunciat præsidium fore defendendæ Reip. Et est locus à facultate, in coniectura, qua quæ minatur, futura esse cōfirmat.* A

Vel potius.] *Correctio. nam ubi boni ciues, & libertatis principes, ibi respublica.* Vlta est.] *Tyrannum Cæsarem sustulit, necauit.* Nondum recuperauit.] *Nondum se in libertatem asseruit, & uendicauit.* Habet quidem.] *Repetitio, & intelligit Octauium potissimum.* Adolescentes.] *Iuuenes strenuos, qui coniuratos secuti fuerant, quos dicit reuocandos in urbem esse, ut Remp. defendant.* B

Et nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris: sed inter pacem & seruitutem plurimum interest. pax est tranquilla libertas: seruitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. quod si seipsos illi nostri liberatores è conspectu nostro abstulerunt: at exemplum facti reliquerunt. illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquiniū Brutus bello est persecutus: qui tum rex fuit, cum esse Romæ regem liceret. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetēdi sunt necati. hi primi cum gladijs, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. quod cum ipsum factum per se præclarum, atq; diuinum est: tum expositum ad imitandum: præsertim cum illi eam gloriam cōsecuti sint: quæ uix cœlo capi posse uideatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat: tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam. C

Et nomen pacis.] *Occupatio. uis ne tu ciues tuos ad arma uocare, uis ne eos inter se cōmittere? nónne præstat pacem habere quàm bellum? respondet Cicero, & pacem laudat: sed docet, pacem à seruitute esse distinguendam: monetq; bellum potius & mortem esse obeundam, quàm seruitutē patiendam.* Sed inter pacē.] *Definitione, quid intersit inter pacē & seruitutē declarat, qui locus est diligenter non modo obseruandus, sed etiā conseruandus. Seruitutis depellendæ causa, aut libertatis retinendæ, nihil non esse faciendū, extrema omnia esse tentanda, ac postremo oppetendum potius fortissime, quàm seruitutē, aut tyrannū patiendum.* Pax est tranquilla libertas.] *Contentione contrariorum definit, quæ ratio ad amplificādum ualet.* Quod si seipsos.] *Occupat quæ obijci contra possent: liberatores discessisse siue aufugisse potius. respondet exemplum reliquisse Reip. uindicandæ.* Abstulerunt.] *Insidijs & gladijs Antonij ad tempus cesserunt. fugam enim tyrannicidarū minuit, ut etiā in Epistolis ad Brutū: Te uidi Veliæ, inquit, doluiq; uehementer: cedebas enim Brute cedebas, quoniā Stoici nostri negant fugere sapientis.* Illi, quod nemo.] *Coniuratorū factū tyrannicidarū cōparatione, & exemplis amplificat, quæ multum ualent ad impellendum.* Tarquiniū.] *Liuius ab urbe cond. lib. 2. & 3.* Brutus.] *Iunium intelligit, de quo supra.* Hi primi.] *Bruti scilicet, & Cassius & alij.* Regnantē.] *Cæsarē. quod præclarius est & maius quàm appetentē tantū interfecisse, quod illi alij fecerant.* Vix cœlo capi.] *Laudat factū, & superlatione eorū exaggerat gloriā. amplissimā enim & immortalem gloriam significat eos adeptos esse.* Etsi.] *Exponit ipse eam gloriam quam sunt cōsecuti, & est locus laudis, à præmio immortalitatis.* Mortali immort.] *Contentio. nam etsi uirtus ipsa merces est, tamen uirtutem sequitur gloria quæ non est contemnenda.* D

Recordare igitur illum M. Antoni diem: quo Dictaturā sustulisti: pone ante oculos lętitiam Senatus, populiq; Romani: confer eum cum nundinatione tua tuorumq;: tum intelliges quantū inter laudem & lucrū intersit. sed nimirū, ut quidam morbo aliquo, & sensus stupore suauitatē cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, ueræ laudis gustum non habent. sed si te laus allicere ad recte faciendum non potest: ne metus quidem à fœdissimis factis potest auocare? iudicia non metuis. si propter innocentiam, laudo: si propter uim: non intelligis ei, qui isto modo iudicia non timeat, quid timendū sit. quod si non metuis uiros fortes, egregiosq; ciues, quod à corpore tuo prohibentur armis: tui te, crede mihi, diutius non ferent. quid est autem multos dies, & noctes timeri à tuis? nisi uero maioribus habes beneficijs obligatos, quàm ille quosdam habuit ex ijs, à quibus est interfectus.

A Recordare.] Cohortatio, quæ confert præteritam gloriam Antonij, cum Tyrannico quæstu, & mitius mouet. Lætitiam.] Quod putarent pacem esse, & una recuperatam libertatem. Cum nundinatione.] Cum mercatu, & negotiatione. supra. cuius domus quæ quæstuosissima est falsorum cõmentariorum & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, uectigalium flagitiosissimæ nundinæ. Item, cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent uenalia. Nam quod quidam legunt, Nummatione, id tanquam spurium reyciendum est. Sed nimium.] Correctio. omittit enim gloriæ cõmemorationem, & ad pericula metumq; reuertitur. Vt quidam morbo.] Exornat, & simul cõfirmat similitudine Antonij salutẽ penè desperatam esse. Morbo aliquo.] Vt in febri, & alijs morbis. Sensus stupore.] Corrupto palato, quod potissimum accidit ex pituita. Facinorosi.] Scelesti, & facinoribus malisq; artibus mancipati. Sed si te laus.] Vtrum plus in cohortando monendoq; possit, lausne an metus, quæstio est. ac pleriq; in eam partẽ inclinant, ut statuant plus mala proposita, ad homines à malis auocãdos, quàm bona, ad recta honestaq; sequenda. Hinc Cicero in Part. or. Et illud, inquit, uidendum quanto magis homines mala fugiant, quàm sequantur bona. Nam neq; honesta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Verum, hæc ex naturis siue generibus hominum sunt moderanda. Sunt enim hominum duo genera alterum indoctum & agreste, quod utilitatem anteferat honestati, & damnum turpitudini. huic spes, & reformidatio sunt proponenda. alterum expolitum quod rebus omnibus anteponat dignitatem: & contra in summis malis turpitudinem habeat. Itaq; huic generi, laus, honor, gloria, fides, iu-
B stitia omnis uirtus honestaq; proponitur. Sed & hæc ipsa interdum temperanda sunt, & modo laude, modo emolumentis, modo spe bonorum, modo malorum reformidatione sunt quos hortamur, cõmouendi, id quod optime fecit Cicero, & hic & in alijs orationibus. Ne metus quidem.] Hæc cum admiratione pronuncianda sunt. miratur enim Antonium metu saltem non moueri. sic etiam in Catilinam ora'. prima, sed maiore copia & ornatu. Sed tu (inquit) ut uitijs tuis cõmouecare, ut legum pœnas pertimescas, ut temporibus Reipub. concedas, non est postulandum. Neq; enim Catilina is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. Auocare.] Reuocare, deterrere, auertere. Iudicia non metuis.] Occupatio, qua Antonij securitatem reprehendit, & iudicia dicit iudicum sententias, & pœnas. Interdum iudiciũ pro tota lite capitur, & legitima cõtentione, interdũ iudicij locũ siue forum, atq; etiam ipsos iudices, iudicumq; Decuriam significat: quemadmodum Græce δίκη. σημαίνει γὰρ τὸ πρᾶγμα ὃ πέρι ἐστιν ὁ δικάζων, τὴν ἀμφισβήτησιν, καὶ τὴν τιμωρίαν. Sed propter innocentiã.] Subiectio ex diuisione. Si propter uim.] Potentiam tuam & arma, quibus confidis. Isto modo.] Tyrannico, quo tu omnia contemnis. Quid timendum sit.] Nempe Tyrannicidæ, Cassij, & Bruti. Quod si non metuis.] Alia occupatio, cui aliud etiam opponit, quod confirmat exemplo Cæsaris ex maiori, ut ante fecit. Viros fortes.] Brutos, & Cassios, & id genus alios. Tui te.] Si tui te interficient, ut Cæsarem sui familiares interfecerunt.

Quid est autem.] Quasi diceret: millies perire esset melius, q̃ sic timeri à suis, qui diutius hunc metum ferre non po-
C terunt, sed eo uolent se quàm primum liberare. Nisi uero.] Ironica occupatio. uult enim dicere, si beneficia tua erga tuos te securum faciunt, multo tutior fuisset Cæsar, cuius tum uirtutes tum beneficia longe maiora extiterunt.

Quosdam habuit.] Vide Plutarchi Brutum, & Cæsarem.

An tu es ulla re cum eo comparandus? Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamuis reipublicæ calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare est meditatus: magno labore, magnis periculis quod cogitauerat effecerat: muneribus, monumentis, congiarijs, epulis multitudinem imperitam lenierat: suos præmijs, aduersarios clementiæ specie deuinxerat. Quid multa? Attulerat iam liberæ ciuitati partim metu, partim patientia, consuetudinem seruiendi. cum illo te dominandi cupiditate conferre possum: cæteris uero rebus nullo modo comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo reipublicæ sunt inusta, hoc tamen boni est, quòd didicit iam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus se committeret, à quibus caueret.

D An tu es.] Institutam Cæsaris & Antonij comparationem persequitur, & exornat frequentatione siue dinumeratione, ut Cicero uocat, earum rerum quæ in Cæsare laudandæ uidebantur. Sunt autem illa quæ personis attributa dicũtur. Ex hac autem dissimilium comparatione elicit coniecturæ argumentum: Cæsarem cum tot bonis perijsse, ergo multo facilius Antonium in quo ea non sunt periturum. Ingenium.] Quo acute omnia & celeriter percipiebat. Est enim ingenium uis & acumen inueniendi, & aliquid ex se sine monitore excogitandi. Ratio.] Prudentia, consilium, intelligentia. Academ. quarto, & Offic. lib. primo: Ratio quasi quædam lux est lumenq; uitæ, qua qui uti nouit (sunt enim qui non utuntur, sed more pecudum uiuunt) sed qui utitur, is consequentia cernit, principia & causas rerũ uidet, earumq; progressus & antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq; præsentibus adiungit atq; annectit futuras: facile totius uitæ cursum uidet: & ad eam degendam præparat res necessarias. Memoria.] Rerum præteritarum, & perceptarum recordatio, & rerum inuentarum thesaurus & custos. Literatura.] Scientia literarum, eruditio uaria: erat literatus, & perbelle latine loquebatur. Nam etiam librum de ratione latine loquendi ad Ciceronem accuratissime scripserat, ut Cicero ipse testatur in Bruto. quanquam quantus in latinis literis fuerit, indicio sunt rerum suarum cõmentarij, quos ille purissime scripsit. Cogitatio.] Consiliorum & rerum agendarum mater, & altrix, uis qua homo quæ uult in animi conspectum adducit, quæ græce φαντασία dicitur. Diligentia.] Qua una uirtute reliquæ uirtutes omnes (ut de oratore inquit Cicero) continentur. Hæc adeo magna fuit in Cæsare, ut Cicero

ad Atticum

ad Atticum lib. 8. de eo hæc scripserit: sed hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est plenum.

Multos annos.] *Vixit Cæsar annos quinquagintasex, regnauit post finem belli ciuilis, annos treis, & menses* A *septem, autore Suetonio.* *Muneribus.*] *Dignitatibus, donis, siue potius spectaculis & ludis.* *Monimentis.*] *Publicis ædificijs.* *Congiarijs.*] *Liberalitate, largitionibus. Congiarijs, ut Seneca de Benef. lib. 4. inquit, donabatur populus à principe, sicut donatiuo milites donabantur. Est autem congiarium à congio dictum, qui mensuræ genus est, sex septemue continens sextarios, qui etiam cadus latinis appellatur.* *Epulis.*] *Publicis conuiuijs.*

Lenierat.] *Sibi conciliauerat, adiunxerat: sunt enim omnia ista popularia.* *Quid multa?*] *Quid uerbis opus est?* *Patientia.*] *Patiendi usu & cōsuetudine: aliter hic accipitur, quàm cum est animi uirtus, significat enim assuetudinem malorum, & rerum difficilium.* *Cum illo.*] *Altera pars contentionis, sed priore breuior, imò breuissima. In cupiditate dominandi Cæsarem & Antonium similes fuisse: in cæteris penitus dissimiles.* *Sed ex plurimis malis.*] *Coniectura ex tempore, qui locus ad adiunctorum locum refertur. Argumentum hoc est, periculosius appeti dominatum post mortē Cæsaris, quàm tyrannide nondum cognita, quod facilius cognita præcauemus, q̃ incognita.*

Hæc igitur nō cogitas? nec intelligis satis esse uiris fortibus didicisse, quàm sit pul- B chrum beneficio gratum, fama gloriosum tyrannum occidere? an cum illum homines non tulerint, te ferent? certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas expectabitur. respice quæso aliquando rempublicam M. Antoni, quibus ortus sis, non quibuscum uiuas considera: mecum ut uoles, cum rep. redi in gratiam.

Hæc igitur.] *Epilogus est in quo breuissimis sed frequentibus argumentis quasi aculeis perstringit Antonium.*
An cum illum.] *Subest argumentum ex maiore.* *Respice.*] *Inserit nimis breuem cohortationem.*
Quibus ortus sis.] *Ciuibus tuis, patriæ natus es, ut Plato dicebat. uel quibus ortus sis, id est respice maiores tuos, uiros Reip. deditos.* *Mecum ut uoles.*] *Nam siue mecum in gratiam redeas, siue non redeas, nihil moror, modo ad Remp. te conferas, cuius salus mihi mea charior est.*

Sed de te tu ipse uideris. ego de me ipso profitebor. defendi Remp. adolescēs: non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios: non pertimescam tuos. quinetiā corpus C libenter obtulerim: si repræsentari morte mea libertas ciuitatis† potest. Vtinam aliquando dolor populi Ro. pariat, quod iam diu parturit. etenim si ab hinc annos propè uiginti hoc ipso in templo negaui posse mortem immaturam esse Consulari: quanto uerius nunc negabo seni? mihi uero P. C. iam etiam optanda mors est perfuncto rebus eis, quas adeptus sum, quasq́ue gessi. duo modo hæc opto: unum, ut moriens populum Rom. liberum relinquam. hoc mihi maius à dijs immortalibus dari nihil potest. alterum, ut ita cuique eueniat, ut de Repub. quisque mereatur.

† *al. potest: ut aliquando*

Sed de te tu ipse uideris.] *Hoc est, age ut lubet. permissio hominis iam monendo molestiis tædioq́ue affecti.*
Profitebor.] *Id est, quæ Reip. præstare constitui, ut debeo, pollicebor, & aperte eloquar.* *Defendi Remp.*] *Ostendit fidem suam erga Remp. & tacitè minatur Antonio, quem cum Catilina confert, atque ratiocinatur ex pari, superatum esse Catilinam, superari & Antonium posse.* *Quin etiam corpus.*] *Hoc semper in fine orationum quas* D *contra hostes Reip. habuit, profiteri consueuit: in quo & eius in Remp. fides, & animi magnitudo cernitur.*
Si repræsentari.] *Restitui, recuperari, redimi. pro patria (inquit ipse de Off. lib. 1.) quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* *Vtinam aliquando.*] *Optatio. Allegoricos enim optat ut pop. Rom. tyrannos armis expellat: se asserendæ libertati defuturum non esse, etiam si sibi occumbendum sit. Sunt qui hæc coniugant cum superioribus, leguntq́ue: si repræsentari morte mea libertas ciuitatis potest, ut aliquando, &c.* *Pariat quod iam diu parturit.*] *Parturit mulier, cum in lucem infantē edere conatur, atque ex partu laborat. parit cum ex utero emittit. simile est illud Liuianū: Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionē facere: & quod diu parturit animus uester, aliquādo pariat.*
Negaui posse mortem.] *Id dixit in Catilinam oratione quarta: Si quid, inquit, obtigerit, æquo animo paratoq́ue moriar. Neque enim turpis mors forti uiro potest accidere: neque immatura consulari, nec misera sapienti.* *Mihi uero.*] *Commiserationem mouet, à sua persona.* *Perfuncto.*] *Id est, qui obij & perfeci summa uigilantia.* *Duo modo hæc opto.*] *Diuisio ad rem præsentem accommodata, & plena animorum motibus optatio & clausula, quæ uehementer impellit ad Rempublicam liberandam.*

F I N I S.

TERTIAE PHILIPPICAE ARGVMENTVM.

A *CVM Cicero grauißime in Antoniũ inuectus eßet, cõmotus ille tum factorũ conscientia, tum opibus Octauij adolescentis cum quo de hæreditate Cæsaris magnæ inimicitiæ intercesserant, percursauerat Italiam, ut ueteranis militibus sollicitatis, cum exercitu ad urbem ueniret. Cicero igitur, quantum Reip. periculum impenderet prospiciens, intelligensq́; nullum nisi in armis ac ui præsidium libertati eßeg, Octauiũ iam Antonio infensum, eo animo atq; consilio aduersus Antonium adiuuandum suscepit, ut eius auxilio, quem propter memoriam Cæsaris non parum apud milites ueteranos gratia & autoritate ualere censebat, Rempub. defenderet. Itaq; Octauius qui & C. Cæsar ob patris & auunculi memoriam, uocabatur, tum suo priuato, tum Ciceronis consilio, comparatis ueteranorum præsidijs, Antonij conatum repreßit: quam ob causam territus Antonius, abierat in Galliam quæ historicis togata dicitur, ut eam occuparet. Sed cum à D. Bruto qui eam prouinciã consul designatus obtinebat, prohiberetur, illum Mutinæ obseßum tenebat. Quibus rebus cognitis, cum Senatum ad XIII. Cal. Ian. tribuni plebis uocauißent, deq; alia re referrent, totam Remp. est complexus, egitq́; acerrimè: Senatumq́; iam languentem, & defeßum, ad pristinam uirtutem consuetudinemq́; reuocauit, Qui dies eiusq; contentio atq; actio, ut ipsemet Epist. lib. 10. ad Plancum scribit, spem primum populo Ro. attulit libertatis recuperandæ. Nec uero postea tempus ullum intermisit, de Rep. non cogitandi solum, sed etiam agendi. Hac igitur oratione suadet Orator, quæ Octauius Cæsar egit, ea uti publica autoritate cõfirmentur. Hoc au-*
B *tem dum facit, tum egregia Cæsaris facta laudat, tum contra Antonij scelera exaggerat, ut & Cæsar imperatoria dignitate ornetur, & Antonius Reip. hostis iudicetur. Ad hæc ut D. Brutus Galliam citeriorem, itemq; cæteri quas obtinebant prouincias, in Senatus populiq; Rom. potestate L. Iulia, quoad eis ex S. C. succeßum eßet, retinerent. Deniq; ut præmia legionibus quæ Octauiũ secutæ fuerant, earũq; ducibus, decernantur: quæ quidẽ omnia ex Tullij sentẽtia decreta fuerũt.*

DE CAVSAE GENERE.

Non est autem dubium, quin causa hæc sit suasoria. Dat enim Cicero consilium, & suadet bellum contra Antonium eße gerendum. Quod autem hic sint laudes & uituperationes, (laudat enim Cæsarem Octauium, uituperat Antonium) id facit, quoniam quod suademus sit laudandum, & contrarium uituperandũ. uerum quia non suasio ad laudem tanquam in finem refertur, sed contra, laus ad suasionem, fit ut suasorij tantum generis non etiam demonstratiui dicatur. à fine enim genera causarum, & status, non ab ijs quæ ad finem pertinent sunt nominanda.

DE STATV.

Status causæ est iuridicialis. Quæritur enim de præmijs & pœnis: & adfertur, iure Antonium eße hostem iudicandum, Cæsarem autem & alios qui Remp. defendebant, præmijs afficiendos eße.

DE ORATIONIS FORMA.

C *Forma ipsa orationis in mediocritate consistit: & inter subtile illud & plenum temperata. Sunt enim in hac oratione pleræq; acutæ argumentationes & sententiæ nonnullæ etiam in ornando Cæsare, Antonioq́; uituperando preclaræ amplificationes, quæ suis indicabuntur locis.*

DE COLLOCATIONE PARTIVM.

Partes orationis sunt tantum tres, Exordium breuißimum ac uix ullum. Confirmatio ipsa, hoc est suasio: & Peroratio. Nam in hoc genere didicimus non multis eße opus partibus.

Duo sunt præcipui loci & capita huius orationis, Enumeratio bonorũ & malorum: & cõparationes exemplorum.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA TERTIA.



ERIVS omnino P. C. quàm tempus Reipublicæ postulauit: aliquando tamen, conuocati sumus. quod flagitabã equidem quotidie: quippe cum bellum nefarium contra aras, & focos, contra
D uitam, fortunasq́; nostras, ab homine profligato, ac perdito non comparari, sed geri iam uiderem. Expectantur Calendæ† Ianuarij *[al. Ianuariæ]*: quas non expectat Antonius. qui in prouinciã D. Bruti summi & singularis uiri, cum exercitu impetũ facere conatur: ex qua se instructum, & paratum ad urbem uenturũ eße minitatur. quæ est igitur expectatio? aut quæ uel minima dilatio temporis? quanquã enim adsunt Calendæ Ianuarij: tamen breue tempus longũ est imparatis. dies enim affert, & hora potius, nisi prouisum est, magnas sæpe clades. certus autẽ dies non ut sacrificij, sic consilij expectari solet. quod si aut Calendæ Ian. fuißent eo die, quo primũ ex urbe fugit Antonius: aut hæ non eßent expectatæ: bellũ iam nullũ haberemus. autoritate enim Senatus, consensuq́; populi Ro. facile hominis amentis fregißemus audaciã. quod confido equidẽ Cõsules designatos, simul ac magistratũ inierint, eße facturos. sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. mea autem festinatio non uictoriæ solum auida est, sed etiam celeritatis.

Serius omnino.] Exorditur à causis, cur senatum ante Cal. Ian. quibus Hircius & Pansa consulatum inituri erant, A
conuocandum flagitarit. Causæ autem sunt pericula Reip. ob quæ censet primo quoq; tempore Antonij armis occurren-
dum esse. Est igitur hoc principium ad conciliandos animos accõmodatum. *Tempus Reip.*] Necessitas, ratio,
utilitas, periculum. Cicero Epist. Fam. lib. 4. Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. Et
pro Pomp. amicorum pericula uocat tempora. *Quippe cum.*] Hæ sunt illæ causæ, quamobrem serius senatũ con
uocatum queritur. *Bellum nefarium.*] crudele, iniustum, sceleratum, tyrannicum, impium latrocinium.

Contra aras.] Amplificat causas, à rebus ipsis, & à personis, & à tempore. *Non comparari, sed geri.*] A
tempore periculum exaggerat. *Expectantur Cal.*] Moram reprehendit, cum dolore & stomacho. Sic etiam
Demosthenes cum alibi, tum in quarta præsertim Philippica: Vos cessatis Athenienses: at Philippus rem gerit, & nobis
imminet. *Ex qua se.*] Celeritate opus esse ex Antonij minis confirmat: periculum prope adest. ergo celeriter est
occurrendum. *Instructum.*] Armatum, & omnibus ad urbem oppugnandam necessarijs munitum.

Adsunt Cal.] Prope sunt. aberant tamen dies 11. nam hæc oratio, ut in argumento diximus, habita est 13. Calend.
Ian. *Tamen breue tempus.*] Sententia. hoc est, non longum spacio, sed longum si cum magnitudine & celeritate
instantis periculi conferatur. Luc. lib. 2. Tolle moras: semper nocuit differre paratis. Item Sen. in Thyeste: Serum est
cauendi tempus in medijs malis. *Dies enim affert.*] Altera sententia, cui pares sunt illæ: Manil. lib. 4. Astr. Mo-
ra sæpe malorum, Dat causas. Item Ouid. Vidi ego primo quod fuerat sanabile uulnus Dilatum, longæ damna tulisse
moræ. Liuius item ab Vrbe condita lib. 3. Quid quæq; nox aut dies ferat, incertum est: puncto temporis maximarum B
rerum momenta uerti. Item lib. 25. Si in occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulum fueris,
nequicquam mox amissam quæraris. Item Demosthenes Philippica prima: Rei gerendæ tempus, inquit, in apparando
consumimus: rerum autem occasiones non expectant nostram tarditatem. *Certus autem dies.*] Quod dixit ex-
ornat & munit simul ex dissimili: non esse idem sacrificium & consilium: idcirco non esse ut sacrificij, sic etiam consilij
certum diem expectandum. Sacrificia fiunt ad placandum deum, consilia de rebus agendis aut non agendis capiuntur.
Cic. de Inu. lib. 2. Consilium, inquit, est aliquid faciendi, non faciendiue excogitata ratio. In mora sacrificij nullum est pe-
riculum: ex consilij dilatione, mala multa oriri possunt, imò oriuntur semper. *Quod si aut Cal.*] Euentorum de-
nunciatione, si uel sic uel hoc factum esset, & celeritatem deliberandi acuit, & metum. *Autoritatem enim.*] Di-
uinationem siue coniecturam suam confirmat, à ciuium consensu. *Fregissemus.*] Repressissemus, irritam fecisse-
mus. *Quod confido.*] Remp. consolatur, ex uirtute designatorum consulum, Hirtij & Pansæ. *Sunt enim.*]
Ratio ex efficientibus causis, quæ ualde rectoribus rerum publicarum sunt obseruandæ. *Mea autem festinatio.*]
Occupatio. Cur igitur festinas Cicero, si tibi spes est in futuris consulibus? quo citius fiat quod faciendum est: ut non solum
uictoria aliquando potiamur, sed quamprimum potiamur. Et hic est exordij finis.

Quousq; enim tantum bellum, tam crudele, tam nefarium, priuatis consilijs pro-
pulsabitur? cur non quamprimum publica accedit autoritas? C. Cæsar adolescens, pe C
nè potius puer, incredibili ac diuina quadam mente atq; uirtute, tum, cum maxime fu
ror arderet Antonij: cumq; eius à Brũdusio crudelis & pestifer reditus timeretur: nec
postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri posse non
uidebatur) firmissimũ exercitũ inuicto genere ueteranorũ militũ cõparauit: patrimo
niumq; suũ effudit. quanq; non sumus usi eo uerbo, quo decuit. non enim effudit: sed
in salutem Reip. collocauit. cui quanq; gratia referri tanta non potest, quanta debe-
tur, habenda tamen est, quantã maximã animi nostri capere possunt.

Quo enim usq;.] Iam rem ipsam adgreditur: & oratorio more proponit sententiam suam de Republica: quam po
stea cum amplificatione explicat. *Priuatis consilijs.*] Octauij Cæsaris scilicet, qui priuatus & sine potestate erat.

Cur non quampr.] Quin Octauium Cæsarem imperatoria dignitate & potestate munimus? *C. Cæsar.*]
Hic est ille Octauius Cæsar, quem etiam interdum Octauianum autores uocant, qui postea rerum potitus, Augustus ap-
pellatus est. Huius hic Cicero gesta, quasi pro Repub. facta, exponit, & amplificat oratorio more: pro quibus ei agendas
gratias censet, & eidem autoritatem ad defendendam Remp. tribuendam. *Tum cum maxime.*] Beneficij am- D
plificatio, ab opportunitate & necessitate. *Pestifer reditus.*] Si legiones illas quæ ex Macedonia Brundusium ap
pulerant, sibi conciliasset, quod ne faceret obstitit Octauius. *Pestifer.*] Translatio. infestus & perniciosus.

Nec postulantibus.] Similiter cadens. Et est laus beneficij, ab eo quod ultrò, & sponte factum est, non quæsitum aut
petitum. Sunt enim gratiora quæ ita fiunt. *Quia fieri posse non.*] Quòd esset Cæsaris modo interfecti nepos,
& hæres. *Patrimoniumq; suum effudit.*] Exaggerat Octauij liberalitatem, & utitur intellectione Rhetorica,
cum dicit Patrimonium suum effudit, cum partem aliquam nimirum quingenas drachmas ueteranis militibus dedisset.

Quanquam non.] Corrigit id quod dixit, effudit, ne in malam, quod hyperbolicos dictum est, accipiatur partem.
Nam effundere significat inaniter & temere proijcere, & prodigere. hinc effusio pro largitione, quam prodigalita-
tem uulgo uocant.

Quis enim est tam ignarus rerum? tam nihil de Repub. cogitans? qui hoc non in-
telligat: si M. Antonius à Brundusio cum ijs copijs, quas se habiturum putauerat: Ro-
mam, ut minabatur, uenire potuisset: nullum genus crudelitatis eum præteriturum fu-
isse? quippe qui in hospitis tectis Brundusii fortissimos uiros ciues optimos iugulari

A iussit: quorum ante pedes eius morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus ueniret iratior, quàm illis fuerat, quos trucidarat: cui tandem uestrû, aut cui omnino bono pepercisset? qua peste Remp. priuato consilio (nec enim fieri potuit aliter) Cæsar liberauit. qui nisi in hac Rep. natus esset: Rempub. scelere Antonij nullam haberemus. sic enim perspicio, sic iudico: nisi unus adolescens illius furentis impetus crudelissimosq́; conatus cohibuisset, Remp. funditus interituram fuisse. cui quidem hodierno die P. C. nunc enim primum ita conuenimus, ut de illius beneficio possemus quę sentiremus libere dicere: tribuenda est authoritas, ut Remp. non modo à se susceptam, sed etiam à nobis commendatam, possit defendere.

Quis enim est tam ignarus.] Enumeratione & cogitatione malorum quæ euenissent, Octauij auget beneficium. *Quippe qui in hospitis tectis.*] Ex antecedentibus signis, colligit quid facturus esset Antonius. Et factum amplificat, hospitis appellatione: cum hospitij iura sanctissimè colenda sint, non uiolanda. Quare Antonius saltem hospitij reuerentia, abstinere à tali crudelitate debuisset. Sed de his paulopost dicturus est Cicero. *Fortissimos uiros.*] Hi e-
B rant Centuriones legionis Martiæ, quæ ab Octauio ad Antoniû transiit, quos necari iusserat Antonius: quia nescio quod præmium, ab eo promissum, tumultuosius fuerant aspernati. *Quorum ante pedes.*] Auget Antonij crudelitatem factum penè ante oculos statuens. *Os uxoris.*] Fuluiæ, in quo etiam magna Antonij arguitur crudelitas, qui nihil uxorem ueritus, in eius conspectu eos iusserit trucidari. Ac mihi quidem uidetur Cicero, etiam uxorē Fuluiam eodem crudelitatis scelere uoluisse notare. nam si ea ab huiusmodi facinoribus abhorruisset, nunquā in eius oculis illud fecisset Antonius, qui ei ualde subiectus erat. Idcirco Cic. Philip. 13. Brundusii (inquit) in sinu non modo auarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris, delectos Martiæ legionis centuriones, trucidauit. Huius fœminæ crudelitatem uide in Ciceronis uita, apud Plutarchum. *Os uxoris respersum.*] Hyperbole, id est, superlatio: significat enim in eius conspectu, atq; illa spectante fuisse iugulatos. *Hac ille crudelitate imbutus.*] Coniectura ex minore. ut beneficiû Cæsaris augeat.
Qua peste.] Quo malo, qua clade. crudelitate Antonij ostensa, & malis quæ passi essent, nisi Cæsar succurrisset, propositis, optime subijcit beneficium Cæsaris, quo grato magis animo accipiatur. *Priuato consilio.*] Nulla publica autoritate. *Neq; enim fieri potuit aliter.*] Tum propter celeritatem, quam res illa postulabat, tum etiam quoniam nisi ipse sua sponte ita fecisset primum, ei fidere senatus ausus non fuisset, utpote Cæsaris & nepoti & hæredi.
Remp. scel. Antonij nullam haberemus.] Hic contemplari licet, quàm sæpe nos fallant nostra consilia: quibus plerunq; ea nobis accersimus, quæ timemus, & omnibus modis repellere conamur. Putabat Cicero, optimo quidem animo,
C Remp. Octauij Cæsaris opera & beneficio, defendi & seruari, quæ eiusdē opera euertebatur. Debuissent principes ipsi adolescentulû illû quiescere iubere, summā rerû Bruto, aut alteri æquè fido, permittere, neq; tantû adolescenti illi tribuere, quem dubitare non poterant patris auunculi exemplû secuturû, eiusdem cædem ulturû, cum ut primû uenerat ex Apollonia, de interfectoribus Cæsaris cōquirendis, & supplicio afficiendis egisset. sed ita deus hominû mentes à ueris consilijs auertit, cum regna atq; imperia aut mutare statuit, aut euertere. *Sic enim perspicio.*] Expolitione eandē rem uersat & amplificat. *Cui quidem.*] Gradatim ascendit ad suasionē, ut P. C. Octauiû Cæsarē autoritate ornent.

Nec uero de legione Martia, quoniam longo interuallo loqui nobis de Rep. licet, sileri potest. quis enim unus fortior, quis amicior unquam Reip. fuit? quàm legio Martia uniuersa? quæ cum hostem populi Rom. M. Antonium iudicasset, comes eius esse amentiæ noluit. reliquit consulem. quod profecto non fecisset, si cum Consulem iudicauisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædem ciuium, atq; interitum ciuitatis uideret. atq; ea legio consedit Albæ. quam potuit urbem eligere, aut oppotuniorem ad res gerendas? aut fideliorem? aut fortiorum uirorum? aut amiciorum populo Rom. ciuium? huiusce legionis uirtutē imitata Quarta legio duce L. Egnatuleio Quę
D store ciue optimo, & fortissimo, Cæsaris autoritatem atq; exercitum persecuta est. faciendû est igitur nobis P. C. ut ea, quæ sua sponte clarissimus adolescens, atq; omnium præstantissimus & gessit, & gerit: hæc autoritate nostra comprobentur: ueteranorûq; fortissimorû uirorum, tum legionis Martiæ, Quartæq;, mirabilis consensus ad Remp. recuperandam, laude & testimonio nostro confirmetur: eorumq; cōmoda, honores, præmia, cum Consules designati magistratum inierint: curæ nobis fore hodierno die spondeamus. Atq; ea quidē quæ dixi de Cæsare, deq; eius exercitu: iamdiu nota sunt nobis. uirtute enim admirabili Cæsaris, constantiaq; militum ueteranorum, legionumq; earum optimo iudicio, quæ autoritatem nostram, libertatemq; populi Romani, uirtutem C. Cæsaris secutæ sunt: à ceruicibus nostris est depulsus Antonius. sed ut dixi, hæc superiora.

Nec uero de legione Martia.] Dicta de ornando Cæsare sententia, eoq; laudato, uenit ad legiones cōmendandas, ut & illis honos habeatur, idq; totum in Cæsaris gratiā. Legionibus autem imponi ab imperatoribus nomina solebant, uel

à robore

à robore & uirtute, ut Martia, à Marte bellipotente: uel ab ordine ut prima, secunda & deinceps: uel ab alijs etiam cau- A
sis. Legiones uero à legendo, id est deligendo, unde delectus militum, dictæ sunt, quasi delectis militibus constarent.

Longo interuallo.] Longo interuallo post, quod dicunt, post longum tempus. nam senatus à Cal. Ian. ad 13. Calen. Ian. haberi liberè non potuerat. Reliquit consulem.] Antonium. ergo damnandas? minime. nam eum consulem non iudicauit, qui bellum Reip. inferre pararet. Quem nihil.] Addit causam cur Legio Martia Antonium, consulem non iudicauerit. Consedit Albæ.] Vrbs ab Ascanio Aeneæ filio condita, in loco natura munitissimo ea sita est, in excelso saxo, & propè in urbis conspectu. Hinc Cicero dicit nullum potuisse deligi locum, ad res gerendas opportuniorem, id est, cõmodiorem. Laudat autem Albam coloniam Cicero multis modis, cuius historia est, apud Liuium lib. ab urbe condita primo. Huiusce legionis uirtutem.] Laudat quartæ legionis fidem, ut ei præmium decernatur.

Faciendum est igitur.] Concludit sententiam, de gestis Octauij & legionum, quibus honores & præmia decernit.

Eorumq; cõmoda, &c.] Formula ueteribus usitata, in præmijs honoribusq; decernendis. Spondeamus.] Sponsione decernamus, spem ostendamus præmiorũ, ut infra dicet, ut eos in Reip. fide retineamus. Virtute enim.] Expolitio. Idem enim dicit, tum ut memoriam beneficij inculcet, tum ut cõmodius ad Bruti facta, actaq; transeat.

Sed ut dixi.] Reuocatio uerbi, transitioni subseruiens.

Hoc uero recens edictum D. Bruti, quod paulo ante propositum est, certe silentio
non potest præteriri. pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in Senatus
populiq; Rom. †potestate. O ciuem natum Reip. memorem sui nominis, imitatoremq; *al. potestatem*
maiorum. neq; enim Tarquinio expulso, maioribus nostris tam fuit †optata libertas: *al. optanda*
quàm est repulso Antonio retinenda nobis. illi regibus parere iam à condita urbe di- B
dicerãt. nos post reges exactos seruitutis obliuio cœperat. atq; ille Tarquinius, quem
maiores nostri non tulerunt: non crudelis, non impius, sed superbus habitus est, & dictus. quod nos uitium in priuatis sæpe tulimus, id maiores nostri nè in rege quidem ferre potuerunt. Iun. Brutus regem superbum non tulit: D. Brutus sceleratum atq; impium regnare patietur Antonium?

Hoc uero recens.] Transit ad D. Brutum: cuius laudes amplificat in immensum, eius facta preclara cum Iunij Bruti facto, & Antonij tyrannidem cum Tarquinij comparans dominatu. Est autem hæc comparatio, pulcherrimus in tota hac oratione locus: idcirco diligenter, non modo propter artificium, dicendiq; singularem elegantiam, uerum etiam propter rei quæ agitur, utilitatem, obseruandus. Edictum D. Bruti.] Significationem & denunciationem uoluntatis D. Bruti de retinenda prouincia in qua erat, in Reip. potestate, Edictum appellat, propterea quod is esset Prætor, &
eius prouincia pretoria. Erant autem Edicta prætorum proprie, quorũ quedam adipiscendæ possessionis causa, compa- C
rata sunt, quedam retinendæ, quædam recuperandæ, ut habetur Instit. lib. 4. De interdictis, quæ idem sunt quod Edicta. Hoc igitur Bruti, erat de retinenda possessione, hoc est, Gallia prouincia in Senatus populiq; Rom. potestate & iure. Ex hoc Edicto arripit Orator occasionẽ, in laudes Bruti digrediendi, & contentionẽ pulcherrimam faciendi: quæ contentio ad rerum amplificationẽ refertur, de qua in Orat. part. noster orator præcipit. O ciuem.] Exclamatio, ad animos auditorũ in admirationẽ attentionemq; erigendos. Sui nominis.] Bruti superioris, qui expulso Tarquinio rege, libertatem pop. Romano peperit. Neq; enim Tarquinio.] Propositio contentionis sequentis. Illi regibus.] Propositionis confirmatio, quæ complectitur totã hanc dissimiliũ siue differentiũ cõparationem. Non crudelis.] Quia supplicia in ciues Romanos nulla Tarquinij accepimus. Non impius.] Nam seruabant auspicia reges, quæ hic consul augurq; neglexit. Deinde Tarquinius pro pop. Romano bellũ gerebat tum, cũ expulsus est &c. paulo post. Sed superbus habitus est & dictus.] Superbus interdũ significat altum, magnificũ, & potentẽ, quo modo sæpe à Vergilio usurpatur. Verũ apud Oratores, ferè uitium elationis nimiæ, ac tyrannidis est, & cuiusdam hominum præ se contemptus. Cur uero Tarquinius Romanorũ rex superbus dictus fuerit, docet Liuius ab urbe condita lib. 1. Inde L. Tarquinius (inquit) regnare cœpit, cui superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura pro-
hibuit, Romulum quoq; insepultũ perijsse dictitans. Dionysius Halic. lib. 4. Antiquit. Tarquiniũ scribit, à Romanis su- D
perbum cognominatũ, ex insolentia quadam tyrannica, moribusq; superbissimis. Florus quoq; ex moribus ei cognomen datum testatur, sed in eo à Cicerone dissentire uidentur, quod eum crudelitate insignem fuisse dicunt. Sed Cicero non negat eum & crudelem & impium fuisse, sed ex cognomine, arguit oratoriè propter unam superbiã expulsum esse, eamq; præ alijs uitijs, maioribus displicuisse. Iun. Brutus.] Concludit ex minori, & uehemens facit Enthymema.

Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia, & fecit, & facit Antonius? Senatum
etiam reges habebant: nec tum, ut Antonio Senatum habente, in consilio regis uersabantur Barbari armati. seruabant auspicia reges: quæ hic Consul Augurq; neglexit:
neq; solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam Collega unà referente, quem
ipse ementitis auspicijs uitiosum fecerat. Quis autem rex unq; fuit tam †insigniter im- *al. insignitè*
pudens, ut haberet omnia cõmoda, beneficia, iura regni uenalia? quam hic immunitatem, quam ciuitatem, quod præmiũ, non uel singulis hominibus, uel ciuitatibus, uel
uniuersis prouincijs uendidit? nihil humile de Tarquinio, nihil sordidũ accepimus. at *al. non numerabatur*
uero huius domi inter calices illius appendebatur aurũ: †numerabatur pecunia: una

A in domo omnes,quorum intererat,totũ imperiũ pop.Rom.nundinabantur.supplicia
uero in ciues Rom.nulla Tarquinij accepimus.at hic & Suessæ iugulauit eos, quos in
custodiã dederat:& Brundusij trecẽtos fortissimos uiros,ciuesq; optimos trucidauit.
postremo Tarquinius pro pop.Rom.bellum gerebat,tum cũ expulsus est: Antonius
contra pop.Rom. exercitũ educebat, tum cum à legionibus relictus nomen Cæsaris
exercitũq; pertimuit:neglectisq; sacrificijs solennibus,ante lucem ea uota,quæ nunq;
solueret,nuncupauit:& hoc tempore in prouinciã populi Ro.conatur inuadere. maius igitur beneficiũ à D.Bruto populus Rom.et habet, & expectat,quàm maiores no
stri acceperunt à Iun. Bruto principe huius maxime cõseruandi generis & nominis.
cum autẽ est omnis seruitus misera:tum uero intolerabile est seruire impuro,impudi-
co,effœminato,nunquã,ne in metu quidem,sobrio. hunc igitur qui Gallia prohibet,
priuato pręsertim consilio:iudicat,uerissimeq; iudicat, non esse consulem.

Quid Tarquinius tale?] *Generatim contulit Antoniũ cum Tarquinio : nunc speciatim utriusq; facta contendit, ut Antonium Tarquinio superbiorem & sceleratiorẽ ostendat.* *Barbari.*] *Quos in superiore oratione Barbaros*
B *Ithyreos uocauit.* *Seruabant auspicia reges.*] *Ergo non fuit impius Tarquinius rex. Cic. lib. De diu. 1. Principio huius urbis parens Romulus (inquit) non solũ auspicatò urbẽ cõdidisse, sed ipse etiã optimus Augur fuisse traditur: deinde Auguribus & reliqui reges usi,& exactis regibus nihil publicè sine auspicijs,nec domi,nec militiæ gerebatur.*

Neglexit.] *Vt in superiori est oratione dictum.* *Vitiosum.*] *Vitio, & contra auspicia, creatum.* *Insigniter.*] *Insignitè,egregiè,apertè,uel tam insigniter, tantopere.* *Nihil humile.*] *Abiectũ, liberali homine indignum.* *Nihil sordidũ.*] *Nihil auarũ,quanquã hæc eadem sunt, & per interpretationẽ dicuntur.* *Inter quasilla appendebatur aurũ.*] *Alij legunt,inter ciues,alij inter calices, sed inter quasilla uera est lectio. nam primum quomodo opponeretur humili & sordido,uel ciues,uel calices? Deinde hæc lectio defenditur, ex superioris orationis loco, ubi dixit,syngraphã legatorũ regis Deiotari, factam in Gynæceo,quo in loco plurimæ res uenière, & (ut ait Cic.) ueneunt. Nam cum ostendere uellet Cicero Antoniũ usq; eo sordidũ esse,ut omnia in Rep.uenalia domi haberet,ut eius sordes non modo re,sed etiã uerbo exprimeret,inter quasilla dixit:quasi diceret,inter mulierculas. et tacitè Fuluiã significat ei nundinationi præfectã fuisse.Erat autẽ quasillũ,siue quasillus,uas muliebre lanificio præsertim aptum, nempe cistella,in qua pensa reuoluebãt:Græci κάλαθον, latini etiã Calathũ uocant:ueteres Romani, quoniã signũ erat lanificij in nuptijs, Thalassionẽ uocabant.* *Appendebatur aurũ,numerabatur pecunia.*] *Hic deest,non,scriptorũ uitio omissum.sic enim in superiore oratione.Itaq; tanti acerui numorũ apud istum cõstruuntur,ut iam appendantur,non numerentur pe-*
C *cuniæ.* *Supplicia uero in ciues.*] *Probat Tarquiniũ non fuisse crudelem,quod ante proposuerat,etsi aliter scripserit Liuius lib. 1. & Florus,ut ostendi.* *Suessæ.*] *Volscorũ quondã hæc primaria urbs fuit, ut Strabo ait, ad Lirim fluuium sita. hodie etiã celebris Sessa uocatur in regno Neapolitano: quæ nobis Augustinũ Nyphũ summũ philosophũ,& Peripateticorũ sui seculi facile principẽ,scriptorũ quoq; monumẽtis clarissimũ,dedit.* *Quos in custodiã dederat.*] *εἰς τὴν φυλακήν. hos ciues Romanos Octauius ad sollicitandas colonias miserat, quos deprehensos Antonius custodiendos primo dedit Suessanis,deinde paulo post,iugulauit.* *Et Brundusij trecentos.*] *Hi sunt illi centuriones Martiæ legionis,de quibus supra mentio facta est,& fiet Philip. 13.* *Postremo Tarq.*] *Et hic locus probat eum non fuisse impiũ. Nam supra ostendit Tarquiniũ non fuisse impiũ in deos,quod seruaret auspicia:hic impiũ in patriã non fuisse,qui pro pop. Rom. contra hostes pop. Rom. pugnaret,tum cum pulsus est.* *A legionibus.*] *Martia & quarta,ut antea nominauit.* *Neglectis sacrificijs.*] *Quæ facere solebãt magistratus in prouincias ituri,& Imperatores,exercitũ educturi.* *Ante lucẽ.*] *Nam uenit in urbẽ Antonius, ubi legiones Martiã & quartã, Octauio se adiunxisse,& Martiam Albæ consedisse accepit . Qua re uehementer cõmotus, & si de ijs quæ egerat Cæsar & agebat uerba facturus uenerat,tamen pauca locutus (Senatus enim iam coactus erat) de prouincijs,& supplicatione M. Lepido decernenda,omnino intactũ linquens Octauiũ,abijt ad portas,& urbem egressus, Albã cõtendit, ut Martiam legionẽ si posset, à proposito abduceret,ac sibi reconciliaret. Sed ab Albanis muris pulsus est, ab eadem legione & colonis eius : nec multo*
D *post Ariminũ,ubi Gallicæ prouinciæ initiũ olim fuit,profectus est,Bellũ cõtra Deciũ,qui eam prouinciã obtinebat, gesturus.* *Nũcupauit.*] *Nominatim & palã uouit,unde nũcupata uota dicũtur,quæ prætor siue cõsul aduersus hostẽ exercitũ educẽs,nominatim facit,& lustrato antè exercitu proponit,ut sæpe apud Liuiũ legitur. Vota uero cõcepta dicuntur,quæ nõ proferũtur, sed tantũ mente atq; animo concipiuntur.* *Quæ nunq̃ solueret.*] *Impium et hic Antonium esse ostẽdit,qui deos illuderet,uanis uotis.* *Maius igitur ben. à D. Bruto.*] *Cõcludit pulcherrimã cõparationẽ,et ex Antonij insectatione,infert quod efficitur,Brutũ magnũ beneficiũ in Remp. cõtulisse,qui prouinciã Antonio non tradiderit,unde eius uires adauctæ ualde fuissent.* *Huius generis & nominis.*] *Romani. sequenti oratione pro nomine dicit seminis.* *Cũ autẽ omnis.*] *Alio modo Bruti facta cõstantiãq; amplificat, à genere scilicet seruitutis: in quo subest etiã cõparatio ex minore,hoc modo: si seruire semper miserũ est,multo seruire impuro,miserius. Libertatis autẽ tam dulce nomẽ est,ut pleriq; sibi mortẽ cõsciuerint,ne alteri seruire,et libertatẽ amittere cogerẽtur:cuius suauitatẽ cũ probe experti essent Spartanorũ legati, Persarũ regis præfecto,de deditione cũ eis agẽti,respõsum hoc dederũt. Seruire tu quidem didicisti,libertatis uero sensum nullũ unquam percepisti:quantaq; sit eius dulcedo nunq̃ intellexisti:quæ si tibi nota foret, non ut hastis,sed ut securibus pro ea dimicaremus nobis suaderes.* *Seruire impuro.*] *Antoniũ omnibus flagitijs inquinatissimũ,breuissime describit,ut eum in cõtemptionẽ adducat.* *Ne in metu quidẽ.*] *Quod signũ est hominis perditissimi. Nam si qui non sunt omnino perditi & profligati,in metu saltem à flagitijs absunt : Antonius uero ne in*

maximo

maximo quidem metu, & rerũ omniũ perturbatione, abstinebat, quin perpotaret, scortaretur, ac se cum fœdissimis hominibus & mima sua oblectaret. A Hunc igitur.] Antonium. & est conclusio principalis propositi. Qui Gallia prohibet.] D. Brutus. Antonium non esse consulẽ, à D. Bruti iudicio confirmat.

Faciẽdũ est igit̃ P. C. nobis, ut D. Bruti priuatũ cõsiliũ autoritate publica cõprobemus. Nec uero M. Antoniũ cõsulẽ post Lupercalia putare debuistis. Quo eñ ille die pop. Rom. inspectãte, nudus, unctus, ebrius, cõcionatus est: & id egit, ut collegæ diadema imponeret: eo die nõ modo cõsulatu, sed etiã libertate se abdicauit. esset eñ ipsi certe statim seruiẽdũ, si Cæsar ab eo regni insigne accipere uoluisset. hũc igit̃ ego cõsulẽ, hũc ciuẽ Romanũ, hũc liberũ, hũc deniq; hominẽ putẽ? q fœdo illo et flagitioso die, & quid pati Cæsare uiuo posset: & quid eo mortuo cõsequi ipse cuperet ostendit. Nec uero de uirtute, cõstantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri potest. est enim ille flos Italiæ: illud firmamentũ imperij pop. Rom.: illud ornamentũ dignitatis. tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumq; prouinciæ Galliæ, ut omnes ad autoritatẽ huius ordinis maiestatemq; populi Ro. defendendam conspirasse uideantur.

Faciendum est,] Sententiam in senatu profert suam, de Bruti actis, ut etiam Octauij comprobandis. B Nec uero M. Ant.] Occupatione sententiã suam confirmat. Subest aũt in his definitio oratorio more explicata, non dialectica breuitate cõstricta: eã probat ex factis Antonij, item ex iudicio tribunorũ plebis, & ex cõtrario. Ebrius.] Nam nisi ebrius fuisset, nudus et unctus nõ esset cõcionatus. Cõsulatu.] Quia cõtra officiũ fecit. Consul enim est q consulit reip. nõ qui dominũ reip. imponit. Libertate abdicauit.] Priuauit, libertatẽ amisit. sed plus est se abdicasse, q̃ amisisse. multi amittũt inuiti, nemo se, nisi uolens, abdicare potest. Innuit aũt hoc loco maximã capitis diminutionẽ, quæ est cum quis simul & ciuitatẽ & libertatẽ amittit: ut habetur Inst. lib. 1. eodẽ tit. Esset enim.] Ratio cur se abdicarit: quia si Cæsar regni insigne accepisset, iam ad unũ omnia delata erant: reliqui igitur oẽs serui, ergo etiã Ant. seruus.

Hunc igitur ego consulẽ.] Concludit cũ amplificatione, Antoniũ nõ esse consulẽ putandũ. Sunt aũt hic quatuor gradus, nõ esse consulẽ, nõ ciuẽ, nõ liberũ, nõ deniq; hominẽ. Respicit uero orator ad maximã capitis diminutionẽ, qua affectum esse Antoniũ dicit. Est aũt capitis diminutio, ut Inst. lib. 1. & Digest. lib. 4. legimus, status mutatio: eaq;, ut ibidẽ traditur, est triplex: Maxima, cũ aliquis simul & ciuitatẽ & libertatẽ & familiã amittit: minor, siue media, cũ ciuitas quidẽ amittitur, libertas uero retinetur: & minima, cũ ciuitas retinetur & libertas, sed familia mutatur: quod accidit in ijs, qui cũ sui iuris fuerint, cœperũt alieno iuri subiecti esse. Fœdo illo & flagitioso die.] Id est fœdis & flagitiosis factis illius diei. Quid pati.] Seruitutẽ turpissimã, quod animi abiectissimi est. Quid eo mortuo consequi.] Regnũ & tyrannidẽ. Nec uero de uirtute.] Ex dignitate prouinciæ Gallicæ, & coloniarũ ad remp. defendendã C studijs, & consensu probat Antoniũ ab ea prohibendũ fuisse. Continet aũt duos locos, & dignitatẽ simul & utilitatẽ. nã & firmamentũ imperij eam uocat, quod est utilitatis: & ornamentũ, quod dignitatis. Municipiorũ.] Municipia erant liberæ ciuitates in Italia. Conspirasse.] Consensisse: in bonam enim partem capitur sæpe.

Quamobrẽ tribuni plebis, quanq; uos nihil aliud, nisi de præsidio, ut senatũ tuto cõsules Cal. Ian. habere possent, retulistis: tamẽ mihi uidemini magno cõsilio, atq; optima mẽte potestatẽ nobis de tota Rep. fecisse dicẽdi. quũ enim tutò senatũ haberi sine præsidio non posse iudicauistis, illud etiam statuistis, intra muros Antonij scelus audaciãq; uersari. Quamobrẽ omnia mea sentẽtia cõplectar, uobis ut intelligo nõ inuitis: & ut præstãtissimis ducibus à nobis detur autoritas: & fortissimis militibus spes ostendatur præmiorũ: & iudicetur nõ uerbo, sed re, non modo non cõsul, sed etiã hostis Antonius. nam si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulẽ reliquerũt: sceleratus Cæsar, Brutus nefarius, qui contra consulẽ priuato consilio exercitus comparauerũt. sin autem militibus exquirendi sunt honores noui, propter eorum diuinum atq; immortale meritũ: ducibus autẽ ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eum non hostem existimet, quem qui armis persequuntur, cõseruatores Reip. iudicantur? D

Quamobrẽ trib. pleb.] Tribuni plebis cum abessent consules, retulerunt de senatu habendo, & præsidium statuendum esse censuerunt, quo haberi senatus Cal. Ian. tuto posset. Cicero eã sententiã præsidij statuendi interpretatur potestatem de tota rep. dicendi, & quoddã præiudiciũ de Antonio fieri, metuendũ scilicet eum esse: idcirco sententiã suã de rerũ summa diserte dicit. Quãobrẽ omnia.] Concludit propositũ, & colligit capita sententiæ suæ de tota rep. idq; facit distributione, qua in certas personas præmia pœnasq; dispertitur. Vobis nõ inuitis.] Id est annuentib. & cõsentientibus: & est beneuolentiæ locus. Ducib.] Octauio & Bruto. Non uerbo, sed re.] Id est armis & bello, tanquã hostẽ persequamur Antoniũ. Militib. spes osten. præm.] Id est Martiæ, & quartæ legioni ueteranorũ, cõmoda, ut paulo ante dixit, honores, præmia, cũ Coss. designati magistratũ inierint, curæ nobis fore hodierno die spondeamus.

Nam si ille Cos.] Confirmat ex cõtrario, & milites præmia, & Antoniũ supplicia meruisse. Vtitur aũt argumẽtatione ea quæ ex cõnexis cõstat, quã hypotheticã uocãt, ex consequẽtis negatione, quã oratoria cõsuetudine tractat. ualet aũt ex eo loco quo Cic. usus est in Tusc. contrariorũ cõtraria sunt consequẽtia. Nã si præmijs afficiẽdi sunt, qui Antoniũ reliquerũt, et armis sunt persecuti, cõsequitur Antoniũ tanquã hostẽ reip. pœnis afficiendũ esse. Fustuariũ.] Id est,

A *castigationẽ fustiũ, uirgarumq; suppliciũ, quã etiã fustigationẽ uocant Latini. Erat aũt pœna & animaduersio militaris, de qua etiã Liuius: Fustuariũ, inquit, meretur, qui signa relinquit, aut præsidio discedit. Modestinus quoq; iurisconſ. quatuor militaris animaduersionis genera enumerat, fustiũ castigationẽ, ignominiosam mißionẽ, pecuniariã mulctã, & militiæ mutationẽ. Errãt igitur qui fustuariũ exponũt pro eo qui fustib. cædit, quẽ Plautus uirgatorẽ, alij lictorẽ appellarũt.*

At q̃ cõtumeliosus in edictis, q̃ barbarus, q̃ rudis? primũ in Cæsarẽ maledicta congessit deprõpta ex recordatione impudicitiæ & stuprorũ suorũ. quis enim hoc adolescente castior, quis modestior? quod in iuuentute habemus illustrius exemplũ ueteris sanctitatis? quis aũt illo maledico impurior? ignobilitatẽ obijcit C. Cæsaris filio: cuius etiã naturalis pater, si uita suppeditasset, cõsul factus esset. Aricina mater. Trallianã aut Ephesiã putes dicere? uidete q̃ despiciamur omnes, qui sumus è municipijs: id est oẽs plane: quotus enim quisq; nõ est? quod aũt municipiũ nõ contemnit is? qui Aricinum tãtopere despicit, uetustate antiquissimũ, iure fœderatũ, propinquitate penè finitimũ, splendore municipũ honestissimũ. hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges: hinc multæ sel-
B læ curules, & patrum memoria & nostra: hinc equites Ro. lautissimi plurimi & honestissimi. sed si Aricinã uxorẽ nõ probas: cur probas Tusculanã? quanq̃ huius sanctissi-
al. Atius mæ fœminæ atq; optimæ pater M. †Accius Balbus in primis honestus, prætorius fuit. tuæ coniugis bonæ fœminæ, locupletis quidẽ certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. nihil illo contẽptius: qui propter hæsitantiã linguæ, stuporemq; cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At auus nobilis, Tuditanus: nempe ille, qui cũ palla & coturnis nummos populo de rostris spargere solebat. Vellem hanc contemptionem pecuniæ suis reliquisset: haberet is nobilitatẽ generis gloriosam. quî autem euenit ut Iulia natus, ignobilis uideat? cum tu eodem materno genere soleas gloriari? quæ porrò amentiæ sunt, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriã Fregellanã proditoris filiã habuerit uxorẽ: ipse ex libertini filia susceperit liberos? Sed hoc clarissimi uiri uiderint, L. Philippus, qui habet Aricinã uxorẽ: C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certe scio dignitatis optimarũ fœminarum non pœnitere.

At q̃ contum.] ἐφύβριστος qui iniuria & conuitijs afficit, qui & ὑβριστὴς dicitur Græce. Persequitur uero nego-
C *cium, ut Antoniũ odiosum & contemptibilẽ reddat: inuehitur in eius edicta, & eos quos ille insectatus fuerat, defendit.*

Primũ in Cæsarẽ.] Octauianũ Antonius fuisse concubinũ Iulij Cæsaris, id est auunculi sui, stuproq; & pecuniã & nomẽ & adoptionẽ meruisse: id quod etiã si hoc loco negat Cicero, hoc temporib. cõcedens, fatetur tamẽ in epist. ad eundem Octauiũ, qua de re legendus est etiã Suet. in Augusti uita. Deprõpta ex recordatiõe.] Hoc est, qualis ipse in pueritia & adolescentia fuerit, talem Octauiũ fuisse mentiẽs. Ignobilitatẽ.] Longa est defensio Octauiani generis, & contra Antoniani uituperatio. C. Cæsaris filio.] Ex adoptione. alioqui nepos, sororis nimirum filius.

Cuius etiã naturalis pater.] Cn. Octauius, qui (ut Suet. ait) decedẽs Macedonia, quã prouinciã ex prætura sortitus fuerat, priusquã profiteri se consulatus candidatũ posset, morte obijt repentina. Si uita suppeditasset.] Si uixisset, si uita ei nõ defuisset. Dicimus philosophia suppeditat materiẽ oratori, id est subministrat. Et uerba suppeditãt Ciceroni, id est affluunt, abundant, nõ desunt, suppetũt. Aricina mater.] Accia, siue Atia, mater Augusti, paterna stirpe fuit Aricina. Aricia Italiæ ciuitas in Appia uia, distans ab urbe xx miliaribus, hoc est uiginti millia passus: ab Archilocho & Aricia puella Attica, appellata. Plin. 3. cap. 5. Porrò Antonius ita exprobrabat Octauio maternũ genus, & patriam, Aricinã matrem eius uocans, quasi Trallianã aut Ephesiã diceret, hoc est barbarã. Nam Trallis ciuitas & populus est in Thracia, Ephesus aũt in Caria, quæ gentes barbaræ inter cæteras numerantur maxime. Videte q̃ contemnamur.] Odiosum facit Antoniũ, dum quod Octauio obijcit, omnib. obijci demonstrat. principes enim Romani om-
D *nes ferè è municipijs originẽ trahebant. Quod aũt munic.] Transfert partẽ ad genus, quasi contẽnatur Octauij mater, nõ quia Aricina, sed q. ex municipio esset. atqui eadẽ ratione possint oẽs qui oriundi è municipijs sunt, uituperari. Subest etiã cõparatio ex maiore: nã qui honestißimũ municipiũ uituperat, multo magis, & minus honesta contemnere uidetur. Vetustate antiquißimũ.] Id est nobilißimũ & honestißimũ. Laudat aũt hoc municipiũ ex quatuor locis, à uetustate tẽporis, à societate populi Ro. à loco propinquo, & hæc quidẽ ex reb. ipsis: quartus est ex personarũ & municipũ dignitate. Finitimũ.] Distat enim ut dixi ab urbe xx miliarib. Hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leg.] Laus à legũ latoribus. Sic Vates Micheas, Bethleemã laudabat, q. ex ea producturus esset Christus, dux & gubernator populi Israelitani. Lex Voconia à C. Voconio Aricino trib. pleb. ne quis census, id est pecuniarũ, unicã filiã heredem relinqueret. Aulus uero Scatinius, & ipse trib. pl. legẽ tulit, ut et qui facerẽt et qui paterẽtur muliebria, supplicio afficerẽtur.*

Sellæ curules.] Metonymia, sellæ curules pro magistratib. quib. licebat uti sella curuli, cuiusmodi fuerũt ædiles curules, prætores, cõsules. ergo sellæ curules, id est summi et amplißimi magistratus, τῶν μεγιστάνων. nam plebei magistratus, pedibus ibant. Patrum.] Maiorũ. Hinc equites.] Secundus dignitate ordo Romanus. Lautißimi.] Splẽdidißimi. nã hæc propriè attribuũtur equitib. Sed si Aricinã.] Argumẽto ex pari, Antonij redarguit uecordiã.

Tusculanã.] Prima Antonij uxor (tres enim ut diximus habuit) Tusculana fuit, et M. Fundi Bãbalionis filia, libertinæ cõditionis. Tusculũ municipiũ fuit olim clarũ, in urbis cõspectu situ. Quanquã huius san. fœm.] Actiæ matris

Octauij

Octauij. Comparatio matris Octauij et uxoris Antonij, ut utra honestior fuerit eluceat. M. Accius.] Omnes ita scri A
bunt: Seru. tamē Virgilij interpres eruditißimus, cū Virg. uersum explicās lib. 5. Alter Atis, genus unde Atij duxere La-
tini: propter, inquit, Atiā dixit, matrē Augusti, de qua dicit Antonius: Atia Latina mater. uult enim eius etiā maternum ge
nus esse antiquū. Dion quoq; nobilis historicus Atiā uocat, nō Acciā. Pratorius fuit.] Functus honore praeturae, ut
Suet. inquit. Laus est à fortunae bonis. Tuae cōiugis.] Primae illius Tusculanae. Nullo numero.] Abiectiß. et ui-
lißimus. Haesitantiā linguae.] Quā isti balbutiē uocāt, quo uitio qui laborāt, balbi uocātur. Stuporéq; cordis]
Stultitiā, tarditatē, uecordiā. Ex cordis enim stupore, linguae haesitantiā sequi argumēto sunt pueri et ebrij. nā qui habent
celeres et expeditos animi motus, ijdē lingua expedita solutaq; sunt, nisi organi uitio aliter fiat. Cognomē ex cōt.]
Nam cū et M. Fundo nomē esset, postea ex linguae uitio, q. saepius Bāba, anteq̄ proferre uerbū posset, haesitaret, Bambalio
dictus est. Ex cont.] Conuitij et contēptus gratia. At auus huius nob. Tud.] Hoc totū ironicôs dicit. De hoc
Tudilano Val. Max. li. 7. De testam. quae rata manserūt: Quàm certae, q̄ etiā notae insaniae Tudilanus, utpote qui populo
nummos sparserit, togāq; uelut tragicā uestē in foro trahens, maximo cū hominū risu cōspectus fuerit, ac multa his cōsenta
nea fecerit. Cum palla et cot.]. Ornatu tragico, ut Val. Max. interpretatur. Palla multiplex fuit: sed hic loquitur de
tragico pallio. et cothurnus calciamēti genus, subere eminēs et altū, quo etiā utebātur in tragoedijs personae. Vellem
hanc contempt.] Optatio. Est enim uiri magnanimi (ut Cic. lib. 1. ait) pecuniā contēnere, ex quo plerią; maximā laudē
inuenere, ut M. Curius, Fabricius, et alij. Iulia natus.] Iulia fuit soror C. Iulij Caesaris dictatoris. Eodē materno
genere.] Mater Antonij Iulia fuit, ex Iuliorū et Caesarū gente, foemina primaria, pudicitia nulli postponenda: quae post B
obitū mariti Lentulo nupsit, cui iugulū in carcere fractū est, q. cū L. Catilina aduersus patriā cōniurauerat. quasi diceret,
hoc genus uituperare nō potes, sine tuo magno dedecore et probro. Cuius pater.] Hanc habuit anteq̄ Iuliā duceret.
Numitoriā.] Numitoris Pregellani filiā. Pregellanā.] Fregellae ciuitas fuit Campaniae in Volscis, quā Liris
praeterfluit: cuius etiā fit mētio de Inuent. lib. 2. haec cū defecisset à po. Ro. bello Italico, euersa est funditus & deleta. hinc
perfidiosae Fregellae in Rhet. ad Her. lib. 4. appellatae. Proditoris.] Vnius ex ijs quorū maiores à Romanis defece
rant: ita à maiorū scelere posteros uituperat: tantū refert à quibus quisq; ducat originē. Ipse.] Antonius. Ex li-
bertini filia.] M. Fundi Bambalionis. Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumißi sunt, ut Inst. lib. 1. habetur.
Sed hoc.] Opponit exempla ad refellendam Antonij arrogantem procacitatē, in eumq; maius odium excitandum.
Erant aūt ij quos nominat in ciuitate eo tempore facile principes. Non poenitere.] Videtur significare nō pudere.

Idem etiam Q. Ciceronem fratris mei filium compellat edicto: nec sentit amens,
cōmendationem esse, compellationē suam. quid enim accidere huic adolescēti potuit
optatius, q̄ cognosci ab hominibus Caesaris consiliorum esse socium: Antonij furoris
inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris & patrui parricidio co C
gitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem. in eum adolescentem
haec scribere audere? quem ego & frater meus, propter eius suauissimos atque opti-
mos mores praestantissimumq; ingenium, certatim amamus: omnibusq; horis in ocu-
lis, auribus, complexu tenemus. Nam in eisdem me edictis nescit laedat an laudet. cum
idem supplicium minatur optimis ciuibus, quod ego de sceleratissimis sumpserim. lau
dare uidetur, quasi imitari uelit. cum autem illam pulcherrimi facti memoriam refri-
cat, tum à sui similibus inuidiam aliquam in me commoueri putat.

Idem etiā.] Transit ad aliud, & Q. Ciceronē fratris sui filiū defendit. Cōpellat edicto.] Edicto quod cōtra
Octauiū proposuerat Antonius, Q. Ciceronē perstringebat nominatim, q. se reliquisset, et Caesari adhaereret. Com
pellatione.] Accusationē & reprehensionē. Vt enim laudari à turpibus, uituperari est, sic cōtrà uituperari, in laude po
ni solet. Tam enim turpe existimandū est, cōmendari à turpibus, q̄ si laudareris ob turpia, ut quidā sapiens uere dixit.
Quid enim.] Aliud crimē obiectum Quinto Cic. Q. F. Gladiator.] Sicarius, homicida, crudelis, & facile in D
quemuis gladiū stringēs. Non igitur proprie appellat gladiatorē Antoniū, sed per translationē, ut ipsemet Cic. Phil. 7. te
statur. De patris] Sui Q. scilicet Ciceronis, M. fratris. Et patrui.] Id est me occidere cogitasse. Erat enim eius
patruus Cicero, isq; solus. O admir.] Exclamatio qua diluit Antonij crimē, et causam sceleris remouet à nepote.
Omnib. horis.] Amplificatio per distributionē. Nam me ijsdem.] Se quoq; edictis peti, sed ambigue, docet.
Laedat an laudet.] Iucunda agnominatio. Cum idem supplicium.] Interpretatur dictum Antonij ambi-
guum, & in suam uertit laudem. Refricat.] Repetit, renouat. translatum à cicatrice. nam iterum atq; iterum fri
catum recrudescit uulnus. A sui similibus.] A sceleratißimis ciuibus.

Sed ipse quid fecit? cum tot edicta proposuisset, edixisset ut adesset senatus frequēs
ad viij. Cal. Decēb. eo die ipse nō affuit. At quomodo edixit? haec sunt ut opinor uerba
in extremo: SI QVIS NON AFFVERIT, HVNC OMNES EXISTIMARE
POTERVNT ET INTERITVS MEI ET PERDITISSIMORVM CONSILI
ORVM AVTOREM FVISSE. Quae sunt perdita cōsilia? an ea quae pertinēt ad li-
bertatē populi Romani recuperandam? quorum consiliorū Caesari me autorē & hor-
tatorē & esse & fuisse fateor. quanquam ille nō eguit cōsilio cuiusquā: sed tamē ut dici
tur currentē incitaui. Nam interitus quidem tui quis bonus nō esset autor? cum in eo

A salus & uita optimi cuiusq;, et libertas populi Ro. dignitasq; consisteret. Sed cũ tã atro
ci edicto nos concitauisset, cur ipse nõ affuit? num putatis aliqua te tristi & seuera? ui-
no & epulis retentus & alea est: si epulæ potius quam popinæ nominandæ sunt. Diem
al. in ante diem edicti obire neglexit, † & ante diem quartã Cal. Decẽbris distulit. adesse in Capitolio
iussit. quod in remplũ ipse nescio qua per Gallorũ cuniculũ ascẽdit. conuenerũt corro
gati, & quidẽ ampli quidã homines, sed immemores dignitatis suę. is enim erat dies, ea
fama, is impetus eius, qui senatũ uocarat: ut turpe senatori esset, nihil timere. Ad eos ta
men ipsos qui conuenerãt, ne uerbũ quidẽ ausus est facere de Cæsare, cum de eo con-
stituisset ad senatũ referre. scriptã attulerat consularis quidam sententiã. quid est aliud
al. indicare de eo referre nõ audere, qui cõtra se consulẽ exercitũ duceret: nisi seipsum hostẽ † iudi
care? necesse eñ erat alterũ esse hostẽ: nec poterat aliter de aduersarijs ducib. iudicari.
Si igitur C. Cęsar hostis, cur cõsul nihil refert ad senatũ? si ille à senatu notãdus nõ fuit,
quid potest dicere: quin cum de illo tacuerit, se hostem esse confessus sit? quem in edi-
ctis Spartacum appellat: hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet.

Sed ipse] Crudelitatẽ tyrãnicã Antoniani edicti suæ opponit in perniciosos ciues seueritati. *Ad viij. Cal. Dec.*]
B XXV. die Nouemb. ut hodie numeramus. *Verba in ext.*] In extremo edicto, sic enim loquuntur Latini, pro in ex-
trema edicti parte. *Consiliorũ.*] Octauij Cæs. qui exercitũ duxerat cõtra Antoniũ. *Quæ sunt per. con.*] Pro-
pter Ciceronẽ præcipue ea uerba adiecerat Antonius, quẽ metu nõ uẽturũ in senatũ arbitrabatur. Nõ negat Cicero quod
obiecit Antonius, sed defendit tũ finitione tũ qualitate. *Quanquã.*] Correctio ad Cæsaris pueri laudẽ, qui sua spõte
ad remp. iuuandã accesserit. *Vt dicitur.*] Significat quod sequitur prouerbiũ esse: Currentẽ incitari, ab equis sum-
ptum, ut est apud Ouid. Acer & ad palmæ per se cursurus honores, Si tamẽ horteris, fortior ibit equus. *Nam interi-
tus.*] Defensio consilij de persequendo Antonio, quod cum omnib. bonis cõmunicat. *Tui.*] Vtpote tyrãni, qui iure,
imò etiã cũ maxima laude occiduntur. *Sed cũ.*] Reuocat Antonij edictũ de habẽdo senatu, ut ex eo q; ipse nõ affue
rit Antonius, eius uituperãdi occasionẽ inueniat. *Atroci.*] Crudeli, horrendo, Archilochio, ut ipse ad Att. uocat.
Tristi.] Graui & seuera & seria. Teren. Tristis seueritas inest in uultu. *Vino.*] Respondet per subiectionẽ.
Si epulæ potius.] Correctio. nã epulæ honestorũ esse possunt, popinæ ganeonũ et impudicorũ semp sunt et ebriorũ
Diẽ edicti obire neg.] Id est nõ affuit eo die quẽ edixit. & obire diẽ, obire horã, prouinciã, elegãter dici obseruan-
dũ est. *In ante diẽ iiij Cal. Dec.*] Id est xxiij Nouemb. hac dicendi formula sæpe et Cic. et Liu. et alij usi sunt. nam ut
et ante diẽ legamus, Romani sermonis cõsuetudo refragatur. *In Cap.*] In tẽplo Iouis Capitolini. Erat aũt Capitoliũ
arx Romana in edito saxo extructa, ubi caput hominis in urbis auspicijs repertũ fuerat, unde nomẽ impositũ fuit, ut est
C apud Liu. Virg. et alios. *Nescio qua.*] Hoc ad contemptũ dicit Antonij, qui palã in Capitoliũ uenire ausus nõ erat.
Per Gallorũ cuniculum.] Per uiã subterraneã, à Gallis Senonib. olim effossam, dũ Capitoliũ obsiderẽt, ut habet Li
uius lib. 5. ab ur. con. Cuniculi è genere leporũ sunt, sed minores, effodiũt assidue terrã, unde dicti cuniculi etiã quos homi
nes effodiunt. Martialis: Gaudet in effossis habitare cuniculus antris, Monstrauit tacitas hostibus ille uias.
Conuenerũt corrogati.] Hac narratione utitur, ut ex ea præiudicio quodã probet ex Antonij consciẽtia eũ hostem
esse reip. *Corrogati.*] Precib. pertracti, ægre contracti, uix enim aliquis bonus senator adesse audebat. *Sed im-
memores dignitatis suæ.*] Erãt enim senatores qui cõsulere reip. deberẽt: Antonius aũt reip. hostis: qui igitur cõsilia cum
Antonio cõmunicabãt, obliti erãt dignitatis suæ. *Is enim erat dies.*] Ante diẽ iiij Cal. Dec. ut paulo ante dixerat: qui
dies propter cladem illã pugnæ Cãnensis, ater, sacer et religiosus erat: ut Gel. lib. 5. cap. 17. scripsit. *Ea fama.*] De
Antonio qui senatui minatus fuerat. *Is qui sen. uoc.*] Antonius scilicet homo nequiss. reip. hostis. *Vt turpe.*]
Vt oẽs senatores timere debuissẽt. *Scriptũ attulerat.*] Quidã senator, putãs relaturũ de Octauio Antoniũ, scriptã
& meditatã sententiã suam, quod facere solent qui plus minúsue nihil dicere uolunt q̃ quod proposuerunt, ne in aliqua re
peccẽt. *Quid est aliud?*] Ex narratione depromit cõiecturã, et præiudiciũ facit ex eo q; Antonius cũ uenisset in se-
natũ cõsul, de Cæsare nihil ausus esset referre, id cõscientiæ signũ esse, seq; hostẽ reip. nõ Cæsarẽ iudicasse. *Necesse
enim erat al. etc.*] Ex cõtrarijs ducit argumentũ. nec tamẽ necessariũ est hoc argumentũ, sed probabile. fieri enim pote-
D rat ut uterq; hostis reip. esset, uterq; de potẽtatu cõtenderet, uterq; uellet remp. opprimere, ut Marius et Sylla, et fortassis
Cæsar et Põpeius. fuisse aũt Antoniũ & Octauiũ hostes reip. euẽtus demõstrauit. Sed uerũ tamẽ est et necessariũ hoc mo
do: Concedatur alterũ de aduersarijs ducib. duobus esse reip. defensorẽ, ita alterũ hostẽ esse cõsequetur necessario. atq; hoc
modo intelligit Cicero, idq; colligit ex eo quod Antonius cõsul ad senatũ de Octauio referre nõ audet, Octauius audet de
Antonio. *Si igitur C. Cæsar.*] Octauius. hæc est Ciceronis ex cõnexis ratiocinatio, quã et in hunc modũ explicare
possumus, per tertiũ primæ figuræ modũ: Qui nõ audet de eo referre qui cõtra se consulẽ exercitũ ducit, is se consulẽ non
esse, sed hostẽ iudicat: Antonius nõ est ausus cõtra Cæsarẽ hæc agentẽ referre: ergo se hostem nõ consulẽ iudicat Antonius.
Quid potest dicere.] Potuisset Antonius dicere, metu partis aduersæ, quã uidebat iã Romæ, & in senatu obtinere,
uocẽ sibi ereptã fuisse, uel ea Romæ uidisse, quib. satis uidebat se nihil effecturũ: proinde tacere maluisse q̃ id frustra tẽta-
re, ex quo sibi magnum periculum creatum iri intelligeret, cæterum nihil profuturum. Sed tamen certum est Antonium
reipublicæ amicum non fuisse, ut ex innumeris eius factis ostendit Cicero. *Spartacum.*] Id est hominem fugitiuum.
Nam Spartacus, Chrysus, & Oenomaus gladiatores, effracto Lentuli cuiusdam cognomento Bartiati ludo, cum triginta
haud amplius eiusdem fortunæ uiris erupere Capua, seruisq; ad uexilla uocatis, decẽ milliũ statim contraxerũt exercitũ.

Hi post

Hi post multos duces Ro. profligatos, tandē uicti sunt: Spartacus ipse occubuit quidem, sed eius cadauer nusquā inuentum. Huius & Plin. & Horat. & Lucanus mentionē faciunt. Lucanus, Vt simili causa caderes, qua Spartacus hostis. A

At in rebus tristissimis quantos excitat risus? sententiolas edicti cuiusdam memorię mādaui, quas uidet ille peracutas putare. Ego aūt, qui intelligeret, quid dicere uellet, adhuc neminē inueni. NVLLA CONTVMELIA EST, QVAM FACIT DIGNVS. primū quid est dignus? nā etiā malo digni multi, sicut ipse. an quā facit is, qui cū dignitate est? quæ aūt potest esse maior? quid est porrò facere contumeliā? quis sic loquit? Deinde, NEC TIMOR QVEM DENVNCIAT INIMICVS. quid est ergo? ab amico timor denunciari solet? horū similia deinceps. nónne satius est mutū esse quàm quod nemo intelligat dicere? en cur magister eius ex oratore arator factus sit: possideat in agro publico populi Romani, campi Leontini duo millia iugerum immunia, ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica.

At in rebus.] Hominis insulsitatem insectatur, ut in odium adducat. De hoc genere reprehensionum Quintilianus libro quinto De refut. Itaq;, inquit, illę reprehensiones, aut obscuritatis, qualis in Rullum fuit, aut infantię in dicēdo, qualis in Pisonem, aut inscitię rerum uerborumq; & insulsitatis etiam, qualis in Antonium est, accommodantur iustis odijs, suntq; utiles ad conciliandum ijs, quos inuisos facere uolueris, odium. Hæc Fabius. Ego uero potius ad contemptum hominis huiusmodi reprehensiones ualere existimo, qui ex ineptijs hominum excitari solet, ut multis locis docet Cicero & Aristoteles. B *Sententiolas.] Diminutio ualet ad contemptū, ut etiam illud, edicti cuiusdam. Memorię mandaui.] Edidici, ut sine scripto eas recitare possem. Ego autem qui intelligeret.] Prima uirtus orationis est perspicuitas, ut Quintilianus ait. ergo maximum uitium obscuritas: merito igitur reprehendit Cicero Antonium. nam & ipse Octauius Augustus, ut autor est Suetonius, Marcum Antonium ut insanum increpabat, quasi ea scribentem, quę mirarentur potius homines, quàm intelligerent: atq; idem Augustus Antonianum dicendi genus penitus improbauit.*

Nulla contumelia est quam facit dignus.] Scripserat Antonius in quodam edicto, se neq; Octauio, neq; cuiquā contumeliam facere, utpote qui cum esset consul, digne & iure faceret. Duo in hac sententiola reprehendit Cicero, ambiguitatem tū inusitatum loquendi genus. Ambiguum est uerbum dignus: duo enim significat, tum eum qui malo aut bono dignus est, & eum qui cum dignitate est. Cicero interpretando, alterum absurdum, alterum contrarium facit. Si dignus in priore significatione capitur, dignum te malo dicam: sin pro eo qui in dignitate & magistratu est, nulla maior iniuria est, quàm quę ab eo fit, qui ius tueri & iniuriam propulsare ex officio debet: quales sunt magistratus. Repetam & hic illud Satyricum: Omne animi uitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Quid est porrò facere contumeliam?] Contumeliam facere ætate Ciceronis uidetur minus usitatum fuisse, sed post C *Ciceronem qui fuerunt scriptores, receperunt & usurparunt. Cicero enim tum iacere contumeliam, tum intorquere, tum imponere, tum etiam contumelijs lacerare aliquem, tum insequi. At usurparunt Plautus & Cato. Respondeo: Antiquarij sunt & uetusti, quorum pleraq; iam tum erant obsoleta & inusitata. usitatis sine reprehensione utimur. Nec timor quem denunciat inimicus.] Absurdum. nam si inimicus timorem non denunciat, ergo amicus, quo nihil absurdius. Denunciat ferè is qui minatur, ut Hector moriens propinquam Achilli mortem denunciat. Et infrà: L. Cassio, &c. mortē denunciare Antonium dicit. Deinceps.] Scilicet multa in Antonij edictis sunt. Mutum esse.] Nō loqui, tacere. Vt est apud Salomonem: Tacere præstat quàm loqui male. En cur.] Hæc cum indignatione protulit Cic.*

Magister eius.] Sextus Clodius, de quo suprà: Qualis magister, talis discipulus, ut ex hoc loco discant adolescentes optimis uti. Ex oratore arator factus est.] Festiua agnominatio ad rei indignitatem notandam. hoc χῆμα Græci παρονομασίαν uocant. hoc autem dicit hic orator, quasi Sexto Clodio conuenientius sit arare quàm orare: proinde rectè fecisse Antonium qui illi agros assignarit, ne quem deinceps infatuet.

Sed hæc leuiora fortasse. Illud quæro, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus? quid autem attinuerit, Lucio Cassio tribuno plebis D fortissimo & constantissimo ciui mortem denunciare, si in senatum uenisset? D. Carsulenum bene de republica sentientem, à senatu ui & minis mortis expellere? Tiberium Canutium, à quo erat honestissimis contentionibus & sæpe & iure uexatus, non templo solum, uerum etiam aditu prohibere Capitolij? cui senatusconsulto ne intercederent uerebatur? de supplicatione credo Marci Lepidi clarissimi uiri. atque id erat periculum: de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus: ne eius usitatus honos impediretur. Ac ne sine causa uideretur edixisse, ut senatus adesset: cum de republica relaturus fuisset: allato nuncio de legione quarta, mente concidit, effugere festinans senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit: quum id factum esset antea nunquam.

Sed hæc leuiora.] Redit ad sermonem quem instituerat de senatu ab Antonio indicto, ut idem urgeat præiudicium Antonij conscientię, ex eo quod tam mansuetus in senatu esset, cum antea tam ferus extitisset. Quid autem attinuerit?] Vult hos senatu prohibitos fuisse, qui optimi essent ciues, & de rep. optime sentientes, ut honestius de Octauio posset dissimulare Antonius: quod signum est sceleris conscientię. Cui senatusconsulto, &c.] Occupatione occurrit Antonio

A *rit Antonio, & dissoluit elusione quod obijci poterat. De supplicatione credo.] Hoc cum elusione & ironicôs pronunciauit. Quum M. Lepidus, qui magister equitum Cæsaris dictatoris fuerat, & Pont. Max. esset, & quatuor præesset legionibus, remq; publicam optime gessisset, amici & propinqui eius instabant ut ei supplicatio pro more decerneretur, quæ omnium suffragijs ei decreta fuit. De cuius honore extraordinario.] Ex maiore. si ei extraordinarios & non consuetos honores procuramus, quanto magis debitos & consuetos? Per discessionẽ.] In senatu Romano de diuinis prius rebus quàm de humanis referebatur: ubi de ijs quæ opus fuerat relatum erat, senatusconsultum fiebat, sed duobus id modis fieri consueuerat, aut per discessionem, si consentiretur, & nihil obstaret: aut si res dubia esset, per singulorum exquisitas sententias. Per discessionem igitur cum qui assentirentur in alteram abirent partem, alteri in contrariam, quod quidem celerius expediebatur, quàm singulorum exquisitis sententijs & rogatis.*

Quæ uero profectio postea? quod iter paludati? quæ uitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quàm misera fuga? quàm fœda? quàm turpis? præclara tamen fuit senatus in illo ipso die uespertina prouinciarum religiosa sortitio: diuina uero opportunitas: ut quæ cuique apta esset, ea cuique obueniret. Præclare igitur facitis Tribuni plebis, qui de præsidio Consulum Senatusq; referatis: meritoq; uestro gratias maximas
B uobis omnes & agere & habere debemus. Qui enim carere metu & periculo possumus in tanta hominum cupiditate, & audacia? Ille autem homo afflictus & perditus, quæ de se expectat iudicia grauiora, quàm amicorum suorum? Familiarissimus eius mihi homo coniunctus, Lucius Lentulus, & Publius Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere prouinciam, nullam Antonij sortitionem fuisse iudicauerunt. quod idem fecit L. Philippus uir auo, patre, maioribusq; suis dignissimus. In eadem sententia fuit homo summa integritate atque innocentia M. Anturanius. Idem fecit P. Oppius. Ipsi etiam qui amicitiam Marci Antonij ueriti, plus ei tribuerunt, quàm fortasse uellent: M. Piso, & meus necessarius, & uir, & ciuis egregius, pariq; innocentia M. Vellcius, senatus authoritati se obtemperaturos esse dixerunt. Quid ego de Lucio Cinna loquor? cuius spectata multis magnisq; in rebus singularis integritas, minus admirabilem fecit huius honestissimi facti gloriam: qui omnino prouinciam neglexit: quam item magno animo & constanti C. Cessedius repudiauit. Qui sunt igitur reliqui, quos sors diuina delectet? L. Antonius & M. Antonius. O felicem utrumq;,
al. metuerunt nihil enim † maluerunt. C. Antonius Macedoniam. hunc quoque felicem. hanc e-
al. mutauerũt nim semper in ore habebat prouinciam. C. Caluisius Aphricam: nihil felicius. modo
C enim ex Aphrica decesserat: & quasi diuinans se rediturum, duos legatos Vticæ reliquerat. Deinde M. Iccius Siciliam: Q. Cassius Hispaniam. Non habeo quid suspicer. duarum credo prouinciarum sortes minus diuinas fuisse.

Quæ uero profectio?] Ex Antonij etiam in bellum profectione, signa conscientiæ arguit. Quod iter paludati?] Paludamentum uestis est militaris, et consulis uel imperatoris in bellum aut in prouinciam exeuntis. Ponitur pro omnibus militaribus insignijs & ornamentis. Paludati ergo, in bellum proficiscentis, more Romano. Lucis.] Noctu enim abijt, ut ante dixit. Amplificat Antonij fugam per distributionem, & in eo etiam, quod eius profectionem, fugam appellat. Præclara tamen.] Reprehendit senatusconsulta Antonij, & prouinciarum ab eo factam sortitionem, quam ne ipsi quidem qui sortiti fuerant, quibusq; sorte obtigerant prouinciæ probabant: idcirco uult eam perniciosam fuisse reipublicæ. Præclara.] Ironia, qua reprehendit & irridet Antonij acta. Religiosa.] Auspicata: sed intelligit inauspicata, ut supra. Diuina.] Nefaria & impia, quia sine auspicijs. Vt quæ.] Declarat cur præclara, religiosa, diuinaq; dixerit. Duplicem plagam Antonio infligit, alteram quòd non legitimo tempore senatusconsultum fecisset, alteram quòd sine auspicijs, nullaq; ratione esset sortitus. Senatusconsultũ nec ante ortum solem,
D *nec post occasum factum, ratum fuisse docet M. Varro apud Gellium libro 14. cap. 7. hinc intelligitur cur uespertina dixerit. Præclare igitur.] Nam quia Antonius mortem quibusdam senatoribus denunciat, ex eo apparet, Antoniũ in urbe habere factionem, senatumq; non sine metu & periculo esse, bene faciunt tribuni, qui de præsidio senatus cogitant, ut liberæ sententiæ dici possint. Laudat igitur tribunorum in rempublicam studium, & ex eo magis eos incitat, ad id ipsum faciendum. Virtus enim, ut dicitur, laudata crescit. Qui enim carere metu.] Necessarium esse præsidiũ dicit. Hominum cupiditate & audacia.] Antonianorum, qui nihil aliud cogitant quàm de tyrannide, cædibus ciuium, & occupanda republica. Ille autem.] Antonius. Eius enim sortitionem prouinciarum, quam diuinam dixerat, iniquam fuisse probat, amicorum Antonij iudicio, qui eas sibi delatas recusarint. Afflictus.] Prostratus, abiectus, profligatus. Et uir & ciuis egregius.] Vir, appellatio est naturæ, ciuis à iure ciuitatis uenit. fieri potest ut aliquis sit uir egregius & bonus, non tamen ciuis. Vir nomen priuatum est, ciuis publicum quodammodo. Vir bonus est qui ita uiuit ut uirum decet, in ijs quæ ad se suosq; pertinent. ciuis qui se pro ciue gerit, & quæ communia sunt ciuitatis è repub. curat. In hac & superiore uirorum enumeratione, obseruanda est titulorum uarietas, fortiss. & constantiss. ciuis: bene de republica sentiens, clariss. &c. Quid ego de L. Cinna.] Occupatione hunc plus laudat quàm reli-*

quos

quos, quod unus esset ex coniuratis, & Cæsaris inimicis, etiam si ei esset affinis: erat autem prætor, quando occisus est Cæsar. A Qui sunt igitur reliqui?] Iam illos nominat, qui Antoniana sorte prouincias acceperant, ut ostendat paucos esse, eosq; ex propinquis Antonij. Sors diuina.] Ironicôs appellat diuinã, uel quia sic uocabat Antonius. L. Antonius.] M. Antonij frater. Et M. Antonius.] Alia exemplaria legunt L. Calutsius. C. Antonius.] M. Antonij patruus. O felicem.] Ironica exclamatio. Nihil enim maluerunt.] Singulis subijcit causas aut uitiosas, aut ridiculas, ut uitiosam & ridiculam sortitionem arguat Antonij. Vtica.] Ciuitas in Africa, in eodem sinu quo Carthago, secunda post illam & autoritate & magnitudine. post uero Carthaginem excisam, metropolis & receptaculum Romanorũ, ad res in Libya gerendas. Duarum credo.] Siciliæ & Hispaniæ. quasi dicat, & hæc ex sententia obuenere, fuitq; diuina sortitio. est enim & hæc ironia.

O C. Cæsar (adolescentẽ appello) quam tu salutẽ reip. attulisti? q̃ improuisam? q̃ repentinã? qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret insequẽs? etenim in concione dixerat, se custodẽ futurũ urbis, usq; ad Cal. Maias ad urbẽ exercitũ habiturũ. O præclarum custodẽ ouiũ, ut aiũt, lupũ. custósne urbis, an direptor & uexator esset Antonius? Et quidẽ se introiturũ in urbem dixit, exiturumq; cũ uellet. quid illud? nónne audiẽte populo sedens pro æde Castoris dixit, nisi qui uicisset uicturum neminem. B

O C. Cæsar.] Prorumpit in periculi amplificationem, ut permoueat animos ad sumendas de Antonio pœnas, tuendamq; libertatem. Adolescentem appello.] Declarat, ne uideatur C. Iuliũ Cæsarem appellare, iam mortuum. Qui enim hæc fugiens.] Enthymema ex minore, & ex contrarijs, fugiens, insequens, id est uictus, & uictor. Etenim in concione.] Confirmat ex dictis Antonij, quæ uim testimonij habent. Ad urbem exercitũ habiturum.] Mos loquendi ueterũ, de ijs qui cum potestate prouinciali nondum in prouinciã profecti essent, sed prope urbem manerent cum exercitu. O præclarũ custodem ouiũ, ut aiunt, lupũ.] Prouerbium. Terent. Ouem lupo cõmisisti. hoc dicitur in malum custodẽ & malum principẽ, qui nõ custodiũt sed diripiunt & perdũt ipsi. Itaq; per ironiã dicũtur. Et quidem se.] Vox tyrannica, sic uolo, sic iubeo, ut Satyricus ait. Nónne audiente populo.] Conuincit testibus, idq; grauissimis, ne forte neget. Pro æde Castoris.] In foro Romano, ante ædes Castoris.

Hodierno die primũ P. C longo interuallo in possessionẽ libertatis pedẽ ponimus: cuius quidẽ ego, quoad potui, nõ modo defensor, sed etiã conseruator fui. cum autẽ id facere nõ possem, qui fui? nec abiectè, nec sine aliqua dignitate, casum illum temporũ, & dolorẽ tuli. hanc uero teterrimã belluã quis ferre posset? aut quomodo? quid est in Antonio, præter libidinẽ, crudelitatem, petulantiam, audaciã? ex his totus cõglutinatus est; nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. C

Hodierno die.] Delabitur in grauem insectationẽ Antonij, & exaggerata illius tyrãnide, incitat senatũ ad sumendas de Antonio pœnas, & ad recuperandã libertatem. Et hæc est sententiæ suæ in senatu peroratio: enumerationib. simul et amplificationib. inflãmata. Pedem ponimus.] Alludit ad possessionis etymologiã. Possessio enim dicitur quasi pedum positio, ut lib. 1. Degest. De acquir. poss. Cuius.] Libertatis. Cõmendat suam fidem erga remp. et excusat patientiã suam sub Cæsaris tyrãnide. Qui fui?] Qualis fui? interrogat, & sibi subiectione respondet. Nec abiectè.] Quod est ignaui. Nec sine aliqua dig.] Quod est uiri fortis & constantis. Hanc uero teterrimã belluam.] Confert Cæsaris dominatũ, utcunq; tolerabilem, cum Antonij indignitate et turpitudine summa, id quod etiam in 2. Oratione fecit extrema. Quid est in Ant.] Criminosa Antonij notatio ac descriptio ad indignationem excitandã. Ex his totus.] Ex quatuor scilicet pulcherrimis partibus & mẽbris. Conglutinatus.] Compactus, conflatus, coagmentatus. Nihil.] Repetitio cum dissolutione & membro.

Quapropter quoniam res in discrimen adducta est: utrum ille pœnas reip. luat, an nos seruiamus: aliquando per deos immortales P. C. patrium animũ, uirtutemq; capiamus: aut libertatem propriã Romani generis & nominis recuperemus: aut mortẽ seruituti anteponamus. D Multa quæ in libera ciuitate ferẽda nõ essent, tulimus & perpessi sumus: alij spe recuperandæ libertatis, alij uiuendi nimia cupiditate. sed si illa tulimus, quæ nos necessitas ferre coegit, uisq; quædam penè fatalis, quæ tamẽ ipsa nõ tulimus: etiam huius impuri latronis feremus teterrimũ crudelissimumq; dominatũ? quid hic faciat, si potuerit, iratus? qui cum succensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic uictor nõ audebit? qui nullam adeptus uictoriã tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit, refertam eius domũ exhauserit, hortos compilarit, ad se omnia ex his ornamenta transtulerit, cædis & incendiorum causam quæsierit ex funere: duobus aut tribus senatusconsultis benè & è rep. factis, reliquas res ad lucrum prædamq; reuocauerit: uendiderit immunitates: ciuitates liberauerit: prouincias uniuersas ex imperij populi Ro. iure sustulerit: exules reduxerit: falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit, earumq; rerũ omnium

A domesticum mercatum instituerit: populo Ro. leges imposuerit: armis & præsidijs & populū & magistratus foro excluserit: senatū stipauerit armatis: armatos in cella Concordiæ, cum senatum haberet, incluserit: ad legiones Brundusium cucurrerit: ex his optime sentientes centuriones iugulauerit: cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & ad disperditionē urbis uenire conatus? atq; is ab hoc impetu abstractus consilio & copijs Cæsaris, consensu ueteranorum, uirtute legionum, ne fortuna quidē fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit: in Galliam mutilatum ducit exercitum: cum una legione, & ea uacillante, L. fratrem expectat: quo neminem reperire potest sui similiorem. ille autem ex Myrmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicunq; posuit uestigia? cædit greges armentorum, reliquiq; pecoris quodcunq; nactus est: epulanē milites: ipse aūt se, ut fratrem imitetur, obruit uino: uastantur agri, diripiuntur uillæ, matresfamiliàs, uirgines, pueri ingenui abripiuntur:
B militibus traduntur. Hæc eadem quacunq; exercitum duxit, fecit M. Antonius.

Quapropter quoniā.] Addit hortationē, qua leniter impellit primū, deinde tota incumbit perturbationū mole. & attende copiosissimæ dictionis uelocitatem & flumen. *Propriā Romani generis.*] Hoc ualet ad impellendos animos: nā si propria Romanorū est libertas, debent igitur Romani tueri libertatē. nam turpe est, unumquemq; proprium quod est & suum nō tueri quacunq; ratione. Erat aūt propria Romani nominis, quoniā post exactos reges, nō seruierāt, sed reliquis omnibus qui ubiq; erant, imperabant. *Patriū animū.*] Patrū & maiorū nostrorū, qui tyrānos pati noluerunt. *Multa quæ.*] Rursus confert Cæsaris dominatū cum Antonio, & criminosa scelerū Antonij enumeratione, intolerandā eius dominationē ostendit. *Alij spe rec. lib.*] Honesta ratio. *Alij uiu. nim. cup.*] Turpe quidem hoc, & sapientibus fortibusq; uiris semper damnatū. Vide Val. Max. lib. 9. cap. 13. *Sed si illa tul.*] Hoc dicit propter Iulij Cæsaris dominatū. *Necessitas.*] Durum telum: quam quidem necessitatē, ne dij quidem (ut dicitur) possunt effugere. *Visq; quædam p. fat.*] Quid sit necessitas interpretatur. Est enim fatalis quædam uis inuitabilis, quamq; nulla ratione (ut Cic. de Inu. 2. dicit) lenire possis. Desine fata deûm flecti sperare precando, Sibyllinum apud Virg. oraculum Aen. lib. 6. *Non pertulimus.*] Aliquando enim à nobis depulimus interfecto Iulio.

C *Etiamne.*] Indignatur orator, ut indignationē in alijs moueat. *Teterrimū.*] Nocentissimū, pestilentiss. perniciosiss. *Quid hic faciat?*] Enthymemata subijcit duo, ex minori, ad ea quæ ab Antonio expectāda sunt, demonstranda. *Refertā eius domū.*] Enumeratione sane uehementissima, qua complectitur anteacta scelera Antonij, enthymematis probat consequens: qualis uidelicet futurus sit Antonius, si dominatū semel occupauerit. Est aūt hic locus totus diligenter obseruandus, propter multas uirtutes. continet enim ferè omnes eas uirtutes, quas Cicero ipse in Or. part. amplificationi attribuit perorationis. Et ea quæ ducuntur, sine coniunctione, ut plura uideantur, & quæ ascendunt gradatim, conglobationes quædā, & frequentationes, & similiter desinentia multa. *Succensere*] Ex iustæ causa irasci: Græci μεμψιμοιρεῖν dicunt. *Hortos.*] Quos populo reliquerat Iulius. *Compilarit.*] Fraude et dolo suos fecerit, & in suum usum converterit. translatū ab ijs qui ne pilum quidem relinquunt in corpore, ut Asc. Ped. scripsit.

Ornamenta.] Signa, tabulas, abacos, mensas, uasa, stragulā, uestem, & id genus alia. *Ex funere.*] Iulij Cæsaris, cum eius cadauer ostentasset, & oratione plebē cōcitasset, ut alibi diximus. *E rep.*] Ex utilitate reip. ut ita alliceret & falleret. *Domesticū mercatum.*] Vna in domo omnes, quorum intererat: totum imperiū reip. nundinabatur, ut alibi dixit. *Consilio & copijs Cæs.*] Adolescentis Octauij. *Nec ruere demens, nec furere desinit.*] Quod proiectæ est audaciæ. similiter desinens cum agnominatione facit. *In Galliam.*] Citeriorē, ut paulo post dicit. *Mutilatū.*] Diminutū. translatio ab ijs qui aliquo mēbro mutilati sunt. hoc dicit, quia Martia et quar-
D ta legiones ab eo defecerant ad Cæsarem. *Ille.*] L. Antonius, frater M. Antonij. *Ex Myrmillone.*] Myrmillones erant Gallici gladiatores, qui Gallicis utebantur armis. nā multa sunt genera gladiatorū & nomina, Retiarij, Secutores, Thraces, Andabatæ, Arenarij, Machærophori, & Myrmillones: quorū omnium magistri, lanistæ nominantur.

Quas fecit strages.] Facere strages, & dare strages Latini dicunt, de ijs qui multos occidendo sternunt.

Cædit greges.] Enumeratio scelerū L. Antonij, nō sine euidētia et hypotyposi, ad indignationē iramq; in Antonios inflāmandā. & aduerte gregē de maiorib. animalib. nā greges armētorū dixit: armēta tamē solū de maiorib. dicuntur.

His uos teterrimis fratribus portas aperietis? hos inquā in urbem recipietis? non tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Ro. conspirāte, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortaliū beneficio utemini? nullum erit tempus hoc amisso. à tergo, à fronte, à lateribus tenetur. si in Galliam uene-
al. nomen rit, nō ille armis solum, sed etiā nostris decretis urgēdus est. magna uis est, magnū † numen unum & idem sentientis senatus. uidetisne refertū forum? populum Ro. ad spem recuperandæ libertatis erectū? qui longo interuallo cū frequentes hic uidet uos, tum sperat etiā liberos cōuenisse. hunc ego diē expectans, M. Antonij scelerata arma uitaui: tum cum ille in me absentē inuehens, nō intelligebat ad quod tempus me & meas uires reseruarē. si enim illi tum cædis initiū à me quærenti respondere uoluissem; nunc reip.

reip. consulere nō possem. hanc uero nactus facultatem, nullum tempus P. C. dimittā, neq; diurnum, neq; nocturnum, quin de populi Romani libertate, de dignitate uestra quod cogitandum sit cogitem: quod agendum atq; faciendum, id nō modo non recusem, sed appetam etiam atq; deposcam. Hoc feci semper dum licuit: intermisi † quoad non licuit: iam non solum licet, sed necesse est etiam: nisi seruire malumus, q̄ ne seruiamus, animis armisq; decernere. Dij immortales nobis hæc præsidia dederunt: urbi Cæsarem, Brutum Galliæ. Si enim ille urbem opprimere potuisset statim: si Galliam tenere paulo post, optimo cuiq; pereundum, reliquis esset seruiendum. A

al. cum

His uos teter.] Prorumpit in indignationē, & perficiendi facultates enumerans, acrius instat. Hos inquā.] Interpretatione idem redintegrat membrum, & similiter desinens facit. Tempore.] Facultas à tempore & opportunitate, à copijs, à consensu ciuium, & fauore deorum immortaliū. Nullum erit tempus.] Premendam esse & urgendā occasionem, ut dicitur, quæ semel amissa non reuertitur. Locus cōmunis. A tergo.] Obsessus est Antonius. id distributione exaggerat, & ex uerbi dilatatione. Si in Galliā.] Occupatio, cuius occasione consilium & sententiā suam aperit. Decretis.] Quibus & eum reip. hostem declaremus, & ijs qui eum persequuntur, publicam addamus autoritatem. Magna uis.] Hoc unum ex ijs est quæ magna natura dicuntur, quæ ad amplificandum ualent. Magnum nomen.] Numen legūt quidam: sed rectius nomen. nam nomen interdum admirabilē quandam autoritatem maiestatemq; significat, ex famæ opinione conflatam, quam uerentur omnes. Cic. ad Att. Hoc tamē spero, magnum nomen imperatoris fore: magnū in aduentu terrorem. Item Philip. 11. Qui imperium habeat, qui præterea autoritatem, nomen, exercitum. & alibi sæpe. Hunc ego diem.] Excusat præteritum tempus, quo cesserit Antonij furori, & denuo suam pollicetur operam reip. Hæc omnia pertinent ad efficiendi facultatē. Si enim illi.] Declarat quod dixit. significat autem se non uiuendi cupiditate, sed spe conseruandæ aliquādo reip. reseruasse. ἐπεξήγησιν hanc declarationē Græci nomināt. Hanc uero nactus facul.] Potestatē siue occasionē & tēporis opportunitatē. B

Neq; diurnum.] Digestio à prima temporis diuisione, ut ex Mosis Genesi constat, & ex re ipsa. Non recusem.] Quod est non ex animo negocium suscipientis. Appetā, &c.] Quod est rem uoluntate & libere aggredientis. Animis armisq;.] Agnominatio uenusta & necessaria. Dij immortales.] Addit etiam alias facultates, easq; maiores, quo magis eos impellat ad rem suscipiendam. Si enim ille urbem opp.] Denunciatio malorum & descriptio, quæ passuri essent, si Antonius obtinuisset, ut metum incutiat, & ad ultionem excitet.

Hanc igitur occasionem oblatam tenete per deos immortales P. C. & amplissimi orbis terræ consilij principes uos esse aliquando recordamini. signū date populo Ro. consilium uestrum nō deesse reip. quoniam ille uirtutē suam nō defuturam esse profitetur. nihil est quod moneam: nemo est tam stultus, qui nō intelligat, † si dormierimus hoc tēpore, non modo crudelem superbamq; dominationē nobis, sed ignominiosam etiam & flagitiosam esse ferendam. nostis insolentiā Antonij: nostis amicos: nostis totā domū. libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebrijs seruire, ea summa miseria est summo dedecore coniuncta. quod si iam, quod dij omē auertant, fatum extremū reip. uenit: quod gladiatores nobiles faciūt, ut honeste decumbant: faciamus nos principes orbis terrarū gentiumq; omniū: ut cū dignitate potius cadamus, q̄ cum ignominia seruiamus. nihil est detestabilius dedecore: nihil fœdius seruitute. ad decus & libertatem nati sumus. aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur. nimium diu teximus quid sentiremus: nunc iam apertū est: omnes iam patefecerūt, in utramq; partem quid sentiāt, quid uelint. sunt impij ciues, pro charitate reip. nimiū multi, pro multitudine bene sentientiū, admodum pauci. quorum opprimendorū dij immortales incredibilem † populo Ro. potestatē & fortunā dederūt. ad ea enim præsidia quæ habemus, iam accedunt consules summa prudentia, uirtute, cōcordia, multos menses de populi Ro. libertate cōmētati atq; meditati. His autorib. & ducibus, dijs iuuātibus, nobis uigilātibus, & multū in posterū prouidētibus, populo Ro. cōsentiēte, erimus profecto liberi breui tempore. iucundiorē autem faciet libertatem seruitutis recordatio. C D

al. si indormierimus huic tempori

al. reip.

Hanc igitur occasionem.] Delabitur in grauissimā hortationem amplificandi causa. Occasio autem est pars temporis, habens in se alicuius rei idoneā faciendi aut non faciendi opportunitatem. Commoratur in necessario occasionis et opportunitatis loco, & cum seruitutis incōmodo, ignominiā proponit: ex altera libertatem & imperij dignitatē. Vides igitur dignitatem esse, quæ in consilio dando, in bene instituta & morata ciuitate præfertur, & principem habet locum.

Consilij principes.] Hortatur ab officio & ab honesto. Signum date.] Bellica translatio: forti & salutari senatusconsulto significat. Dat signum imperator, & tubicen militibus pugnandi. Virg. Aen. li. 3. Dat signū specula Misenus ab alta Aere cauo. Nihil est.] Præteritione lenit admonitionē. Si indorm.] Translatio, pro si hoc tempore cessauerimus. Nostis insolentiā.] Confirmat ab Antonij persona, & à conuictoribus eius, quorum mores uitamq; breuiter notat. Ea est summa miseria.] Sentētia & locus à turpitudine & damno. Quod dij

A *omen auertant.*] *Deprecatio. Virg. libro secundo Aeneidos: Quod dij prius omen in ipsum Conuertant caput.*

Quod gladiatores nobiles.] *Hortatur à minori. Turpe enim esset principes à gladiatoribus fortitudine, & dignitatis conseruatione superari. potest tamen & similitudo uocari.* *Nihil est detestabilius.*] *Sententia. Cic. Tusc. 2. Dedecus maius malum esse quàm dolorem. Q. Dolorem existimo maximum malorum omniū. M. Etiam ne maius quàm dedecus? Q. Non audeo dicere: & me pudet tam cito de sententia esse deiectum.* *Ad decus & lib. nati.*] *Supra Aut libertatem propriam Romani generis & nominis recuperemus, aut mortem seruituti anteponamus.*

Aut hæc timeamus.] *Enthymema ex disiunctione.* *Nimium diu.*] *Repetit argumenta facultatis, ut concludat.* *Teximus.*] *Celauimus, tacuimus, dissimulauimus.* *In utramq; partē.*] *Et pro rep. & contra remp. siue bonam siue malam. ut Epist. fam. Iam ijdem illi & boni & mali ciues uidentur, qui uideri solent.* *Nimiū multi.*] *Si charitatem quam patriæ debent respicimus, pro qua mortem oppetere nemo dubitare debet, si ei sit profuturus.*

Admodum pauci.] *Si cum bene sentientibus de repub. conferantur. hæc etiam spectant ad facultates.* *Ad ea enim præsidia.*] *Vltimus facultatis locus, à consulibus optimis.* *Prud. uirt. concor.*] *Obserua tres magistratibus & rerumpub. principibus necessarias uirtutes.* *Dijs iuuantibus, nobis uigilantibus.*] *Et hæc duo in rebus gerendis coniungi debent. Nam, ut Cato apud Sallustium præclare dixit: Non uotis neq; supplicijs muliebribus auxilia deorum* B *immortalium parantur: uigilando, agendo, bene consulendo, prosperè omnia cedunt: ubi socordiæ te atq; ignauiæ tradideris, nequicquam deos implores, irati enim infestiq; sunt.* *Iucundiorem.*] *Immiscet locum à iucundo. Quæ fuit durum pati, meminisse dulce est, inquit Seneca. Item Euripides: Suauis est, inquit, præteritorum malorum recordatio. Sic & Virgilianus Aeneas, Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. Hic locus ostendit uerum esse quod Cicero ipse in Officijs dixit: Acriores esse morsus intermissæ libertatis, quàm retentæ.*

Quas ob res quod tribuni plebis uerba fecerunt, ut senatus Calendis Ianuarijs tutò haberi, sententiæq; de summa republicę libere dici possint: de ea re ita censeo: ut C. Pansa, A. Hircius consules designati dent operam, ut senatus Calendis Ianuarijs tutò haberi possit: quodq; edictum D. Bruti imperatoris consulis designati, optime de rep. meriti propositum sit: senatum existimare D. Brutum imperatorē consulem designatum, optime de repub. promereri: cum senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem, imperiumq; defendat: quodq; Galliam prouinciam citeriorem optimorū & fortissimorum uirorum, amicissimorumq; populo Romano ciuium, exercitumq; in senatus potestate retineat: id eum, exercitumq; eius, municipia, colonias prouinciæ Galliæ C recte atq; ordine, exq; republica fecisse & facere. senatum ad summam reipub. pertinere arbitrari: à D. Bruto, & ab L. Planco imperatoribus consulibus designatis, itemq; à cæteris, qui prouincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex senatuscō̃sulto cuiq; eorum successum sit: eosq; dare operam, ut hæ prouinciæ, Galliæq; exercitus, in senatus populiq; Romani potestate, præsidioq; reipublicæ sint: cumq; opera, uirtute, consilio C. Cæsaris, summoq; consensu militum ueteranorum, qui eius autoritatem sequuti reip. præsidio sunt & fuerunt: & à grauissimis periculis populus Romanus defensus sit, & hoc tempore defendatur: cumq; legio Martia Albæ constiterit, in municipio fidelissimo & fortissimo: seq; ad senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem contulerit: quod pari consilio eademq; uirtute legio Quarta usa L. Egnatuleio duce, ciue egregio senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem defendat ac defenderit: senatui magnæ curæ esse ac fore: & ut pro tantis eorum in rempublicam meritis, honores eis habeantur, gratiæq; referantur, senatui placere: utq; C. Pansa, A. Hircius consules designati, cum magistratum inierint, si eis uidebitur, primo quoq; tempore de his D rebus ad hunc ordinem referant: ita uti ė rep. fideq; sua censuerint.

Quas ob res.] *Absoluta amplificatione, & ante permotis animis patrum, de tota re suam profert sententiā, & concludit orationem. Est autem eius sententia tripertita: De præsidio senatus Calendis Ianuarijs habendo: de D. Bruti prouincia & autoritate: de Cæsaris adolescentis, & ueteranorum qui eum sunt sequuti præmijs & autoritate. Atq; hæc omnia in eum finem, ut armis Antonium hostem reipublicæ iudicatum persequantur.* *Consulibus designatis.*] *In annum proximum, Hirtij & Pansæ finito consulatu.* *Lege Iulia.*] *Qua Iulius Cæsar Bruto & Planco prouincias assignauerat.* *Si eis uidebitur.*] *Formula usitata, cum senatusconsulto aliquid decernebatur à consulibus esse faciendum, ut eis honoris causa permittere omnia uiderentur.*

FINIS

IN PHILIPPICAM QVARTAM ARGVMENTVM A


IXERAT *superiore oratione sententiam suam de tota republica Cicero, ciq; senatus freque͂s assensus fuerat: populus Romanus cognoscendi cupidus, ante curiam constiterat, ad quem egressus eodem die Cicero, quid actum in senatu sit docet. Et est planè hæc oratio, superioris orationis compendium, & ἐπιτομή. Itaq; habent hic adolescentes duas eiusdem planè argumenti orationes, quarum altera exemplum debet esse copiæ, altera breuitatis. Est enim illud magni & summi oratoris, posse de eadem re copiose & breuiter dicere. Verum non est ea breuitas ab hoc oratore expectanda, quæ ita concisa, ita ieiuna tenuisq; sit, ut rem ipsam obscuret potius quàm illustret: de qua Horatius in Poetica: Breuis esse laboro, obscurus fio. sed ea quæ sine magnis amplificationibus, rem ipsam propriè dilucideq; eloquatur. Ergo hoc à superiore oratione hæc quarta differt, quòd in ea nihil sine amplificatione dicitur, in hac eadem breuiter, & quasi per capita, detractis amplificationibus & copia expediuntur.*

DISPOSITIO

Quatuor igitur sunt huiusce orationis capita. Exponit enim primum senatus sententiam, deinde eos laudat qui rempublicam defendunt, adhæc insectatur Antonium: & postremo populum hortatur ad rempublicam defendendam, Antoniumq; persequendum. Partes orationis sunt, exordium breuissimum, narratio, confirmatio, & peroratio. B

IN M. ANTONIVM AD QVIRITES PHILIPPICA QVARTA


REQVENTIA uestrum incredibilis, Quirites, concioq; tanta, quantam meminisse non uideor: & alacritatem mihi summam affert reipublicæ defendendæ, & spem recuperãdę libertatis. quanquam animus mihi nunquam defuit, tempora defuerunt: quæ simulac primum aliquid lucis ostendere uisa sunt, princeps uestræ libertatis defendendę semper fui. quod si ante facere conatus essem, nunc facere non possem.

EXORDIVM C

Frequentia uestrum Quirites.] Quiritum animos sibi conciliat, ab ipsorum & à sua persona. ab illorum quidem persona, cum eorum admiratur frequentiam, ex qua studium in eis esse defendendæ reipublicæ colligit: à sua uero persona, cum modeste commendat officium suum, cum antegressi temporis excusatione. Et subest etiam attentionis locus ex incredibili frequentia, & inusitata concionis magnitudine & copia. Quirites.] Honorifica appellatio, quasi diceret, Reges, Principes, Domini. Nam à Romulo rege, & Romani generis & nominis autore, Quirites dicti sunt, quòd ipse Quirinus fuit appellatus. Liuius tamen secundo Ab urbe condita libro, à Curibus Sabinorũ oppido Quirites appellatos esse scribit. Dionysius uero Halicarnass. Antiquit. Romanarum libro secundo uidetur à Quirino Sabinorum deo, qui idem sit Mars, & Cures ipsas, & Quirites dictos existimare. Has ferè omnes sententias & plures complexus est Ouidius Fastorum libro secundo illis uersibus:

Proxima lux uacua est, at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Siue quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo uenit in astra deus: D
Siue suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Concio.] Concionem tria significare, satis ex Auli Gellij obseruatione perspicuum est, uidelicet locum suggestumq; unde uerba fierent ad populum. item orationem ipsam quæ ad populum haberetur, & coetum populi assistentis. qua in significatione hic accipitur. Græci δημηγορίας uocant conciones, & δημηγορικὸν causarum genus, quod Latini concionale dixerunt. Est autem deliberatiui pars. nam συμβουλευτικὸν, quod nostri deliberatiuum dixerunt, tam sententiæ dictionem, consiliumq; quod in senatu damus, quàm concionale illud complectitur. Alacritatem.] Cicero in Tusculanis, Letitiam gestientem, alacritatem esse dicit. Græci προθυμίαν uocant. Ergo alacritatem, id est promptum animum, desiderium, cupiditatem, & letitiam quandam gestientem. quidam non satis Latinè promptitudinem dicunt. Quanquam animus.] Occupatio. Semper id optaui paratusq; fui, nisi tempora, id est occasiones rei gerendæ defuissent. Quæ simulac primum aliquid lucis.] Postquam, uel ubi primũ aliquam spem & opportunitatem. Nam qui in calamitatibus uersantur, sunt uelut in tenebris: cum uero ex illis emergunt, mutatis temporibus, lux quædam ostendi uidetur. Itaq; μεταφορικῶς ista dicta sunt, & illustrata. Princeps.] Autor & dux. Vtitur uerbis magnificis. Quod si antè facere conatus essem.] In oratione superiore: Si enim illi tum cædis initium à me quærenti, respondere uoluissem, nunc reipub. consulere non possem.

A Hodierno enim die, Quirites, ne mediocrem rem actam arbitremini: fundamenta sunt iacta reliquarum actionum. nam est hostis à senatu nondum uerbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. Nunc uero multo sum erectior, quod uos quoque hostem illum esse tanto consensu tantoq; clamore approbauistis. Nec enim fieri potest, ut non aut ij sint impij, qui contra Consulem exercitum comparauerunt, aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt.

Hodierno enim die Quirites.] Propositio narrationis, quæ attentos simul & dociles facit auditores. Et hodierno die dixit, pro hodie, ut Græci dicunt τὴν τήμερον ἡμέραν. Demosthen. περὶ ϛεφάνου, Καὶ μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας οὐ γέγονε πόλεμος ἐκ τούτων ἡμῖν. Fundamenta sunt iacta.] Translatio sumpta ab ædificio. Sic in Orat. pro Murena, mutato uerborum ordine. Bene habet, inquit, iacta sunt fundamenta defensionis. significant autē fundamenta, principia cuiusq; rei: quæ si bona sunt, dimidium pene factum est in quouis negocio: ut præclarè Horatius: Dimidium facti qui bene cœpit habet. Nam est hostis.] Propositionis declaratio. Nam si qui contra Antonium sunt, patriæ & reip. defensores iudicati sunt: ergo hostis Antonius. Igitur contra hostem nō contra ciuem bellum geretur, quod fundamentū est reliquarū actionū. Nondū uerbo.] Neq; enim in decreto senatus, quod proxima extrema
B *oratione recitauit Cicero, hostis nomine Antonius appellatus est, sed tamen quæ dicta sunt, idem ualent, ut diximus.*

Nunc uero.] Hic acclamat populus, decretum senatus comprobans. Eius consensum laudat Cicero, sed ita tamen, ut cohæreat cursus orationis. Sunt autem in hac oratione septem huiusmodi acclamationes populi, quæ suis locis sunt obseruandæ. Solebat enim populus Romanus huiusmodi acclamationibus aut comprobare, aut improbare quæ proponebantur à concionatore: quem morem etiam Virgilius Aeneidos primo in Troianis expressit. Nam cum Ilioneus Troianorum orator orationem ad Didonem reginam habuisset, inquit: Talibus Ilioneus, cuncti simul ore fremebant Dardanidæ.

Erectior.] Alacrior, confirmatior, & maiore in spe. sicuti contra, cadere uel concidere animo ij dicuntur, qui extra spem sunt. Nec enim fieri potest ut aut.] Ex disiunctione argumentatio texitur hoc modo: Aut ij sunt impij qui contra consulem exercitum comparauerunt: aut ille hostis contra quem iure arma sumpta sunt. Secundum autem non igitur primum. Sumitur enim secundum, ut negetur primum. In disiunctione enim plus uno uerum esse non potest, ut ipse in Topicis docuit. Et hoc est quod dixit: Nec enim fieri potest, &c. Copiosius autem tractauit hoc ex repugnantibus argumentum in superiore oratione eo loco: Nam si ille consul, fustuarium meruerunt legiones quæ consulem reliquerunt, &c. Item alio loco post in eadem oratione: Necesse enim erat alterum esse hostem: nec poterat aliter de aduersarijs ducibus iudicari. Contra quem iure arma.] Mirifice in altera disiunctionis parte rationem immiscuit, quæ indicaret Antonium hostem esse. Id autem fecit inserto unico uerbo, IVRE.

Hanc igitur dubitationē, quanquam nulla erat: tamen ne qua posset esse, senatus ho
C dierno die sustulit. C. Cæsar qui remp. libertatemq; uestram suo studio, consilio, patrimonio deniq; tutatus est, & tutatur: maximis senatus laudibus ornatus est. Laudo, laudo uos Quirites: cum grauissimis animis prosequimini nomē clarissimi adolescentis, uel pueri potius. sunt enim facta eius immortalitatis, nomē ætatis. multa memini: multa audiui: multa legi: nihil ex omniū seculorū memoria tale cognoui: qui cum seruitute premeremur, & in dies malum cresceret: præsidij nihil haberemus: capitalē & pestiferum Brundusio M. Antonij reditum timeremus: hoc insperatū omnibus consilium, incognitum certe cœpit. ut exercitū inuictum ex Hispanis militibus cōduceret: Antonijq; furorem crudelissimis consilijs incitatum à pernicie reip. auerteret.

Hanc dubitationem.] Quæstio enim erat, utri impij, siue hostes reipublicæ essent: hinc qui consulem persequebantur armis, an ipse consul? Senatus iudicauit consulem esse hostē, laudatis ijs qui contra eum remp. defendunt: & quoniam iure contra eum essent arma sumpta, ex consequentibus. Quanquam nulla erat.] Correctio, qua dubitationē remouet, & animos in Antonij odio confirmat. C. Cæsar.] Octauius adolescens, qui C. Cæsaris auunculi fert nomē.
D *Suo studio, consilio.] Supra: Priuato consilio (nec enim fieri potuit aliter) Cæsar liberauit. Patrimonio.] Nam patrimoniū suum effudit, ut supra dictū est. Laudo, laudo.] Conduplicatio siue geminatio, quā πλοκὴν Græci dicunt. hæc fuit secunda populi acclamatio, cōprobantis ea quæ decreta fuerāt, de laudib. Cæsaris adolescentis. Laudat igitur populū, & beneficiū Cæsaris amplificat. Vel pueri potius.] Correctio, ut sit eius laus admirabilior, qui hæc tāta tamq; præclara puer effecerit. Immortalitatis.] Aut diuinitatis cuiusdā, aut immortalitate dignissima. Nomen ætatis.] Quasi dicat, quod eum puerū appello, nomē est ætatis. nam facta cuiusdā diuinitatis potius quàm humanitatis sunt. hoc est, dei potius q̄ hominis. Sic etiā Phil. 13. cum per ignominiā & contemptū, eum puerū appellasset Antonius, eum ita defendit Cicero, Puerum appellat, quem non modo uirum, sed etiam fortissimum uirum sentit, & sentiet. Est istud quidem nomen ætatis, sed ab eo minime usurpandum, qui suam amentiam huic præbet ad gloriam. Ergo non recte legitur, non ætatis. Hunc etiam locum tractauit in altera oratione eo loco: Post exordium statim C. Cæsar adolescens, penè potius puer, &c. Multa.] Amplificat Cæsaris factum, inusitatum, siue potius nouum esse dicens, & utitur repetitione. Multa memini.] Meo tempore facta & gesta. Multa audiui.] A senioribus, quæ ipsi uiderāt mihi narrantib. Multa legi.] In historijs & annalib. Hoc insperatū.] Supra hoc ita dixit: Cumq; eius à Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus nec cogitantibus, nec opinantibus*

quidem

quidem nobis, &c. *Exercitum inuictum ex Hispanis militibus.*] *Hi enim habebantur robustissimi, quorum inuictam bello dextram sic describit Silius Italicus:* A

Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem,
Namq; ubi transcendit florentes uiribus annos,
Impatiens æui spernit uenisse senectam:
Et fati modus in dextra est.

A uirorum enim fortium copia, omnes Geographi laudant Hispaniam.

Quis est enim, qui hoc non intelligat? nisi Cæsar exercitum parauisset: non sine exitio nostro futurum Antonij reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio uestri, cruentus sanguine ciuiũ, quos Suessæ, quos Brundusii occiderat: ut nihil nisi de Reip. pernicie cogitaret. Quod autem erat præsidium salutis, libertatisq; uestræ, si C. Cæsaris fortissimorũ, suiq; patris militũ exercitus non fuisset? cuius de laudibus & honoribus, qui ei pro diuinis & immortalibus meritis diuini immortalesq; debẽtur: mihi Senatus assensus paulo ante decreuit, ut primo quoq; tẽpore referret. quo decreto quis non prospicit Antoniũ hostẽ esse iudicatũ? quẽ enim appellare possumus eum: cõtra B quẽ qui exercitus ducunt, ijs Senatus arbitratur singulares exquirendos honores? quid legio Martia? quæ mihi uidetur diuinitus ab eo deo traxisse nomẽ: à quo pop. Rom. generatũ accepimus: nõne ipsa suis decretis prius, q̃ Senatus, hostẽ iudicauit Antoniũ? nam ille si non hostis: qui Consulẽ reliquerunt, hostes necesse est iudicemus. præclara & luculenta reclamatione uestra factũ pulcherrimũ Martialium cõprobauistis: qui se ad Senatus autoritatẽ, ad libertatẽ uestrã, ad uniuersam Remp. cõtulerunt: hostem illum, & latronem, & parricidam patriæ reliquerunt. nec solum id animose & fortiter, sed considerate etiam sapienterq; fecerunt. Albæ constiterunt in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorũ uirorum, fidelissimorũ ciuium, atq; optimorum. Huius Martiæ legionis legio Quarta imitata uirtutem, duce L. Egnatuleio, quem Senatus merito paulo ante laudauit: C. Cæsaris exercitum prosecuta est.

Quis est.] *Amplificat periculum & atrocitatẽ Antonij, ut beneficia Cæsaris augeat. nam quo maius est periculũ, eo maius est beneficiũ. Sic & beneficiũ Christi tanto maius est, quanto minus ad salutẽ nostris uiribus possumus aspirare.* C
Suiq; patris.] *C. Cæsaris dictatoris, qui hunc adoptauerat. Et obserua, sui, pro eius contra Vallæ præcepta, id quod & aliâs sæpe facit Cicero.* *Pro diuinis, &c.*] *Coniugata sunt, diuinis immortalibus: diuini immortales: hæc casus nominũ uocat Aristoteles in libro de Interpretatione, & in Topicis.* *Quo decreto.*] *Interpretatur decreti sententiã, docẽs si minus uerbo, re tamen hostẽ Antoniũ esse iudicatũ: non quod hoc dictũ sit, sed quæ dicta sunt idẽ ualẽt.*
Quid legio Martia?] *Martiã legionẽ laudat, ab autore nominis & generis. Romulus enim ex Rhea Ilia siue Syluia Vestali, & Marte deo natus fingitur, ut est apud Liu. ab Vrbe condita lib. 1. Id nihilominus, quoniam & ipsi Liuio uidebatur absurdũ, sic in primi libri præfatione excusat. Et si cui populo, inquit, licere oportet consecrare origines suas, & ad deos referre autores: ea belli gloria est populo Rom. ut cum suũ cõditorisq; sui parentẽ Martẽ potissimũ ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur. Et est locus à notatione, siue nominis interpretatione.* *Nónne ipsa suis decretis.*] *Martiæ legionis sententia, Antoniũ hostẽ esse probat.* *Nam ille.*] *Antonius. Enthymemate ex repugnantib. idem cõcludit. nam necesse est, aut Antoniũ, aut eos qui eum reliquerunt, hostes esse. Laudantur autem qui reliquerunt, ergo hostis Antonius.* *Præclara & luculenta.*]. *Hic tertio loco acclamarat populus, factũ legionis Martiæ cõprobans.* *Reclamatione.*] *Noua acclamatione, clamore. re, enim hic repetit, non contrarium dicit.* *Martialiũ.*] *Quasi diceret, fortissimorũ Martiæ legionis militum.* *Parricidam patriæ.*] *Quo nullũ maius potest scelus inueniri. Et recte patriæ addidit, ad scelus amplificandũ. grauius est enim scelus patriam quam* D *parentem lædere: q. patria omnia una in se cõplectatur, quæ singula in alijs sunt.* *Nec solum id animose.*] *Remouet temeritatis suspicionem.* *Albæ constiterunt.*] *In superiore oratione: Atq; ea legio (inquit) consedit Albæ. Quam potuit urbem eligere, aut opportuniorẽ ad res gerendas, aut fideliorẽ, aut fortiorum uirorum, aut amiciorum pop. Rom. ciuium, & quæ sequuntur. coniungendi sunt superioris, & huius orationis loci, ut eandem rem quomodo uarie explicarit orator appareat, ut eum imitari discamus.*

Quæ expectas M. Antoni iudicia grauiora? Cæsar fertur in cœlum, qui contra te exercitum comparauit: laudantur exquisitissimis uerbis legiones, quæ te reliquerũt: quæ à te accersitæ sunt: quæ tuæ essent, si te cõsulem, quàm hostem maluisses. quarum legionum fortissimum, uerissimumq; iudicium cõfirmat Senatus: comprobat uniuersus populus Romanus: nisi forte uos Quirites consulem, non hostem iudicatis Antonium? sic arbitrabar uos iudicare ut ostenditis. municipia, colonias, præfecturas, num aliter iudicare censetis? omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorum, qui hæc salua uelint: contra illam pestem esse capienda.

A *Quæ expectas M. Antoni.*] *Conuertit sermonem in absentem Antonium, per enumerationem, sententiarum contra ipsum.* *Cæsar fertur in cœlum.*] *Superlatio ad exaggerandum. fertur in cœlum, id est, diuinis & immortalibus honoribus afficitur. Huius contraria est illa formula Philippica 2. Collegam tuum de cœlo detraxisti.*

Exquisitissimis uerbis.] *Lectissimis, honorificentissimis.* *Nisi forte.*] *Correctione quadam & ironia populi sententiam elicit.* *Sic arbitrabar.*] *Hac quarta acclamatione, significarant Quirites, se hostem Antonium iudicare.* *Municipia, colonias, præfecturas.*] *Enumerat reliquos, Antoniũ hostem iudicantes, & ad bellum contra eum suscipiendum, consentientes. Municipia suis legibus uiuebant: coloniæ deducebantur, & leges à Romanis accipiebant: præfecturæ erant, in quas qui ius dicerent, legibus à Romanis præfecti quotannis mittebantur. alioqui liberæ, & nundinis celebres.* *Omnes mortales.*] *Maxima pars mortalium, superlatio.* *Contra illam pestem.*] *Antonium, hypallage amplificat.*

Quid D. Bruti iudicium Quir. quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis: num cui tandem contemnendum uidetur? recte & uere negastis Quirites: est enim quasi deorum immortalium beneficio & munere datum Reip. Brutorum genus & nomen, ad libertatẽ populi Romani uel constituendam, uel recuperandam. quid igi-
B tur D. Brutus de M. Antonio iudicauit? exclusit prouincia: exercitu obstitit: Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte, suoq; iudicio excitatam. Si Consul Antonius, Brutus hostis. si conseruator Reip. Brutus, hostis Antonius. num igitur utrum horum sit, dubitare possumus? Atqui ut uos una mente unaq; uoce dubitare uos negatis: sic modo decreuit Senatus, D. Brutum optime de Repub. mereri, cum Senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem, imperiumq; defenderit. à quo defenderit? nempe ab hoste. quæ est enim alia laudanda defensio?

Quid D. Bruti iudicium.] *A Bruti iudicio, quòd prætor erat, Antonium hostem Reip. probat.* *Edicto.*] *De hoc Bruti edicto dictũ est in superiori oratione.* *Num cui tandem.*] *Elicit populi suffragium, & acclamationem.*

Rectè & uerè negastis Quir.] *Et hoc quinto loco acclamarat populus, non esse Bruti iudicium de Antonio contemnendum. In hac oratione illud operæprecium est animaduertere, singulis acclamationibus oratorem, uel laudis amplificationem, uel confirmationem subijcere, tanta breuitate, ut copiam tamen admiremur: tanta copia, ut breuitatem tamen secutum eum esse fateamur.* *Vel constituendam.*] *Quod Iunius Brutus fecerat exactis regibus: uel recuperandam,*
C *quod D. Brutus facit.* *Quid igitur D. Brutus.*] *Enumerat Bruti facta, ex quibus iudicium eius de M. Antonio colligitur.* *Si consul Antonius.*] *Connexum ex contrarijs conficit, quorum si alterum affirmes, alterum neges necesse est: tertium nihil esse potest.* *Num igitur utrum.*] *Confirmationem alteram elicit à Quiritibus.*

Atqui ut uos una mente.] *Hoc loco, qui sextus est populi acclamantis, Populus Rom. significauit, se nihil dubitare quin Brutus esset Reipublicæ conseruator, hostis Antonius, & simul Cicero eorum sententiam confirmat, senatus decreto.* *A quo defenderit?*] *Sic ratiocinatur Cicero: nemo dicitur defendere, nisi qui ab hoste defendit: Brutus defendit Rempub. ergo ab hoste defendit. probatur ex eo quod eius defensio à senatu laudatur, quod argumentum est à testimonijs & signis.*

Deinceps laudatur prouincia Gallia: meritoq; ornatur uerbis amplissimis à Senatu: quod resistat Antonio. quem si Consulem illa prouincia putaret, neq; eum reciperet: magno scelere se astringeret. omnes enim sub Consulis iure, & imperio debent esse prouinciæ. negat hoc D. Brutus Imperator Consul designatus, natus Reipub. ciuis: negat Gallia: negat cuncta Italia: negat Senatus: negatis uos. quis igitur illũ Consulem nisi latrones putant? quanquam ne ij quidem ipsi quod loquuntur, id sentiunt:
D nec à iudicio omnium mortalium, quamuis impij, nefarijq; sint, sicut sunt: dissentire possunt. sed spes rapiendi, atq; prædandi occæcat animos eorum: quos non bonorum donatio, non agrorum assignatio, non illa infinita Pompei hasta satiauit: qui sibi urbem, qui bona, & fortunas ciuium ad prædam proposuerunt: qui dum sit quod rapiant, quod auferant: nihil sibi defuturum arbitrantur. quibus M. Antonius (ô dij immortales auertite, & detestamini quæso hoc omen) urbem se diuisurum esse promisit. ita uero Quir. ut precamini eueniat: quo huius amentiæ pœna, in ipsum familiamq; eius recidat: quod ita futurum esse confido. iam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad Rempublicam conseruandam arbitror consensisse. Siue enim prodigijs, atq; portentis dij immortales nobis futura prædicunt, ita sunt aperte denunciata: ut & illi pœna, & libertas nobis appropinquet. siue tantus consensus omnium, sine impulsu deorum esse non potuit: quid est, quod de uoluntate cœlestium dubitare possimus? Reliquum est Quirites: ut uos in ista sententia, quam præ uobis fertis, perseueretis.

Deinceps laudatur prouincia Gallia.] *Galliam cisalpinam laudari, unde colligit Antonium hostem esse, ut superiore fecit oratione.* A *Magno scelere se astringeret.*] *Magnum scelus committeret.*

Omnes enim sub consulis iure.] *Vbi non est Dictator, consulis autoritas & potestas est summa. Quare si cõsul est Antonius, sine scelere, & maiestatis crimine non possunt illum repudiare prouinciæ. Repudiarunt autem, idq; iure, ergo non est consul Antonius.* *Negat hoc D. Brutus.*] *Enumeratione sententiarum inducit & probat Antonium non esse consulem.* *Negat Gallia.*] *Attende repetitionem primi uerbi, breui interuallo continuatam: quæ uiolentam facit orationem: nec sinit interspirandi auditoribus spatium. Hac figura plurimum etiam usus est Demosthenes. Nam & ad exornandam, & ad augendam orationem plurimum ualet, & ad motus animorum excitandos.* *Quis igitur illum consulem?*] *Occupat simul & diluit ostendens si qui sint qui eum consulem nominent, eos eius similes esse, latrones & perditos homines: & tamen eosdem non ita sentire, ut loquuntur: sed esse cupiditate rapiendi corruptos, & occæcatos.* *Non bonorum don.*] *Enumerat genera rapinarum.* *Infinita Pompeij hasta.*] *Id est infinitorum bonorum Pompeij auctio & sectio.* *Qui sibi urbem.*] *Acerba & uehemens Antonianorum criminatio, ad eorum eleuandam in sententijs autoritatem.* *Quibus M. Antonius.*] *Ostendit Antonium optime malorum ciuium spei, imò cupiditati respondere, & magnam excitat in eum indignationem.* *O dij immortales auertite.*] *Execratio interponitur, ad scelus exaggerandum. breuius hoc idem extulit, superiore oratione, Quod dij omen auertant.*

Omen.] *Oris atq; orationis augurium, ut oracula ex deorum oratione sunt nominata.* *Ita uero Quirites.*] B *Hic concio diras imprecabatur Antonio: quasi dixissent, ut apud Vergilium est, Quod omen dij prius in ipsum conuertant caput.* *Iam enim non solum homines.*] *Locus coniecturæ quem tractat ex signis, deos uelle urbẽ & Remp. conseruare. sic etiam fecit contra Catilinam.* *Si ille enim prodigijs.*] *Confirmat quod dixit, diuinis testimonijs.*

Sine tantus consensus.] *Locus obseruandus, consensum & concordiam in Repub. defendenda beneuolentiæ deorum, & fauoris signum esse: ergo discordiæ signum est iræ deorum & exitij, ut colligit Enthymemate.* *Reliquum est.*] *Conclusio confirmationis, & transitio ad hortationem qua eos ad istam concordiam retinendam, & libertatem defendendam cohortatur.*

Faciam igitur ut Imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum uideant: ut eos tamen adhortentur. sic ego uos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam adhortabor. Non est, non est uobis Quirites cum eo hoste certamen: quo cum aliqua pacis conditio esse possit. neq; enim ille seruitutem uestram, ut antea, sed iam iratus sanguinem concupiscit. nullus ei ludus uidetur esse iucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio ciuium. non est uobis Quirites res cum scelerato homine, atq; nefario, sed cum immani tetraq; belua: quæ C quoniam in foueam incidit, obruatur. si enim illinc emerserit, nullius supplicij crudelitas erit recusanda. sed tenetur, premitur, urgetur, nunc ijs copijs, quas iam habemus: mox ijs, quas paucis diebus noui Consules comparabunt.

Faciam igitur.] *Peroratio hic incipit & conclusio artificiosa huius concionis. Ea tota ferè consumitur in amplificatione. nam cohortatio qua hic pulcherrima utitur, ea est amplificationis pars, quæ ex ijs sumitur, quæ usu magna esse docuit in Partitionibus oratorijs, charitate siue pietate, erga patriam, & honestate. Figuris ferè ijsdem constat hæc peroratio, quibus & superioris orationis conclusio exornabatur: consequentium frequentatione, siue ut ad Heren. dicitur lib. 4. descriptione, & contrariorum & dissimilium & inter se pugnantium rerum conflictione, & causis, & effectis, & similibus, & exemplis, quæ omnia propria sunt amplificationis. Perorationem à similitudine proponit, sumpta de re militari, & consuetudine imperatorum. Exempla huius consuetudinis innumera eaq; illustria suppeditat Liuij Historia, & Sallustij, & Thucydidis, & aliorum tum Græcorum tum Latinorum. Est autem hæc similitudo huic loco aptissima, nam eos ad bellum contra Antonium suscipiendum hortatur.* *Imperatores.*] *Exercitus summi duces, dum bellum gerebant Imperatores dicebantur: postea cœpit esse perpetui principatus titulus.* *Instructa acie.*] *Ad præliandum parata, atq; disposita, siue collocata.* *Erectos.*] *Animatos, paratos, alacres.*

Non est, non est.] *Geminatio, siue conduplicatio. Sic autem hunc locum tractat, ut significet cum Antonio non iam* D *certamen honoris & dignitatis tantum, uerum etiam capitis & famæ, nec utri imperent, sed utri sint, & uiuant. Idcirco bellum acerbius esse gerendum ut Cicero ipse de Officijs primo docet.* *Nullus ei ludus.*] *Expolitione amplificat quod dixit de eius crudelitate. Talem describunt poetæ Martem, qualem hic Antonium describit Cicero. Mars enim Græco Epitheto dicitur αἱμοχαρὴς, id est sanguine gaudens. De quo Horatius:*

Quem iuuat clamor, galeæq; leues,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Huiusmodi belluæ aliquot memorãtur ab historicis. Annibal ille crudelis, cũ fossam humano sanguine plenã uidisset, O formosum spectaculũ, inquit. Itẽ Volesus Asiæ procõsul, cũ trecẽtos una die percussisset, incedẽs inter cadauera uultu superbo, quasi magnificũ quoddã fecisset, proclamauit, O regiũ factũ. Vitellius itẽ, nõ Imperator, sed impius latro, imò truculẽtissima bellua, dicere solebat, optime olere occisum hostẽ, et melius ciuẽ. Nerones taceo, et Maxẽtios, et Diocletianos, et Phalarides, et eiusdẽ generis innumera mõstra, quorũ inter cæteros est nobilitata crudelitas. *Nõ est uobis Quir.*]

Eadem est sententia, expolitione repetita, quam paulo ante posuit. tractat autem hanc per correctionem, eáq; in singulis uerbis amplificationem habet, ut est apud Quintilianum. Non fur, sed sacrilegus. In foueam incidit.] A *Perstat in translatione, & conficit allegoriam, Foueis enim terra leuiter opertis, capi solent belluæ, ut ursi & lupi. Ergo in foueam incidit, nihil est aliud quàm quod superiore dixit oratione, A tergo, à fronte, à lateribus tenetur. uel quod paulo post dicet: tenetur, premitur, urgetur.* Obruatur.] *Oppugnetur, opprimatur, perdatur à nobis.*

Si enim illinc emerserit.] *Hæret in suscepta translatione, & affert causam cur obruenda sit hæc bellua. tractat uero hanc causam breui Descriptione, quæ amplior est ad Heren. lib. 4. ubi Descriptionem illustrat exemplis Cornificius. Docet autem hæc figura, quid quamq; rem consequi soleat.* Si enim illinc emerserit.] *In superiore oratione, hoc sic dixit: Nullũ erit tempus, hoc amisso. Item: Si dormierimus hoc tempore &c. ibidem.* Nunc his copijs.] *Delabitur in facultatis locum.* Noui consules.] *Hirtius & Pansa, proximis Cal. Ian. consulatum inituri.*

Incumbite in causam Quirites ut facitis. nunquam uester consensus maior in ulla causa fuit: nunquam tam uehementer cum Senatu consociati fuistis. nec mirum. agitur enim non qua conditione uicturi, sed uicturi ne simus, an cum supplicio ignominiaq; perituri. quanquam mortem quidem omnibus natura proposuit: crudelitatem B mortis, & dedecus, uirtus propulsare solet: quæ propria est Romani generis, & seminis. hanc retinete quæso Quirites: quam uobis tanquam hæreditatem maiores uestri reliquerunt. quanquam omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: uirtus est una altissimis defixa radicibus: quæ nunquam ulla ui labefactari potest: nunquam dimoueri loco. hac maiores uestri primum uniuersam Italiam deuicerunt: deinde Carthaginem exciderunt: Numantiam euerterunt: potentissimos reges, bellicosissimas gentes in deditionem huius imperij redegerunt.

Incumbite in causam.] *Instate totis uiribus. dicimus incumbere causæ, & in uel ad causam, & incumbere sine casu.*

Vt facitis.] *Hoc uerbo leniorem facit cohortationem, ne uideantur per se parum animati.* Nunquam uester.] *Inter uos Quirites, & hæc pertinent ad facultates efficiendi, atq; uincendi, scilicet concordia ciuium inter se, & senatorum cum populo.* Consociati.] *Coniuncti, concordes.* Nec mirum.] *Causam tanti consensus adiungit, & dicit eam esse Antonij nefariam audaciam & crudelitatem. hunc locum etiam paulo ante tractauit. ergo est cõmoratio, cum eodem sæpius redeat.* Agitur enim, non qua conditione uicturi.] *Causam exaggerat, ex hostis & belli genere. Non enim, inquit, de honore, aut imperio cum Antonio nobis certamen est, sed de uita, de capite, de salute. ergo acerbius est bellum gerendum. Hoc tractat Cicero de Officijs lib. 1. Sed ea bella, inquit, quibus imperij gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. Vt enim cum ciuiliter contendimus, aliter si est inimicus: aliter si competitor: cum* C *altero certamen honoris & dignitatis est, cum altero capitis & famæ. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de imperio dimicabatur.* Quanquam mortem.] *Locus cõmunis, mortem esse ineuitabilem: sed curandum esse, ut honeste moriamur. hunc etiam locum tractauit in superiore peroratione, proposita similitudine gladiatorum.* Virtus.] *Animi magnitudo, siue fortitudo, à qua reliquæ omnes uirtutes nominantur, ut Cicero & Aristoteles tradunt.*

Quæ propria.] *Eadem formula qua dixit in superiore oratione, libertatem propriam esse Romani generis & nominis, nunc uirtutem esse dicit propriam Romani generis & seminis. hoc autem dicit tum quod à Marte originem genusq; ducerẽt Romani: tum etiam quod illam uirtutem & fortitudinem seruassent semper, nec à parente suo, & autore, Marte, & Romulo degenerassent. Liuius quoq;, Romanorum est, inquit, fortia facere, fortia pati.* Hanc retinete.] *In cohortando multum ualent huiusmodi repetitiones, & expolitiones, ac cõmorationes.* Quam uobis tanquam hæreditatem.] *Declarat quid sit, uirtutem esse propriam Romani generis & seminis.* Quanquam omnia alia incerta sunt.] *Etiamsi, inquit, maiores uestri uirtutem uobis non reliquissent, ipsa tamen sua ui, & pulchritudine (nihil enim uirtute amabilius) uos ad se complectendam deberet allicere. Amplificat uirtutis gloriam contentione. Est enim res quædam diuina, uirtus. Eodem prope modo Sallustius: Nam diuitiarum & formæ gloria fluxa atq; fragilis est:* D *Virtus clara æternaq; habetur.* Caduca.] *Fragilia, translatio à fructibus sumpta, qui facile corrumpuntur, & cadunt. Diuturniora bona, breuioribus anteponuntur, ut Cic. & Arist. in Topicis docent suis.* Altissimis defixa radicibus.] *Translatio ex arboribus sumpta. Significant autem hæc omnia nihil aliud, quàm uirtutem firmissimã esse, perpetuam, & quod Sallustius dixit, æternam.* Labefactari.] *Frangi, euerti, & quod dicunt, corrumpi.*

Hac maiores uestri.] *Amplificat iam exemplis, quorum enumeratio, similiter desinentium suauitate conditur: deuicerunt, exciderunt, euerterunt, redegerunt.* Carthaginem.] *In Africa tertio punico bello: quod fecit Scipio.*

Numantiam.] *In Hispania, quod fecit idem Scipio posterior.* Potentissimos reges.] *Syphacem in Africa, Antiochum & Mithridatem in Asia, Pyrrhum & Perseum in Græcia, & alios innumerabiles.* Bellicosissimas gentes.] *Hispanos, Dalmatas, Græcos, Persas, Thracas, Cymbros, Gallos.*

Ac maioribus quidem uestris Quir. cum eo hoste res erat, qui haberet Remp. curiam, ærarium, consensum, & concordiam ciuium. rationẽ aliquam, si res ita tulisset, pacis & fœderis. hic uester hostis uestrã Remp. oppugnat: ipse habet nullã: Senatũ, id est orbis terræ consiliũ delere gestit: ipse consilium publicum nullum habet: ærarium uestrum

uestrum exhausit: suum non habet. nam cõcordiam ciuium qui habere potest, nullam A
qui habeat ciuitatem? pacis uero quæ potest cum eo esse ratio, in quo est incredibilis
crudelitas? fides nulla? Est igitur Quir. populo Rom. uictori omnium gentium, omne
certamen cum excursore, cum latrone, cum Spartaco. nam quod se similem Catilinæ
esse gloriari solet, scelere par est: belli industria inferior. ille cum exercitum nullum ha
beret: repente conflauit. hic eum ipsum exercitũ, quem accepit, amisit. ut igitur Catili-
nam diligentia mea, Senatus autoritate, uestro studio, & uirtute fregistis: sic Antonij
nefariũ latrociniũ uestra cum Senatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, felicitate, &
uirtute exercituum, ducumque uestrorum, breui tempore oppressum audietis.

Ac maioribus quidem uestris.] Remouet pacis conditiones, aliorum hostium comparatione, ut belli necessitatem
confirmet. *Cum eo hoste.*] Intellectio, pro cum his hostibus. *Curiam.*] Denominatio est, quam προσωνυ-
μίαν, & μετωνυμίαν uocant Græci. nam curia pro senatu, ut Cicero testatur, lib. de Orat. 3. *Hic uester ho-
stis.*] M. Antonius. sed odiosum est, quàm si eius nomen usurpasset. Et contentione totũ hunc locũ tractat, ut qui sit An-
tonius magis eluceat. *Senatum, id est orbis terræ consilium.*] Definitio Romani senatus. Consiliũ publicum. nam
priuata habere potest. *Nullam qui habeat ciuitatem.*] Quia defecit à Republica, & hostis sit iudicatus. signifi- B
cat autem illum capite minutum esse, cum & ciuitatem & Rempublicã amiserit. Qui enim deficiunt capite minuuntur.
Deficere autem dicuntur, qui ab iis, quorum sub imperio sunt, desistũt, & in hostium se numerum conferunt. Sed & ij,
quos senatus hostes iudicauit, lege lata: utique usque adeo ut ciuitatem amittant. Hæc Paulus iurisconsultus Pandectarum li-
bro 4. L. V. *Est igitur Quirites.*] Concludit contentionem, & breuiter nouam inducit comparationem.

Cum excursore.] Cum Pirata & eo qui excursionibus latrocinia exercet, quod sequentia declarant. nam docet
quibus nominibus sit appellandus. *Cum Spartaco.*] Amplificat nominis immutatione, quam hypallagem appel-
lant Rhetores. Ergo, cum Spartaco, id est cum gladiatore, cum lanista, duce fugitiuorũ, qualis fuit Spartacus, de quo in
superiore oratione diximus. *Nam quod se similem Catilinæ.*] Noua comparatio, quæ facit illum Catilina uirtu-
te militari inferiorem. *Conflauit.*] Contraxit, collegit, congregauit. *Exercitum quem accepit.*] Signi-
ficat quinque illas legiones, quæ in Macedonia fuere, Antonij prouincia. *Vt igitur Catilinam.*] Pollicetur certam
uictoriam, Catilinæ exemplo. Nam si similis est Catilinæ ipso scelere, erit etiam similis fortuna atque supplicio. Et breui-
ter enumerat rursum facultates & copias.

Equidem quantum cura, labore, uigilijs, autoritate, consilio, eniti atque efficere po-
tero: nihil prætermittam quod ad libertatem uestram pertinere arbitrabor: neque enim C
id pro uestris in me amplissimis beneficijs sine scelere facere possum. hodierno autem
die primum referente uiro fortissimo, uobisque amicissimo M. hoc Seruilio, Collegisque
eius ornatissimis uiris, optimis ciuibus, longo interuallo me autore, & principe ad
spem libertatis exarsimus.

Equidem quantum.] Pollicetur, suam, ut semper, operam, quod faciendum est ei qui aliquẽ adhortetur: alioqui non
tantam habet uim adhortatio. Sic Christus rex noster æternus, nos ad tuendam religionem & à se partam libertatem, &
ad regnum cœleste capessendum adhortatur, & simul opem pollicetur, & præstat, imò omnia facit. *Neque enim
id.*] Grati animi testimonium. *Hodierno autem die.*] Recenti exemplo probat, se talem esse, qualem pollice-
tur. *M. hoc Seruilio.*] Erat enim præsens in concione apud Ciceronem: eratque Trib. pleb. *Longo inter-
uallo.*] Post Cæsarianam & Antonianam seruitutem. *Me autore & principe.*] Sicut initio concionis dixit:
Princeps nostræ defendendæ libertatis semper fui. *Exarsimus.*] Inflammati, erecti, & concitati sumus. Verbo
enim uehementissimo, eoque translato claudit orationem.

FINIS.

QVINTAE PHILIPPICAE ARGVMENTVM.

A *SENATVM ex Ciceronis ſententia decreuiſſe, ut & de præmijs militum, & de honoribus imperatorum à nouis conſulibus, primo quoq; tempore referretur, ex duabus orationibus proxime habitis, perſpicuum fuit: Quo decreto, ſi non uerbo, re tamen Antonius Reip. hoſtis iudicatus eſt. Interea Antonius Mutinam, quam Brutus obtinebat, obſedit. Noui conſules Panſa & Hirtius, Cal. Ianuarij, conuocato ſenatu, prout erat decretum, de Mutinæ obſidione retulerunt. Hic L. Piſo cuius facta eſt in prima oratione mentio, & alij quidam Antonij amici, agere, ut legati ad Antonium de pace mitterentur. Eam ſententiam diſſuadet Cicero hac oratione: cenſetq; non modo legatos non eſſe mittendos, ſed etiam Antonij acta eſſe reſcindenda, quod contra auſpicia, & per uim conſulatum geſſerit. Turpe enim eſſe ſenatui, legatos ad eum mittere, quem deceat armis depoſitis, ueniam pro ſuis peccatis & facinoribus petere. Poſtremo, de præmijs militum, de honoribus imperatorum decernit. ubi multa præclare ab eo dicuntur, de legibus annalibus, & qui illis ſoluti ſint apud ueteres, ut ante tempus, magiſtratus gerere liceret. Id autem fecit, propter Octauium Cæſarem quem ſolui legibus, propter Reip. defenſionem, cupiebat. Sunt igitur huiuſce cõſultationis capita hæc: primum, diſſuadet legationem ad Antonium, deinde eum hoſtem iudicandum eſſe probat: poſtremo, quæ ſemel decreta à ſenatu ſunt, de præmijs & honoribus, eorum qui Remp. defendant, ea eſſe facienda. Atq; dum hæc facit, ſunt ei multa ex ſuperioribus orationibus, ſecunda præſertim & tertia repetenda: eſtq; hæc oratio, quaſi ſumma quæ-*
B *dam, & compendium earum habenda.*

CAVSA.

Cauſa deliberatiua eſt: ſententiam enim in ſenatu dicit, conſiliumq; Reip. dat.

STATVS.

Status æquitatis. iniquum enim eſſe & turpe, atq; inutile, legatos ad Antonium mitti, miſcetur tamen cõiectura: ſed ea refertur ad ea quæ in ſtatu ſuſcepta ſunt, confirmanda.

DISPOSITIO.

Partes orationis earumq; collocatio: Exordium breuiſſ. Refutatio, Confirmatio, & exordio etiã breuior, concluſio.

DICTIONIS GENVS.

Genus dicendi amplum & graue eſt, cuiuſmodi eſſe ſolet, in ijs conſultationibus, in quibus multa de honoribus & præmijs dicenda ſunt, & amicorum motus excitandi.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA QVINTA.

C NIHIL unquam longius Calendis Ian. mihi uiſum eſt Patres conſcripti: quod idem intelligebam per hos dies unicuiq; ueſtrum uideri. qui enim bellum cum Repub. gerunt, hunc diem non expectant. nos autem tum, cum maxime conſilio ueſtro ſubuenire cõmuni ſaluti oporteret, in ſenatum non conuocabamur. ſed querelam præteritorum dierum ſuſtulit oratio Conſulum: qui ita locuti ſunt, ut magis exoptatæ Calend. Ian. quàm ſeræ eſſe uideantur. Atq; ut oratio Conſulum animum meum erexit: ſpemq; attulit non modo ſalutis conſeruandæ, uerũ etiam dignitatis priſtinæ recuperandæ: ſic me perturbaſſet eius ſententia, qui primus rogatus eſt: niſi ueſtræ uirtuti, cõſtantiæq; confiderem. hic enim uobis Patres conſcripti dies illuxit: hæc poteſtas data eſt: ut quantum uirtutis, quantum conſtantiæ, quantum grauitatis, in huius ordinis conſilio eſſet: populo Rom. declarare poſſetis. recordamini qui dies nudiuſtertiuſdecimus fuerit:
D quantus conſenſus ueſtrum, quanta uirtus, quanta conſtantia. quantam ſitis à popu-
al. gratiam lo Romano laudem, quantam† gloriam conſecuti. Atq; illo die P. C. ea conſtituiſtis: ut uobis nihil iam ſit integrum: niſi aut honeſta pax, aut bellum neceſſarium. Pacem uult M. Antonius. arma ponat: roget: deprecetur. neminem æquiorem me reperiet: cui dum ſe ciuibus impijs cõmendat: inimicus eſſe, quàm amicus mauult. nihil eſt profecto quod dari poſſit bellũ gerẽti: erit fortaſſe aliquid, quod cõcedi poſſit rogãti.

Nihil unquam longius.] Exordium à querela prolati temporis & ſenatus, propter pericula Reip. Tale fuit exordium tertiæ Philippicæ. De mora autem & expectatione quàm ſit moleſta, præclare Seneca in Agamemnone: Omniſq; nimium longa properanti mora eſt. Exordium hoc duobus ex locis trahitur, attentionis & beneuolentiæ. nam in eo quod nihil unquam longius Cal. Ianuarijs ſibi uiſum eſſe dicit, attentos à nouitate rei facit: & cum id ei uideatur, propter Reip. pericula, fauorem ſibi, ex ſua perſona conciliat, qui tam pro Rep. ſollicitus ſit. Quod idem intellig.] Et hic eſt beneuolentiæ locus, ſed ex auditorum perſona, quibus eundem erga Remp. animum, qui ſibi eſt, attribuit. Qui enim bellum cum Repub. gerunt.] Sic Philip. 3. in ipſo exordio: Expectantur (inquit) Calendæ Ianuarij, quas non expectat

Antonius: qui in prouinciam D. Bruti summi & singularis uiri, cum exercitu impetum facere conatur, &c. Hoc autem A
loco addit causam, cur mora ita longa uideatur: & de uno Antonio loquens, inuidiose multitudinis utitur numero. ut Ve-
tus apud Verg. Aen. lib. 1. Nauibus (infandum) amissis, unius ob iram, Prodimur. Nauibus dicit, cum Orontis tantum
una esset amissa. Sic eodem lib. Neptuni illud: Vestras Eure domos. Hunc diem non expectant.] *Quasi diceret,*
Sed rem agunt, obsesso Mutinae D. Bruto, & utitur eodem plurali numero, eadem figura. In senatum non uocaba-
mur.] *Hic codices uariant: alij enim sic habent: In senatum conuocabamur, quam lectionem si recipimus, haec erit senten*
tia: cum maxime agendũ esset, & Antonius persequendus, deliberabamus, & tempus consultando cõterebamus: ut inepti
medici solent, qui dum inter se de aegroti morbo disputant, perit aegrotus: qui locus Demosthenis est, contra Philippum
Atheniensibus consilium dantis Oratione quarta. Sin quod mihi magis placet, priorem illam quam posui lectionẽ admit-
timus, ut negationem uocandi uerbo praeponamus, perspicua erit sententia, & proposito Ciceronis, querentis nimis se-
rò illos consultare, melius quadrabit. Sed querelam.] *Corrigit, quod de temporis longitudine dixit, & satis ma-*
turè contra Antonium agi posse, ex consulum oratione indicat: qui eam spem conseruandae bonorum salutis, & Reipub.
recuperandae conceperant, ut nihil serum uideretur. multa enim uel auidissimè expectantur, quae sera non sunt: nam suo
tempore ueniunt: ut fruges à colonis auidis expectantur. Atq; ut oratio consulum.] *Propositio est refutationis,*
quam contentione consulum, & L. Pisonis orationis auget, cum altera erexerit in spem, altera de spe deiecisset, nisi con
stantiae senatus, confisus esset. Eius.] *L. Pisonis.* Nisi uestrae uirtuti.] *Primus est locus refutationis, à con*
stantia senatus: non esse L. Pisonis sententiã sequendam, quòd turpis, quòd contra Senatus constantiam. Hic enim
dies.] *Hoc dicit: Vobis hodie occasio datur amplissima, uestram uirtutem ostendendi, & praeclare de Repub. merendi.* B
Estq; laus senatus, cum admonitione coniuncta. Quantum uirtutis.] *Fortitudinis, magnitudinis, animi. Repeti-*
tio est. Constantiae.] *Quae pars est fortitudinis: quam sic definiunt: ut constantia sit, in ratione bene considerata,*
stabilis & perpetua permansio. De inu. lib. 2. Grauitatis.] *Autoritatis & maiestatis.* Recordamini.]
Expolitione graui, senatui reducit in mentem, quae ante paucos dies ab eo decreta fuerint, ut eum specie laudis, in semel su
scepta sententia persistendum admoneat. quae res magnã habet uim ad homines in officio retinendos. Nudiuster-
tiusdecimus.] *Id est, dies abhinc tertiusdecimus. hic est postremus numerus in compositione huiusmodi, quo usi latini au*
tores legantur. primus autem est, nudiustertius. Festus dicit coniuncta esse, ex nunc & dies: quasi dicas, nunc dies est ter-
tius, atq; idem in caeteris. Quantus consensus.] *Repetitio traductione uariata, id est casuum uarietate.*
Ea constituistis.] *Paulo post: Atqui (inquit) cum cõsules nondum haberetis, decreuistis, ut & de praemijs militum,*
& de honoribus imperatorum, primo quoq; tempore referretur. Vt uobis nihil iam sit integrum.] *Vt mutare*
sententiam non possitis. Integrum, liberum, in uestra potestate. Nisi aut honesta pax.] *Disiunctione ex contra-*
rijs proponit, in qua assumptiua causae subest argumentum, quod declarant sequentia statim his uerbis: Pacem uult An-
tonius? arma ponat, roget, deprecetur, hanc enim honestam senatui pacem uocat Cicero. Pacem uult Antonius?] C
Hoc L. Piso eius nomine dicebat. Arma ponat.] *Deponat, & est aphaeresis.* Cui dum.] *Causas inimici-*
tiarum subindicat, quas remouet à se, & confert in Antonium: qui dum se ciuibus impijs, & malis, potius quàm pijs &
bonis cõmendat, ostendit se malle inimicum esse Ciceroni, quàm amicum. Ergo, in Antonio culpa est, & causa inimicitia-
rũ, nõ in Cicerone. Nihil est prof.] *Expolitio eius sentẽtiae: Pacẽ uult M. Antonius? Arma ponat, roget, deprecetur.*

Legatos uero ad eum mittere, de quo grauissimum iudicium nudiustertiusdeci-
mus fecistis: non iam leuitatis est: sed, ut quod sentio dicam, dementiae. primum enim
eos duces laudauistis, qui contra illum priuato cõsilio bellum suscepissent. deinde mi-
lites ueteranos, qui cum ab Antonio in Colonias essent deducti, illius beneficio liber
tatem populi Romani anteposuerunt. quid legio Martia? quid Quarta? cur laudan-
tur? si enim Consulem suum reliquerunt, uituperandae sunt. si inimicum populi Rom.
iure laudantur. Atqui cum Consules nondum haberetis: decreuistis, ut & de praemijs
militum, & de honoribus imperatorũ, primo quoq; tempore referretur. placet eodem D
tempore praemia constituere ijs, qui contra Antonium arma coeperunt: & legatos ad
Antonium mittere? ut iam pudendum sit: honestiora esse legionum decreta, quàm se-
natus. siquidem legiones decreuerunt Senatum defendere contra M. Antonium. Se-
natus decernit legatos ad Antonium. utrum hoc est confirmare militum animos? an
debilitare uirtutem? hoc dies duodecim † profecerunt, ut quẽ nemo praeter Cotylam al. perfecerunt
inuentus sit, qui defenderet: is habeat iam patronos, etiam Consulares.

Legatos uero.] *Dissuadet legationem ad Antonium, si modo constantes esse, sapientesq; uelint.* Grauissi-
mum iudicium.] *Cum etsi non uerbo, re tamen eum hostem Reip. iudicastis.* Nudiustertiusdecimus.] *Hic ad-*
uerbium est, cum paulo ante, ut nomen usurpatum fuerit, id est, si interpreteris, nunc agitur dies tertiusdecimus, qui dies
duodecimus ante Cal. Ian. fuit: quo die Cicero duas proximas habuit orationes, unam in Senatu, ad Quirites alteram. ob
seruandum est, nudiustertius, & id genus alia, cum praeterito tempore semper coniungi. Non iam leuitatis est.]
Licentia est oratoria, si haec ad totum Senatũ dicuntur, cuius incõstantiam liberius reprehendit. Primũ enim.]
Grauissimum illud de Antonio iudicium profert, & enumeratione exaggerat, quo magis eos mutare sentẽtiam pudeat.
Atqui cum Coss.] *Assumit, & collegit, ut eos repugnantia statuere, idq; non sine leuitatis nota, ostendat.*

A *Placet eodem tempore.] Profert repugnantiam & inconstantiam. nam præmia statuere ijs qui Antoniū persecuntur, signum est, eos Antoniū hostē ducere, & uelle eius peccata persequi bello: legatos autem ad eum mittere, idq́; eodem tempore, turpissimæ pacis est argumentū, atq; etiam metus. Vt iam pudendū sit.] Eadem qua usus est paulo ante, licentia, senatū obiurgat. Siquidē legiones.] Contentione decreti senatus, & legionū, senatus arguit inconstantiam, & amplificat. Vtrū hoc.] Ostendit, quæ incōmoda ex ea legatione, si decernatur, cōsequantur, & acrius obiurgat. Hoc dies 12.] Id est, quod ante dixit: Nudiustertiusdecimus, & numerū dierū qui intercesserant, commemorat, quo magis pudeat eos tam cito à sententia desciuisse. Præter Cotylam.] Is unus erat ex impuris Antonij assectis, eiusq́; cōpotor: id quod & nomen ipsum indicare uidetur: nam Cotyla, liquidorū mensura est, quæ & hemina dicitur: quasi ab exhauriendis uini cotylis, ille fuerit appellatus. Patronos.] Defensores. Etiam consulares.] Id propter L. Pisonem dicit, qui fuerat consul.*

Qui utinā omnes ante me sententiā rogarentur. quanq̃ suspicor quid dicturi sunt
quidā eorū, qui post me rogabuntur. facilius cōtradicerē, si quid uideretur. est enim o-
pinio, decreturū aliquē M. Antonio illā ultimā Galliā, quā Plancus obtinet. Quid hoc
aliud est, q̃ ad bellū ciuile hosti arma largiri? primū neruos belli pecuniā infinitā, qua
B nunc eget: deinde equitatū, quantū uelit: equitatū dico? dubitabit credo gentes Barba
ras secū adducere? hoc qui non uidet, excors: qui eum uidet, decernit, impius est. Tu ci
uem sceleratū, & perditū, Gallorū, & Germanorū exercitu, pecunia, peditatu, equita-
tu, copijs, instrues? nullæ istæ excusationes sunt: meus amicus est. sit patriæ prius. meus
cognatus. an potest cognatio ulla propior esse, quàm patriæ, in qua etiam parētes con
tinentur? mihi pecuniam attribuit. cupio uidere qui id audeat dicere.

Qui utinam.] Optatio, qua occupat futuram aduersariorū sententiā, ut deterreat. Quanquam suspicor.] Remouet ineptias occupationis. Est enim opinio.] Id enim ab Antonij amicis iactabatur. Illam ultimam Galliam.] Transalpinā, quam hodie rex Galliæ Henricus eius nominis secundus obtinet hæreditariam. Quid hoc aliud est?] Deterret a publico periculo, quod immineat, si Gallia Transalpina potentissima prouincia Antonio decernatur. Primum.] Declarat quod dixit, & facultates quas ex illa Gallia nancisceteur hostis, enumerat.

Neruos belli pecuniam.] Vtitur translatione, quam appositione declarat. Ita enim pleriq; omnes putant, neruos, id est robur, & uires belli, pecuniā esse: dissentit tamen Machiauellus Florentinus in ijs quas in aliquot Liuij locos, obseruationes sua, id est, Florentina lingua scripsit. Putat enim militē bonū, neruos esse belli: quod pecunia bonū militē non facit, sed bonus miles & pecuniam, & arma, & reliqua omnia facile acquirit, & ad hanc rem exēplis utitur aptissimis,
C *quæ breuitatis causa prætereo. Qua nunc eget.] Ergo ne abundet in nostram perniciem prouidendum.*

Deinde equitatū.] Semper enim Gallia excelluit equitatu: eoq́; à scriptoribus cōmendatur maxime. Dubitauit credo.] Ironia: significat enim Antoniū non dubitaturū secum adducere Gallorū & Germanorū exercitū, qui omnium gentium maxime barbaros Ithyreos (ut in secunda oratione uidimus) iam ante adduxerit, ad obsidendū senatum.

Hoc qui non uidet.] Complexione aduersarios constringit. Excors.] Sine corde, hoc est sine mente & ratione, demens. unde & prudentes, cordati dicuntur, ut Cic. in Tusc. docet. Tu ciuem.] Iam apertè in L. Pisonem dicit, & immoratur in eodem loco, ad indignationem excitandam aduersus eum, & alios Antonij amicos. Ciuem sceleratum.] Antonium impium, qui Remp. lacerat. Pecunia.] Gallorum tributis. Peditatu.] Germanorum. nam ut Galli equitatu, sic Germani peditatu ualent. Copijs.] Alijs rebus ad bellum necessarijs, & oportunis. Nullæ istæ excusationes.] Occupat excusationes Antonianorum, & simul breuiter diluit. Meus amicus est.] Prosopopœia, siue cōformatione, aduersarios loquentes facit: aut si mauis, Mimesi, eorum sermonem imitatur. Sit patriæ prius.] Diluit ab ordine pietatis. nam patria amicis est anteferēda, ut de Amicitia Cicero multis ostendit. An potest cognatio.] Refellit ex eodem pietatis loco. sic etiam de Off. lib. 1. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omniū charitates patria una cōplexa est. & alia ibidem præclara. Sed quoniam cognati & cognationis fit mentio, operæpretiū est, Iurisconsultorū breuiter referre sententiā, ut habetur Pandectarum
D *lib. 38. L. IIII. & X. Nomē cognationis à græca uoce συγγενὴς dictū uidetur. συγγενεῖς illi uocant, quos nos cognatos appellamus. Cognationis autē natura bifariam apud Romanos intelligitur. Nam quædam cognationes iure ciuili, quædam naturali cōnectuntur: nonnunquā & utroq; iure concurrente, & naturali & ciuili copulatur cognatio. Cognatio quidem naturalis per se sine ciuili cognatione intelligitur, quæ per fœminas descendit, quæ uulgo liberos pariunt. Ciuilis autem per se, quæ etiam legitima dicitur, fit per adoptionem. Vtroq; iure consistit cognatio, cum iustis nuptijs contractis copulatur. Et naturalis quidē cognatio, hoc ipso nomine appellatur: ciuilis uero cognatio, licet ipsa quoq; per se plenissime hoc nomine uocetur, proprie tamen agnatio uocatur, uidelicet, quæ per mares contingit. Inter agnatos igitur, & cognatos hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam qui est agnatus, & cognatus est: non utiq; qui cognatus est, is & agnatus est: alterum enim ciuile, alterum naturale nomen est. Atq; etiam ab his cognationum nominibus ne in seruis quidem abstinemus. Mihi pecuniam attribuit.] Alia excusatio reliquis turpior, quam ita diluit, ut cupiat eum uidere, qui se ab Antonio corruptum ausit confiteri. Cupio uidere.] Minatur pœnas ab Antonio corruptis.*

Quid autem agatur, cum aperuero: facile erit statuere, quam sententiā dicatis, aut sequamini. Agitur utrum M. Antonio facultas detur opprimendæ Reip. cædis faciendæ, bonorū diripiendorū, urbis, agrorum, suis latronibus condonandi, populum Romanum

manum seruitute opprimendi: an horum nihil facere ei liceat. dubitate quid agatis. an A
non cadunt hęc in Antoniũ? hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. quid enim in eum
non cadit? qui cum Cæsaris acta se defendere dicit, eius leges peruertit, quas maxime
laudare poteramus. ille paludes siccare uoluit. hic omnem Italiam moderato homini
L. Antonio diuidendam dedit. quid? hanc legem populus Romanus accepit? quid?
per auspicia ferre potuit? sed augur uerecundus sine Collegis de auspicijs non inter-
pretatur. quanquam illa auspicia non egent interpretatione augurum. Ioue enim to-
nante cum populo Rom. agi non esse fas quis ignorat?

Quid autem agatur.] Periculi magnitudinem aperire proponit, ut Senatum terrore reuocet ab Antonianorũ sen-
tentijs. *Agitur utrum.*] Pugnatur, queritur, deliberatur. diuisione proponit questionẽ siue consultationẽ, eamq;
descriptione, siue expositione dilucida rerum consequentiũ, amplificat. Enumerat enim mala quæ secutura sint, si ex An-
tonianorum sententia decernatur. *Vrbes, agros, suis latronibus condonandi.*] Variant hic codices. nam alij ut
nos diximus legunt: alij urbis agrorum condonandorum, alij urbis agrorum condonandi. quæ tres lectiones, & locutio-
nes, ueterum autoritate defendi possunt: nam & hoc ipso loco Cic. dixit, bonorum opprimendorum. tertia ex alijs quoq;
Ciceronis locis cõprobatur. Nam in procemio secundi libri de Inuentione legimus: Exemplorũ eligendi potestas. Itẽ in B
quinto de Finibus: Eorum quæ secundum naturam sunt, adipiscendi. Illud præterea animaduertendum est, quomodo hanc
periculorum enumerationem, similiter desinentibus cadentibusq; exornet. *Suis latronibus.*] Non dixit suis mi-
litibus, uel cõmilitonibus, uel amicis, sed latronibus, quo res esset atrocior & odiosior. *Populum Rom.*] Et hoc
loco legitur etiam: populi Romani seruitute opprimendi. neutram lectionem reijcio: plenior tamen & grandior est prior
per accusatiuum. *An horum nihil.*] Altera propositæ questionis pars. *Dubitatis?*] Cum quid ageretur
aperuisset Orator, atq; de gestu, & ex uultu deprehendisset senatui orationem suam fidem non fecisse, nec dubitationem
sustulisse, tum eorum dubitationem redarguens. Dubitatis? (inquit) An non cadunt hæc in Antonium? &c. Simili forma
etiam alibi usus est, ut Philip. 6. Redeo ad amores deliciasq; uestras L. Antonium, qui uos omnes in fidem suam recepit.
Negatis? faciunt, & comici. Hæc autẽ attuli, quia in quibusdam libris legitur, dubitate quid agatis: in alijs, Dubitatis quid
agat, scilicet Antonius. In alijs, dubitatis quid agatur: in alijs tantummodo, dubitate. *An non cadunt.*] Occupat,
confirmandi causa, atq; hinc delabitur ad insectationem actorum Antonij, quæ censet rescindenda esse, & Antonium ho-
stem iudicandum: quæ pars adiuuat priorem. *Hoc ne Cotyla.*] Refellit ex minori. Nam si Cotyla homo nequissi-
mus, & Antonij amicissimus, hoc non dicere auderet, multo minus, audere debent senatores, & Reip. defensores.

Quid enim in eum non cadit.] Quæ enim scelera in eum non conueniunt? *Qui cum Cæsaris acta.*] Pro-
bat ex adiunctis, & ex signis antecedentibus, Antonium ad quiduis audendum paratum esse. *Ille.*] Cæsar. nam C
contentione exaggerat Antonij crimina. *Paludes siccare uoluit.*] Pontinas paludes, ut est apud Suetoniũ in eius
uita. hæ autem erant in Campania, atq; ut alij quoq; prodiderunt, non Pontinas modo, sed etiam Nomentanas, setinasq;,
ibidem, ut ita latifundia panderentur, quibus multa mortalium milia ali possent. Plinius de Pontinis paludibus: Siccen-
tur, inquit, æthiopide herba Pontinæ paludes: tantumq; agri suburbanæ reddatur Italiæ. *Hic omnem Italiam.*]
Confert Antonium cum Cæsare, ut eo Antonius perniciosior esse uideatur. Vtilitatem uoluit afferre Cæsar, siccatis palu-
dibus: Antonius detrimentum Reip. Italia tota diuidenda. *Quid?*] Particula, QVID, separata à reliquo ser-
mone, affert uehementiam orationi, & excitat auditorem, & est apta contentioni. *Hanc legem.*] De Triumui-
ris agrorum diuidendorum, quam populum Romanum non uult accepisse, quoniam recte lata non erat, utpote contra au-
spicia. *Sed augur uerecundus.*] Ironia per occupationem. *Quanquam illa.*] Correctio. dicebat Anto-
nius se illa auspicia fuisse interpretatum, reperisse nihil obstare. contra Cicero, interpretatione opus non fuisse, cum a-
perta res per se esset. *Ioue enim tonante.*] Interpretatione opus non fuisse, Augurali testimonio atq; sententia
confirmat. Cic. de Diu. lib. 2. Ioue (inquit) tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortasse Reipub. causa
constitutum est. comitiorum enim non habendorum causas, esse uoluerunt. Lucanus: Nec cœlo seruare licet: tonat Augure
surdo. Ioui tonanti ædem dedicarant Romani autore Plinio: Lucos, inquit, & aras, & sacra habemus. interq; statores, &
tonantes, & Feretrios, Elíciũ quoq; accepimus Iouẽ. Ea ædes in capitolio erat, teste Suetonio in Augusto. *Ioue enim* D
tonante.] Ioue, id est cœlo, per hypallagen, quanquam non uideo cur non Iouem ipsum possimus intelligere. Nam toni-
tru quasi clamat deus. Atq; in diuinis literis, sæpe tonitru, uox dei significatur. Quin & Cicero ipse, paulo post sic dicit:
non modo tonante Ioue, sed prope cœlesti clamore prohibente. ubi Iupiter, in sua propria significatione accipitur.

Cum populo agi.] Comitia populi habere, ut paulo ante ex Ciceronis de Diuinatione loco ostensum est.

Tribuni pl. tulerunt de prouincijs cõtra acta Cæsaris, ille biennij, iste sexennij. num
etiam hanc legem populus Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nónne ante
lata, quàm scripta? nónne ante factam uidimus, quàm futuram quisquam est suspica-
tus? ubi lex Cæcilia, & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœnæ recentes le-
ge Iunia, & Licinia? possunt ne hæ leges ratę esse, sine interitu legum reliquarũ? Eccui
potestas in forum introeundi fuit? quæ porrò illa tonitrua? quæ tempestas? ut si auspi-
cia M. Antoniũ non mouerent: sustinere eum, aut ferre non potuisse tantam uim tem-
pestatis, hymbris, ac turbinum mirum uideretur? quam legem igitur se augur dicit

A tulisse, non modo tonante Ioue, sed propè cœlesti clamore prohibente: hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? quid? quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nũciatione uitiosum: nihil ne ad auspicia bonus augur arbitratus est pertinere? sed auspiciorum nos fortasse erimus interpretes: qui sumus eius Collegę: num ergo etiam armorum interpretes quærimus? primum omnes fori aditus ita septi: ut etiam si nemo obstaret armatus, tamen nisi septis reuulsis introiri in forum nullo modo posset. sic uero erant disposita præsidia: ut quomodo aditus hostium† prohibetur castellis, & aggeribus: ita ab ingressione fori populũ tribunosq́ pl. propulsari uideres. Quibus de causis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur: omnes censeo per uim, & contra auspicia latas: hisq́ legibus populum non teneri. Si quam legẽ de actis Cæsaris confirmandis, déue Dictatura in perpetuum tollenda, déue colonis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur: easdem leges deintegro, ut populum teneant, saluis auspicijs ferri placet. Quamuis ergo bonas leges uitiose, per uimq́ tulerit, tamen hæ leges non sunt habendæ: omnisq́ audacia gladiatoris amentis, autoritate nostra repudianda est.

al. prohibētur, ita castellis & operibus ab ingress.

B *Trib. pleb.*] *L. Antonius, Saluius, & alij Antoniani.* *Ille biennij.*] *Iulius Cæsar legem tulerat, ne Prætoriæ prouinciæ plus quàm annum, neu plus quàm biennium cõsulares obtinerentur, ut in prima Philippica dicit Tullius. Antoniani uerò Tribuni plebis tulerant, ut illæ biennij, istæ sexennij obtinerentur. Ex quo effici uult orator, quod paulo ante proposuit: Antonium cum Cæsaris acta se defendere dicat, eius leges, quæ uerè eius acta sunt, peruertere. Atq; in singulis ferè orationibus hæc repetit, ad inuidiam conflandam Antonio.* *Ille.*] *Iul. Cæsar.* *Isti.*] *Tribuni scilicet. alij legunt, Iste, ut uel ad L. Antonium, uel ad M. Antonium referatur.* *Num etiam.*] *Sunt percunctationes, quæ negationem requirunt.* *Nónne ante factam.*] *Latam. rarum est legem facere. Hic erat ordo ferendarum legum: scribebantur primum, deinde, trinundino promulgabantur, postremo, in æs incisæ, Capitolio affigebantur, & tunc latæ dicebantur. Sed hæc Antonij, neq; scripta, neq; promulgata de more, lata ab eo fuerat.* *Vbi lex Cæcilia & Didia?*] *Quam Cæcilius & Didius Trib. plebis tulerant de rogandis legibus, ut nullam uim obtinerent, ni magistratus populum rogaret, nisi item trinundino promulgarentur perscriptæ, hoc est tribus nundinis recitarentur, cum omnis ex agris adesset multitudo, ut si quis uellet, posset intercedere.* *Vbi promulgatio?*] *Hic distinguendum est omnino.*

Trinundinum?] *Id est, ubi trinundinum. Erat autem trinundinum, trinæ nundinæ: nundinæ uero mercatus, qui nono quoq; die erat. oportebat autem leges ternis nundinis promulgari, hoc est ter in 27. diebus.* *Vbi pœnæ recenti lege Iunia, & Licinia.*] *Sic enim legendum, non, ubi pœnæ recentes, lex Iunia, & Licinia? legi tamen etiam rectè posset: ubi pœnæ recentes, lege Iunia, & Licinia? hæc lex superiorem illam Cæciliam, & Didiam confirmabat, pœna etiam grauiore adiecta. Latam autem hanc opinor, à L. Licinio Murena, & D. Iunio Syllano, qui post Ciceronem consu*C *les fuerunt, & propterea recentem appellatam. Et Cæcilia & Didia, non duæ, sed una erat lex, ut Cicero ad Atticum lib. 2. & 4. testatur, qui de omnibus huiusmodi legibus mentionem facit. In Vatinium quoq; Iuniæ & Liciniæ meminit.*

Possunt ne hæ leges?] *Latæ ab Antonio de prouincijs.* *Reliquarum.*] *Cæsaris, & aliorum quos modò memorauit.* *Eccui.*] *Numcui? quasi dicat, nulli. ergo per uim, latam esse arguit.* *Quæ porrò illa tonitrua?*] *Et contra auspicia, latas esse ostendit.* *Aut si auspicia.*] *Hoc est, si propter religionem non metuit, saltem prohiberi ui tempestatis, nisi cupiditate arderet, debuisset. atq; hæc ad illius exaggerandam dominandi libidinem pertinent.*

Quam legem igitur.] *Concludit ab antecedentibus, nam si Ioue tonante, ergo contra auspicia.* *Sed prope cœlesti clamore.*] *Tonitruis enim cœliq; sonitu, quasi clamore, Iupiter ipse ferre legem prohibebat. Est enim tonitrus, quasi uox quædam dei, & clamor: qua figura dicẽdi, uates nostræ religionis frequenter utuntur.* *Quid, quod?*] *Aliud uitium, quod illam legis lationem infirmet.* *Sua nunciatione.*] *In secunda Philip. Augur auguri (inquit) consul consuli nunciausti, &c.* *Vitiosum, siue uitiose, & contra auspicia creatum. In Philip. 2. Quandiu tu uoles, uitiosus consul Dolabella: Rursus cum uoles, saluis auspicijs creatus. quæ ad hunc locum faciunt, à nobis illic explicata reperies.* *Bonus augur.*] *Ironia. imperitum enim & peruersum intelligit.* *Sed auspiciorum.*] *Transit ad uim, ut ostendat non modo contra auspicia, sed etiam per uim, Antonium leges tulisse.* *Erimus interpretes.*] D *Ad nostrum collegium aliquando ista referentur: tunc uidebimus an auspicia rectè, & ex augurali disciplina, seruarit, & sit interpretatus Antonius.* *Eius collegæ.*] *Qui etiam augures sumus.* *Num ergo etiam armorum interpretes quærimus?*] *Quasi diceret, si in auspicijs fuit aliquid obscurum, quod interpretatione egere uideretur, at uis, & arma Antonij clariora sunt, quàm ut interpretatione elabi crimen possit. Primũ omnes fori aditus.*] *Vim Antonij exponit, & rem ante oculos ponit.* *Nisi septis reuulsis.*] *Repagulis & cancellis, quibus undiq; forum septũ fuerat, quod comitiorum die fiebat. Ouidius in Fastis, Est quoq; quo populum fas est includere septis.* *Præsidia.*] *Armatorum hominum.* *Aditus.*] *Ingressio.* *Castellis.*] *Genus castrensis munitionis, ex lignis, quo muniunt se in castris milites, ab hostium incursionibus. alioqui castellum, paruum est oppidum, siue castrum. in qua significatione illud est D. Bruti lib. 11. Epist. Fam. Multa castella cepi.* *Aggeribus.*] *Terræ cumulis, & tumulis, & fossa circunductis. Legitur etiam operibus in hunc modum: ut quomodo aditus hostium prohibentur, ita castellis, & operibus ab ingressione &c. quæ lectio mihi non displicet. nam &, operibus, uerbum est castrense, ut Cicero Philippica 13. Quam cum operibus munitionibusq; sepsisset, loquitur de obsessa Mutina.* *Ingressione.*] *Ingressu, aditu, introitu.*

Propulsari uideres.] *Videre posses: aut uidere posset qui adfuisset. Vergilius Buc. in Sil.*

Tum uero in numerum Faunosq; ferasq; uideres A
Ludere, &c.

Quibus de causis.] Concludit sententiam suam de legibus Antonianis, in hunc modum. Leges contra Auspicia, & per uim latæ non tenent: Tales sunt leges Antonij: non tenent igitur. utranq; propositionem, supra confirmauit.

Non teneri.] Non obstringi, non obligari. *Si quam legem.] Moderate hoc Cicero & prudenter, qui Antonij bonas leges retinendas esse censet, ne hominis odio potius, quàm Reip. utilitate, eas reijcere uideatur. Verum ita eas retineri uult, ut more & ordine promulgentur, atq; ita non quasi ab Antonio, sed S.P.Q.R. autoritate ferantur.*

Deintegro.] Denuo, ut iterum rogentur, quasi rogatæ non essent. *Gladiatoris.] Violenti, qui nihil nisi per uim faciat, qui in armis semper est, & armatus per urbem incedit.*

Illa uero dissipatio pecuniæ publicæ, ferenda nullo modo est: per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusq; auertit: ut portenti simile uideatur, tantam pecuniam populi Romani tam breui tempore perire potuisse. quid illi immanes quæstus? ferẽdi ne? quos M. Antonij tota exhausit domus? decreta falsa uendebat: regna, ciuitates, immunitates, in æs accepta pecunia, iubebat incidi. hæc se ex commentarijs Cæsaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. in interiore ædium parte totius Reipublicæ nundinæ: mulier sibi felicior, quàm †uir, auctionem prouinciarum, regnorũq; faciebat: restituebantur exules, quasi lege, sine lege. quę nisi autoritate Senatus rescindantur, quoniam ingressi in spem Reipublicæ recuperandæ sumus: imago nulla liberæ ciuitatis relinquetur. Neq; solum cõmentarijs cõmenticijs, chirographisq; uenalibus, innumerabilis pecunia congesta in illam domum est: cum quæ uendebat Antonius: ea se ex actis Cæsaris agere diceret: sed Senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat: syngraphæ obsignabantur: Senatusconsulta tanquam facta ad ęrarium referebantur. Huius turpitudinis testes erant etiam exteræ nationes. fœdera interea facta: regna data: populi prouinciæq; liberatæ. earum rerum falsæ tabulæ gemente populo Rom. toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coaceruata est; ut, si hoc genus in unũ redigatur, non sit pecunia pop. Romano defutura.

B (margin: al. uiro)

Illa uero dissipatio.] Dispersio, consumptio, dilapidatio. Pergit & reliqua Antonij acta cõmemorare, ut ea improba esse ostendat, & contra Remp. & proinde rescindenda. *Per quam.] Dissipationem.* *Septies millies.] Intelligendũ est, Sestertiũm. In Philip. 2. Vbi est septies millies sestertiũ, quod in tabulis quæ ad Opis sunt, patebat, &c.* C

Falsis perscriptionibus.] Falsis decretis, cõmentarijs cõmentitijs, chirographisq; uenalibus. de quibus, & omnibus sequentibus satis dictum est in secunda Philippica. *Auertit.] Interuertit, sibi usurpauit, in suum usum dolo conuertit, unde & auerti patrimonium, & hæreditas dicitur.* *Vt portenti simile uideatur.] In 2. Philip. Incredibile, inquit, ac simile portenti est, quonã modo illa tam multa, quàm paucis, non dico mẽsibus, sed diebus effuderit, &c. alia ibi præclara.* *Exhausit.] Absorpsit, absumpsit, quasi charybdis, & uorago quædam.* *In æs &c. iubebat incidi.] Falsa decreta scilicet, ut alibi dixit.* *In interiore ædium parte.] In Gynæceo, ut in secunda Philippica dixit. In tertia uero, At uero huius domi, inter quasilla illius, appendebatur aurum, non numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium Reip. uel pop. Romani nundinabantur.* *Mulier sibi felicior, quàm uiro.] Id est quàm uiris. de Fuluia enim loquitur, quæ mulier fatalis & funesta uiris uidebatur, ut in secunda Philippica ostendimus. Fuluia enim cum P. Clodio nupserat, interfectus est: cum Curione, eundem habuit exitum. Quod igitur eo fa'o nata uidebatur, ut cui nuberet, ei interitum afferret, idcirco orator modo fatalem uiro, ut secunda Philippica, modo feliciorem sibi quàm uiro, ut hoc loco, dicit. Quod si quàm uir, legere placet, ut quidam codices habent, hæc erit sententia, Fuluiam quæ ex beneficiorum uenditionibus acciperet, optime sibi seruare, cum Antonius omnia illico effunderet: unde postmodum egere cogebatur. sed prior lectio uerior est.* D *Quæ nisi.] Acta Antonij dicit esse rescindenda, & abroganda: quòd dum ea uim obtinuerint, libertas esse nulla possit. Est ergo locus ex repugnantibus, quod acta Antonij & libertas simul esse non possint.* *Cõmentarijs cõmentitijs.] Fictis, falsis, à cõminiscor. Agnominatio est, ex coniugatione facta.* *Syngraphæ.] Quid syngraphæ, quid item chirographa, quidq; inter se differant, dictum est in secunda Philippica.* *Ad ærarium referebantur.] Omnia publica acta, omnes tabulas, ad ærarium referebant Romani, in eoq; religiosissimè seruabant. Erat enim Saturni templum, ut Plutarchus & alij testãtur. Vbi enim pecunia publica, ibi quoq; reliqua monumenta Reip. reponebantur.* *Quibus rebus tanta pecunia.] Itaq; tanti acerui nummorum apud istum construuntur, ut iam appendantur, non numerentur pecuniæ, Philippica secunda.*

Is etiam legem iudiciariam tulit, homo castus atq; integer, iudiciorum & iuris auctor. in quo uos fefellit. antesignanos, & manipulares, & alaudas iudices se constituisse dicebat. at ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos. O consessum iudicũ præclarum: O dignitatem consilij admirandam. pauet animus apud consiliũ illud pro reo dicere. †Cydam Cretensem, portentum insulæ, hominem audacissimum, & perditissimum. sed fac ita non esse. num latine scit? num ex iudicum genere & forma? num (margin: Deesse hic aliquid uidetur)

 leges

A leges nostras moresúe nouit? num deniq; homines? est enim uobis Creta notior, quàm Roma Cydæ. delectus autem & notatio iudicum etiam in nostris ciuibus haberi solet: Gortynium uero iudicem quis nouit? aut quis nosse potuit? Nam Lysiadem Atheniensem pleriq; nouimus: est enim Phædri philosophi nobilis filius: †homo præterea festiuus: ut ei cum M. Curio consessore eodem, & collusore facillime possit conuenire. quæro igitur, si Lysiades citatus iudex non responderit, excuseturq; Areopagites esse: nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res iudicare: accipiet ne excusationem is, qui quæstioni præerit, græculi iudicis, modo palliati, modo togati? an Atheniensium antiquissimas leges negliget? qui porrò ille consessus dij boni? Cretensis iudex, isq; nequissimus. quem ad hunc reus adleget? quomodo accedat? dura natio est. at Athenienses misericordes. puto ne Curium quidem esse crudelem: qui quotidie periculum fortunæ faciat. sunt item lecti Iudices: qui fortasse excusabuntur: habent enim legitimam excusationem: exilij causa solum uertisse: nec esse postea restitutos. hos ille demens iudices legisset? horum nomina ad
B ærarium detulisset? his magnam partem Reipublicę credidisset, si ullam speciem Reipublicæ cogitauisset?

al. quo nemo præterea magis festiuus

Is etiam legem iudiciariam.] *Qua tertiam iudicum decuriam, ex hominibus nequissimis conflauerat, de qua in prima Philippica dictum est.* *Homo castus atq; integer.*] *Incorruptus, qualem decet esse iudicem, & eum qui iudicia constituat. sed hic ironia est, quoniam talis non erat Antonius.* *Auctor.*] *Proprie ab augendo hic dicitur, quod auxerit decurias iudicum. aliâs uel autor à græco αὐθέντης, ut quidam putant: uel autor sine spiritu, quasi αὐτός, ut ego censeo, ab illa præsertim Pythagoræ discipulorum consuetudine, qua cum quid firmum & uerum esse significare uolebant, dicebant αὐτὸς ἔφα: ipse autem erat Pythagoras, quasi penes quem summa esset autoritas.*

Antesignanos.] *Primipilos, centuriones. nam hi uix inter se differunt, ut ex Liuio & alijs discere licet. Cicero quidem, quos hic antesignanos, Philippica prima centuriones, & qui ordines duxerunt, uocat. hi enim ante signa in acie collocabantur, quia fortissimi habebantur: præerat uero centurio tribus uexillis, ut ex disciplina militari ueterum didicimus.* *In quo nos fefellit.*] *Ostendit bis peccasse Antonium, tum quod iudicia frustra auxerit, tum quod non eos constituit, quos decebat, sed flagitiosos.* *Manipulares.*] *Minoris dignitatis hi erant, quàm centu-*
C *riones. Erat enim manipulus, exigua militum manus, & pars centuriæ, decem siue ut alij uiginti milites continens. Seruius in Aen. 11, Maniplos pro manipulos, signiferos interpretatur. hinc fit manipularis, quod interdum militem quemuis de manipulo, significat, interdum (ut hoc ipso in loco) ipsum manipuli signiferum, qui etiam centurio dicitur.*

Et manipulares & Alaudas iudices.] *Id est iudices manipulares, ex legione Alaudarum, ut in prima Philippica dixit.* *At ille legit.*] *Elegit, constituit, asciuit.* *Aleatores.*] *Hominum infame genus in omni bene constituta Republica.* *Legit exules.*] *Condemnatos, ergo etiam infames.* *Legit Græcos.*] *Homines uanos & mendaces, cum in iudicijs grauitas, & ueritas requiratur maxime. Et repetit uerbum legit, & membratim dicit, ut mora retineatur auditor.* *O consessum iudicum præclarum.*] *Exclamat in iudicum indignitatem, & est ironia. Consessus uero ut Senatus, duo significat, & locum, & personas ipsas iudicum. Græci συνέδριον dicunt. Hic autem consessum, consilium ipsum significat, & iudicum decuriam.* *Pauet animus.*] *Amplificat rei indignitatem, ex eo quod quibus dicendum pro reo sit, ij iudicum exhorreant peruersitatem.*

Cydam Cretensem.] *Nominatim profert quosdam ex iudicibus, eosq; describit, ut indignitatem ostendat. Itaq; Cydam Cretensem dicit, ut etiam si nihil præterea adderet, nequissimum intelligeres, qui Cretensis sit. Scitum est illud Græcorum τρία κάππα κάκιστα, Id est, Tria cappa pessima: quo Cilica, Cappadoca, & Cretensem notabant. Ro-*
D *mani tres Cornelios, ex Sibyllinis uersibus intellexerunt. Cornelium Syllam, Cinnam, & Lentulum, eum qui cum Catilina coniurauit. De Cretensibus quidem Epimenidis uersus est, à Paulo quoq; apostolo citatus ad Titum. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri. hinc etiam, κρητίζειν, quod est fallere, decipere, mentiri, Cretensium more.* *Sed fac ita non esse.*] *Formula, cum aliquid concedimus, ut aliud addamus incommodum. pro quo inepti dicunt, Ponamus ita esse.* *Num latine scit?*] *Alia proponit, quæ nisi teneat, etiam si alioqui bonus, non tamen iudicia possit exercere: linguæ latinæ scientiam, iuris, & iudiciorum, forique formulas, leges & mores ciuitatis, & deniq; homines ipsos, quorum omnium Cydam Cretensem imperitum esse dicit.* *Num latine scit?*] *Num latine & loqui nouit, & loquentes intelligere? Elegans erat Romanis loquendi formula. Cicero de Clar. Orat. Non tam præclarum est scire latine, quàm turpe nescire. hinc Iuuenalis: Omnia græce: Cum sit turpe magis nostris nescire latine. quidam intelligendum esse uerbum, loqui, censent, sed nihil est opus, cum expressum à ueteribus nusquam legatur.* *Leges.*] *Quæ scriptæ sunt. nam ius partim scriptum est, partim non scriptum. Et leges ad non scriptum ius, mores ad scriptum referuntur Instit. libro 1.* *Mores.*] *Consuetudo maiorum, quæ uim legis obtinet, ut iurisconsulti tradunt. Inst. lib. 1.* *Delectus autem & notatio iudicum.*] *Delectus de bonis dicitur, Notatio de malis.* *Etiam in nostris.*] *Vt non nisi spectati admitterentur. Ergo, multo magis, in alienis, & peregrinis. Seruatum est (inquit Plinius) in hodiernum diem, ne quis è nouis ciuibus in Decurijs iudicum iudicaret. Idem tamen autor, ad iudicandi munus, prouinciales quoq; admissos fuisse dicit.*

Gortynium

Gortynium uero.] Alium iudicem profert, eumq; Cretensem. nam Gortyna urbs insulæ Cretæ illustris quondã fuit, ut Strabo testatur. hunc reijcit, quasi hominem penitus ignotum. Nam Lysiadem.] Et hunc duplici de causa reijcit, tum quòd festiuus sit scurra, tum quòd sit Areopagites. At iudicem seueritas grauitasq; decet. Areopagites, quàm Athenis, alibi non potest iudex sedere. Cum M. Curio.] Is erat & aleator & impurus scurra, unus ex lectis ab Antonio iudicibus. Consessore eodem & collusore.] Ostendit ex dissimilitudine, quàm male conueniat, eundem & iudicem esse & aleatorem, cuiusmodi erant Lysiades & Curius. nam quod dicit, consessore, ad iudicia pertinet: collusore, ad aleæ ludum. Quæro igitur.] Negat Lysiadem posse iudicem esse Romæ, quòd sit Areopagites. Sic enim senatores & iudices rerum capitalium Athenis uocabantur, Solonis consilio primum constituti, ut Cicero de Off. lib. primo testatur. Areopagus autem Martis uicus, & regio fuit Athenis. Citatus iudex.] Nominatus, & appellatus à quæsitore, qui iudicum nomina in albo, id est tabella descripta habebat, & unum quemque suo nomine appellabat. A

Res iudicare.] Iudicẽ esse, iudicis officiũ exercere, officio iudicis fungi. Qui quæstioni præerit.] Id est quæsitor, siue prætor. Græculi.] Vani. & nominis diminutionem ad contemptum facit. Modo palliati.] Id est, modo Athenis, modo Romæ iudicantis: & hoc ad contemptum Græculi hominis dixit. Illud autem præcipuum est, pallium ita proprium fuisse Græcorum, ut togam Romanorum: unde Græcæ fabulæ palliatæ, Romanæ uero togatæ appellatæ. An Atheniensium antiquissimas leges?] Quibus cauebatur, qui Areopagites esset, eum non debere dum Areopagites erat, Romæ & Athenis iudicare: tanti enim faciebant in Areopago iudicare, ut turpe ducerent, Areopagiten alibi, quàm in Areopago iudicia exercere. Qui porrò ille consessus dij boni?] Permouet animos rei indignitate, ut paulo ante: O consessum iudicum præclarum! ó dignitatem consilij admirandam! Cretensis iudex, isq; nequissimus.] Cydas, utpote Cretensis. Male enim Cretenses semper audiuerunt. Quẽ ad hunc reus alleget?] Deprecatorem aut defensorem mittat. Cicero l. V. tertia: Petit a me Rabonius, & amicos allegat, facile impetrat. Item pro S. R. Homines nobiles allegat ijs, qui peterent, &c. In hac mittendi significatione semper utitur Cicero, nunquam pro citare, adducere, proferre testes, quod faciunt Iurisconsulti quidam, & alij. Quo modo accedat?] Qua defensione, quo dicendi genere, qua oratione instructus. Dura natio est.] Cretenses asperi, inhumani, intractabiles sunt. B

At Athenienses misericordes.] Ironia. per occupationem ad Atheniensem iudicem eludendum. Puto ne Curium quidem.] Ludit in Curium illum aleatorem, qui sæpe in alea periculum fortunæ faciat, ex qua re discere possit, & aliorum qui periclitantur misereri. Notum est illud Didonis apud Virgilium:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Sed hæc omnia Cicero per ironiam & dissimulationem dicit. Sunt item lecti iudices.] Hos non nominat, sed reijciendos esse docet, quòd exilij causa solum uertissent, nec essent restituti, quare iudices esse Romæ non poterant.

Habent enim legitimam excusationem.] Et hæc ironia est, qua turpem eorum excusationem ostendit: quamobrem iudices esse non possint. Solum uertisse.] Hoc est sedem ac locũ mutasse, ut Cicero ipse pro Cecinna interpretatur. Vno uerbo Latini autores dicunt etiam exulare. nam exulare est in exilio esse, exulem esse. significat autem Cicero, eos decoxisse, & soluendo non fuisse, idcirco in exilium abiuisse. Hos ille demens.] Antonius. & est locus indignationis, & facit traductionem in casuum mutatione, Hos, Horum, His. Horum nomina ad ærarium.] In ærario non solum iudicum nomina, sed & reliquorum magistratuum, omniumq; actorum publicorum scripta custodiebantur, ut supra quoq; diximus. Speciem reipub.] Fortunam, statum, & rationem. C

Atq; ego de notis iudicibus dixi. quos minus nostis, nolui nominare. saltatores, citharistas, totum deniq; comessationis Antonianæ chorum, in tertiam decuriam iudicum scitote esse collectum. hæc causa, cur lex tam egregia, tamq; præclara, maximo hymbri, tempestate, uentis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ferretur: ut eos iudices haberemus, quos socios ad epulas habere, quos hospites nemo uelit. scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio eius pecuniæ, cuius ratio in æde Opis confecta est: hanc tertiam decuriam excogitauit: nec ante turpes iudices quæsiti, quàm honestis iudicibus nocentium salus desperata est. Sed illud os, illam impuritatem cœni † fecissent: ut hos iudices legere auderet: quorum lectione duplex imprimeretur reip. dedecus: unum, quòd tam turpes iudices essent: alterum, quòd patefactum cognitumq; esset, quàm multos in ciuitate turpes haberemus. hane ego & reliquas huiusmodi leges, etiam si sine ui, saluis auspicijs essent rogatæ, censerem tamen abrogandas. nunc uero non abrogandas censeam, quas iudico non rogatas? D al. fecisset

Atq; ego.] Cur non omnes nominarit, quia non sunt noti, quia obscuri homines: & est occupatio. Saltatores.] Summatim iudices Antonianos describit, ut ostendat leuissimos quosq; esse delectos. Nam & saltatores & citharistæ leues semper habiti sunt. Talem chorum Catilinæ quoq; uitio dat Oratione secunda. Item pro Murena: Saltatorem, inquit, appellat L. Murenam Cato, maledictum est, si uere obijcitur. Et ibidem, intempestiui conuiuij, & multarum deliciarum comitem extremam, dicit esse saltationem. Chorum.] Sodalitium, cœtum. uox est Græca χορὸς, à χάρα, id est lætitia, ut Plato lib. 2. de Legibus docet. Hæc causa cur lex tam egregia.] Amara ironia, & indignationis plena. Maximo hymbri.] Omnia uerbis amplificat, ut scelus adaugeat Antonij, qui contra tanta tamq; aperta cœli signa, legem nefariam ferri uoluerit. Hæc quæ hic de cœlo facta describit Cicero, omnia leguntur, quum Moses le-

A gem Dei ferret Israelitis: quæ res etiam portendebat legis illius seueritatem & acerbitatem. Contrà Euangelium, uiteq; lex cœlo tranquillo atque sereno, lenißima & amabilißima Christi uoce lata fuit, ut in ea quoque legis, aut potius gratiæ suauitatem intelligeres. Quare elegans est hic locus, quum ad eum qui in Mose est uerbis exprimendum, tum ad naturam utriusque legis cognoscendam. Tempestate.] Tempestas cœlestis est iniuriæ genus, in quo grandines, procellæ, cæteraq; similia intelliguntur: quæ quum inciderint, uis maior appellatur. Plinius libro Naturalis historiæ decimooctauo. Sic Cicero de Natura deorum libro tertio imbres, nimbos, procellas, turbines, uno tempestatis nomine appellat. Procellis.] Flatus uagi & ruentes torrentium modo, tonitrua & fulgura edunt: maiore uero illati pondere incursuq; si late siccam ruperint nubem, procellam gignunt, quæ uocatur ἐκνεφίας. Plinius libro secundo capite quadragesimo octauo. Turbinibus.] Turbo uentus est maxime frigidus, maiore depressæ nubis erumpens specu, sed minus lato quàm procella, nec sine fragore: proxima quæque prosternens & inuoluens, ut ex eodem Plinio didicimus. Fulmina & tonitrua.] Cicero de Diuinatione libro secundo: Placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ qui frigidi sunt, quum fluere cœperint, uentos esse: quum autem se in nubem induerint, eiusq; tenuißimam quamque partem ceperint, diuidere atque disrumpere, idq; crebrius facere, & uehementius, tum & fulgores, & tonitrua existere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Idem dicit Plinius libro secundo Naturalis historiæ. Quos socios ad epulas.] Magna illorum iudicum uituperatio ex minore. Signifi-
B cat enim Cicero eos esse nebulones & sicarios, quos nemo sine periculo, aut socios, aut hospites habere posßit.

Scelerum magnitudo.] Rei turpißimæ, causa turpißima fuisse ostenditur Antonio, cur tertiam illam decuriam elegerit, nimirum ut eius beneficio, scelerum suorum iudicium euaderet: quod fieri non posse uidebat, honestis & seueris iudicibus cognoscentibus. Duas igitur causas notat, quibus impulsus Antonius, hanc tertiam decuriam iudicum instituerit: quæ eædem etiam eum ad seditionem bellumq; ciuile impulerunt: cupiditatem eius pecuniæ, & ex sceleribus iudiciorum metum. Quas causas Aristoteles etiam dicit esse mutationis rerumpublicarum, Politicorum libro quinto.

Eius pecuniæ.] De hac pecunia sæpe dictum est, quæ erat ad Opis. Sed illud os, illam impuritatem cœni fecissent.] Locus hic haud dubie corruptus est, uarieq; legitur. In quibusdam enim codicibus pro cœni legitur cerni: pro sed, &: pro fecissent, fecisset. Ita fortaßis corrigendum sit: Et illud os, illa impuritate cœni fecisset, ut &c. ut hæc sit sententia: Quod hanc tertiam decuriam excogitauit Antonius, scelerum magnitudini aßignandum est: ut auderet quod excogitarat efficere, eius turpißima fecit impudentia. Lectione imprimeretur.] Electione inureretur, conciliaretur. Dedecus.] Ignominia, ignominiæ nota, turpitudo. Vnum quod tam turpes.] Locus à turpi, quo declarat quid ex illa iudicum lectione consequatur, nempe reipublicæ duplex turpitudinis nota. Quam multos.] Nam ex eo solent uituperari ciuitates, si cognitum sit eas sceleftis & impuris abundare. Hanc ego.] Ar-
C guit leges per uim latas, & rem exaggerat facta comparatione. Etiam si, inquit, sine ui essent rogatæ, abrogandas censerem, quòd sint perniciosæ: multo igitur magis abrogandas censeo, quia perniciosæ, quia ui & cõtra auspicia latæ, nõ rogatæ sunt. Nunc uero.] Ex minori ducit argumentum. Monimentis.] Decretis senatus, senatusconsultis.

An illa nõ grauissimis ignominijs monumentisq; huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda? quod unus M. Antonius in hac urbe post conditã urbem palam secum habuit armatos? quod neq; reges fecerunt, neque ij, qui regibus exactis regnum occupare uoluerũt. Cinnam memini: uidi Syllam: modo Cæsarem: hi enim tres post ciuitatem à L. Bruto liberatã, plus potuerunt quàm uniuersa resp. Non possum affirmare nullis telis eos stipatos fuisse. hoc dico: nec multis, & occultis. at hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustella, Tyro gladios ostentãtes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant Barbari sagittarij. Cum autem erat uentum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur: lecticæ collocabantur: non quòd ille scuta uellet occultasse, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrẽt, laborarẽt. Illud uero teterrimum auditu, non modo aspectu, in cella Concordiæ collocari arma-
D tos latrones, sicarios: è templo carcerẽ fieri: opertis ualuis Concordiæ, cum inter subsellia senatus uersarentur latrones, patres conscriptos sententias dicere.

An illa non grauiß.] Amplificat Antonij insolentiam in ferendis legibus, à rei nouitate, & confert eum cum regibus & tyrannis. Reges.] Tarquinius, & alij superiores reges Romanorum. Neq; ij.] Spurius Melius & Marcus Manlius Capitolinus. Cinnam memini.] Similis est locus Philippica secunda: Memineramus Cinnam nimis potentem, Syllam postea dominantem, Cæsarem regnantem uideramus, &c. Cinnam.] Cornelium Cinnam in Marianos crudelißimum. Nullis telis.] Nullis armis. Etsi enim C. Iurisconsultus ad legem Corneliam de sicarijs, telum dixit esse quodcunq; manu iacitur, quo nomine comprehendit etiam lignum, lapidem & ferrum: tamen usi etiam ueteres eo nomine leguntur pro gladio, sica, & pugione. ut Cicero in Miloniana: Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune uoluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? cum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum ab ipsis porrigi legibus. Hic enim quod antea telum, mox in legis interpretatione gladium appellauit: id quod ibidem paulo post bis facit. Item in Catilinam tertia: Atq; interea statim admonitu Allobrogum Caium Sulpitium prætorem, fortem uirum, misi: qui ex ædibus Cethegi siquid telorum esset, efferret. Ex quibus ille maximum sicarum numerum & gladiorum extulit. Videtisne, quæ tela dixit prius, eadem statim sicas & gladios appellasse? Omitto Plinium, apud quem libro 24. cap. 14. telum aliter

intelligi

intelligi, quàm pro omni armorum genere non potest. Quid quod uel ex hoc loco idem colligi potest? nam contentione A
quadam dicit reges telis stipatos fuisse, sed non multis & occultis: Antonij uero satellites gladios, eosq́; multos ostentasse.
Stipatos.] Munitos, septos, armatos. Hanc pestem.] Antonium pestiferum & perniciosum ciuem.
Agmen.] Multitudo, acies. Est enim proprie agmen exercitus progrediens. Gladios ostentantes.] Hypotyposis, quæ rem ante oculos ponit. Ducebant.] Nam Classitius & Mustella & Tyro duces erant. Barbari sagittarij.] Ithyræi, de quibus alibi. Ad ædem Concordiæ.] Vbi senatus tum habendus erat. Lecticæ.] In quibus arma occultabantur, ad usum Antonianorũ. In Cella Concordiæ.] In æde, ut paulo ante dixit. Est enim hic cella templum, & sacra ædes. hinc quasi declarãs ait. E templo carcerem.] Senatum in templo, quasi in carcere inclusum fuisse dicit. Apertis ualuis.] Opertis legendum, hoc est clausis, ut in secunda Philippica: Cur ualuæ Concordiæ non patent? Sic operire domum Catullus, ostium Terentius, portam Varro dixit.

Huc etiam nisi uenirem Calendis Septembris, fabros se missurum, & domum
meam disturbaturum esse dixit. Magna res credo agebatur. de supplicatione referebatur. Veni postridie: ipse non uenit. Loquutus sum de republica minus quidem
libere, quàm mea consuetudo, liberius tamen quàm pericula minæq́; postulabant.
At ille homo uehemens & uiolentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi exclu- B
deret: fecerat enim hoc idem maxima cum laude Lucius Piso triginta diebus ante me:
inimicitias mihi denunciauit: adesse in senatu iussit ad decimumtertium Calend. Octobris. ipse interea decem & septem dies, ut digestio potius quàm declamatio uideretur, de me in Tyburtino Scipionis declamitauit, sitim quærens: hæc enim ei causa esse solet declamãdi. Cum is dies, quo me adesse iusserat, uenisset: tum uero agmine quadrato in ædem Concordiæ uenit: atque in me absentem orationem ore impurissimo
euomuit. quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum uenire licuisset, cędis initium
fecisset à me: sic enim statuerat. Quum autem semel gladium scelere imbuisset: nulla
res ei finem cædendi, nisi defatigatio & satietas attulisset. Etenim aderat L. frater gla-
diator Asiaticus, qui Myrmillo † Trallibus depugnarat: sanguinem nostrum sitiebat: *al. Mylasis*
suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. Hic pecunias nostras æstimabat:
possessiones notabat, & urbanas, & rusticas: huius mendicitas auiditati coniuncta in
fortunas nostras imminebat: diuidebat agros quibus, & quos uolebat: nullus aditus
erat priuato: nulla æquitatis deprecatio: tantum quisque habebat possessor, quantum C
reliquerat diuisor Antonius. quę quanquam, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt: tamen separatim suo nomine notanda censeo: iudicandumq́; nullos septemuiros
fuisse: nihil placere ratum esse, quod ij egissent, aut ab ijs actum diceretur.

Huc etiam nisi.] De hac re prima Philippica satis multa diximus. Magna res credo.] Ironia illudit. Annibal credo erat ad portas, ut in prima oratione dixit. Consuetudinem libere dicendi.] Magna erat dicendi libertas Romæ, quæ res ualde homines deterrebat à malefactis, & erat liberæ ciuitatis magnum argumentum. nam ubi tyranni dominantur, non sunt liberæ linguæ. De libertate loquor, non de procacitate. Triginta diebus ante.] Calendis Sextilibus, ut in prima dixit. Decem & septem dies.] Hoc addidit, ut hominis notaret infantiam.
Vt digestio potius.] Crapulæ concoctio, & ex hoc Antonij quæsita uituperatio. Vini exhalandi (ut in secunda dixit) non ingenij causa declamitas. quanquam illa uerba, ut digestio, &c. non sunt in omnibus exemplaribus.
Agmine quadrato.] Ad pugnam disposito & instructo. Et de hac re alibi dictum. Si per amicos.] Si amici permisissent, actum de me erat. Cædis initiũ.] Nolebat reliquos senatores, sine me occidere. nam me primum petebat: quo interfecto, & bonos omnes trucidasset. Locus est uehemens ad odium in Antonium cõcitandum. Et de hac re uide Epist. famil. lib. 12. Epistola secunda. Etenim aderat L. frater.] Facit uerisimile quod dixit. D
Qui Myrmillo.] Gladiatoris nomen, ut antea diximus. Vtebantur Myrmillones armatura Gallica: unde etiã Galli uocati. Myrmillo opponebatur Thraci, & interdum Retiario gladiatori. hic reuera Myrmillonem fuisse L. Antoniũ intelligendum est, quod Cicero ad eius uituperationem profert, non ut etiam M. Antonium gladiatorem appellauit, qua de re Philippica secunda Cicero ipse explicabit. Mylasis.] Vrbs est Asiatica in Caria teste Ptolemæo. alij Ioniæ ascribunt. Mylasis sextus est casus pluralis. declinatur enim Mylasa, siue Mylassa Mylassorum, genere neutro. Quædam exemplaria pro Mylasis habunt Trallibus, quæ & ipsa urbs est in Caria. Sanguinem nostrum sitiebat.] Odij et indignationis locus grauissimus. Hic pecunias nostras æstimabat.] Bona nostra & fortunas omnes, ut quantum tributi pendere deberemus intelligeret. Ergo æstimabat, id est tributum ad æstimationem bonorum imponebat. Et attende hoc loco similiter desinentibus, hisq́; alternis quæsitam concinnitatem numerosam. Possessiones notabat.] Possessio, usus est & proprietas quædam agri, aut ædificij, non fundus aut ager ipse. hic uero ut alibi sæpe pro prædijs accipitur. Quæstio est, Fundus à possessione, uel agro, uel prædio quid distet. Respondet Iabolenus Iurisconsultus Digestorum libro quinquagesimo De uerborum & rerum significationibus, Fundum esse omne quicquid solo tenetur: Agrum speciem fundi, qui ad usum hominis comparatur: possessionem uero ab agro iuris proprietate distare. Quicquid enim apprehendimus

A prehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus est, ager proprietas loci est, prædium utriusq; suprascriptæ rei generale nomen est. Nam & ager, & possessio, huius appellationis species sunt. Et urbanas.] Quod genus sunt ædes & horti. In Pandectis De uerborum & rerum signific. Et rusticas.] Vt agros, rura, uillas, & id genus alia. Huius mendicitas.] L. Antonij egestas: sed grauius est mendicitas. Auiditati coniuncta.] Quæ duo solent homines ad maleficia impellere: locus ex efficientibus, siue (ut rhetores dicunt) ex impulsione. In fortunas nostras imminebat.] Perstat in eadem expolitione, quo rem exaggeret magis. Diuidebat agros.] Aliud profert L. Antonij facinus, qui agros à Pompeianis ablatos, pro sua libidine diuideret. Nullus aditus.] Superbiam & tyrannidem L. Antonij notat. Diuisor Antonius.] Diuidendis agris à M. Antonio fratre præfectus. Quæ quanquam.] Sententiam suam dicit de Antonij actis, & decreti formulam præscribit. Rata esse non possunt.] Verum dicit. nam reliqua acta, legum partes sunt: ergo sublato genere, tolluntur etiam species. Notanda.] Nominanda, ut de his seorsim decretum fiat, & abrogentur. Iudicandumq;.] Censet diuisionem agrorum rescindendam esse, & quicquid per septemuiros actum diceretur: Septem uiri creati fuerant, ad agros diuidendos, à L. Antonio tribuno plebis.

Marcum uero Antonium, quis esset qui ciuem possit iudicare potius quàm teterrimum B & crudelissimum hostem? qui pro æde Castoris sedens, audiente populo Romano dixerit, nisi uictorem uicturum neminem? num putatis Patres conscripti, dixisse eum minacius quàm facturum fuisse? quid uero? quod in concione dicere ausus est? se quum magistratu abisset, ad urbem uenturum cum exercitu: introiturum quotiescunq; uellet? quid erat aliud, nisi denunciare populo Romano seruitutem? Quod autem eius iter Brundusium? quæ festinatio? quæ spes? nisi ut ad urbem ocyus exercitum maximum adduceret? qui autem delectus Centurionum? quæ effrenatio impotentis animi? Quum eius promissis legiones fortissimæ reclamassent: domum ad se uenire iussit Centuriones, quos bene de republica sentire cognouerat: eosq; ante pedes suos uxorisq; suæ, quam secum grauis imperator ad exercitum duxerat, iugulari coegit. Quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos quos oderat, quum in eos, quos nũquam uiderat, tam crudelis fuisset? & quàm auidum in pecunijs locupletum: qui pauperum sanguinem concupisset? quorum ipsorum bona, quantaecunque erant, C statim suis comitibus compotoribusq; descripsit. Atque ille furens infesta iam patriæ signa Brundusio inferebat: quum Cæsar deorum immortalium beneficio, diuini animi, ingenij, consilij magnitudine: quum sua sponte eximiaq; uirtute, tum approbatione autoritatis meæ Colonias patris adijt: ueteranos milites conuocauit: paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronis impetus retardauit. Postea uero q̃ legio Martia ducem præstantissimũ uidit: nihil egit aliud, nisi ut aliquando liberi essemus: quam est imitata quarta legio. quo ille nuncio audito, cũ senatũ uocasset, adhibuissetq; Consularem: qui sua sentẽtia C. Cæsarẽ hostẽ iudicaret, repente cõcidit. Post aũt neq; sacrificijs solennibus factis, neq; uotis nuncupatis nõ profectus est: sed profugit paludatus. At quo? in prouinciam firmissimorum & fortissimorũ ciuium. qui illum, ne si ita quidem uenisset, ut nullum bellum inferret: ferre potuissent, impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium.

M. uero Antonium.] Censet Marcum Antonium etiam uerbo hostem esse iudicandum, quod probat ex causis, enumerans quæ dixerit & fecerit contra rempublicam: de quibus omnibus in tertia Philippica dictum est. Nisi uicto D rem, uicturum neminem: tyrannica & crudelis uox. Quid erat aliud.] Criminose dictum Antonij interpretatur. Quod autem eius iter Brundusium?] Ad accipiendas legiones quæ ex Macedonia redierant. Et obserua iter Brundusium more Græcorum dictum. Quæ effrenatio.] Insolentia, furor: rarum est uerbum effrenatio, & ab oratore deductione nouatum & fictum. Impotentis animi.] Impotens quæ mala sunt, mala quidem esse nouit, sed uictus agit ea & debilitatus, ut Aristoteles docet Ethicorum libro septimo. Impotenti contrarium est continens. nam potens aliud est, significat enim hominem affluentem opibus. Impotens igitur is dicitur, qui temperare & continere in officio motus animorum non potest, quos nouit esse malos, & rationi aduersos. Quos bene de repub.] Exaggerat factum ab eo, quod amicos reipub. interfecit: in eo ostendit se reipub. hostem esse. Vxoris suæ, quam secum grauis imperator.] Leuissimus, qui Fuluiam in castris haberet, cum ueterum militari disciplina, mulieres in castris habere nõ liceret, quòd eorum consuetudine uiri effœminarentur, & curandis mulieribus intenti, minus strenue rem bellicam administrarent. Quo animo hunc.] Ex minori periculum quod ex Antonij ad urbem aduentu imminebat, exaggerat: quod alibi etiam fecit, quo maius Cæsaris Octauij beneficium appareat, qui ab urbe auertit Antonium.

Compotoribusq; descripsit.] Diuisit, distribuit. Hinc descriptio pro diuisione sæpissime à Latinis autoribus usurpata. Infesta.] Valde inimica, & crudelia, & perniciosa. Brundusio.] Id est ueniẽs siue profectus Brundusio. Cum Cæsar.] Talis est Cæsaris laus in tertia Philippica. Colonias patris.] Cæsaris Dictatoris,

qui

qui hunc Cæsarem adoptarat. Latronis.] M. Antonij. nam latro est, qui latrocinandi, & prædandi causa bellum gerit, qualis fuit Antonius. Oratorium est aũt hoc, pro nomine proprio, officij nomẽ usurpare, siue ad laudem fiat, siue ad uituperationem. Quo ille nuncio.] In tertia Philippica: Allato, inquit, nuncio de legione quarta, mente cõcidit. A

Concidit.] Perterrefactus est, & consternatus. effectum pro causa posuit. Consularẽ.] Non est mihi dubiũ, quin is aut L. Piso fuerit, de quo supra: aut Quintus F. Calenus. In tertia Philippica: Scriptam attulerat, inquit, consularis quidam sententiam. Neq; sacrificijs solennibus factis.] In bellum aut in prouinciam profecturi, & sacrificare solebant ante & exercitum lustrare, & uota nuncupare. Est autem uota nuncupare, uota nominatim proponere, si dij uictoriam darent, quæ nuncupata uota dicebantur: cuius rei exempla plurima sunt in Liuio. Vota uero concepta dicuntur, quæ non nominantur uerbis, sed tantum mente atq; animo concipiuntur. Non profectus est.] Philippica 3 sic hoc ipsum expressit: Quæ uero profectio postea? quod iter paludati? quæ uitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga? quàm fœda, quàm turpis? Sed profugit paludatus.] Turpe enim est magistratum omnibus militaribus ornamentis & insignib. instructũ profugere, qui alios tueri debeat. At quo?] A loco Antonij auget improbitatem.

Impotentem.] Intemperantem, effrenatum. Naturam & mores Antonij notatione graui describit, ut eum et in contemptionem & in odium adducat. Iracundum.] Ad iram procliuem, irasci facile consuetum. Superbũ.] Insolentem, imperiosum, inflatum. Semper poscentem.] Alieni appetentem, cupiditate ardentem.

Semper rapientem.] Rapacem, spoliatorem, prædonem. Semper ebrium.] Plus est quàm si dixisset ebriosum. De Antonij ebrietate & nequitia operæprecium est M. Cælij descriptionem recitare: Namq;, inquit, ipsum offenderunt temulento sopore profligatum, totis præcordijs stertentem, ructosos spiritus geminare, præclarasq; contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim: quæ tamen exanimatæ terrore, hostium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur. Nomen inclamabant frustra, ceruicibus tollebant blandius, alia ad aurem inuocabat uehementius, etiam nonnulla feriebat: quarum omnium cum uocem tactumq; noscitaret, proximæ cuiusq; collum amplexu petebat. neq; dormire excitatus, neq; uigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumq; iactabatur. B

At ille, cuius ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit prouinciæ Galliæ: circumsedit Mutinam firmissimam & splendidissimam populi Romani coloniam: oppugnat D. Brutum imperatorem, consulem designatum, ciuem non sibi sed nobis & reipublicæ natum. Ergo Annibal hostis? ciuis Antonius? quid ille fecit hostiliter? quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur & cogitet? Totum iter Antonij quid habuit? nisi depopulationes? uastationes? cædes? rapinas? quæ non faciebat Annibal: quia multa ad usum reseruabat: at hi, qui in horam † uiuunt: non modo de fortunis, & de bonis ciuium, sed ne quidem de utilitate sua cogitauerunt. Ad hunc, dij boni, legatos mitti placet? Norunt isti homines formam reipublicæ, iura belli, exempla maiorum? cogitant quid populi Romani maiestas, quid senatus seueritas postulet? Legatos decernitis. si ut deprecetur, contemnet: si ut imperetis, non audiet. Denique quamuis seuera legatis mandata dederimus, nomen ipsum Legatorum hunc quem uidimus, restinguet ardorem municipiorum atq; Italiæ franget animos. Vt omittam hæc, quæ magna sunt: certe ista legatio moram & tarditatem afferet bello. quamuis dicant, quod quosdam audiam dicturos: legati proficiscantur, bellum nihilominus paretur: tamen legatorum nomen ipsum, & animos molliet: & belli celeritatem morabitur. Minimis momentis, Patres conscripti, maximæ inclinationes temporum fiunt, cum in omni casu reipublicæ, tum in bello, & maxime ciuili: quod opinione plerunq; & fama gubernatur. nemo quæret quibus cum mandatis legatos miserimus: nomen ipsum legationis ultro missæ, timoris esse signum uidebitur. Recedat à Mutina: desinat oppugnare Brutum: decedat ex Gallia: non est uerbis rogandus: cogendus est armis. Non enim ad Annibalem mittimus, ut à Sagunto recedat: ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum, & Q. † Fabium Pamphilum: qui, si Annibal non pareret, Carthaginem ire iussi sunt. Nostros legatos quò iubebimus ire, si non paruerit Antonius? ad nostrum ciuem mittimus, ne imperatorem, ne coloniam populi Romani oppugnet. Itáne uero per legatos rogandus est? C al. uiuerent D al. Bebium

At ille.] Eandem repetit sententiam, sed alijs uerbis: commoratur in eadem re, & expolitione eandem rem uersat.

Cuius ne pacatam quidem.] Sine armis, inermem, ne si ita quidem uenisset, ut nullum bellum inferret, &c.

Bellum intulit prouinciæ Galliæ.] Enumeratione rem exaggerat. Ergo Annibal hostis, ciuis Antonius?] Enthymema ex repugnantibus, cuius uult contrarium confirmare: ut perfecta in hunc modum sit argumentatio. Si Annibal hostis, & Antonius. Sed primum est, ergo & secundum. Quid ille fecit?] Confirmat à signis, hostem Antonium esse. Aut non faciat.] Spargit coniecturam in tria tempora, ad eius augendam nequitiam.

A *Depopulationes.] Hæc non ciuis, sed hostis sunt crudelißimi. Quæ non faciebat Annibal.] Atrociorem ho-*
stem Antonium esse ostendit quàm Annibalem. At qui in horam uiuunt.] Minus dicit quàm in diem. hoc est qui
id solum quod adest, quodq; præsens est curant, quod Barbarorum est, ne dicam belluarum. Dij boni.] Exclama-
tio ad indignationem. Norunt isti homines.] Grauiter reprehendit aduersarios, ostendens eos contra formam
reipublicæ, contra iura belli, contra exempla maiorum, contra populi Romani maiestatem seueritatemq; senatus facere.
Legatos decernitis?] Repetit principalem sententiam, & caput ipsum quæstionis. Si ut deprecentur.]
Complexione refellit. Contemnet.] Eorum more qui rogati, duriores & superbiores fiunt. Deniq; quan-
tis.] Ab incommodis quæ secutura sunt, ab ista legatione deterret, ut initio fecit. Restinguet ardorem.] Emol-
liet & remittet studium. Municipiorum.] Liberarum in Italia ciuitatum. Franget animos.] Debilita-
bit, abijciet. Vt omittam.] Aliud profert incommodum. Quamuis dicant.] L. Piso & Saluius trib. ple-
bis, & Calenum. & est occupatio. Legati proficiscantur.] Eorum sermonem prosopopœia siue mimesi imitatur.
Animos molliet.] Restinguet ardorem, franget animos, ut ante dixit. Et belli celeritatem morabitur.] Mo-
ram & tarditatem afferet belli. rem enim eandem uersat & expolit. Minimis momentis.] Locus communis de
B *mutatione fortunæ, & occasione non omittenda, quo confirmat & declarat quod dixit, ex genere negocij. In exordio ter-*
tiæ Philippicæ: Breue tempus, inquit, longum est imparatis. Dies enim affert, & hora potius, nisi prouisum est, magnas
sæpe clades. Inclinationes.] Mutationes & cõuersiones. Quod opinione.] Non recto iudicio, & æqui-
tate considerata. ut bello ciuili Pompeiano multi Cæsarem sequebantur, quem audere: Pompeium deserebant, quem time-
re opinabantur. Nemo quæret.] A signis, timorem omnes colligent. Recedat à Mutina.] Ex antithesi
docet quid sit agendũ cum Antonio: & distributione amplificat. Non est uerbis rogandus, cogendus est armis.]
Imitatur Demosthenis locum ex prima Philippica: Non decretis tantum & literis cum Philippo bellum gerendum, sed
etiam factis. Non enim ad Annibalem.] Altera antithesis pars. Non enim, inquit, ad Annibalem mittimus ho-
stem, & externum ducem, sed ad Antonium ciuem. Vt à Sagunto recedat.] Saguntus Celtiberiæ in Hispa-
nia ciuitas: quam cum contra foedus cum Carthaginensibus ictum Annibal oppugnaret, missi sunt legati ad Annibalem,
atq; inde Carthaginem, si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in pœnam fœderis rupti deposcendum: sed neq; ab An-
nibale auditi, & à Carthaginiensibus despecti propter Barchinam, quam habuerunt Romani, aduersam factionem, re in-
fecta Romam redierunt: atq; interea Saguntus Romanis fidelissima urbs diruta & solo æquata fuit. Liuius libro 21.
Et Q. Fabium Pamphilum.] Vera lectio & hic & in Liuio est, Q. Bebium. Nam ubi sexcentos Fabios nomi-
C *nat, nullus Fabius eo cognomine notatur. Silius tamen Italicus secundo Punicorum libro Fabium nominat illis uersibus:*

Tristia magnanimi portabat iussa senatus,
Primoresq; patrum, Fabius Tyrinthia proles:
Huic comes æquato sociauit munere curas
Publicola.

Ad nostrum ciuem.] Cum indignatione ista sunt pronuncianda. Refertur autem ad id quod dixit: Non enim ad An-
nibalem mittimus.

Quid intereſt per deos immortales, utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum, coloniamq; populi Romani præſidij cauſa collocatam? belli Punici ſecundi, quod contra maiores noſtros Annibal geſſit, cauſa fuit Sagunti oppugnatio. Rectè ad eum legati miſſi. mittebantur ad Pœnum: mittebantur ad Annibalem pro hoſpitibus noſtris & ſocijs. Quid ſimile tandem? nos ad ciuem mittemus: ne imperatorem populi Romani, ne exercitum, ne coloniam circumſedeat: ne oppugnet: ne agros depopuletur: ne ſit hoſtis. Age, ſi paruerit: hoc ciue uti aut uolumus, aut poſſumus? ante diem decimumtertium Calend. Ianuar. decretis ueſtris eum cõcidiſtis: conſtituiſtis ut hæc ad uos Calendis Ianuarijs referrentur, quæ referri uidetis: de honori-
D bus, & præmijs bene de republica meritorum, & merentium: quorum principem iudicauiſtis eum, qui fuit: C. Cæſarem, qui M. Antonij impetus nefarios ab urbe in Galliam uertit. deinde milites ueteranos, qui primi Cæſarem ſequuti ſunt. tum illas cœleſtes, diuinasq; legiones, Martiam & Quartam: quibus cum conſulem ſuum non modo reliquiſſent, ſed bello etiam perſequerentur, honores & præmia ſpopondiſtis, eodemq; die D. Bruti præſtantiſſimi ciuis edicto allato, atque propoſito, factum eius collaudauiſtis: quodq; ille bellum priuato conſilio ſuſceperat, id uos autoritate publica comprobauiſtis. Quid igitur illo die aliud egiſtis, niſi ut hoſtem iudicaretis Antoniũ? His ueſtris decretis aut ille uos æquo animo aſpicere poterit? aut uos illum ſine dolore ſummo uidebitis? excluſit illum à repub. diſtraxit, ſegregauit, non ſolum ſcelus illius, ſed etiam, ut mihi uidetur, fortuna quædam reipublicæ. Quid? ſi legatis paruerit, Romamq; redierit: num quando perditis ciuibus uexillum, quò concurrant, defuturum putatis? ſed hoc minus uereor. ſunt alia, ob quæ magis nunq; ille parebit legatis. Noui hominis inſaniam, arrogantiam: noui perdita conſilia amicorum, quibus ille eſt dedi-

tus

tus. Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnauit, familiam ducit. si per A
se ipse sanus, quod nunquam erit: per hos esse ei tamen non licebit. Teretur interea
tempus: belli apparatus refrigescent. Vnde est adhuc bellum, nisi ex retardatione, &
mora? ut primum post discessum latronis, uel potius desperatam fugam libere sena-
tus haberi potuit: semper flagitaui, ut conuocaremur. quo die primum conuocati su
mus: quum designati Consules non adessent: ieci sententia mea maximo uestro con-
sensu, fundamenta reipublicæ serius omnino, quàm decuit: nec enim ante potui: sed ta
men si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum habere-
mus. OMNE malum nascens, facile opprimitur: inueteratum, fit plerunque robustius.
Sed tum expectabantur Calendæ Ianuariæ, fortasse non recte. Verum præterita omit
tamus. Etiamne hanc moram afferemus: dum proficiscantur legati? dum reuertantur?
quorum expectatio dubitationem belli afferet. Bello autem dubio quod potest stu-
dium esse delectus?

Quid interest?] *Galliam, atq; adeo Mutinam ipsam, urbis propugnaculum: ducitq; argumentum ex parte ad to-* B
tum. Sunt enim propugnacula, & muri, urbis partes, quas qui oppugnat, is urbem oppugnare dicitur, quia eis urbis secu
ritas nititur. *Coloniamq; populi Romani.*] *Mutinam, quam nunc Ferrariæ principes, quos duces uocant, tenēt.*
Vrbs est & hodie clara, ingenijsq; & hominibus ueram & sinceram Christi pietatem colentibus referta.
Belli Punici secundi.] *Vide Liuium libro 21. & hoc est expolita commoratio. nam & hic exempli dissimilitudi-*
nem ostendit. *Recte.*] *More, & iure, & ordine.* *Ad Pœnum.*] *Non ad ciuem Romanum.*
Ad Annibalem.] ἐμφατικῶς, *& per denominationē proprium nomen usurpauit: quasi diceret, ad externum &*
nominis Romani hostem sempiternum. *Quid simile tandem?*] *Ostendit dissimilitudinē, & legationis Antonia-*
næ absurditatem. *Ne coloniam circumsedeat.*] *Obsideat: & rem diuisione exaggerat.* *Ne sit hostis.*]
Totam diuisionem ad hoc reuocat uerbum: Ne sit hostis. nam in hoc omnia illa continētur, ne circumsedeat, ne oppugnet,
ne depopuletur. *Age si paruerit.*] *Profert aliud incommodum, nempe offensionis Antonij, quam ex actis sena-*
tus ostendit, quo difficilius uideatur Antonius ad rempublicam posse redire. *Ante diem decimum tertium.*] *Om*
nino est scribendum ante diem decimum tertium. nam de hac ipsa re loquens dixit initio huius orationis: Legatos uero ad
eum mittere, de quo grauissimum iudicium nudiustertiusdecimus fecistis, non iam leuitatis est, sed dementiæ.
Concidistis.] *Re ipsa hostem iudicastis, condemnastis. Atrox est uerbum, & translatum à corporibus quæ in frusta*
conciduntur & secantur. *Vertit.*] *Auertit ab urbe in Galliam, ubi nunc agit.* *Cœlestes diuinasq; leg.*]
Fortissimas, salutares, atq; optimas. Superlatio. *His nostris decretis.*] *Concludit & docet Antonij compositio-* C
nem neutra ex parte coire posse, quod neutri sint alterum laturi. *Exclusit illum.*] *Causam profert quæ Antonium*
à republica distraxit. *Destraxit, segr.*] *Articulus cum interpretatione, quam synonymiam uocant.*
Qui si.] *Aliud periculum, si Romam redierit Antonius, perditos ciues ducem in urbe habituros. ex quo uult inferre-*
re, non esse in urbem recipiendum. *Vexillum.*] *Antesignanum & ducem: per rhetoricam hypallagen.*
Sed hæc minus.] *Correctione colligit præcedentem locum, quo significauit Antonium legatis non pariturum.*
Noui hominis.] *Coniectura ex persona Antonij.* *Noui perdita consilia.*] *Coniectura ex amicorum perso-*
na. *Lucius quidem frater.*] *Coniectura à fratris persona.* *Qui peregre depugnauit.*] *Qui Myrmillo*
Mylasis depugnarat, ut antea dixit. *Familiam ducit.*] *Scilicet gladiatorum. Familiam autē ducere dicitur, quem*
cæteri eiusdem generis & sectæ sequuntur, ut autorem & ducem. nam familia pro secta usurpatur. hanc eandem formu-
lam usurpauit Cicero Famil. septimo de Trebatio loquens: Accedit etiam, inquit, quod familiam ducit in iure ciuili. & lib.
quarto de Finibus: sententiam, ducere familiam dixit, quæ maiorem uim habet, & maioris est pōderis, & quasi aliarum
caput: Sed primum, inquit, illud uide grauissimam illam uestram sententiam, quæ familiam ducit, Honestum quod sit, esse
solum bonum. *Teretur interea tempus.*] *Inaniter consumetur. Et certum incommodum subiungit, ex belli retar-*
datione, idq; antegressi temporis exemplo confirmat. *Interea.*] *Dum legati proficiscuntur, dum agunt, dum re-*
deunt. *Refrigescent.*] *Defrueſcent, restinguetur ardor, frangentur animi.* *Vnde est?*] *Commoratur in* D
eadem re, quæ aptissima ad persuadendum uideatur. *Vt primum.*] *Declarat, & causam cur adhuc bellum sit, ex*
ponit, nimirum tarditatem. *Latronis.*] *Antonij. Atrox uerbum, ut supra, pro nomine proprio, & quidem con-*
temptius, quàm si hostem uocaret. *Vel potius desperatam fugam.*] *Corrigit quod dixit, discessum: & pro eo a-*
trocius subijcit uerbum. Cum uero contrarium fit, hypocorismos dicitur, Latinè diminutio: ut cum discessum pro fuga u-
surpamus, & discedere uel cedere pro fugere, hypocorizein, ut Cicero ad Atticum scribit. *Ieci fundamenta.*]
Hoc factum fuit Philip. 3. & 4. *Serius omnino.*] *Serius omnino P.C. quàm tempus reipublicæ postulauit, ali-*
quando tamen conuocati sumus. Philip. 3. *Bellum profecto nullum haberemus.*] *Quod si aut Calendæ Ianuariæ*
fuissent eo die quo primum ex urbe fugit Antonius, aut hæ non essent expectatæ, bellum iam nullum haberemus.
Ex eo tempore.] *Ex xiij Calen. Ianuarij, ut alibi dixit.* *Omne malum nascens.*] Γνώμην, *quam sententiam*
Latini uocarunt, ut Cornificius ad Herenn. lib. 4. qui tamen male inter uerborum exornationes eam connumerauit, uel
ipso nomine repugnante, ut nos in summa nostra ostendimus. Hanc sententiam eleganter expressit Ouid. lib. 2. de Ponto:

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

A *Verum præterita.] Recte. nam præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi, ut apud Liuium Annibal dicit. Abrumpit autem querelam temporis maniter contriti, & redit ad locum huius causæ munitissimum, in quo habitat bonus orator, & uersatur diutius. Hanc moram.] Hoc incommodum, quod ex mora proficiscitur. Studium delectus.] Ardor exercitus cogendi. Sic ratiocinatur Cicero: Bello dubio non potest studium esse delectus, legatione ista bellum dubium redderetur: ergo ista legatione nullum potest studium esse delectus.*

Quamobrem Patres conscripti, legatorum mentionem nullam censeo faciendam: rem administrandam arbitror sine ulla mora, & confestim gerendam censeo: tumultum decerni, iustitiū indici, saga sumi dico oportere: delectū haberi sublatis uacationibus in urbe, & in Italia, † præterea Gallia tota. Quæ si erunt acta: opinio ipsa & fama uestræ seueritatis obruet scelerati gladiatoris amentiam. Sentiet sibi bellum cum † populo Romano esse susceptum: experietur consentientis senatus neruos atque uires. nam nunc quidem partium contentionem esse dictitat: quarum partium, alteri uicti sunt: alteri sunt è medijs C. Cæsaris partibus. Nisi forte Cæsaris partes à Pansa & Hircio consulibus & à filio Caij Cæsaris oppugnari putamus. Hoc uero bellum non ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum ciuium excitatum: quibus bona, fortunæq; nostræ notatæ sunt: & iam ad cuiusque opinionem distributæ. Legi epistolam Antonij quam ad quendam † Septimium capitalem hominē collegā suum mi-

al. præter Galliam totam · *al. rep.* · *al. Septimium*

B serat. Quid concupiscas tu uideris: quod concupiueris, certe habebis. En ad quem legatos mittamus: cui bellum moremur inferre: qui ne sorti quidem fortunas nostras † destituit: sed libidini cuiusque nos ita addixit, ut ne sibi quidem quicquam integrum quod non alicui promissum iam sit, reliquerit. Cum hoc Patres conscripti, bello, bello inquam decertandum est, idq; confestim: legatorum tarditas repudianda est. Quapropter ne multa nobis quotidie decernenda sint, consulibus totam rempublicā commitendam censeo: hisq; permittendum, ut rempublicam defendant: prouideantq; ne quid respublica detrimenti accipiat: censeoq; ut ijs, qui in exercitu Antonij sunt, ne sit ea res fraudi: si ante Calendas Februarias ab eo discesserint. Hæc si censueritis, Patres conscripti, breui tempore libertatem reipublicæ, autoritatemq; uestram recuperabitis. si autem lenius agetis: † tamen eadem, sed fortasse serius decernetis. De republica quoad retulistis, satis decreuisse uideor.

al. destinauit · *al. tandem*

C *Quamobrem Patres conscr.] Concludit hanc totam partem orationis, & sententiæ suæ summam colligit.*

Et confestim gerendam arbitror.] Sine ulla mora administrandam censeo. Et aduerte, ut hic Cicero omnia uerba proximæ locutionis commutarit alijs uerbis æque bonis, & uerborum ordinem, ut & similia posis facere, non modo ex tuis locutionibus, sed etiam alienis. Tumultum decerni.] Tumultus proprie uocabatur bellum periculosum cum finitimis. Nam apud ueteres tria erant militiæ genera, ut Seruius initio libri octaui Aeneidos docet. Nam aut legitima erat militia, aut tumultus, siue coniuratio, aut euocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli iurabant pro republica se militaturos, nec discedebant nisi completis stipendijs, id est militiæ temporibus, & sacramentum uocabatur. Aut certe si esset tumultus, id est si esset bellum Italicum, uel Gallicum, in quibus ex periculi uicinitate erat timor multus (unde & tumultum dictum esse testatur Cicero Philip. octaua) quia singulos interrogare non uacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat in Capitolium, & exinde proferens duo uexilla, unum roseum, quo pedites uocabat: & unum ceruleum, quod erat equitum (nam ceruleus color maris est, à cuius deo Neptuno equum constat inuentum) dicebat: Qui rempublicam saluam esse uult, me sequatur. & qui conuenissent simul iurabant: quare & hæc militia, coniuratio dicebatur. Euocatio autem erat, cum ad diuersa loca, diuersi propter cogendos exercitus mittebantur: quæ auxilia & auxiliarios milites ueteres etiam uocauerunt. Iustæ & legitimæ militiæ siue sacramenti meminit Cicero de Officijs libro primo. Euocationis siue euocatorum militum Epist. famil. lib. 10. & 15. Vtriusq; autem generis Vergilius cum alibi, tum Aeneidos octauo. Tu-

D *multus quidem ibi:*

Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium. Euocationis ibi:
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium.

Trium uero horum generum frequens est apud Liuium mentio. Iustitium indici.] Vacationem iurisdictionis, siue iuris dicendi intermissionem. Iustitium autem dictum est ut solstitium, quoniam ius stet, nec exerceatur.

Saga sumi.] Saga militaria erant indumenta, quæ super arma induebantur. Quare quum Cicero saga sumi dicit oportere, cum sagis arma quoq; intelligit. hinc sagatos & togatos dixit Cicero in Epist. famil. & apud iurisconsultos fit mentio sagariæ negociationis, eorum qui saga mercantur. Delectum haberi.] Conscribi exercitum.

Sublatis uacationibus.] Militiæ uacatio solebat ob benemerita dari militibus, ut infra indicat Cicero: Senatui placere, militibus ueteranis, qui Cæsaris Pontificis autoritatem huiusq; ordinis defenderint, atq; defendant, ijs liberisq; eorum

militiæ

militiæ uacationem esse, & idcirco milites huiusmodi emeriti, & rude donati uocabantur. Verum in magnis periculis ua catio illa tolli solebat. A *In urbe.] Romæ: quanquam cui nunquam datur uacatio & immunitas. Et in Italia.] Quæ Rubicone fluuio separatur à Gallia cisalpina, siue togata. Præterea Gallia tota.] Tota dixit, quia et cispadana, & transpadana Gallia est. nam de transalpina non intelligit. Sunt qui hoc loco legant, præter Galliam totam, sed mendose fortaßis. cur enim Galliam exciperet, in qua bellum gerebatur, & quæ tota pro republica in armis erat?*

Obruet.] Comprimet, & franget illius animum. Scelerati gladiatoris amentiam.] Circuitio, pro sceleratum, & amentem gladiatorem. Consentientis senatus.] Significat Cicero, consensu senatus reipublicæ salutem contineri. Et recte, nam ut concordia paruæ res crescunt, sic discordia magnæ dilabuntur. Nam nunc.] Occupat quæ dicebat Antonius, eaq; refellit. Quarum partium?] Hoc per interrogationem legendum est. nam interrogat ut partium non esse contentionem ostendat. Alteri uicti.] Scilicet Pompeiani. Bona ratio. nam partium contentio dicitur, dum utrique uiribus ualent, integriq; sunt: non cum alteri uicti, alteri uictores sunt. non igitur partium erat contentio. Nisi forte qui sunt è medijs Cæsaris partibus, inter se contendere dicamus, quod esset absurdum.

Hoc uero bellum.] Conclusio argumentationis, non esse partium contentionem, sed bellum ab Antonio & alijs perditis ciuibus excitatum. Spe.] Prædandi scilicet, & aliena diripiendi. Fortunæq; nostræ notatæ sunt.] Notatæ omnino legendum est. ut supra: Pecunias, inquit, nostras æstimabat, possesiones notabat, & urbanas & rusticas.

Ad cuiusque opinionem.] Ad libidinem, siue pro uoluntate & libidine cuiusq;. Legi epistolam.] Idipsum confirmat testimonio. Septimium capitalem hominem.] Perniciosum, criminosum. Quid concupiscas, tu uideris.] Capitalis oratio M. Antonij, ad bonorum omnium direptionem spectans. En ad quem.] Prorumpit in indignationem. Destituit.] Dereliquit, permisit. Alij legunt Destinauit. Equidem neutram lectionem improbo. Ne forti quidem.] Ante bona nostra promisit, tradidit, distribuit, quàm ea sors & uictoria diuiserit. B

Ne sibi quidem.] Id est suo arbitrio distribuendum. Cum hoc.] Cum Antonio: & redit ad rem.

Bello, bello inquam.] Geminatio siue conduplicatio, quæ uim conciliat orationi. Supra: Rem confestim gerendam censeo. Legatorum tarditas repudianda.] Id est legatorum mentio & nomen, quod animos emolliet, & belli celeritatem morabitur abijciendum. Consulibus.] Pansæ & Hircio, ut sæpe iam dictum est. Prouideant'q; ne quid respublica.] Hoc uti carmine, hacq; formula periculosis reipublicæ temporibus solebant, cum cui rempublicam commendabant. quod sæpißime apud Liuium legitur. Sallustius in Catilina: Itaq;, inquit, quod plerunq; in atroci negocio solet, senatus decreuit, ut darent operam consules, nequid respublica detrimēti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atq; ciues: domi militiæq; imperium atq; iudicium summum habere. aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum consuli ius est.

Ne sit ea res fraudi.] Damno, periculo, pœnæ, ne eis noceat, ne obsit, ne uitio detur. Hæc si censueritis.] Extrema admonitio, propositis commodis & incommodis. Serius.] Cum malum à uobis auertere non poteritis.

De republica quoad.] Epilogus eorum quæ de republica proposita fuerant ad consultandum. Decreuisse.] Censuisse, sententiam meam dixisse. C

Altera res est de honoribus: de quibus deinceps intelligo esse dicendum. Sed qui ordo in sententijs rogandis seruari solet, eundem tenebo in uiris fortibus honorandis. A Bruto igitur Consule designato more maiorum capiamus exordium: cuius, ut superiora omittam, quæ sunt maxima illa quidem: sed adhuc hominum magis iudicijs, quàm publice laudata: quibus'nam uerbis eius laudes huius ipsius temporis consequi possumus? neque enim ullam mercedem tanta uirtus, præter hanc laudis gloriæq; desiderat: qua, etiam si careat, tamen sit seipsa contenta: atque in memoria gratorum ciuium, tanquam in luce posita lætetur. Laus igitur iudicij testimonijq; uestri tribuenda Bruto est. Quamobrem his uerbis Patres conscripti, senatusconsultum faciendum censeo. Cum D. Brutus imperator consul designatus, prouinciam Galliam in senatus populiq; Romani potestate teneat; cumq; exercitum tantum, tam breui tempore summo studio municipiorum, coloniarumq; prouinciæ Galliæ optime de republica meritæ, merentisq; conscripserit, compararit: id eum recte, & ordine, exq; republica fecisse: idq; D. Bruti præstantissimum meritum in rempublicam senatui populoq; Romano gratum esse, & fore. Itaque senatum populumq; Romanum existimare D. Bruti imperatoris consulis designati opera, consilio, uirtute, incredibiliq; studio, & consensu prouinciæ Galliæ, reipublicæ difficillimo tempore esse subuentum. Huic tanto merito Bruti, Patres conscripti, tantoq; in rempublicam beneficio, quis est tantus honos, qui non debeatur? Nam si M. Antonio patuisset Gallia, si oppressis municipijs, & colonijs imparatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuisset: quantus reipublicæ terror impenderet? dubitaret credo homo amentissimus, atque omnibus consilijs præceps, & deuius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate Barbariæ, bellum inferre nobis: ut eius furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. Hæc igitur habenda est gratia D. Bruto: qui illum nondum interposita auctoritate D

A toritate uestra, suo consilio, atque iudicio, non ut consulem recepit, sed ut hostem arcuit: Galliam, seq; obsideri, quàm hanc urbem maluit. Habeat ergo huius tanti facti tamq; præclari decreto uestro testimonium sempiternum: Galliaq;, quæ semper præ- *al. præsidebit* sidet, atq; † præsedit huic imperio, libertatiq; communi, merito uereq; laudetur: quod se, suasq; uires non tradidit, sed opposuit Antonio.

Altera res.] *Transit ad alteram partem huiusce causæ, eamq; extremam, qua singulis honores decernit cum meritorum amplificatione.* *Sed qui ordo.*] *Aulus Gellius lib. 4. cap. 10. quid obseruatum sit de ordine rogandarum sententiarũ scribit. Primũ tamẽ ferè Coss. designati, deinde consulares, rogari solebant. Sallustius in Catil. Tum Syllanus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat. Est autem hoc loco præmunitio, qua excusat se, si Brutũ ante Cæsarem laudet: tueturq; factum à more & consuetudine rogandarum sententiarum: quam rem uult parem & similem suæ de fortibus uiris honorandis sententiæ.* *Neq; enim ullam.*] *Omnia humana præmia uiro forti delata, laude inferiora esse. locus communis.* *Sit seipsa contenta.*] *Philippica secunda: Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam. Ouid. lib. 2. de Ponto:*

Iudice te mercede caret, per seq; petenda est,
Externis uirtus incomitata bonis.

B *Quamobrem his uerbis.*] *Obserua morem antiquum Romanorũ in senatuscõsultis faciendis.* *Huic tantum merito.*] *Bruti meritum amplificat à periculi magnitudine, quod & in reliquis ferè facit.* *Municipijs.*] *Liberis ciuitatibus.* *Colonijs.*] *Quæ iure & legibus populi Romani gubernabãtur.* *Præceps & deuius.*] *Obserua locutionem elegantem, consilijs præceps & deuius: sunt enim translata, pro temerario & incõsulto homine. Præceps, quem Græci προπετῆ dicunt, qui in caput uoluitur ruens ac cadens. Deuius, extra rectam uiam, unde à uera ratione & uirtute aberrantem, deuium dicunt. Auium dicunt alij, ut Lucretius:*

Auius à uera longe ratione uagaris.

Et Horatius deuium scortum dixit, à uia publica remotum. *Cum omni immanitate Barbariæ.*] *Cum Ithyreis, & Gallis. Metonymia.* *Ne Alpium quidem muro.*] *Cicero de Prouin. Consul. Alpibus, inquit, Italiam munierat ante natura, non sine aliquo diuino numine. Nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudiniq; patuisset, nunquam hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset. Plinius quoq; libro trigesimosexto, scribit in portento propè habuisse maiores, Alpes ab Annibale, & postea à Cimbris esse superatas. Seruius item poetæ uersum illum explicans: Alpes immittet apertas. Alpes, inquit, muri uice tuebantur Italiam.* *Cohibere.*] *Prohibere, arcere, impedire, coercere.* *Præsidet.*] *Quasi propugnaculum huius urbis, imperium defendit, propugnat.* *Atq; præsedit.*] *Tutata est, propugnauit imperium.*

C Atq; etiam Marco Lepido pro eius egregijs in rempublicam meritis, decernendos honores quàm amplissimos censeo. semper ille populum Romanum liberum esse uoluit: maximumq; signum illo die dedit uoluntatis, & iudicij sui: cum Antonio diadema Cæsari imponente, se auertit: gemituq;, & mœstitia declarauit quantum ha- *al. quàm illa* beret odium seruitutis: quàm populum Romanum liberum cuperet: † qui illa, quæ tulerat, temporũ magis necessitate, quàm iudicio tulisset. Quanta uero is moderatione usus sit, in illo tempore ciuitatis: quod post mortem Cæsaris consecutum est, quis nostrum obliuisci potest? Magna hæc, sed ad maiora properat oratio. Quid enim, ó dij immortales, admirabilius omnibus gentibus? quid optatius populo Romano accidere potuit? quàm cum bellum ciuile maximum esset: cuius belli exitum omnes timeremus: sapientia eius id potius extingui, quàm armis & ferro rem in discrimen adduce- D re? Quod si eadem ratio Cæsaris fuisset, in illo tetro miseroq; bello, ut omittam patrē, duos Cn. Pompeij summi & singularis uiri filios incolumes haberemus, quibus certe *al. debuit* pietas fraudi esse non † debet. Vtinam omnes M. Lepidus seruare potuisset: facturum fuisse declarauit, in eo quod potuit: quum Sextum Pompeium restituit ciuitati, maximum ornamentum reipublicæ, clarissimum monumentum clementiæ suæ. Grauis illa fortuna populi Romani, graue fatum. Pompeio enim patre, quod imperij populi Romani lumen fuit, extincto, interfectus est patris simillimus filius. sed omnia mihi facta uidentur deorum immortalium iudicio, & pietate, Sex. Pompeio reipublicæ conseruato. Quam ob causam iustam atque magnam, & quod periculosissimum ciuile bellum, maximumq;, humanitate & sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamq; conuertit, senatusconsultum his uerbis censeo perscribendum. Cum à M. Lepido imperatore, pontifice maximo, sæpenumero respublica & bene, & feliciter gesta sit: populusq; Romanus intellexerit ei dominatum regium maxime displicere: cumq; eius opera, uirtute, consilio, singulariq; clemẽtia, & mansuetudine bellum acerbissimum

bilissimum ciuile sit restinctum: Sextusq́ Pompeius, Cn. filius Magnus huius ordinis A
autoritate ab armis discesserit: & à M.Lepido imperatore pontifice maximo summa
senatus populiq́ Romani uoluntate ciuitati restitutus sit: senatum populumq́ Roma
num pro maximis plurimisq́ in rempublicam M.Lepidi meritis, magnam spem in e-
ius uirtute, autoritate, felicitate reponere, ocij, pacis, concordiæ, libertatis: eiusq́ in
rempublicam meritorum, senatum populumq́ Romanum memorem fore: eiq́ statu-
am equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro uellet, ex huius ordinis
sententia statui placere. Qui honos Patres conscripti, mihi maximus uidetur. primum
quia iustus est. non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro
amplissimis meritis redditur. nec uero cuiquam possumus commemorare hunc hono
rem à senatu tributum iudicio senatus soluto & libero.

Atq; etiam Marco Lepido.] Lepidum laudat prius, deinde senatusconsulti de eo formulam præscribit.
Semper ille.] Lepidus nimirum: & est propositio. Maximumq́; signum.] Lepidi uoluntatem probat &
declarat ex signis, gestu, gemitu, mœstitiaq́; quam uultu declarauit. sunt enim illa, ni ficta & simulata sint, animi & uo B
luntatis indicia. Antonio diadema Cæsari imponente.] Lupercalibus, quod secunda Philippica dictum est copio-
sius. Quanta uero is moderatione.] Cum in partibus Cæsaris & magister equitum illius esset, exercitumq́; ha-
beret, plebe quidem uociferante, & ut Cæsaris necem ulcisceretur obtestante, faciendum esse dissuasit, ut Appianus scri-
bit. Magna hæc.] Transitione rhetorica exaggerat Lepidi laudes uehementius. Tetro.] Abominan-
do, infesto, pernicioso. Duos.] Lucium Pompeium & Quintum, quorum Lucius interfectus fuerat.
Quibus certe pietas fraudi esse non debuit.] Non debuit illis uitio uerti, aut nocere, quod cum patre sense-
runt, & contra Cæsarem, paterna pietate ducti, arma sumpserunt. Natura enim & pietas impulit. Sic excusatur Ore-
stes, qui matrem interfecit, patrem nimirum ultus. Declarauit in eo.] A signo Lepidi clementiam & modera-
tionem animi arguit. Sextum Pompeium restituit ciuitati.] Appianus hoc tribuit Antonio. sed uterque hoc fe-
cit, ut ex quibusdam locis in his Philippicis intelligi potest. Clementiæ suæ.] In eo enim Lepidus animi sui cle-
mentiam & moderationem declarauit. Patris simillimus filius.] Hic patris nomine appellabatur Cneus Pom-
peius: hic apud Mundam uictis Pompeianis clam fugit, crure saucio: post apud Lauronem oppidum à Cæsare pugnans
occisus est. Statuam equestrem.] Statuæ equestres, inquit Plinius, Romanam celebrationem habent, orto sine du
bio à Græcis exemplo. Erant autem ornamenta fori. In Rostris.] In ea parte fori è qua conciones ad populum
habebantur. Inauratam.] Auro tectam, ex ære factam. Primum quia iustus est.] Obserua, primum uo- C
cem ordinis propositam, cum tamen non sequatur deinde, seu alia uox eiusmodi: nam duo statuit. cum honorem qui Lepi
do defertur, maximum esse, primum, quia iustus est, deinde quia nouus. utrumque ostendit, sed sine altero ordinis aduer-
bio. Soluto & libero.] Tributus erat hic honor fortasse alijs, at non soluto & libero senatu, sed tyrannide op-
presso. Simile est illud Iuuenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Venio ad C.Cæsarem Patres conscripti, qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuis-
set? Aduolabat ad urbem à Brundusio homo impotētissimus, ardens odio, animo ho-
stili in omnes bonos cum exercitu Antonius. Quid huius audaciæ & sceleri poterat
opponi? nondum ullos duces habebamus: non copias, nullum erat consilium publi-
cum: nulla libertas: dandæ ceruices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus
omnes, quæ ipsa exitum non habebat. Quis tum nobis, quis populo Romano obtu-
lit hunc diuinum adolescentem deus? qui, quum omnia ad perniciem nostram pesti- D
fero illi ciui paterent: subito præter spem omnium exortus, prius confecit exercitum,
quem furori M. Antonij opponeret, quàm quisquam hoc eum cogitare suspicaretur.
Magni honores habiti Cn.Pompeio, cum esset adolescens: & quidem iure. subuenit
enim reipublicæ: sed ætate multo robustior, & militum ducem quærentium studio pa-
ratior, & in alio genere belli. non enim omnibus Syllæ causa grata. declarat multitudo
proscriptorum: tot municipiorum maximæ calamitates. Cæsar autem multis annis mi
nor, ueteranos cupiētes iam requiescere, armauit: eam complexus est causam, quæ es-
set senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quę dijs omnibus gratissima. & Pompeius
ad L. Syllæ maximum imperium, uictoremq́ exercitum accessit. Cæsar se ad nemi-
nem adiunxit: ipse princeps exercitus faciendi & præsidij comparandi fuit. Ille aduer
sariorum partibus agrum Picenum habuit inimicum: hic ex Antonij amicis, sed ami-
cioribus libertatis, contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sylla regna-
uit: huius præsidio Antonij dominatus oppressus est. Demus igitur imperium Cæsa-

A ri, fine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt: ſit proprætor eo iure, quo qui optimo. qui honos, quanquam eſt magnus, illi ætati: tamen ad neceſſitatem rerum gerendarum, non ſolum ad dignitatem ualet. Itaque illa quæramus, quæ uix hodierno die conſequemur. Sed ſæpe ipero fore huius adoleſcentis † hortandi honorandiq; & nobis & populo Romano poteſtatem. Hoc autem tempore ita cenſeo decernendum. Quod Caius Cæſar Caij filius Pontifex, Proprætor, ſummo Reipublicæ tempore milites & ueteranos ad libertatem populi Romani cohortatus ſit, eos'que conſcripſerit: quodq; legio Martia Quartaq; ſummo ſtudio, optimoq; in Rempublicam conſenſu, Caio Cæſare duce & authore rempublicam, libertatem populi Romani defendant, defenderint: & quod Caius Cæſar, Proprætor, Galliæ prouinciæ cum exercitu ſubſidio profectus ſit: equites, ſagittarios, elephantos in ſuam populiq; Romani poteſtatem redegerit: difficillimoq; reipublicæ tempore ſaluti dignitatiq; populi Romani ſubuenerit: ob eas cauſas ſenatui placere, Caium Cæſarem Caij filium Pontificem, Proprætorem, Senatorem eſſe: ſententiamq; loco prætorio dicere. † eiusq; rationem quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, ſi anno ſuperiore Quæſtor fuiſſet.

al. honorandi ornādiq; & nobis

al. eiusq; honoris rationē quē cunq; appetet

B

Venio ad Caium Cæſarem.] Amplificat Octauij meritum à tempore, & à periculi atrocitate.

Exitum non habebat.] Quam fugam capere non poteramus, cum omnia eſſent interclusa. Magni bono res.] Comparatio Pompeij adoleſcentis cum Octauio amplificandi cauſa. nam omnia in Octauio præſtantiora oſtendit eſſe. Quæ Cicero de Pompeio hic dicit, uidenda ſunt apud Plutarchum in uita Pompeij. Sed ætate multo robuſtior.] Erat Pompeius tunc tres & uiginti annos natus: Octauius decem & octo. Et in alio genere belli.] id eſt in cauſa non omnibus grata, quum Octauij cauſa omnibus ſit gratiſſima: proinde deteriore cauſa ſtet Pompeius, nempe ciuili bello. Declarat multitudo proſcriptorum.] Marianorum, quorum duo millia proſcripti fuerunt ex equeſtris ordinis flore & ſenatu. Quæ eſſet ſenatui, quæ populo, & cæt.] Oratio ex uerbo dilatata per diſtributionem. Verbum eſt, Omnibus grata. Ille aduerſariorum partibus agrum Picenum habuit inimicum.] Sic enim omnino legendum eſt, alioqui ad mentem Ciceronis uerba non accedent, qui quidem ex contrarijs conficere uoluit, Octauij factum præclarius fuiſſe quàm Pompeij. Siquidem hic ex inimicis aduerſariorum, ille ex amicis hoſtium confecit exercitum, quod longe & difficilius eſt, & pulchrius. Picentes autem cum Pompeio conſenſiſſe, ad Marij partes oppugnandas, hiſtoria eſt. Demus igitur imperium Cæſari.] Proprætoris eum munere ornemus.

C

Sine quo res militaris.] Locus communis, ſine ducerem militarem adminiſtrari non poſſe. Sit proprætor.] Proprætor erat qui cum prætoria autoritate & faſcibus exercitui præerat, quæ dignitas minor erat conſulari. Nam lictores non amplius quàm ſex habebat, ſiue Prætor ſiue Proprætor eſſet. Et hoc eſt quod ſcribit Tranquillus, referens Octauium Auguſtum iuſſum, comparato exercitui Pro prætore præeſſe, & cum Hircio & Panſa Conſulibus, D. Bruto opem ferre. Eo iure, quo qui optimo.] Id eſt, ut ſit Proprætor eo iure eaq; poteſtate, qua præditus eſt, quicunque optimo iure talem honorem gerit. Vel eo iure ſit Proprætor, quo iure prætor eſt, qui optimo iure eſt. Quod Caius Cæſar.] Senatuſconſultum de Cæſaris adoleſcentis honoribus. Caij filium.] Scriptus hæres, & adoptione filium. Pontifex.] Quoniam ſucceſſit patri, etſi Lepidus pontificatum inuaſerat.

Summo reipublicæ tempore.] Difficillimo, periculoſiſſimo. Si anno ſuperiore Quæſtor fuiſſet.] Lex erat Romæ, qua ei qui Quæſtor fuiſſet, licebat ſequenti anno alium quemuis magiſtratum petere. Cenſet ergo, ſic Octauij rationem habendam, & ſi Quæſtor non fuit, ac ſi Quæſtor fuiſſet: ut quemcunque honorem petat, ita habeatur, ac ſi lege petat. Id autem agit Cicero, ut Octauius legibus ſoluatur annalibus, neque ad capiendos honores ei impedimento ſit ætas.

Quid eſt enim Patres conſcripti, cur eum non quamprimum ampliſſimos hono-
D res capere cupiamus? Legibus enim annalibus cum grandiorem ætatem ad conſulatum † conſtituebant: adoleſcentiæ temeritatem uerebantur. C. Cæſar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaq; uirtute progreſſum ætatis expectari non oportere. Itaque maiores noſtri ueteres illi admodum antiqui leges annales non habebant: quas multis poſt annis attulit ambitio: ut gradus eſſent petitionis inter æquales. Ita ſæpe magna indoles uirtutis prius quàm reipublicæ prodeſſe potuiſſet, extincta fuit. At uero apud antiquos Rulli, Decij, Coruini, multiq; alij: recentiore autem memoria ſuperior Africanus, T. Flaminius, admodum adoleſcentes Conſules facti tantas res geſſerunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cũ ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet: nonne tertio & trigeſimo anno mortem obijt? quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quàm Conſularis. Ex quo iudicari poteſt, uirtutis eſſe quàm ætatis curſum celeriorem.

al. conſtituebāt maiores noſtri adol.

Quid eſt

Quid est.] Scilicet impedimento? Quid obstat? *Legibus enim annalibus.] Occupatione respondet, si quis* A
leges annales obijceret, quominus posset Cæsar honores capere. Refellit autem tribus modis, à legum interpretatione &
causa, propter temeritatem scilicet, & ambitionẽ adolescentiæ, latas esse eas leges: deinde tales leges ueteres illos sapien-
tes uiros nullas habuisse: postremo, exempla profert illustrium uirorum, qui ante ætatem illam legibus constitutam, hono
res amplissimos, resq; maximas & Reip. maxime utiles gesserunt. ætates autem singulis magistratibus datæ fuerunt hæ:
qui uiginti annos natus esset, ut ædilitatẽ posset petere: qui Quadraginta, Quæsturam, præturamq;: qui tres & quadra-
ginta, consulatum. *Adolescentiæ temeritatem.] Cic. de Sen. Temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis.*
Inueniuntur tamen adolescentes, qui prudentia maiores anteeant, ut de Ascanio Verg. inquit: Ante annos, animumq;
gerens, curamq; uirilem. *Aristoteles quidem, nihil interesse ait, ætate an moribus sit aliquis adolescens: neq; in annis*
culpam esse, sed in uiuendi ratione, & rebus agendis perturbate. *Progressum ætatis.] Grandiorem ætatem, &*
robustiorem. *Itaq; maiores nostri.] Ostendit maiorum autoritate, spectatam uirtutem legibus subiectam non*
esse. Et recte quidem. Nam leges bonæ (ut est apud Sallustium) ex malis moribus ortæ sunt: Et Paulus ad Timotheum,
Iusto, inquit, non est imposita lex, sed iniustis. *Quas multis post annis attulit ambitio.] A causis leges annales in-*
firmat. Ambitio causa fuit, & temeritas, ut leges ferrentur annales. tolle causam, & nullam inuenies ab honoribus ca-
piendis ætatẽ exclusam. *Inter æquales.] Inter coæuos, siue ætate pares, ut Cicero appellare solet. Portius Latro in*
Declamatione in Catilinam, coætaneum uocat: Verg. in 2. Aen. libro, æquæuum. *Magna indoles uirtutis.] Val.* B
Max. lib. 3. Indolem appellat incunabula, atq; elementa uirtutis. Est enim indoles, non modo specimen & significatio fu
turæ uirtutis, sed etiam uirtus ipsa, cum maior in puero elucet, quàm ætati conuenire uideatur: ex quo de futura uirtute
maior quædam spes excitatur. *At uero apud antiquos Rulli.] Profert exempla eorũ qui legibus soluti ante tem*
pus magistratus adepti, res magnas gesserunt, de quibus apud T. Liuium, & Val. Max. *Superior Africanus.]*
Scipio scilicet. neq; superior solum, uerum etiam alter iunior, Aemilianus appellatus, quem populus ex candidato ædili-
tatis, consulem fecit, ut est apud Val. Max. lib. 8. *Quid? Macedo Alexander.] De Alexandro magno uide Plu-*
tarchum, & Q. Curtium. *Ab ineunte ætate.] Annos natus sexdecim, deficientes Megarenses prælio fudit, Reg-*
num absente patre, præclare administrauit, ut scribit Plutarchus in eius uita. *Decem annis minor, quàm consu-*
laris.] Ex hoc loco licet scire, quæ fuerit ætas consularis, nempe annorum 43. Et hic minor, non iunior legendum.
Virtutis esse quàm ætatis cursum celeriorem.] Aetatis terminos nemo posuit, aut tardius, aut celerius assequi: at
sæpenumero anteit ætatem uirtus.

Nam quod ij qui Cæsari inuident, simulant se timere, ne uerendum quidem est: ut
tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opi-
bus utatur. Ea natura rerum est P. C. ut qui sensum ueræ gloriæ ceperit: quiq; se ab Se- C
natu, ab Equitibus Romanis, populoq; Rom. uniuerso senserit ciuem † charum habe- *al. clarum*
ri, salutaremq; Reipublicæ: nihil cum hac gloria comparandum putet. Vtinam C. Cæ
sari, patri dico, contigisset adolescenti: ut esset Senatui, atq; optimo cuiq; charissimus.
quod cum consequi neglexisset: omnem uim ingenij, quæ summa fuit in illo, in popu-
lari leuitate consumpsit. Itaq; cum respectum ad Senatum, & ad bonos non haberet:
eam sibi uiam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam uirtus liberi populi fer-
re non posset. Eius autẽ filij longissime diuersa ratio: qui cum omnibus est, tum opti-
mo cuiq; charissimus: in hoc spes libertatis posita est: ab hoc accepta iam salus: huic
summi honores & exquirũtur, & † parti sunt. cuius igitur singularem prudentiam ad- *al. parati*
miramur, eius stultitiam timemus? quid enim stultius, quàm inutilem potentiam, inui
diosas opes, cupiditatem dominandi præcipitem, & lubricam anteferre ueræ, graui,
solidæ gloriæ? an hoc uidit puer? si ætate processerit, non uidebit?

Nam quod ij.] Occupat, quod ab aduersarijs obijciebatur, & id coniecturis futuri temporis dissoluit. *Ea natu* D
ra rerum est.] O quàm falleris in hoc adolescente, alioqui prudentissime Cicero, nempe ipse de Off. lib. 1. scripsisti: sed
illud odiosum, quod in hac elatione & magnitudine animi, facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innasci-
tur, & alia quæ ibidem sequuntur. Aliud autem est, expetere ueram gloriam, aliud simulare. Multis enim (quod tu alibi
dixisti Cicero) simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusq; natura. Frons, oculi,
sæpe mentiuntur, oratio uero sæpissimè. Quanto acutius & longius prospexit Brutus, qui ad Ciceronẽ scribens inter cæ
tera sic scribit: Itaq; timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde si Consul factus
sit, descensurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentũ, occasionem regnandi habuit: quonam animo fore
putas, si quis autore non tyranno interfecto, sed ipso senatu putat se imperia quælibet concupiscere posse? Vide omnino
in Epist. ad Brutum, hanc epistolam, in ordine 4. *Vtinam C. Cæsari.] Occurrit contrario exemplo, & dissimi-*
lem esse à Iulio, Octauij naturã ostendit. fuit enim lubrica adolescentia, corrupta, & ad omne scelus, sed præcipue ad se-
ditiones prona: appetens uero principatus iam tum maxime extitit Iulius. *Populari leuitate.] Fauore, & glo-*
ria, leui non solida. *Cum respectum ad senatum.] cum senatũ non respiceret, non magnificeret, cum senatus nullam*
rationem haberet. *Eam sibi uiam.] Qui omnia iura diuina, & humana peruertit, propter eum, quem sibi ipse*
opinionis errore, finxerat principatum. De off. lib. 1. *Quam uirtus.] Animi magnitudo & excellentia.*
Ferre non posset.] Sicut non tulit tandem, sed extinxit. *Eius autem filij longissime diuersa ratio.] Octa-*

A *uij naturam moresq; extollit, ut nihil ab eo timendum esse ostendat.* *Cuius igitur singularem prudentiam.*] *Confirmat Enthymemate ex contrarijs & repugnantibus.* *Quid enim stultius?*] *Non modo stultum, sed etiam impium, quod tamen pleriq; errore decepti faciunt.* *Veræ, graui, solidæ gloriæ.*] *Paria paribus referuntur: Veræ non falsæ: Graui non leui: solidæ non præcipiti, & lubricæ.* *Lubricam.*] *Fugacem, & minime solidam, aut diuturnam.* *An hoc uidit puer?*] *Ex minori.* *Si ætate processerit.*] *Si adoleuerit, siue grandior, aut firmior factus.*

At est quibusdam inimicus clarissimis atq; optimis ciuibus. nullus iste timor esse
debet. omneis Cæsar inimicitias Reip. condonauit. hanc sibi iudicem constituit: hanc
moderatricem omnium factorum. ita enim ad Rempub. accessit, ut eam confirmaret,
non ut euerteret. omnis habeo cognitos sensus adolescentis: nihil est illi Rep. charius:
nihil uestra autoritate grauius: nihil bonorum uirorum iudicio optatius: nihil uera glo
ria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed maiora & meliora expe-
ctare debetis: neq; in eo qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit: timere
ne memoria maneat domestici doloris: quæ plus apud eum possit, quàm salus ciuita-
tis. Audebo etiam obligare fidem meam P. C. uobis, populoq; Romano: quod profe-
B cto, cum me nulla uis cogeret, facere non auderem: pertimescerémq; in re maxima pe
riculosam opinionem temeritatis. promitto, recipio, spondeo patres conscripti, C. Cæ
sarē talem semper fore ciuem, qualis hodie sit, qualemq; eum maxime uelle & optare
debemus. Quæ cum ita sint: de Cæsare satis hoc tempore dictum habeo.

At est quibusdam inimicus.] *Alia occupatio. dicat aliquis: Timendum est, ne Octauius inimicus sit clarissimis ciuibus, qui patrem eius occiderunt, & ob id desciscat à partibus Reip. Respōdet Cicero nihil esse periculi ab ea parte, quòd Octauius iam omnes inimicitias Reip. causa deposuisset, cui nihil sit charius nihil antiquius ipsa Republica.*

Accessit ut eam confirmaret, non ut euerteret.] *Ex contrarijs confirmat.* *Sensus.*] *Animum, cogitationes, studia.* *Nihil est illi.*] *Expolitio, cum repetitione, ad amplificandum. nam idem dicit de Rep. quod dixit, sed alijs uerbis.* *Neq; in eo qui.*] *Ex repugnantibus. Repugnant enim hæc, aliquē liberare à periculo & eundem odisse.*

Ne memoria domestici doloris.] *Iulij patris interfecti à Bruto. Quidam enim dicebant (& recte dicebant) non confidendum Octauio, cuius pater esset interfectus, illum ubi occasio daretur ulturum patris necem, quod & fecit.*

Nec dum enim causæ irarum sæuiq; dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Cæsaris occisi uulnus.

C *Facere non auderem.*] *Si quid timendum putarem, scilicet. Credimus tibi, M. Tulli, te existimare nihil esse timendum, & omnia bona fide, amoreq; Reip. facere, & dicere. Sed quid, ut sunt homines, si dissimularit, tantisper dum quod cupit, adipiscatur? deinde & te & nos omnes fallat, & pessundet? Dices tandem, sed sero nimis, quod sapientem haud decet,* NON PVTARAM. *Id tua ad eundem Octauium Epistola postrema testatur.* *Promitto, respicio, spondeo.*] *Vtitur uerbis solennibus, & in obligationibus, usitatis, quibus omnem remouent, qui se obligant, dubitationem. habent autem ea tria uerba gradus, ita ut alterum altero sit grauius.* *Talem semper fore ciuem.*] *O temerariam sponsionem: præsertim cum scires nihil esse adolescente mutabilius & inconstantius. Atq; etiam nonnihil de huius pueri inconstantia subueritum esse Ciceronem, eius quæ subijcio ex Epistola quadam ad M. Brutum uerba testantur. Maximo autem, inquit, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quòd cum me pro adolescentulo ac penè puero Resp. accepisset uadem, uix uidebar, quod promiseram, præstare posse. Est autem grauior & difficilior animi & sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ obligatio. Hæc enim solui potest, & est rei familiaris iactura tolerabilis: Reip. quod spoponderis, quemadmodum soluas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis? quanquam & hunc, ut spero, tenebo multis repugnantibus: uidetur enim in eo esse indoles, sed flexibilis ætas, multiq; ad deprauandum parati, qui splendore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenij perstringi posse confidunt. Itaq; ad reliquos hic quoq; labor mihi ac-*
D *cessit, ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. Quanquam, quæ temeritas est? magis enim illum, pro quo spopondi, quàm me obligaui. Nec uero pœnitere potest Remp. me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis tum suo ingenio, tum mea promissione constantior.* *Quæ cum ita sint.*] *Epilogus immodicarum pueri Cæsaris laudum.*

Nec uero de L. Egnatuleio fortissimo, & cōstantissimo ciue, amicissimo Reip. si-
lendum arbitror: sed tribuendum testimoniū uirtutis egregiæ: quod is legionē Quar-
tam ad Cæsarē adduxerit: quæ præsidio Cōsulibus Senatui populoq; Rom. reiq; pub.
esset. ob eam causam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimū tempus ma-
gistratus petere, capere, gerere liceat. In quo P. C. non tam cōmodum tribuitur L. Eg-
natuleio: quàm honos. in tali enim re satis est nominari. De exercitu autem C. Cæ-
saris ita censeo decernendum. Senatui placere, militibus ueteranis, qui Cæsaris
Pontificis autoritatem huiusq; ordinis defenderint, atq; defendant: his liberisq; eo-
rum militiæ uacationem esse: utiq; C. Pansa, A. Hircius Consules, alter amboue
cognosce-

cognoscerent: qui ager colonus esset, quo milites ueterani deducti essent: qui contra A legem Iuliam† possideretur: ut is militibus ueteranis diuideretur. de agro Campano [al. possiderent] separatim cognoscerent: inirentq́; rationem de cōmodis militum ueteranorū augendis. legioniq́; Martiæ, & legioni Quartæ, & ijs militibus qui de legione Secunda & trigesima quinta, ad C. Pansam, A. Hircium consules uenissent: suaq́; nomina dedissent: quod his Senatus, populiq́; Rom. libertas charissima sit, & fuerit: uacationem militiæ ipsis, liberisq́; eorum, esse placere, extra tumultum Gallicum, Italicumq́;: easq́; legiones bello confecto missas fieri placere: quantamq́; pecuniam militibus earum legionum in singulos C. Cæsar Pontifex Proprætor pollicitus sit, tantam dari placere: utiq́; C. Pansa, A. Hircius Consules, alter, amboúe rationem agri habeant: qui sine iniuria priuatorum diuidi possit: isq́;, militibus legionis Martiæ, & legionis quartæ ita daretur, assignaretur: ut quibus militibus amplissime dati, assignati essent.

Nec uero de L. Egnatuleio.] *Et de hoc uiro senatusconsultum decernit, ut & ipse legibus annalibus soluatur.*

Militiæ uacationem.] *Et hoc bello confecto, Antonioq́; profligato, immunes sint ab omni onere militiæ, & rude* B *donati, & emeriti.* *Alter, amboue.*] *Solennia sunt uerba, cum quid ratum haberi uolumus, etiam si ab uno, eorum cui mandatum est, factum fuerit.* *Qui ager colonus esset.*] *Cæsar dictator bellis confectis, legem tulit, qua ueteranis præmia distribuit. Deductis enim in colonias, agrorum certum modum assignauit: si quis plus occuparet, adimi & distribui alijs ueteranis, qui prioribus adderentur, uoluit.* *Quo.*] *Ad quem agrum, siue ad quas colonias.*

De agro Campano.] *Qui semper populi Romani fuisset, & diuisus nunquam fuerat, quod multis in locis dicit Cicero.* *De legione secunda, & trigesimaquinta.*] *Scilicet legione. hæc enim uera lectio est.* *Extra tumultum.*] *Præter tumultum, quid autem tumultus esset, diximus supra.* *Isq́; militibus legionis Martiæ.*] *Ita prorsus legendum est. Sic autem intelligitur: is, nempe ager, militibus assignaretur, quemadmodum paulo ante dixit: Vt is, militibus ueteranis diuideretur. Lege Epistolam Galbæ, in Epistolis familiaribus libro decimo.*

Dixi ad ea omnia Consules, de quibus retulistis: quæ si sint sine mora, matureq́; decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus & necessitas flagitat. celeritate autem opus est: qua si essemus usi: bellum, ut sæpe dixi, nullum haberemus.

Dixi ad ea omnia.] *Peroratio breuissima cum adhortatione, ut celeriter negotium peragatur.* *Quæ si sint* C *sine mora matureq; decreta.*] *Alij legunt: Quo sine mora, matureq́; decreto. sed prior lectio melior.* *Bellum (ut sæpe dixi) nullum haberemus.*] *Philippica tertia & deinceps sæpe, hanc formulam & locutionem usurpauit.*

FINIS.

IN PHILIPPICAM SEXTAM ARGVMENTVM.



Vperiore oratione, quanquam grauissima, obtinere tamen non potuit senator Cicero, ut Legati ad Antonium ne mitterentur. Nam L. Pisonis Antonij amicissimi, nescio qua obiecta re, sententiam tandem plures secuti sunt. Itaq; Legati Ser. Sulpitius, L. Philippus, & ipse L. Piso, cum mandatis missi, ut Antonius Mutinæ obsidione confestim discederet, ut D. Bruto Gallia prouincia, quæ intra Alpes & Rubiconem amnem est, cederet: ut exercitum citra flumen Rubiconē, qui finis est Galliæ, educeret, dum ne propius urbem ducentis millibus admoueret. Præfinitus item dies est, quo si non parêret, hostis Reip. haberetur. Profectis igitur legatis, cum populus Romanus frequens ad curiam adesset, ac per P. Apuleium Trib. pl. sciscitaretur, quid actum in senatu esset, Cicero populo satisfacere cupiens, hac concione quid actum fuerit declarat, & senatusconsultum interpretatur, hortaturq́; ut ad bellum certum parati sint: se satis scire, Antonium non obtemperaturū. Populi in se cōmemorat beneficia, & suam uicissim operam studiumq́; pollicetur. Ad extremum ad libertatem recuperandam, & tuendam cohortatur, & quiduis potius quàm seruitutem ferendam esse dicit, atq; in ea sententia concludit orationem. Habita fuit hæc concio pridie Non. Ianuarias post tertium diem quàm illa superior habita fuerat in senatu, ut ipsemet orator testatur. D

CAVSAE GENVS.

Hæc concio idcirco ad genus deliberatiuum refertur, quòd senatus deliberationem decretumq́; pop. Rom. explicat.

DISPOSITIO PARTIVM ET FIGVRA ORATIONIS.

Partium collocatio hæc est. Exordium breuissimum ab attentione & à beneuolentia: Narratio eorum quæ hoc senatusconsultum antecesserunt, & eorum quæ in senatu sunt acta. Post hæc confirmat à signis suam quandam sententiam, reprehendit quo'dam, & postremo cum cohortatione breuiter perorat.

Figura dictionis simplex est, & aperta, & sua mediocritate contenta.

A IN M. ANTONIVM AD QVIRITES PHILIPPICA SEXTA.



VDITA uobis esse arbitror Quir. quæ sint acta in Senatu: quę fuerit cuiusq; sententia. res enim ex Cal. Ian. agitata, paulo ante confecta est: minus quidem illa seuere quàm decuit, non tamen omnino dissolute. mora est allata bello: non causa sublata. Quamobrem quod quęsiuit à me P. Apuleius homo & multis officijs mihi & summa familiaritate coniunctus, & uobis amicissimus: ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. Causa fortissimis optimisq; Consulibus Calen. Ian. de Repub. primum referendi fuit, ex eo, quod 13. Cal. Ian. Senatus me autore decreuit. Eo die primũ Quirites fundamenta iacta sunt Reipublicæ. fuit enim longo interuallo ita liber Senatus: ut uos aliquando liberi essetis. quo quidem tempore, etiam si ille dies uitę finem mihi al-

B laturus esset, satis magnum ceperam fructum, cum uos uniuersi una mente atq; uoce iterum à me conseruatam esse Rempub. conclamastis. Hoc uestro iudicio tanto tamq; præclaro excitatus, ita calendis Ian. ueni in Senatum: ut meminissem quam personam impositam à uobis sustinerem. Itaq; bellum nefarium illatum Reipub. cum uiderem: nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putaui: hominemq; audacissimum, qui multis nefarijs rebus ante cõmissis, hoc tempore Imperatorem populi Rom. oppugnaret: coloniam uestram fidissimam, fortissimamq; obsideret: bello cen-

al. indici sui persequendum. tumultũ esse decerni, iustitium † edici, saga sumi dixi placere: quo omnes acrius, grauiusq; incumberent ad ulciscendas Reipub. iniurias: si omnia grauissimi belli insignia suscepta à Senatu uiderent. Itaq; hæc sententia sic per triduũ ualuit: ut, quanq; discessio facta non esset: tamen præter paucos, omnes mihi assensuri uiderentur. hodierno autem die nescio qua obiecta re remissior Senatus fuit. nam plures eam sententiam secuti sunt: ut quantum Senatus autoritas, uesterq; cõsensus apud Antonium ualiturus esset, per Legatos experiremur.

C *Audita uobis.*] Vel referentibus Tribunis, uel ex eo quod Legati ad Antonium proficiscerentur. Et exorditur à re ipsa, qua & intelligentes facit & attentos. *Ex Cal. Ian.*] In hunc usq; diem, qui pridie Nonas est. *Agitata.*] Tractata, & ultro citroq; uersata. *Confecta est.*] Decreta, & constituta. *Minus quidem illa seuere.*] Hoc dicit quoniam eius in superiore consultatione sententia fuerat, ut statim hostis iudicaretur Antonius, & armis Mutina pelleretur. quod quia factum non fuit, sed Legatio decreta, dicit, minus seuere quàm decuit rem esse confectam. atq; ita leuiter reprehendit Senatum: quem ne offendat forte reprehensio, eam temperat adiecta correctione, non tamen omnino dissolutè. *Dissolutè.*] Remisse, demisse, ignaue, timidè. *Mora.*] Dilatio, retardatio, quasi dicat: bellum dilatum est donec Legati reuertantur, non sublatum. *P. Apuleius.*] Is Trib. plebis erat, ut Appianus scribit. Ab huius igitur persona, sibi fauorem conciliat Orator, dicens eum & sibi & Quiritibus amicum. *Ita respondebo.*] Locus est docilitatis & attentionis. *Causa fortiss.*] Ingreditur narrationem. *Consulibus.*] Hirtio & Pansæ, qui magistratum inierant Cal. Ianuarij. *Ex eo.*] Ex ea re, uel propter id. *Decreuit.*] De Imperatorum honoribus, & præmijs militum: quod Philippica tertia factum fuit, & quarta populo declaratum.

Fundamenta iacta sunt.] In 3. Philip. Hodierno die Quirites, ne adhuc mediocrem rem actam arbitremini, fundamenta iacta reliquarum actionum, &c. *Longo interuallo.*] Post longam & diutinam seruitutem.

D *Vt uos aliquando liberi essetis.*] Senatum fuisse de libertate populi solicitum dicit, qua re populo senatum cõmendat, & conciliat. *Etiam si ille dies.*] Etiamsi eo die mihi moriendũ fuisset, propter ea quæ libere in Antoniũ, pro uestra libertate & salute dixi. *Satis magnum ceperam fructum.*] Præmium meorum laborum, quos uestra causa suscepi. Sunt popularia uerba, quibus populi animos demulcet. *Vna mente atq; uoce.*] Non fictè & simulatè, sed uerè, & consentientes. *Iterum à me conseruatam.*] Semel detecta, & oppressa Catilinæ perniciosissima coniuratione: Iterum autem conseruata uidebatur ab eo Respublica, eo tempore quo eodem duce respirare uidebatur, Antonio fugato. *Conclamastis.*] Videri posit, eo die id conclamasse populus, quo quartam habuit Philippicam Cicero. Et quanquã id in ea oratione non dicatur apertè, tamen uerisimile est, finita concione, ita populum conclamasse, ut hoc loco Cicero testatur. *Hoc uestro iudicio.*] Interpretatur populi illa conclamatione, sibi mandatum & impositum esse à populo Reip. defendendæ munus, quam personam appellat, sumpta à scenicis personis translatione.

Itaq; bellum nef.] Quam sententiam dixerit ipse Cal. Ian. in senatu, docet, adiectis causis. *Per triduum.*] Post Cal. Ian. Ergo hæc oratio habita est, pridie nonas, id est quarta die Ianuarij. *Vt quanquam discessio.*] Id est res transacta, & decreta, perscriptaue non esset: quanquam senatusconsultum quod per discessionẽ fiebat, de ea re nondum esset factum. *Nescio qua obiecta re.*] Nescio quo impedimento, & remora ab Antonianis iniecta.

Remissior

Remissior.] Mollior, lenior, solutior. Vt quanquã.] Decretũ senatus informat, declaraturus postea pluribus. A

Intelligo Quir. à uobis hanc sententiam repudiari: neq; iniuria. ad quem enim legatos? ad eum ne, qui pecunia publica dissipata, atq; effusa, per uim, & contra auspicia impositis populo Ro. legibus, fugata concione, obsesso Senatu, ad opprimendam Remp. Brundusio legiones accersierit? ab his relictus, cum latronũ manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumsedeat? quæ uobis potest cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis, esse cõmunitas? quanq; Quir. non est illa legatio: sed denũciatio belli, nisi paruerit. Ita enim est decretũ: ut si legati ad Annibalem mitterentur. mittuntur enim qui nuncient ne oppugnet Consulem designatũ: ne Mutinam obsideat: ne prouinciam depopuletur: ne delectus habeat: sit in Senatus populiq; Rom. potestate. facile uero huic denunciationi parebit, ut in Patrum conscriptorum, atq; in uestra potestate sit: qui in sua nunquam fuerit? quid enim ille unquam arbitrio suo fecit? semper eo tractus, quo libido rapuit, quo leuitas, quo furor, quo uinolentia. semper eum duo dissimillima genera lenonum, & latronum, ita domesticis stu- B
pris, forensibus parricidijs delectarũt: ut mulieri citius auarissimæ paruerit, quàm Senatui populoq; Romano. itaq; quod paulo ante feci in Senatu, faciam apud uos. testificor: denuncio: ante prædico: nihil M. Antonium eorum, quæ sunt legatis mandata, facturum: uastaturum agros: Mutinam obsessurum: delectus, qua possit, habiturum. is est enim ille, qui semper Senatus iudicium, & autoritatem, semper uoluntatem uestram, potestatemq; contempserit.

Intelligo Quirites.] Hic concio reclamauit contra senatusconsultum, quod probat Cicero, & cur probet causas enumerat, scelera scilicet Antonij. paulo post tamen corriget. Ad quem enim legatos?] Scilicet mitteremus? Indignatio est. Qui pecunia.] Scelerum Antonij frequentatio uehemens: quæ scelera singula in superioribus orationibus, quæ & cuiusmodi essent, patuerunt. Conditionis.] Pacis & compositionis. Aequitatis, legationis.] Pomponius Iurisconsultus Digestorum libro quinquagesimo L. 118. Hostes definit, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decreuimus. Cæteros latrones aut prædones esse dicit. Sic etiã Cicero de Officijs libro primo. Ac belli quidem æquitas inquit, sanctissimè, feciali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur: aut denunciatum antè sit & indictum. Cum igitur Antonius contra Remp. gereret, C
nec indixisset tamen, in hostium numero habendus non erat, sed latronum, & prædonum. Ex quo intelligitur Senatui cum eo nullam æquitatis & legationis fuisse cõmunitatem, quod iura gentium inter eos sunt qui in hostium habentur numero. Cõmunitas.] Societas, quæ iure naturæ, id est gentium, omnium est hominum cõmunis, quædam etiam inter hostes, ut diximus. Quanquã Quirites.] Corrigit quod populi reclamationem probans, in decretum senatus dixisse uideri poterat. mitigat autem senatusconsulti interpretatione, ne offendat senatum. Dicit autem specie legationem esse, re autem uera belli denunciationem. Ad Annibalem.] Ad hostem aut potius latronem non ad ciuem, & est comparatio per denominationem. Consulem designatum.] D. Brutum. hoc dicit ad indignitatẽ rei ostẽdendam.
Sit in Sen. populiq; Rom. potestate.] Vobis sese submittat. hæc omnia cum stomacho & indignatione dicuntur.
Facile uero.] Ironia, quam tamen paulo post declarat. In uestra potestate sit, qui in sua nunquam fuerit.] Non pariturum Antonium probat ex minori. Qui enim sibi obtemperare non potest, quomodo alijs obtemperabit? Porrò ille in sua potestate & arbitrio est, qui rationi obtemperat: contrà qui appetitui & libidini suæ paret, is seruitutẽ turpissimam seruit, nec sui compos est. Itaq; consuetudine sermonis latini, ut Cicero in tertia Tusculana docet, exisse è potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia. quia non sunt in potestate mentis, & rationis, cui regnum totius animi à natura tributum est. Quid enim ille?] Probat quod dixit, ex Antonij perpetua uita & moribus. Quo libido.] Repetitio ad Antoniũ in contemptionẽ adducendum. Duo dissimilia genera.] D
Quia lenones lenocinijs quæstum faciunt, latrones rapiunt & auferunt: blandiuntur lenones, & palpant: necant latrones, & atrociter accipiunt. Delicijs illi, duritie & asperitate hi delectantur. Forensibus.] In foro, palam, & inter ipsa subsellia editis. Mulieri auarissimæ.] Fuluiæ uxori alieni cupidissimæ. Itaq; quod.] Repetit & confirmat coniecturam suam, qua dixit Antonium legationi non pariturũ: ut ex eo colligat, belli causam integram esse, populumq; Rom. in suscepto ardore retineat. Testificor, den.] Interpretatio, cæsa oratione prolata, qui articulus uocatur. Qua possit.] Quocunq; modo & ubicunq; possit. Facturũ, uastaturũ, obsessurũ, habiturũ.] Similiter cadẽs, & simul mẽbratim dicit. Is est enim ille.] Cõiectura ex antecedentibus, siue adiunctis, & signis.

An ille id faciat, quod paulo ante decretum est? ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ, educeret? dum ne propius urbem Romam CC. mil. admoueret? huic denunciationi ille pareat? ille se fluuio Rubicone CC. mil. circũscriptum esse patiatur? non is est Antonius. nam si esset, non cõmisisset ut ei Senatus tanquam Annibali initio belli Punici denunciaret, ne oppugnaret Saguntum. Quod uero ità auocatur à Mutina: ut ab urbe, tanquam pestifera flamma arceatur: quam habet ignomi-

A ignominiam? quod iudicium Senatus? quid? quod à Senatu dantur mandata legatis? ut D. Brutum, militesq; eius adeant: hisq; demonstrent sua in Remp. merita, beneficiaq; eorum grata esse Senatui populoq; Romano: eisq; eam rem magnæ laudi, magnoq; honori fore? passurum ne censetis Antoniũ introire Mutinam legatos? exire inde tuto? nunquam patietur, mihi credite. noui uiolentiam: noui impudentiã: noui audaciam. Nec uero de illo sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua cogitare.

An ille id faciet.] *Decretum senatus totum profert, & mandata legatis ad Antonium data.* *Citra flumen Rubiconem.*] *Qui inter Rauennam & Ariminum excurrens, Cisalpinam Galliam ab Italia disterminat: deinde in Adriaticum fluit sinum. Hodie accolæ Runconem uocant, de quo Lucanus:*

Fonte cadit modico, paruisq; impellitur undis
Puniceus Rubicon, dum feruida canduit æstas,
Perq; imas serpit ualles, & Gallica certus
Limes ab Ausonijs disterminat arua colonis.

B *Est autem Rubicon, à rubris arenis appellatus, quibus etiam fit, ut fluuius ipse nonnihil rubeat, quocirca & Lucanus puniceum uocauit. Edictum, & decretum senatus, super ipso Rubiconis ponte in marmore incisum fuit his uerbis:*
IMPERATOR, MILES, TYRO, ARMATVS QVISQVIS ES, HEIC SISTITO, VEXILLVM FIGITO, ARMA DEPONITO, NEC CITRA HVNC AMNEM RVBICONEM, SIGNA, ARMA, EXERCITVMVE TRADVCITO. SI QVIS ADVERSVS PRAECEPTA IERIT, FECERITVE, ADIVDICATVS ESTO HOSTIS POPVLI ROMANI, AC SI CONTRA PATRIAM ARMA TVLERIT, SACROSQVE PENATES E PENETRALIBVS ASPORTARIT.

CC. milibus.] *Scilicet passuum: id est ducentis miliaribus Italicis, quorum singula mille passus continent.* *Non is est Anto.*] *Sed is est ille qui semper senatus iudicium & autoritatem, semper uoluntatem uestram potestatemq; contempserit, ut antea dixit.* *Nam si esset.*] *Scilicet is. Et probat à signo, eum talem non esse, qui parere consueuerit & uelit.* *Initio belli punici.*] *Secundi scilicet de quo Liuius & Florus.* *Ne oppugnaret Saguntum.*] C *Similitudine Mutinam coloniam Saguntum dicit.* *Quod uero.*] *Alia ratio qua probat satis seuere senatum decreuisse, simulq; Antonium non laturum, quod ita auocetur Mutina, ut tamen ei Romam reuerti non concedatur, quæ res magnam ei afferret ignominiam, nam id nihil aliud est quàm eum tanquam pestiferam flammam ab urbe arceri.*

Quid? quod à senatu.] *Alia ratione idem confirmat, quibus omnibus ita irritatur Antonij furor & audacia, ut nunquam sit legatis pariturus.* *Noui uiolentiã.*] *Iterum hoc ipsum probat, ex moribus Antonij: Et simul repetitis uerbis, & similiter cadentibus tribus exornat orationẽ. Idem fecit in superiore oratione: Noui, inquit, hominis insaniam, arrogantiam: noui perdita consilia.* *Nec uero de illo.*] *Epiphonema hoc addit ad exaggerandam hominis improbitatem, cum eum ex humanitate eximit, & in belluæ immanitatem transfert.* *Importunissima bellua.*] *Infestissima, nocentissima fera.*

Quæ cum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decreuit Senatus. habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ. nam cum plerisq; in rebus gerẽdis tarditas & procrastinatio odiosa est: tum hoc bellum indiget celeritatis. succurrẽdum al. ullam est D. Bruto: omnes undiq; copiæ colligendæ: horam eximere† nullam in tali ciue liberando sine scelere non possumus. an ille non potuit, si Antonium cõsulem, si Galliam D Antonij prouinciam iudicasset, legiones Antonio & prouinciam tradere? domũ redire? triumphare? primus in hoc ordine esse, quoad magistratum iniret? quid negocij fuit? sed cum se Brutum esse meminisset, uestræq; libertati natum, quid egit aliud, nisi ut penè corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos? an legiones ire oportebat?

Quæ cum ita sint.] *Epilogus per repetitionem eius quod initio dixit, minus quidem seuere senatum decreuisse, non tamen omnino dissolutè.* *Dissolutum.*] *Remissum, lene, mite, molle, sed habet aliquam seueritatem.*
Habet atrocitatis aliquid legatio.] *Seueritatis acerbitatis. Idem dicit per affirmationẽ, quod dixit per negationẽ.*
Vtinam nihil.] *Optatio, siue ut alij uotum, Græcis* εὐχὴ *uocatur.* *Procrastinatio.*] *Elegans nomen, sed in Cicerone rarum. Significat enim moram eam, & dilationem, cum dies de die ducitur, profertur, extrahitur, langore quodam.* *Odiosa.*] *Molesta & nocens.* *Succurrendum est D. Bruto.*] *Addit causam cur hoc bellum indigeat celeritatis. Locus cõmunis contra cunctationem. Sic etiam Lucanus: Tolle moras. semper nocuit differre paratis. Item Sillius Italicus, Pelle moras. breuis est magni fortuna fauoris. A Columella quoq; dictum est dispendiosam esse cunctationem. Interdum tamen cunctatio utilis est, quod Fabius cunctator bello Punico secundo declarauit, qui, ut Poeta ait,*

unus homo nobis cunctando restituit rem. Et potissimum in belli ducibus & imperatoribus commendatur, ut Ammianus A
Marcellinus scribit. Verum illud prudentiæ singularis mihi esse uidetur, ubi cunctatione, ubi contrà celeritate sit utendum: quod quidem pro rerum occasionibus est animaduertendum, ne uel tarditate, uel celeritate magnas opportunitates corrumpamus. Horam eximere nullam.] *Eximere, est amittere, differre, extrahere, præterire.* In tali ciue liberando.] *A Bruti persona, atq; adeo ab eius uirtute, probat differendum non esse.* Sine scelere.] *Sine impietate.* An ille.] *Delabitur in laudes Bruti, amplificandi & permouendi causa.* Primus in hoc ordine esse.] *Cõsul designatus primus sententiam in senatu rogabatur more maiorum, ut in superiore Philippica dixit Cicero.* Sed cum.] *ἀντιθέτως. potuit facere, sed non fecit, quia uestram salutem, suis cõmodis anteponere maluit.* Cum se Brutum esse meminisset.] *Id est liberatorem patriæ, quod exponit ipse cum subijcit, Vestræq; libertati natum. Brutum autem dixit, κατ' ἀντονομασίαν quæ Metonymiæ est species.* Libertati natum.] *Vtpote ex familia Brutorum.* Penè corpore suo.] *Quoniam eam urbem tenebat, quam obsidebat Antonius.* Ad hunc.] *Brutum liberandum.* Legatos, an legiones?] *Quæsita est in his duobus uerbis, agnominatio.*

Sed prẹterita omittamus. properent, quod uideo esse facturos. uos saga parate. est enim ita decretum: ut, si ille autoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. ibitur: non parebit. nos amissos tot dies rei gerendæ queremur. Non metuo Quir. ne cum audierit Antonius, me hoc in senatu, & in concione confirmasse, nunquam illum futurum B
in senatus potestate: refellendi mei causa, ut ego nihil uidisse uidear, uertat se, senatui pareat. nunquam faciet: non inuidebit huic meæ gloriæ: malet me sapientem à uobis, quàm se modestum existimari. quid? ipse si uelit: num etiam L. fratrem passurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tybur, ut opinor, cum ei labare M. Antonius uideretur: mortẽ fratri esse minitatus. Etiam ne ab hoc Myrmillone Asiatico senatus mandata, legatorum uerba audientur? nec enim secerni à fratre poterit, tanta præsertim autoritate. nam hic inter illos Africanus est: pluris habetur quàm L. Trebellius: pluris quàm T. Plancus adolescens nobilis: qui omnibus sententijs maximo uestro plausu condemnatus, nescio quomodo se coniecit† in urbem: atq; ita mœstus rediit: ut retractus, non reuersus uideretur. sic contemnit: tanquam si illi aqua & igni interdictum sit. aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium ualde iam diligit: oderat tum, cum ille tabulis nouis aduersabatur. iam fert in oculis: postquam ipsum Trebellium uidit sine tabulis nouis saluum esse non posse. audisse enim uos arbitror Quirites quod etiam uidere potuistis, quotidie sponsores, & creditores L. Trebellij conuenire. O fides († hinc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen) quæ potest esse maior fides, quàm fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienum uenire ad arma? ubi plausus ille in triumpho est spe ludi? ubi ædilitas delata summo studio bonorum? quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse? nequitia est: scelus est. al. in turbam C al. hoc

Sed præterita omittamus.] *Sic in superiore oratione, Verum, inquit, præterita omittamus. Præterita quidem corrigi non possunt, sed tamen eorum cõmemoratio, ad futurorum cautionem ualet.* Properent.] *Legati scilicet, permistio.* Quod uideo.] *Corrigit, ne uideatur de Legatorum diligentia dubitare.* Vos Saga parate.] *Vestem mutate, in armis estę, tanq̃ certum bellum inituri.* Est enim.] *Ex decreto uerisimile facit quod dicit.* Ad saga iretur.] *Saga sumerentur, mutaretur uestis. paulo ante ait: Saga sumi, dixi placere.* Ibitur.] *Scilicet ad saga. prædictio est.* Non parebit.] *Ratio per prædictionem, confirmata tamen antea ex natura, moribus, & consuetudine Antonij.* Nos amissos.] *Oblique contra senatusconsultum, de Legatis. sic in superiore oratione. Sin autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis.* Non metuo,] *Occupat dubitationem, eamq; remouet.* Ne uertat se.] *Ne mutet sententiam, nosq; respiciat.* Refellendi mei causa.] *Id est uanum & mendacem ostendendi.* Vt ego.] *Declarat quod modo dixit.* Nunquam faciet.] *Respondet per subiectionem, & idem sæpius repetit ad conflandum Antonio odium.* Quid? Ipse si.] *Aliam causam ex L. Antonij fratris persona profert, cur id facturus non sit, quia frater non patietur, cui multum defert M. Antonius, quem respicit, & timet.* Ad Tybur.] *Vrbs fuit in Latio, à Tyburte condita, ut Verg. Aen. 7. testatur, ubi etiam Tybur superbum uocat, hodie Tiuoli uulgo nominatur. A Tybure fit Tyburs gentis nomen, & Tyburtes populi.* D
Labare.] *Animo concidere, nutare, uacillare, titubare, dubitare de bello persequendo.* Etiamne ab hoc.] *Indignantis uerba, quæ ad L. Antonij contemptum faciunt, hinc enim ad L. Antonij uituperationem digreditur.* Ab hoc Myrmillone.] *Gladiatore & sicario, qui non in ludis, sed obuios quoscunq; cædendo, pugnaret.* Secerni.] *L. Antonius, à M. Antonio fratre, abesse & disiungi non poterit, cum Legati adibunt ad Antonium.* Nam hic inter illos Africanus est.] *Id est summus & sapiens Imperator. Ironicos tamen ista dicuntur, quod ex subiecta comparatione satis intelligitur.* Pluris habetur quàm L. Trebell. &c.] *Hi erant homines nequissimi: qui cum ob uaria flagitia in Vrbe esse impunè non possent, ad Antonium confugerant. Et T. quidem Plancus, qui T. Munatius Plancus Bursa uocabatur, L. Munatij Planci Oratoris frater propter æs alienum cõdemnatus, redierat à Cæsare initio belli ciuilis in integrum*

A *restitutus. Ita uero redierat, ut non sua sponte redijsse, sed ui ad supplicium retractus uideretur. nam retrahuntur fugitiui ad supplicium.* Sic contemnit.] *Plancum Antonius, eumq; exulem & hostem publicum. Nam hostibus iudicantis, aqua & igni interdici solebat, quod quidem instar mortis erat, ut iurisconsulti tradunt.* Aliquando negat ei locum esse in curia.] *Curia cum sine adiectione ponitur, Hostiliam intelligendam esse, docti quidam censent: Nam Tullum Hostilium regē, curiam iuxta rostra construxisse, testis est Varro de Lingua L. Rostra autem in foro Romano fuisse accepimus, & in eodem foro curiam habendi senatus locum. in hanc curiam Plancus iste faces intulerat in Cæsaris interfecti funere. Alij putant, cum Clodij cadauer combustum fuit, quod mihi magis placet, cum idem testetur Asc. Pedianus in commentarijs orationis pro Milone. hæc uero Cicero dicit, non quo displicerent Antonio, sed ut ostendat, per iocum uerum fore quod dicit, nullum locum futurum in curia, ei qui incenderit curiam. Curia, curiam, coniugata sunt Aristoteli, & similitudine hoc loco, habent gratiam: præsertim cum significet facinori pœnam conuenientem datam.* Nam Trebellium.] *Antonij ostendit inconstantiam, & Trebellium propter æs alienum contractum, etiam condemnatum esse.*

Cum ille tabulis nouis.] *Plutarchus dicit, Dolabellam post Pharsalicam pugnam, legem perferre de nouis tabulis uoluisse: ei legi, Asinium & Trebellium intercessisse: Antoniū quod suspicaretur uxori suæ stuprum à Dolabella oblatum, Asinij & Trebellij partes suscepisse. Ab hoc, Cicero uidetur hoc loco dissentire. Verum aut de alijs tabulis nouis loquitur Cicero, aut Antonium rursum, Dolabellam adiuuisse in nouis tabulis proferendis nam alioqui non bene conuenit Plutarcho cum Cicerone: quanquā Ciceroni ego magis in hac re credendum censeo, qui ipse cum illis uixit, qu[ando] ista agitarēt.*
B *Nouæ autem tabulæ sunt de ære alieno obliterando, ut ueteribus creditorū tabulis sublatis, nouæ conficerentur: quod fieri solebat à perditis hominibus, in Reip. perturbatione. Qua in re illud annotandum, quod Fortunatianus iurisconsultus dicit, lege de nouis tabulis lata, pecuniam cum usuris creditam repeti quidem non posse: depositam uero sine fœnore posse: hinc illa extitit controuersia: Petebat aliquis ab amico pecuniam cum usuris quasi creditam, ille offerebat sine usuris tanquam depositam. Dum ita lis pendet, ecce profertur lex de tabulis nouis. Repetit ille pecuniam tanquam depositam: retinet iste, quasi fœnori datam. Vterq; calumnia iuris utebatur, & strophis.* Iam fert in oculis.] *Vehementer amat, obseruat, colit.* Audisse.] *Cōfirmatio à signis, quæ τεκμήρια uocant Græci, Latini argumenta, & proprias rerum notas, in quibus insunt tanquam uestigia & testimonia quædam.* O fides, Hinc enim puto.] *Exclamat in Trebellij perfidiam & uidetur innuere Trebellium, à Fide Fidiculanū, appellatū, aut alio à fide ducto cognomento: sed εἰρωνικῶς hoc dicit.* Maior perfidia. *nam contrario modo intelligi debent.* Vbi plausus.] *Insultat Trebellio, significans illum bonorū spem de se fefellisse, qui tam nequam, tam sceleratus euaserit.* Casu recte fecisse.] *Si quid recte fecit aliquando Trebellius, casu fecisse dicit non habitu & proposito: ut intelligamus, eum laudandum ob id non fuisse, quod legi de nouis tabulis intercesserit. Virtus enim constans & firma est animi affectio: quare non ita facile in uitium cōmutatur, ut Arist. in Ethicis docet. Vt enim Geometriæ imperitus interdum lineam, aut triangulum*
C *casu recte ducit: sic improbi fortuito & casu interdum recte aliquid faciunt.*

Sed redeo ad amores deliciasq; nostras L. Antoniū: qui uos omnes in fidem suam recepit. negatis? num quispiam est uestrū, qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illum quinq; & triginta tribus patronum adoptarunt. rursus reclamatis. aspicite à sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? QVINQVE ET TRIGINTA TRIBVS PATRONO. populi Romani igitur est patronus L. Antonius. malam quidem illi pestem. clamori enim uestro assentior. non modo hic latro, quem clientem habere nemo uelit: sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Rom. uictoris, dominiq; omnium gentium tutorē dicere auderet? In foro L. Antonij statuā uidemus: sicut illā Q. Marcij Tremuli qui Hernicos deuicit,
al. Mylasis ante Castoris. O impudentiam incredibilem. tantum ne sibi sumpsit, quia †Trallibus Myrmillo Thracem iugulauit familiarē suum? quonam modo istum ferre possemus,
D si in hoc foro spectantibus nobis depugnasset? Sed hæc una statua. Altera Equitum Ro. equo publico: qui item ascribūt, PATRONO. quē unq; iste ordo patronū adoptauit? si quenq;: debuit me. sed me omitto: quē censorē? quē imperatorē? agrum is diuisit. O sordidos, qui acceperunt: improbum, qui dederit. statuerunt etiam Tribuni mi-
al. exercitibus Cæsaris duob. litares, qui in †exercitu Cæsaris duo bis fuerunt.

Sed redeo ad amores.] *εἰρωνικῶς loquitur, cum quadam exprobratione. Solet autem Tullius hæc duo ferè coniungere, amores & delicias. ut de Diuinatione: Quid amores ac deliciæ tuæ Roscius?* In fidem suam.] *In tutelam, & clientelam.* Negatis?] *Hic negarat populus, Cicero autem respondet, negatis? quasi diceret, euincam.*

Qui tribum non habeat.] *Totus enim populus Rom. in triginta quinq; tribus distributus erat ut sequentia declarant.* Atqui illum quinq; & triginta tribus adoptarunt.] *Ex quibus sequitur L. Antonium uos omnes in fidem suam recepisse. nam conclusionē tacuit Cicero, quod satis intelligeretur, ut ipse in Part. Orat. faciendum esse interdum præcepit: nisi uelimus dicere conclusionem post confirmationem assumptionis posuisse, ut sit quadripartita argumentatio. nam sequitur paulo post: Igitur est Patronus L. Antonius.* Rursus reclamatis?] *Et hic reclamauit populus, negans 35. tribus L. Antoniū patronū adoptasse.* Aspicite à sinistra.] *Confirmat statuæ testimonio sine inscriptione. Nam clientes sic instituerunt colere patronos Plinio teste, ut statuas eorū in domibus atq; in atrijs ponerent, quæ fori orna-*

fori ornamenta erant. Quid inscriptũ est?] Dialogismo hanc rem agit, ut cœpit, interrogat & respondet affir- A
mandi causa. Patrono pop. Rom.] Scilicet posuerunt. Malam quidem illi pestem.] Scilicet imprecor. Eclipsis. Clamori enim.] Vobis potius credo, qui negatis uestrum esse patronum. Non modo hic latro.] Ex maiore negat quenquã idoneum inueniri, qui patronus & tutor pop. Rom. dici mereatur. & obserua inuersum interrogationis ordinẽ, nam rectũ & simplex erat: Nemo unquã tantus fuit, ut dignus esset patronus pop. Rom. nedũ hic latro. Sicut illã Q. Martij Tremuli.] Sic ego ex Liuio & Plinio legendũ statuo, non Trebellij. Ante ædem Castoris, inquit Plin. fuit Martij Tremuli statua equestris togata, qui Samnites bis deuicerat: captaq; Anagnia populũ stipendio liberauerat. Item Liu. lib. 9. ab urbe condita. Q. Martius Tremulus Cos. cum P. Cornelio Aruina Anagnia capta de Hernicis triumphauit. statuaq; equestris in foro ei decreta est: quæ ante Castoris templũ posita est. Hernici uero populi in Italia sunt non procul ab urbe. quorũ oppida sunt Ferentinũ, & Verulæ. addit autẽ Orator cõparationẽ Q. Martij, ut rei augeat indignitatem. Ante Castoris.] Scilicet ædem: sæpe enim hoc pacto loquitur Cicero, idq; imitatione Græcorũ, quorũ æmulus semper fuit, ut Romanã augeret linguam. O impudentiam incredibilem!] Exclamat in rei indignitatem. Myrmillo, Thracẽ iugulauit.] Hoc est gladiator, gladiatorẽ. nam ut supra alibi diximus, Thraces genus erat gladiatorũ, qui proprie cum Myrmillone cõmittebantur. Erat enim iustũ par gladiatorũ, Thrax & Myrmillo. Quonã modo istum.] A minori crimen nosc argumentatur: si tam insolens est, quod Thracẽ familiarẽ in Asia iugulauit, quid faceret, si Romæ ciuẽ occidisset? Altera Equitum Rom.] Id est, quam equites Rom. posuerunt, ut literæ Cæsaris lib. 3. Epist. ad Q. Fr. quas Tullius ad Cæsarẽ dederat. Equo publico.] Alij legunt: in equo publi- B
co, alij, æquè in publica, uel æquè publica. mihi placet equo publico, ut equestrem statuam ab equitibus Romanis, L. Antonio positam esse intelligamus. Quem unquã.] Indignatur in rei nouitatẽ, & refellit à perpetua equitũ cõsuetudine, qui nunquã sibi patronũ adoptarunt. Si quenquã debuit.] Enumeratione refellit, eam statuam equites posuisse, sic: aut me, aut censorẽ aliquẽ, aut imperatorẽ, si quenquã alium adoptassent. At non me, non censorem, non imperatorẽ, ergo neminẽ adoptarunt. Cicero, equestris ordinis fuit & eius amicissimus, Remp. seruauit. Censores iniurere non tam equitibus potuissent, si quid in eis displicuisset, aut equum adimere. Imperatores siue belli duces, equites ualde poterant promouere, in pace & bello. Quare multũ his tribus debebat equestris ordo, quorũ certe aliquem potius adoptassent, si quenquã patronũ adoptare uoluissent. O sordidos.] Auaros & turpes, qui ab improbo aliquid acceperint. nam cum dare & accipere sint in ijs quæ cum aliquo conferuntur, si quid improbè datur, improbè quoq; accipitur. exclamatio hæc ualet ad indignationem. Improbum.] L. Antoniũ, quia dedit, quæ dare nec potuit nec debuit.

Statuerunt.] Statuam equestrem unà cum equitibus Romanis posuerant Antonio quidam, Tribuni militũ Iulij Cæsaris, quibus etiã L. Antonius agros diuiserat. Qui in exercitibus Cæsaris duobus fuerunt.] Alij legunt: in exercitu Cæsaris duo bis, &c. sed melior est prior lectio. Quanquam uetustiores codices quidam neq; duobus, neq; duo bis habent: sed in exercitibus Cæsaris fuerunt.

Quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: his quoq; di- C
uisit Semurium. campus Martius restabat: nisi prius cum fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paulo ante Quirites L. Cæsaris clarissimi uiri & præstantissimi Senatoris sententia dissoluta est. huic enim assensi, septemuirûm acta sustulimus. Iacent beneficia Nuculæ: friget patronus Antonius. nam possessores animo æquiore discedẽt: nullam impensam fecerant: nondum instruxerant: partim quia non confidebant: partim quia non habebant. Sed illa statua palmaris: de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere. L. Antonio Iani medij patrono. ita ne? Ianus medius in L. Antonij clientela sit? quis unquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummûm ferret expensum?

Quis est.] Tanquam diceret: ordo talis nullus est, qui appelletur ordo Tribunorũ militũ. Fuerunt quidem Tribuni militũ in singulis legionibus bini: quorũ alter præerat cohorti quingenariæ, qui à Græcis πεντακοσιάρχης, & à nostris minor uocabatur: alter maior, millenariæ, qui Græce χιλιάρχης dictus est. Semurii.] Semuriũ quid sit, fateor me nescire. si quis autem quid sit, idoneis testimonijs ostenderit, ei habebo gratiam. Interea uero, Remoriũ, siue Re- D
moriã legam, Sex. Pomp. Plutarchi, & Dionysii Halicarnassei autoritate fretus, qui locũ fuisse Romæ docet, ubi Remus, Romuli frater cõdendæ urbis & cõsiliũ & auspiciũ cepit, & à Remo Remoriũ appellatũ. hanc sententiã adiuuat quoq; nonnihil, quod subiungit: Campus Martius restabat, scilicet diuidendus. ut, quemadmodũ hoc, sic illud non ad ueritatem, sed ad augendam inuidiam sit dictum, quasi nihil restaret, nisi ut & Romam ipsam diuideret, & suis satellitibus assignaret. Sic pro Milone de Clodio dicit, qui ianiculo & alpibus spem possessionũ terminabat suarum. Hic Ianiculũ etiã ut Remuriũ, pro Roma usurpauit, quod pars urbis uterq; locus sit. Assignatio.] Diuisio, descriptio, καταγραφή.

L. Cæsaris.] Qui fuit M. & L. Antonij auunculus. Ille enim in Senatu dixerat ut acta Antonij & septemuirûm rescinderentur, qui diuidundis agris præfecti fuerant ab Antonio. Iacent.] Irrita sunt: non coluntur agri à diuisore Nucula collati. fuit autẽ Nucula, unus ex septemuiris diuidundorũ agrorũ ut ex 8. Philippica constat. Friget.] Non defendit, nihil agit, torpet. uidet enim sua irrita esse, & rescindi acta L. Antonius. Nam possessores.] Quibus L. Antonius agros diuisit. Animo æquiore discedent.] Irridet, amara Ironia. Nondũ instruxerant.] Qui nactus est fundum aut uillam, ea instruere solet instrumento necessario. Hinc titulus apud iurisconsultos: de fundo instructo, & instrumento legato. Partim quia non confidebant.] Ratio duplex cur nondum instruxissent fun-

A *dum, tum quia non confidebant ea rata diu fore quæ faciebat Antonius, tum quia decoctores erant illi, nec habebant unde fundum instruerent.* Sed illa status palmaris.] *Loquitur de alia statua quam ei negotiatores, siue fœneratores posuerant: eam* εἰρωνικῶς *& cum risu palmarem uocat, id est triumphalem, & multarum palmarum gladiatori positam. dicitur enim palmare aliquid, quod uictoriæ insigne sit & eximium.* L. Antonio Iani medij patrono.] *Sunt qui legant: Iano medio, sed mendose, quod ex sequentibus statim uerbis, & ex loco simili in sequenti Philippica probari potest. Cæterum Ianus medius Romæ dicebatur, ea pars fori in qua consistebant fœneratores, Argentarij, negotiatores. erat autem ibi basilica Iani bifrontis in medio foro: unde medius Ianus appellatus. Cic. de Off. lib. 2. extremo: sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, cōmodius à quibusdam optimis uiris ad medium Ianum sedentibus, quàm ab illis philosophis ulla in schola disputatur. Item apud Horat. Serm. li. 2. Satyra 3. ex negotiatore factus philosophus Stoicus, ita loquitur.*

Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussus proprijs.

In L. Antonij clientela.] *Id est, ut habeat patronū Antonium. Sunt enim in relatis, cliens & patronus, & alterum per alterum declaratur. cum stomacho hæc à Cicerone dicuntur.* Quis unquam.] *Ostendit uerisimile non esse, L. Antonium medij Iani patronū esse, cum nemo unquam ibi inuentus sit, qui ei mille numos uoluerit mutuo dare, aut cre-*
B *dere, quoniam fallere & conturbare rationes consueuerat.* Mille numum.] *Singularis est numeri, &, ut Grammatici dicunt, substantiuum. In illo autem mille numi, mille plurale est, & adiectiuum: utraq; forma, Ciceroni usitata. Mille autem numûm, sunt hodie 25. scutati aurei, siue mauis coronati, aut solati: sic enim à scuto, corona, sole appellare licet, ueterum imitatione, qui bigatos à bigis, serratos à serra nominarunt, uti nos in libello de ponderibus req; numaria ad Liuium ostendimus.* Ferret expensum.] *Eleganter, & Romane dictum, pro credere, siue in tabulas accepti, & expensi referre, quod factitare negotiatores solent, qui cum ab alijs pecuniam acceperint, notant acceptam, cum uero ipsi dederint, & exposuerint alijs expensam.*

Sed nimis multa de nugis. ad causam bellūq; redeamus. quanquam non alienū fuit personas quasdā à uobis recognosci: ut quibus cū bellū gereret, possitis taciti cogitare. Ego autē uos hortor Quir. ut, etiā si melius aliud fuit, tamē legatorū reditū expectetis animo æquo. celeritas detracta de causa est: boni tamē aliquid accessit ad causam. cū enim legati renunciarint, quod certe renunciabunt, non in uestra potestate, non in Senatus esse Antonium: quis erit tam improbus ciuis, qui illum ciuem habendum putet? nunc enim sunt, pauci illi quidem: sed tamen plures quàm Repub. dignum est:
C qui ita loquantur: ne legatos quidem expectabimus? istam certe uocem, simulationemq; clementiæ, extorquebit his res ipsa publica. quo etiam, ut cōfitear uobis Quir. minus hodierno die contendi, minus laboraui: ut mihi Senatus assentiens tumultum decerneret: saga sumi iuberet. malui uiginti diebus post, sententiam meam laudari ab omnibus, quàm à paucis hodie uituperari. Quapropter Quir. expectate legatorū reditum: & paucorū dierum molestiam deuorate. qui cum redierint: si pacem afferent, stupidum me: si bellum, prouidum iudicatote. An ego non prouideam meis ciuibus? non dies noctesq; de uestra libertate, de Reip. salute cogitem? quid enim non debeo uobis Quirites? quem uos hominem à se ortum, hominibus nobilissimis omnibus honoribus prætulistis? an ingratus sum? quis minus? qui partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petēdis. rudis in Republica? quis exercitatior? qui uiginti iam annos bellum geram cum improbis ciuibus?

D Sed nimis multa.] *Redit ad institutum, & hortatur Quirites ut ad bellum certum parati sint.* De nugis.] *Nugas uocat quæ de L. Antonio dixit, præ ijs quæ de bello in Antonios suscipiendo dicturus est: quod quidem ad Lucij & aliorum personæ contemptum facit. Sunt autem nugæ, res nihili, & nullius precij, quæ Græce dicuntur* λόγοι.

Quanquam non alienum.] προληπτικῶς *rationem reddit, cur quorundam personas hic descripserit.* Melius aliud fuit.] *Non mittere Legatos scilicet, nec bellum differre.* Celeritas.] *Addit causam, & quid boni ex mora expectandum sit, docet.* Pauci.] *L. Piso, Saluius, Calenus, & alij nonnulli.* Qui ita loquantur.] *Prosopopœia, eos reprehendit qui pro Antonio loquebantur.* Istam certe uocem.] *Tacite minatur Antonij fautoribus.*

Extorquebit.] *Comprimet, irritam faciet, infringet, auferet.* Quo etiam.] *Quam ob causam. significat se, si contendere uoluisset, obtenturum ne Legati mitterentur. cur autem id noluerit, rationem reddit probabilem.*

Molestiam deuorate.] *Bona translatio sumpta ab ijs qui non satis gratum cibum, potius deuorant quàm comedunt: ut qui Catapotia aludiæ deuorant medicamentum.* Si pacem afferunt.] *Si paruerit Antonius.* Cupidum me.] *Stupidum legendum est proculdubio, ut opponatur, prouido: facit enim Cicero in his duobus* ἀντίθεσιν.

Si bellum.] *Si non paruerit, & ob id bellum denunciatum renunciauerint.* An ego non?] *Occurrit inuidiæ uerbi, & cōmendat uigilantiam suam in Rep. atq; hoc ipso confirmat animos populi ad bellum capessendum.*

Quid enim non debeo uobis?] *Omnia maxima, & quicquid sum uobis debeo. his uerbis multitudinis animos uehementer*

hementer delinit, sibiq; conciliat. Hominē à se ortum.] *Id est nouū, utpote cuius maiores, nullos honores in rep.* A *gesserant. Homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum. Ita ipse de se in Sallustium: Ego meis, inquit, maioribus uirtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Fuit enim Cicero homo nouus, & tamen uirtute nobilißimis uiris est æquatus.* Nobilißimis.] *Galbæ, Catilinæ, & alijs.* An ingratus sum.] *Hæc est illa Cornificij ad Heren. lib. 4. subiectio nominata, cum interrogamus ipsi, & quid sit respondendū subijcimus.* Eosdem geßi in foro labores.] *Nullus dies erat, quo pro reo non diceret, ut ipsemet ad Q. Fr. scribit.*

Rudis in rep.] *Scilicet administranda. dicitur etiam, Rudis reip. peregrinus in sua ciuitate.* Viginti iam annos.] *Vt in principio Philippicæ secundæ dictum est.* Cum improbis ciuibus.] *Cum Catilina, cum Clodio, cum Vatinio, & nunc cum Antonijs.*

Quamobrem Quirites consilio quantum potero, labore penè plus quàm potero, excubabo, uigilaboq; pro uobis. Etenim quis est ciuis, præsertim hoc gradu, quo me uos esse uoluistis, tam oblitus beneficij uestri? tam immemor patriæ? tam inimicus dignitati suæ? quem non excitet, non inflammet tantus uester iste consensus? multas magnasq; habui Consul conciones: multis interfui: nullam unquam uidi tantam, quanta nunc uestra est. unum sentitis omnes: unum studetis: M. Antonij conatus auertere à republica: furorem extinguere: opprimere audaciam. idem uolunt omnes ordines: eo- B dem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaq; senatum sua sponte bene firmum, firmiorē uestra autoritate fecistis. Venit tempus Quirites serius omnino quàm dignum populo Romano fuit: sed tamen ita maturum, ut differri iam hora non possit. Fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam, quem tulimus: quoquo modo ferendus fuit. nūc si quis erit, erit uoluntarius. Populum Romanum seruire fas non est, quem dij immortales omnibus gentibus imperare uoluerunt. res in extremum est adducta discrimen: de libertate decernitur: aut uincatis oportet Quirites: quod profecto & pietate uestra, & tanta cōcordia consequemini: aut quiduis potius quàm seruiatis. aliæ nationes seruitutem pati possunt: populi Romani est propria libertas.

Quamobrem Quirites.] *Peroratio hoc incipit loco. Continet autem hæc peroratio cohortationē, qui locus ad amplificationem refertur. Eam cohortationem munit facultatum enumeratione, & populi Romani natura. In primis autem consilium operamq; suam reip. modeste pollicetur, quo facilius populum ad reip. defensionem accendat.* Excubabo uigilaboq.] *Hæc respiciunt ea quæ paulo ante dixit: Non dies noctesq; de uestra libertate, de reip. salute cogitem?* C

Hoc gradu.] *Hac senatoria consulariq; dignitate.* Conciones.] *Multitudinem ad audiendum congregatā.*

Nullam unquam uidi tantam.] *Sic quartam est orationem exorsus: Frequentia uestrum incredibilis, concioq; Quirites tanta, quantam meminisse non uideor, &c.* M. Antonij conatum.] *Declarat appositione, quidnam sit illud unum, quod Quirites sentiunt, & student.* Omnes ordines.] *Senatorius, equestris, & plebeius.* Eodem incumbunt.] *Eidem student rei, in eandem incumbunt rem, & causam. Enumerat facultates.* Senatum sua sponte.] *Senatum populo conciliat.* Venit tempus.] *A temporis opportunitate incitat.* Fatalis casus.] *Necesitas nos Iulio Cæsari parere corgit: reijcit culpam in necessitatem, ne parum uiri fuisse uideantur. Locus est à remotione, ut rhetores loquuntur.* Voluntarius.] *Ab honesto & turpi. cum sit in manu nostra libertas, culpa nostra erit, atq; eo turpior, si eam dimiserimus, si non eam uindicauerimus.* Seruire fas non est.] *A contrario, bellum igitur erit honestum, ut libertatem tueamur.* Quem dij immortales.] *A deorum uoluntate, contra quam fit, nisi libertas retineatur. Deorum autem uoluntatem potuit Cicero cognoscere ex Sibyllinis oraculis, aut Homericis. Venus quidem apud Maronem libro primo Aeneidos queritur apud Iouem in hunc modum:*

Certe hinc Romanos olim uoluentibus annis
Hinc fore ductores reuocato à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent: D
Pollicitus: quæ te genitor sententia uertit?

Cui Iupiter inter cætera sic respondet, de Romanis loquens:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

Apollo item Virgilianus ex Homerico Apolline, Aeneid. lib. 3. de Romanorum imperio sic respondet:

Dardanidæ duri quæ uos à stirpe parentum
Prima tulit tellus: eadem uos ubere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris:
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Omitto quæ Daniel dei ueridicus uates de quarta monarchia, id est de Romano imperio eiusq; potētia uaticinatus est.

Aut uincatis.] *Vide sub finem tertiæ Philippicæ.* Quiduis potius.] *Mortem & bonorum euersionem.*

Aliæ nationes.] *Comparatione aliarum nationum, auget.* Populi Romani est propria libertas.] *Libertas (ut alibi dixit) propria est Romani generis & nominis. epiphonemate claudit concionem.*

A IN PHILIPPICAM SEPTIMAM ARGVMENTVM.



VM Legati ad Antonium missi, expectantur, interea Antonij amici, eius & responsa, & postulata fingunt, benignius omnia interpretantur: Ciceronē reprehendunt, ab eo irritari Antonium non debuisse dictitantes. Itaq; Cicero ueritus ne ad pacem Patres animum inclinarent, rursus bellum suadet, à paceq; deterret: primum quia turpis sit pax omnis cum Antonio: deinde quia periculosa: postremo, quia fieri nullo modo possit. Quæ ab aduersarijs afferebantur, ea omnia diluit, eosq; reprehendit: Senatū officij sui admonet: hortaturq; ut libertatem populi Romani fortiter tueatur.

DE GENERE CAVSAE.

Suasoria igitur est causa: status coniecturæ: negantur enim ea futura, quæ aduersarij fingebant.

FIGVRA DICENDI.

Character siue dictionis forma, temperata est: quanquam interdum assurgit concitatior & amplior.

DISPOSITIO.

Partium orationis collocatio hæc est, Exordium, refutatio, partitio, confirmatio, peroratio: quæ dispositio non natura, sed oratoris arbitrio atq; consilio constituta est.

B

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SEPTIMA.



ARVIS de rebus, sed fortasse necessarijs, consulimur P. C. de Appia uia & de moneta Consul, de Lupercis Trib. pl. referunt. quarum rerū etsi facilis explicatio uidetur: tamē animus aberrat à sententia, suspēsus curis maioribus. Adducta est enim P. C. res in maximum periculū, & extremū penè discrimen. non sine causa legatorum istam missionem semper timui, nunq̄ probaui: quorū reditus quid sit allaturus, ignoto. expectatio quidem quantū afferat languoris animis, quis non uidet? non enim se tenent ij, qui Senatum dolent ad autoritatis pristinæ spem reuiuiscere: cōiunctum huic ordini populum Rom. conspirantē Italiam: paratos exercitus: expeditos duces. iam nunc fingunt Antonij responsa: eademq; defendunt. alij postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur.
C scilicet Legatos ad eum misimus, non ut pareret, & dicto audiens esset huic ordini: sed ut conditiones ferret, leges imponeret: referare nos exteris gentibus Italiam iuberet, se præsertim incolumi: a quo maius periculum, quàm ab ullis nationibus extimescendum est. alij remittere eum nobis Galliam citeriorem, illam ultimam postulare. præclare, ex qua non legiones solum, sed etiam nationes ad urbem conetur adducere. alij nihil eum iam nisi modesti postulare. Macedoniam suam uocat omnino: quoniam C. frater est inde reuocatus. Sed quæ prouincia est, ex qua illa fax excitare non posset incendium?

Paruis de rebus.] *Occasionem exordij ducit ab ijs quæ consul Pansa retulerat, ut ex eis quæ parua erant, attentiores faciat ad ea audienda, quæ maiora erant, & Reip. maxime periculosa.* *Consulimur.*] *Rogamur sententias: sententiæ exquiruntur à nobis.* *De Appia uia.*] *Quam Appius Claudius Cæcus ab urbe Brundusiū usq; constrauerat, à quo Appia est appellata. Quoniam autem proxima erat paludibus Pontinis, sæpe multis in locis euertebatur:*
D *Idcirco de ea reficienda & instauranda consul retulerat Pansa. De qua uia Cicero Q. F. lib. 3. Epist. Romæ, & maxime Appia ad Martis mira prolui̇es, Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna uis aquæ usq; ad piscinam publicam, & cætera ibidem. De hac eadem uia multa pro Milone. in ea enim Clodius interfectus fuit. Romæ enim quatuor uiri fuere, qui uiarum curam habebant, & ob id curatores uiarum appellati.* *De Moneta.*] *In urbe olim Triumuiri monetales fuerunt, quibus curæ erat numismata ex auro atq; argento cudere. Quæ quia aut adulteratur nonnunquam, aut noua cudenda est (mutatur enim sæpe, prout Reip. status mutatur) de ea retulerat consul. Aut fortassis de Moneta, cui Cæsar peculiares seruos præposuerat, ut ea ad Triumuiros rursum reuocaretur, ut Suetonius in Iul. Cæsaris uita scribit.* *De Lupercis Trib. pleb.*] *Distributio, de alijs consules, de alijs Tribuni referunt. hi enim referebant de Lupercis, quorum ritus quod à Cæsare nonnihil essent immutati, emendatione indigere uidebantur.* *Explicatio*] *Consultatio, deliberatio, expeditio. de paruis enim rebus facile consilium capimus.* *Aberrat.*] *Deflectit, abstrahitur, abalienatur.* *A sententia.*] *A cogitatione huiusmodi rerum.* *Suspensus.*] *Dubius, & sollicitus. Verg. Aen. 2. Suspensi Euripylum scitatum oracula Phœbi Mittimus.* *Adducta est.*] *Hic omissa proposita re, transit ad belli consultationem.* *Non sine causa.*] *Queritur de legatione, & confirmat, ex euentu uerum fuisse quod de ea prædixerat.* *Langoris.*] *Remissionis. Legatorum expectatio, dubitationem belli afferet, uirtutem militum debilitabit.* *Non enim se tenent ij.*] *Non sibi temperant: studium celare non possunt: non quiescunt, dissimulare nequeunt. Accusat eos qui fauebant Antonio, inter quos primi erant L. Piso & Q. Fusius Calenus.*

Reuiuiscere

Reuiuiſcere.] Bona tranſlatio,quaſi dominãte Cæſare extinctus eſſet ſenatus. *Conſpirantẽ Italiam.*] Con ſentientem,concordem,idem ſentientẽ. *Expeditos duces.*] Octauiũ & conſules,quibus hoc bellum mandatũ eſt. A
Nunc.] Priuſquã legati redierint. *Alij poſtulare*] Explanat quæ reſponſa fingant,& ſimul refellit.
Alij.] Scilicet fingunt & dictitãt. *Vt omnes exercitus.*] Planci ſcilicet,& Lepidi,& Octauij, & conſulũ.
Scilicet legatos.] Refellit ſigillatim:ſed omnia pene tractat ironia, & irriſione indignatione tincta,quod ea particula ſcilicet indicatur.ut apud Virg.Scilicet is ſuperis labor eſt.Item Cic.Phil.10.Scilicet hæc Panſa non uidet. *Ne pareret,& dicto audiens eſſet.*] Alterũ altero declaratur,cum idem ualeant. *Reſerare.*] Aperire & patefacere,dimiſsis exercitibus.libere enim & audacter ruerent. *Remittere.*] Tanquã iuris ipſius ſit,& de ſuo iure concedat. *Galliam citeriorẽ.*] Quam obtinebat Brutus,quæ togata ciſalpina dicitur. *Vltimã.*] Tranſalpinam,ſiue bracatã,quam obtinebat Plancus. *Præclare.*] Alia ironia,reprehendit aduerſariorũ poſtulata.
Quoniã C.frater.] Quaſi dicat,an idcirco inde fratrẽ eius reuocauimus,ut eò Antoniũ mitteremus. *Sed quæ*] Negat omnino ullam prouinciã Antonio concedendã eſſe,q ex quauis periculũ creare reip.poſsit. *Illa fax.*] Facem enim dicit,quæ Græce ὑπέκκαυμα dicitur & ἐμπύρευμα, hoc eſt ſuſcitabulum,ut Varro & Nonius loquitur, uel incitabulum,uel incitamentũ,ut alij.Plutarchus in Cæſare de quibuſdam factioſis ingentibus: οἱ τ παντὸς ὑπέκκαυμα πλῆθος ἦσαν. κατ' ἀλληγορίαν Antoniũ facẽ appellat:incendiũ uero,turbas,ſeditiones et bella intelligit.

Itaq; ijdẽ quaſi prouidi ciues,& ſenatores diligẽtes,bellicũ me ceciniſſe dicũt.ſuſcipiũt partis patrociniũ,qui ſic diſputãt.irritari Antoniũ nõ oportuit. nequã eſt homo ille,atq; confidẽs.multi prẹterea improbi.quos quidẽ à ſe primũ numerare poſſunt,qui hæc loquunt.eos eſſe cauẽdos denunciãt.utrũ igit̃ in nefarijs ciuib.ulciſcẽdis, cũ poſſis,an pertimeſcẽdis diligẽtior eſt cautio?atq; hæc illi loquunt,qui quondã propter leuitatẽ populares habebant.Ex quo intelligi poteſt,animo illos abhorruiſſe ſemper ab optimo ciuitatis ſtatu:nõ uolũtate fuiſſe populares.quî ẽm cõuenit,ut qui in rebus improbis populares fuerint, ijdẽ in re una maxime populari, q eadẽ ſalutaris pop.Ro. ſit,improbos ſe,q populares eſſe malint?me quidẽ ſemper,ut ſcitis,aduerſatũ multitudinis temeritati,hęc fecit pręclariſſima cauſa popularẽ.& quidẽ dicunt,uel potius ijdẽ ipſi ſe dicũt cõſulares.quo nomine dignus eſt nemo,niſi qui tãti honoris nomẽ poteſt ſuſtinere.faueas tu hoſti?literas tibi ille mittat de ſua ſpe rerũ ſecundarũ? eas tu lætus proferas,recites,deſcribẽdas etiã des improbis ciuibus?†eorũ augeas animos,bonorũ ſpem,uirtutemq debilites?& te conſularẽ,aut ſenatorẽ,aut deniq; ciuem putes?accipiet in optimã partẽ C.Panſa fortiſſimus conſul atq; optimus:etenim dicã animo amiciſſimo:hunc ipſum mihi hominẽ familiariſſimũ,niſi talis conſul eſſet: ut oẽs uigilias, curas,cogitationes,in reip.ſalute cõfigeret:conſulẽ nõ putarẽ. quanq; nos ab ineunte ætate illius uſus,cõſuetudo,ſtudiorũ etiã honeſtiſſimorũ ſocietas ſimilitudoq; cõiunxerit:eiuſdẽq; curã incredibilẽ in aſperrimis belli ciuilis periculis perſpexi nõ modo ſalutis,ſed etiã dignitatis meæ:tamẽ eundẽ,ut dixi,niſi talis cõſul eſſet,negare eſſe cõſulem auderem. Idem nõ modo conſulem eſſe dico: ſed etiã memoria mea præſtantiſſimum atq; optimum conſulem.Non quia non pari uirtute,& uoluntate alij fuerint,ſed tantam cauſam non habuerunt, in qua & uirtutem & uoluntatem ſuam declararent. Huius magnitudini animi, grauitati, ſapientiæ, tempeſtas eſt oblata formidoloſiſſimi temporis.tum autem illuſtratur conſulatus,cum gubernat remp.ſi non optabili,at neceſſario tempore.magis autem neceſſarium P.C. nullum tempus unquam fuit.

B

C

al. improborũ furorẽ augeas

Itaq; ijdem.] Diluit quæ in ſe Antoniani iactarent Cicero. *Quaſi prouidi ciues.*] Cauti,& in poſterũ prouidentes.Ironia. *Bellicum.*] Sonus eſt tubæ,quo utuntur ad excitandam pugnam.Cicero in Orat.Thucydides incitatior fertur,& de bellicis rebus canit quodammodo bellicum. *Me ceciniſſe.*] Me belli autorem fuiſſe, me Antonium irritaſſe.tranſlatio à bellico more ſumpta.Virg.dixit: D

Aere ciere uiros,Martemq; accendere cantu.

Partis patrocinium.] Suæ factionis defenſionem & propugnationem. *Qui ſic diſputant.*] Imitatur eorum uerba ad irriſionem. *Nequam eſt homo ille.*] Antonius eſt perditus & profligatus homo. *Confidens.*] Audax,impudẽs Antonius. Vt enim confidentia,ſic etiam confidens in uitio ponitur ſemper. Cic.Tuſcul.Qui fortis eſt, idem eſt fidens:nam cõfidens mala cõſuetudine loquendi,in uitio ponitur.Confidẽter uero tam in bonam quàm in malam partem uſurpatur. *Multi præterea.*] Idem ſcilicet dicunt. *Quos quidem à ſe primum.*] Hæc parentheſi à Cicerone dicuntur,quo illos qui ita dicunt,cum illis improbis coniungat. *Vtrũ igitur.*] Refellit per inuerſionẽ rationes.Non erat irritãdus Antonius,quia nequã & improbus:imò quia nequã eſt puniẽdus, ne ſit opus illum deinceps timere.Nam in pernicioſis ciuibus ulciſcendis diligentiores eſſe par eſt,quàm in timendis.Cicero in Brutum:Salutaris,inquit,ſeueritas,uincit inanem ſpem clementiæ. quod ſi clementes eſſe uoluerimus,nunquam deerunt bella ciuilia.
Atq; hæc.] Notat L.Piſonem conſularem uirũ. *Populares.*] Commodorũ populi ſtudioſi,cum leues potius

 eſſent

A *essent.* Ex quo.] *Improbitatẽ eorum atq; inconstantiã arguit, qui uideri uolebant populares, cum tamen non populares, sed reuera seditiosi essent.* Abhorruisse.] *Alienos fuisse.* Qui enim conuenit?] *Quomodo consentaneum aut uerisimile esse potest?* Vt qui.] *Confirmat ex minori & ex repugnantibus.* In re una.] *In Antonio defendendo, quem impugnari populo gratissimũ est.* Me quidem.] *Dissimile profert exemplũ ex sua persona.* Praeclarissima causa.] *Honestissima, iustissima.* Et quidem.] *L. Pisonis inconstantiã amplificat ab eius dictis & persona, & à consularis proprietatibus. Hi uocabantur consulares, qui consulatũ gesserant: uerũ Cicero trahit ad ueri consularis propria munera.* Tanti honoris.] *Vt omnia ex cõmodis reip. & dignitate, nihil ex se suisq; rebus metiatur.* Faueas tu.] *A contrarijs ueri consularis studijs & factis ostendit L. Pisonẽ non esse consularem. Notandũ est σχῆμα ἐκ κοινοῦ ἐλλειπτικὸν ad indignationẽ & reprehensiones aptũ, ut illud in Catil. Te ut ulla res frangat? tu ut unquã te corrigas? tu ut ullam fugã meditere? tu ut ullum exiliũ cogites?* Hosti.] *Antonio hosti patriae iudicato.* Describendas.] *Eleganter pro transcribendas.* Bonorũ spem.] *In recuperãda libertate.*

Et te consularẽ.] *Oratorie concludit eum nõ esse consularẽ.* Accipiet.] *Deprecatur offensionem, & simul auget rem cõparatione, eamq; illustrat, ut tacite ostendat L. Pisonẽ & Calenũ consulari nomine indignos esse, dissimili*

B *exemplo. Atq; ex hac occasione delabitur sensim ad C. Pansam laudandũ.* Quanquã.] *Corrigit, & simul Pansam Cos. laudat.* Illius usus.] *Familiaritas & consuetudo, quae mihi cum Pansa fuit. practicam dicunt inepti.*

Similitudo.] *Animorũ studiorumq;: quoniã uterq; fuit studiosus literarũ & reip.* Perspexi.] *Cognoui & sensi: ergo testis esse possum.* Nisi talis Cos. esset.] *Quia non titulus & nomẽ consulẽ facit, sed res, hoc est reip. cura & conseruatio.* Idem nõ modo.] *Non sine ambiguitate Pansam laudat.* Non quia.] *Interpretatur quod dixit, Pansam praestantissimũ atq; optimũ consulẽ, ne alijs hanc laudẽ detrahere uelle uideretur.* Sed tantã cau.] *Materia solet interdũ etiã artificẽ cõmendare, ut hi praestantiores appellentur, qui in praestãtiore meliorecq; materia uersantur.* Tempestas.] *Perturbatio reip.* Formidolosissimi.] *Periculosissimi: effectus pro causa.*

At necessario tempore.] *Id est, cui necessario esset subueniendum, nisi perire maluerimus.*

Itaq; ego ille, qui semper pacis autor fui, cuiq; pax, praesertim ciuilis, quanquam omnibus bonis, mihi tamẽ in primis fuit optabilis. Omne enim curriculum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorũ periculis propulsandis elaboratũ est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus: ego

C itaq; pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscunq; sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace ciuili certe nõ fuissem: periculose dico: quemadmodũ accepturi P. C. sitis horreo: sed pro mea perpetua cupiditate uestrae dignitatis retinẽdae, & augendae, quaeso oroq; uos P. C. ut primo si erit uel acerbũ auditu, uel incredibile à M. Cicerone esse dictum: accipiatis sine offensione, quod dixero: neue id prius, quam quale sit explicauero, repudietis. Ego ille (dicam saepius) pacis semper laudator, semper autor, pacem cum M. Antonio esse nolo. Magna spe ingredior in reliquam orationem P. C. quoniam periculosissimum locum silentio sum praeteruectus. Cur igitur pacẽ nolo? quia turpis est: quia periculosa: quia esse non potest. quae tria dum explico, peto à uobis P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, uerba mea audiatis.

Itaq; ego ille.] *Delabitur paulatim, refutatis aduersariorũ dictis, ad bellũ suadendũ, & contra dissuadendã pacem:*

D *quae res quoniã durior uideri poterat, eam praemunitione lenit & mitigat, ne quid uideatur cõtra morẽ & consuetudinẽ personae suae facere, qui semper aliàs ad pacẽ sit hortatus. Est aũt hoc quod Cicero ad bellum adhortatur, παράδοξον ex persona Ciceronis. Et obserua longũ ὑπέρβατον, quod totũ hunc locũ complectitur, interposita pacis amplificatione.*

Curriculũ.] *Tempus & spatiũ cursus, uel actio omnis & contentio. translatio sumpta à currentibus & cursu certantibus, quod Graeci δρόμον siue στάδιον appellant.* Elaboratũ.] *Cum labore susceptũ, labore perfectũ et consumptũ.* In foro.] *In agendis causis, in forensib. causis.* In curia.] *In senatu dicenda sentẽtia, dandoq; consilio.*

In amicorũ periculis.] *Tam in foro quam in curia.* Mediocres opes.] *Honestior est laus ex honoribus, quam ex opib. idcirco amplissimos honores, mediocres opes dixit.* Pacis alumnus.] *Scio alumnũ eum significare qui alitus est, siue alitur ab aliquo: uerũ hoc loco (ut dicã quod sentio) multo cõmodius & ad Ciceronis mentẽ propius accipietur pro eo qui alit, nam si remota longa parenthesi, haec duo uerba cũ sequentib. cõiunxerimus, id facile peruidebimus quod dico. Repetit enim inchoatã sententiã, & non absoluit modo, sed etiã interpretatur ipse. Legamus igitur hoc modo: Ego itaq; pacis (ut ita dicã) alumnus. Ego ille (dicã saepius) pacis semper laudator, semper autor, pacẽ cũ M. Antonio esse nolo. Hic perspicuũ est Ciceronẽ declarare quod dixit se pacis alumnũ, nihil aliud esse quam laudatorẽ & suasorẽ pacis: his enim pax alitur in ciuitate. Vult enim dicere, posse plerosq; iure mirari, Ciceronẽ qui semper quantũ in ipso fuit, pacẽ laudarit, suaserit, aluerit inter ciues, nunc mutata consuetudine, bellũ suadeat, pacẽ nolit. Ergo pacis alumnus, τροφεύς, qui pacem & alui, & suasi semper.* Ego ille.] *ἐπανάληψις, quam reuocationẽ superioris uerbi nominauimus. Habet autem emphasin, id est ampliorem significationẽ, quod dicit, Ego ille: ut Virgilij illud in Aeneidos exordio, Ille ego qui quondã, etc.*

Arrogo.] *Assumo. Est aũt arrogare, sibi nimis insolenter aliquid attribuere: unde arrogãtia dicta est.* Retinendae.] *Conseruãdae et defendẽdae.* Quaeso oroq;.] *Deprecatio, quã inter sententiarũ ornamẽta recẽset Cic. de Orat. lib. 3.* A. M. Cic.] *ἐμφατικῶς, id est à me.* Pacẽ cũ M. Ant.] *Haec est totius sequẽtis orationis propositio.*

Silentio.] Scilicet uestro: nemo enim reclamauerat, nemo uultum contraxerat, ad eam propositionem. A
Sum praeteruectus.] Tanquam scopulum, siue Euripum, siue fretum aliquod praeterij. Apta translatio, sumpta à nauigantibus. Virgilius Aeneidos tertio:

Viuo praeteruehor ostia saxo,
Pantagiae, Megarosq; sinus, Tapsumq; iacentem.

Cur igitur pacem nolo?] Requirit ipse occupatione rationes, cur pacem dixerit se cum Antonio nolle. Sunt autem tres, quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest: quibus confirmatis, peroratum erit. Constituamus nos argumentationem hoc modo: Omnis pax reipublicae turpis & periculosa, &c. probari non debet. Talis esset Antonij pax. Igitur probari aut fieri non debet. Propositum confirmat sensus penè omnium. Assumptio dubia est, idcirco argumentis ac signis coniecturisq; reliquis est confirmanda: id quod in sequenti faciet oratione. Haec igitur est huiusce causae commoda & illustris partitio ad propositionem accommodata. Peto à uobis.] Attentionem postulat, in re quae turpitudinem habere uidetur. Eadem benignitate.] Liberali humanitate.

Quid est inconstantia, mobilitate, leuitate, cum singulis hominibus, tum uero uniuerso senatui turpius? quid porrò inconstantius? quàm quem modo non uerbo, sed re multis decretis hostē iudicauistis: cū hoc pace uelle subito cōiungi? quasi uero, cū C. Caesari, meritos quidem illos honores et debitos, sed tamen singulares & immortales, decreuistis, unam ob causam, quòd contra Marcum Antonium exercitum comparauisset: non hostem Antonium iudicaueritis? nec tum hostis est à uobis iudicatus Antonius, cum laudati sunt autoritate uestra ueterani milites, qui Caesarem sequuti essent? nec tum hostem Antonium iudicauistis, cum fortissimis legionibus, quòd illum, qui Consul appellabatur, cum esset hostis: reliquissent: uacationes, pecunias, agros spopondistis? Quid? cum Brutum † hominem quondam illius generis, & nominis, natum ad rempublicam liberandam, exercitumq; eius pro libertate populi Romani bellum gerentem cum Antonio, prouinciamq; fidelissimam, atq; optimam Galliam laudibus amplissimis affecistis: tum non hostem iudicastis Antonium? Quid? cum decreuistis ut Consul alter ambóue ad bellum proficiscerentur: quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quò igitur profectus est uir fortissimus meus collega & familiaris Aulus Hircius Consul? At qua imbecillitate? qua macie? sed animi uires, corporis infirmitas non retardauit. Aequum, credo, putauit, uitam, quam populi Romani uotis retinuisset: pro libertate populi Romani in discrimen adducere. Quid? cum delectus haberi tota Italia iussistis: cum uacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est iudicatus? Armorum officinas in urbe uidetis: milites cum gladijs sequuntur: Consuli praesidio sunt: specie Consuli, re & ueritate nobis: omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant; parent autoritati uestrae; non est iudicatus hostis Antonius?

B — *al. omē quoddā uel potius omine quodam* — C

Quid est inconstantia?] Sequitur primae partis, primiq; capitis confirmatio: qua ab inconstantia & leuitate probat pacem cum Antonio esse turpem. Subest autem comparatio ex minore hoc modo: Si singulis & priuatis hominibus turpis est inconstantia, senatui, quem in primis constantia decet & grauitas, est turpissima. Nam ut Cicero Officiorum libro primo dicit, nihil est quod tam deceat, quàm in re gerenda consilioq; capiendo seruare constantiam.
Quid porrò inconstantius?] Inconstantiam senatus, ex qua turpitudo elucet, ex ante actis declarat: cum quibus, nisi sequentia congruant, non possit senatus suam tueri grauitatem. Omnia autem cum indignatione pronunciat.
Quasi uero.] Hostem fuisse si minus uerbo, at re tamen iudicatum Antonium, ex honoribus praemijsq; imperatoribus & militibus decretis ostendit. Et attende frequentationem, & uehementem enumerationem decretorū senatus, cum crebra Antonij hostis mentione: quae res multum facit, ad odium in Antonium alendum, & in suscepta causa cōstantiaq; senatum retinendum. Cum Brutum omine quodam.] Ita enim legendum uidetur, ut sit illi simile de M. Bruto in decima Philippica: Cum sua excellentissima uirtute reipublicae natus, tum fato quodam materni generis & nominis: ut quemadmodum Iunius ille Brutus regibus exactis, ita hic interfecto tyranno, patriam in libertatem uindicaret. Item in Rullum: Neq; te P. Rulle omina illa M. Bruti, atq; auspicia à simili furore deterrerent. Legi tamen nō male possit, Brutum omen quoddam, idq; per appositionem figuram. Quod erat bellum.] Ex repugnantibus ualde urget senatum. D
Meus collega.] In auguratu: erat enim uterq; augur. At qua imbecillitate.] Aegrotauerat grauissime Hircius, adeo ut uota pro eius ualetudine suscepta fuerint publice, ut antea diximus. Armorum officinas.] Ex adiunctis & certis signis rerumq; notis significat bellum esse, idq; contra Antonium. Ergo Antonius hostis. Officinas autem, id est loca ubi arma fabricantur: quas etiam fabricas nominant. Est enim officina locus ubi aliquid efficitur. Semper autē addi debet cuiusnam rei sit, uel officina, uel fabri, ut hic Cicero facit. Ab officina Vitruuius Officinatorem fecit, pro opifice siue fabro. Specie consuli.] Verbo, praetextu quodam, ut uidetur. Nobis.] Huic ordini, senatui.
Nomina dant.] Conscribuntur, nomina sua in militia profitentur.

At legatos

A At legatos misimus. Heu me miserum, cur senatum cogor, quem laudaui sem-
per, reprehendere. Quid? uos censetis Patres conscripti legatorum missionem popu
lum Romanum probauisse? non intelligitis, non auditis meam sententiam flagitari?
cui cum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis deuolu
ti. Quàm turpe porrò est legiones ad senatum legatos mittere: senatum ad † Anto- *al. ad Antoniũ legatos*
nium? quanquam illa legatio non est: denunciatio est, paratum illi exitium, nisi pa-
ruerit huic ordini. Quid refert? tamen opinio est grauior. Missos enim legatos om-
nes uident: decreti uestri non omnes uerba nouerunt. Retinenda est igitur uobis con
stantia, grauitas, perseuerantia: repetenda est uetus illa seueritas: siquidem autoritas
senatus, decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat: quibus hic ordo nimium
caruit diu. sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen iusta: nunc
nulla est, liberatis iam regio dominatu. urgebamur armis domesticis: ea ipsa depuli-
mus. nunc quidem ui extorquenda sunt. quod si non possumus facere (dicam quod
B dignum est senatore & Romano homine) moriamur. Quanta illa erit reipublicæ tur-
pitudo, quantum dedecus, quanta labes? dicere in hoc ordine sententiam M. Anto-
nium Consulari loco? cuius ut omittam innumerabilia scelera urbani Consulatus, in
quo pecuniam publicam maximam dissipauit: exules sine lege restituit: uectigalia
uendidit: prouincias de populi Romani imperio sustulit: regna addixit pecunia: le-
ges ciuitati per uim imposuit: armis obsedit, aut exclusit senatum: ut hæc inquam
omittam, ne hoc quidem cogitatis: eum, qui Mutinam coloniam populi Romani,
& Consulem designatum obsederit, depopulatus agros sit: hunc in eum ordinem re
cipi, à quo toties ob has ipsas causas hostis iudicatus sit, quàm fœdum, flagitiosumque
sit, uidetis.

*At legatos.] Occupatio ex persona senatus. Heu me miserum.] Inserit affectũ ex sua persona, quòd coga-
tur reprehendere senatum, quod non libenter facit: qua ratione lenit & mitigat reprehensionis licentiam. Ostendit enim
C nec se, nec populum Romanum eam ad Antonium legationem probauisse. Quid?] Habet hoc uerbum, ut alibi di
ximus, indignationem, & uim excitandi, adiuuat enim uehementer orationem, si rectè pronuncietur. Meam sen
tentiam flagitari.] Quam dixi de sumendis sagis belloque suscipiendo. Flagitari.] A populo Romano summis
uotis postulari. Cui.] Sententiæ meæ. reprehendit inconstantiam senatus. Spem inanem.] Vanam, &
nullam, utpote cum nulla esse posit. Deuoluti.] Conuersi, inclinati, traducti. Quàm turpe porrò est.]
Aliam turpitudinem senatus profert. Legiones.] Quæ sunt cum Antonio. Ergo Antonij potius erat legatos ad
senatum mittere, ueniam petituros, quàm senatus ad Antonium. Quanquam illa.] Interpretatur legationem, &
hunc locum mitigat per correctionem, ut in sexta Philipica fecit ad Quirites. Quid refert?] Quid interest, in-
ter decretum legationis, & hanc meam interpretationem? quasi dicat, nihil. Grauior.] Turpior de nostra lega-
tione. Missos enim.] Declarat cur sit grauior opinio. Retinenda est igitur.] Epilogus huius primæ par
tis, cum amplificatione seruitutis, & periculorum, & Antonij improbitate. Perseuerantia.] Quæ est in ratione
bene considerata, stabilis & perpetua permansio. Cicero de inuent. libro secundo. Repetenda.] Reuocanda, re-
stituenda, qua diu caruimus. Seueritas.] Ea est puniendi eius qui peccauit sine ulla lenitate sententia. Hanc le-
gum munimentum uocat Valerius Maximus, apud quem ueteris seueritatis exempla legenda sunt. Decus, honesta
D tem.] Interpretatio. multa enim eius significationis uocabula ad amplificandum ponuntur. Hic ordo.] Senato-
rum & patrum. Oppressis.] A Cæsare Dictatore. Iusta.] Neque enim tunc obsisti tyranno poterat.
Liberatis regio dominatu.] Tyrannide Iulij Cæsaris. Vrgebamur.] Premebamur. Armis dome-
sticis.] Cæsariana factione. Vi extorquenda.] De manu Antonij per uim eripienda. Dignum est sena-
tore.] Officium senatoris est pro suæ patriæ libertate mori, potius quàm seruitutem pati. Et Romano homine.]
Id est libero, & libertati nato & assueto. Quanta illa.] Deterret à pace, ab ignominia et indignitate futuri tem
poris, si in urbem recipiatur Antonius: & frequentatione eorum quæ intemperanter & contra rempublicam gessit. tur-
pitudinem cum eo pacis amplificat: qui locus idcirco notandus est, quòd multa & grauia breuissime complectitur.
Consulari loco.] Si fiat pax, quòd fuerit consul Antonius. Cuius ut omittam.] Præteritio, quam Cornifi-
cius occupationem uocat: cum dicimus nos omittere, quod tunc maxime oratorie dicimus. Ea Græce παράλειψις. Et
attende copiosam effectorian frequentationem siue enumerationem.*

Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps, † quod proposui, de periculo: quod *al. ut propos.*
si minus est fugiendum, quàm turpitudo: tamen offendit animos maioris partis ho-
minum magis. Poteritis igitur exploratam habere pacem, cum in ciuitate Antonium
uideatis? uel potius Antonios? nisi forte cõtemnitis Lucium. ego ne Caium quidem.
sed ut uideo dominabitur Lucius. Est enim patronus trigintaquinque tribuum: qua-
rum

rum sua lege, qua cum C. Cæsare † magistratum sortitus est, suffragium sustulit. Patronus centuriarum equitum: quas idem sine suffragio esse uoluit. † patronus fori: in quo ei tribuni militares statuam statuerunt. patronus Iani medij. O dij quis huius potentiam poterit sustinere? præsertim cum eosdem, in agros etiam deduxerit. quis unquam omnes tribus? quis equites Romanos? quis tribunos militares? Gracchorum potentiam maiorem fuisse arbitramini, quàm huius gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellaui, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet: sed ut appellant ij, qui plane & Latine loquuntur. Myrmillo in Asia depugnauit: cum ornasset Threcidicis comitem & familarem suum: illum miserum fugientem iugulauit; luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. Qui familiarem iugularat, quid hic occasione data faciet inimico? & qui illud animi causa fecerit, hunc prædæ causa quid facturum putatis? non rursus improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios? non quæret expulsos? M. uero Antonius non is erit, ad quem omnimo tu concursus fiat ciuium perditorum? ut nemo sit alius, nisi illi, qui unà sunt: & ij, qui hic ei nunc aperte fauent: parúmne erunt multi? præsertim † cum bonorum præsidia cesserint; illi parati sint ad nutum futuri. ego uerò metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus, ne illi breui tempore nimis multi nobis esse uideantur. B

al. magistratus partitus est

al. patronus eorum qui tribuni militares fuerant.

al. cum boni iã præsidijs cesserint

Satis multa de turp.] Transit ad secundum confirmationis caput: & periculosam esse cum Antonio pacem ex potentia & superbia trium Antoniorum ostendit. *Quod si minus*] Si fiat comparatio utrum magis fugiẽdum sit, turpitudóne an periculum, non est dubium quin omne periculum sit potius subeundum, quàm admittenda turpitudo. Nullum est (ut Cic. de Off. inquit) maius malum turpitudine. Verum quoniam fugere turpitudinem sapientis est: & sapientũ perexiguus est numerus, maleq; sumus instituti, fit ut plures periculo q̃ turpitudine moueãtur. *Poteritis igitur.*] Pacem cum Antonio periculosam fore, ex eo probat, quód futura sit incerta. nam quæ incerta sunt, nos periculi expectatione discruciant. *Exploratã.*] Certam, firmã, tutam, diuturnã. *Vel potius Antonios.*] Correctio. nam tres fratres fuerunt nomine Antonij, Marcus, Lucius, & Caius: de quibus in Epistolis ad Brutum sic scribit: Ego sic sentio, trium fratrũ unam & eandem esse causam. Et de ijsdem epistola sequenti. *Nisi forte.*] Ironia: ostendit Lucium et Caiũ non esse Marco meliores, aut metuendos minus. *Est enim patronus.*] Iocatur, sed non sine stomacho. De his in superiore Philip. diximus. *Sua lege.*] Quasi dicat, nulla lege. nam Lucius Cæsare interfecto tribunatũ plebis arripuit: Caius præturã: Consul erat Marcus cum Cæsare. Plutarchus. *Magistratũ sortitus est.*] Id est tribunatũ. Alij legunt magistratus partitus est: ut id intelligatur quod Suet. in Iulio Cæsare scribit: Comitia, inquit, cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorũ pro parte dimidia quos populus uellet pronunciarentur: pro parte altera quos ipse dedisset. Vt autem hoc Cæsari liceret, L. Antoniũ legem tulisse, ex oratione Ciceronis licet intelligere. C *Suffragia sustulit.*] Fortaßis intelligit, cum legem agrariã ferret per uim. *Patronus fori, &c.*] Legendũ est, Patronus eorum qui tribuni militares fuerunt: id quod ex superiore oratione liquet.

O dij.] Exclamat in L. Antonij potentiã, ut indignationem inuidiamq; moueat. *Eosdem in agros etiam deduxerit.*] Male legunt quidã hoc loco, magistros siue ministros. Intelligit enim de ijs quibus agros diuisit: ut paulo post: Num sollicitabit rursus agrarios? *Quis unquã omnes tribus?*] Scilicet sollicitauit? *Gracchorũ potẽt.*] Auget comparatione. Tiberius & Caius Gracchi turbulentos & seditiosos gesserunt tribunatus: quorũ ille à Nasica priuato tum homine, hic ab Opimio consule interfectus est. *M. Antonius gladiator.*] Per translationẽ scilicet, quomodo gladiatorẽ dicere solemus, audacẽ, crudelem, sanguinariũ hominem, & facile in quemuis gladios stringentẽ, etiam si gladiator forte nunquã fuerit, arenaria profeßione. *Qui plane & Latine loq.*] Id est sine figura, & proprie. hæc gladiatoris interpretatio ad L. Antonij contumeliã inducta est: quo turpius uideatur, profeßione gladiatori parere.

Cum ornasset threcidicis com. &c.] Quinam hic fuerit comes & familiaris L. Antonij ignoratur. ornare aũt thrẽcidicis eleganter dixit, pro instruere armis gladiatorijs, quibus gladiatores qui Thraces uocantur, uti solerent, cum Myrmillone pugnantes. Diximus enim alibi, Myrmillonem & Thracem par gladiatorum esse, qui simul cõmitterentur. hinc Ausonius in Monosyllabis: Quis Myrmilloni contenditur æquimanus? Thrax. Threcidicus tamen rarum est uerbum, D quod unum Ausonium usurpasse reperio. Nam cum imperatorem Commodum gladiatorem fuisse uellet innuere, sic scripsit: Commodus insequitur pugnis maculosus arenæ Threcidico princeps arma mouens gladio. Threcidicis igitur dixit, quasi Threicijs, hoc est Thracibus. *Luculentam plagam.*] Largum, altum, insigne uulnus & patens, utpote in ore siue facie. *Vt declarat cicatrix.*] Argumentum ex necessario signo, & à consequentibus. nam si cicatrix est, fuit uulnus, ut Cic. de Inuent. lib. 1. ait. *Qui familiarem.*] Ex eo facto trahit argumentum ex maiore, quale illud Terentianum est, in re dißimili, cum in Andria inquit: Nam si illum obiurges uitæ qui auxilium tulit, quid facies illi qui dederit damnum aut malum? *Et qui illud animi causa fecerit.*] Aliud argumentum ex eodem comparationis loco. nam qui animi causa, id est uoluptatis tantum causa & per lusum hominem familiarem occidit, is multo magis odij causa occidet hostem. *Decuriabit.*] In decurias describet, uel decurias in militiam adscribet, uel simpliciter, conuocabit scilicet ad arma. Est enim decuriare, in numeros siue ordines militares referre ac describere siue distribuere, quod Græce κατατάσσειν & καταγράφειν et κατανέμειν dicitur: & κατάταξις siue καταγραφὴ est decuriatio siue descriptio

I

A *descriptio.* Agrarios.] *Id est quibus diuisi sunt agri, uel agrorum diuisionem cupientes.* Expulsos.] *Scilicet ex agris, senatusconsulto.* Omni motu.] *Id est, quotiescunq; motus aut perturbatio aliqua in republica fiet.*

Vt nemo sit alius.] *Quamuis nemo alius improbus fuerit: uel, fac neminem præterea improbum esse.*

Pariúnne erunt multi.] *Id est erúntne pauci? tanquam diceret: nimis erunt multi, ut paulo post dicet.*

Ego uero metuo.] *Metuit ipse, ut alios in timorem inducat, quod magnæ artis est. Et est epiphonema ad animos asseueratione hac permouendos.* Nimis multi.] *Non parum multi, plures quàm reipub. salus postulat.*

Nec ego pacem nolo, sed pacis nomine bellum inuolutum reformido. quare si pace frui uolumus, bellum gerendum est. si bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Est autem nostri consilij, Patres conscripti, in posterum quàm longissime prouidere. Idcirco in hac custodia tãquam in specula collocati sumus, ut uacuum metu populum Romanum nostra uigilia & prouidentia redderemus. Turpe est summo consilio orbis terræ, præsertim in re tam perspicua, consilium intelligendi defuisse. Eos Consules habemus: eam populi Romani alacritatem: eum consensum Italiæ: eos duces: eos exercitus: ut nullam calamitatem respublica accipere possit, sine culpa senatus. Equidem B non deero: monebo: prædicabo: denũciabo: & testabor semper deos hominesq;, quid sentiam: nec solum fidem meam, quod fortasse uidetur satis: sed in principe ciue non satis est: curam, consilium, uigilantiamq; præstabo.

Nec ego pacem nolo.] *Interpretatur sententiam suam, quod initio dixit se pacem nolle, intelligi debere de ficta pace, sub qua bellum lateat.* Bellum inuolutum.] *Obtectum, uelatum, lemniscatum pacis prætextu & colore.*

Quare si pace.] *Belli finis debet esse pax. Sic ipse de Officijs libro primo: Quare, inquit, suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace uiuatur. argumẽtum est ex causis, quo hic utitur Cicero cum dicit: Si pace frui uolumus, bellum gerendum est.* Si bellum omittemus.] *Ex negantibus: contraria enim ratione argumentatur, atq; proxime fecit.* Est autem nostri consilij.] *Monet senatum officij, & delabitur in belli adhortationem. Est igitur locus communis de senatus officio.* Tanquam in specula.] *Specula locus est editus & prealtus, unde longe lateq; speculari intueriq; possumus. Bona est translatio à re militari & castrensi. Virg. Aeneid. 3.*

Dat signum specula Misenus ab alta
Aere cauo.

Turpe est summo consilio.] *Consilio defuisse consilium, à coniugatis siue casibus. Rhetores traductionem uocant.*

C Eos consules habemus.] *Amplificat à facultatibus, quibus si defuerit senatus, grauiorem culpam fore.*

Equidem non deero.] *Pollicetur operam diligentiamq; suam, non sine graui sententia, & exaggeratione uerborũ.*

In principe ciue.] *In senatore præter fidem, cura, consilium, uigilantia requiritur. Locus communis de munere magistratus, & uiri in ciuitate principis.*

Dixi de periculo. Docebo ne coagmentari quidem posse pacem. de tribus enim quæ proposui, hoc extremũ est. Quæ potest esse pax Marco Antonio primũ cum senatu? quo ore ille uos poterit? quibus uicissim uos illum oculis intueri? qui uestrum illũ? quem ille uestrum non oderit? age, uos ille solus, & uos illum. Quid ij, qui Mutinam circumsident? qui in Gallia delectus habent? qui in nostras fortunas imminent? amici nobis unquam erũt? aut nos illis? An equites Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum uoluntas, iudiciumq; de Marco Antonio? qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterunt: qui uos ad libertatem recuperandam incitauerunt: arma, saga, bellum flagitauerunt: me unà cum populo Romano in concionem uocauerũt. hi Antonium diligent? cum his pacem seruabit Antonius? Nam quid ego de uniuerso populo Romano dicam? qui pleno ac referto foro, bis me una mente atq; uoce in concionẽ D uocauit, declarauitq; maximam libertatis recuperandæ cupiditatem.

Dixi de periculo.] *Transitio secundæ partis in tertiam, ad renouandam & docilitatem & attentionem.*

Docebo ne coagmentari.] *Propositio huius tertiæ partis, qua ostensurus est, pacem cum Antonio esse non posse. quod non ita intelligendum est, quasi in natura rei positum sit, ut fieri non posset (nam alioqui in consultationem non ueniret. pax enim & bellum in ijs sunt, quibus natura dedit ut esse fieriq; possint) sed quod perdifficile sit diuturnaq; esse non possit: nam quæ perdifficilia sunt, perinde sæpe habenda sunt in deliberando, ac si effici non possint, ut Aristoteles et Cicero docuerunt. Causa autem huius difficultatis, est odium omnium in Antonium, & uicissim Antonij Antonianorumq; in omnes ordines, ex quo colligitur pacem coagmentari, id est coire, componiq; non posse.* Quæ potest esse?] *Incipit confirmare, quod proposuit, pacem cum Antonio esse nõ posse. nam hoc est tertiæ huius partis caput, ad quod omnia argumenta referuntur. Primum igitur ab odio senatus id confirmat, deinde equitũ, post populi Romani, post hæc municipiorum, & prouinciæ Galliæ, postremo ducum & imperatorum.* Quo ore.] *Qua fronte, quo pudore.*

Oculis.] *Quo animo illũ uicissim uos intueri poteritis? nam in oculis potissimũ se animus exerit, et ostẽdit. Et attẽde*

concinna

concinna ſermonis compendia, in quibus uerbum alia perſona atq; numero facile intelligitur. *Age, uos ille ſolus, & uos illum.]* *Videlicet æquo animo, æquisq; oculis intueamini: permiſſio ſiue conceſſio.* *Aut nos illis.]* *Scilicet amici erimus. mutat enim perſonam, idq; κτ̀ σύλληψιν.* *Occulta enim fuit.]* *Ironia. quaſi diceret: Minime occulta. Orationes ſunt interruptæ præ indignatione.* *Steterunt.]* *Steterunt, incitauerunt, flagitauerunt, uocauerunt, ſimiliter ſunt deſinentia, quæ ſuauem reddunt orationem.* *Pleno ac referto foro.]* *Referto plus aliquanto eſt quàm pleno, cum uerborum delectus habetur.* *Bis me.]* *Cum habuit illas ſuperiores duas ad Quirites orationes.* A
Declarauit.] *Acclamatione ut ſolet.*

Itaque quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem. Quæ eſt igitur ſpes, qui Mutinam circumſedent, imperatorem populi Romani exercitumq; oppugnãtes, pacem cum populo Romano habere poſſe? An cum municipijs pax erit? quorum tanta ſtudia cognoſcuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecunijs pollicẽdis: ut in ſingulis oppidis curiam populi Romani non deſideretis? Laudandi ſunt ex huius ordinis ſententia Firmani, qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt. Reſpondendum honorifice eſt Marrucinis, qui ignominia notandos cenſuerunt eos, qui militiã ſubterfugiſſent. Hæc iam tota Italia fiunt. magna pax Antonio cum eiſdem: his cum illo. Quæ poteſt maior eſſe diſcordia? in diſcordia autem pax ciuilis eſſe ullo pacto poteſt? ut omittam multitudinem, L. Naſidio equiti Romano, homini in primis ornato atq; honeſto, ciuiq; ſemper egregio, cuius ego excubias & cuſtodias mei capitis cognoui in cõſulatu meo: qui† uicinos ſuos non cohortatus eſt ſolum, ut milites fierent, ſed etiam facultatibus ſuis ſubleuauit: huic inquam tali uiro, quem nos ſenatuſconſulto collaudarimus, poterit'ne eſſe pacatus Antonius? Quid Cæſari, qui illũ urbe: quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit? Iam uero ipſe ſe placabit, & leniet prouinciæ Galliæ, à qua excluſus & repudiatus eſt? Omnia uidebitis, Patres conſcripti, niſi proſpicitis, plena odiorum, plena diſcordiarum, ex quibus oriuntur bella ciuilia. Nolite igitur uelle, quod fieri non poteſt: & cauete per deos immortales, Patres conſcripti, ne ſpe præſentis pacis, perpetuam pacem amittatis. B

† d. ciues

Itaq; quod erat.] *Hæc inſerit, tum ut oſtendat populi Romani ſtudium & concordiam, tum ut agnoſcat ſenatus, nõ eſſe ei facile pedem referre, populo Romano huius belli duce & autore.* *Curiam.]* *Senatum, qui hæc ſerio curet.* C
Firmani.] *Firmum caſtellum eſt Piceni, ut Pomponius Mela uocat, unde Firmani dicuntur, non Firmiani, ut quidã putant.* *Principes.]* *Primi.* *Marrucinis.]* *Populi ſunt Italiæ ſupra Pelignos, Veſtinis finitimi: quorum metropolis Thegete fuit, Theate etiam appellata, unde Theatinus.* *Subterfugiſſent.]* *Detrectaſſent & occulte uitaſſent.* *Magna pax.]* *Ironia: magnum bellum, magna diſcordia.* *Quæ poteſt.]* *Subiectione ironiam aperit.* *In diſcordia autem.]* *Ex cauſis confirmat, pacem eſſe non poſſe. nam ex diſcordijs, oriuntur bella ciuilia, ut paulo poſt dicet.* *Vt omittam.]* *Tranſit ad commemorandas ſingulorum hominum offenſiones atq; odia.*
L. Naſidio.] *Is fuit Aſculanus municipio, eques Romanus dignitate & gradu, hoſpes & amicus Ciceronis.*
Mei capitis.] *Meæ uitæ & ſalutis.* *In conſulatu meo.]* *In Catilinæ coniuratione.* *Vicinos ſuos.]* *Aſculanos municipes.* *Vt milites fierent.]* *Vt in militiam aſcriberentur, & rempublicam defenderent.*
Huic inquam tali uiro.] *Epanalepſis poſt longam parentheſim.* *Pacatus.]* *Amicus & minime infenſus. fortaſſis legendum eſt, placatus, ut mox dicet: Ipſe ſe placabit, &c.* *Iam uero.]* *Mutat dicendi formam, in diſſimulationem ad ſimilitudinis leuandam ſatietatem.* *Repudiatus.]* *Reiectus, repulſus, propulſatus.* *Omnia uidebitis.]* *Prædicit, denunciat, ex cauſis oſtendit pacem eſſe non poſſe, ut paulo ante fecit.* *Nolite igitur.]* *Propria huius tertiæ partis concluſio cum breui admonitione.* *Ne ſpe præſentis pacis.]* *O quàm multos fefellit ſpes præſentis pacis, & in turpem ſeruitutem, in qua nulla eſſe pax poteſt, coniecit? qui ſi hoc conſideraſſent, bellum quàm huiuſmodi pacem maluiſſent.* D

Quorſum hæc omnis ſpectat oratio? quid enim legati egerint nondum ſcimus. at uero erecti, excitati, parati, armati animis iam eſſe debemus: ne blanda aut ſupplici oratione, aut æquitatis ſimulatione fallamur. Omnia fecerit oportet, quæ interdicta & denunciata ſunt, prius quàm aliquid poſtulet: Brutum exercitumq; eius oppugnare, urbes & agros prouinciæ Galliæ populari deſtiterit: ad Brutum adeundi legatis poteſtatem fecerit: exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit: nec propius urbem millia paſſuum ducẽta admouerit: fuerit in ſenatus populiq; Romani poteſtate. Hæc ſi fecerit, erit integra poteſtas nobis deliberandi. ſi ſenatui non paruerit: non illi ſenatus, ſed ille populo Romano bellum indixerit. Sed uos moneo Patres conſcripti, libertas agitur populi Romani, quæ eſt commendata uobis: uita & fortunæ optimi cuiuſque; quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate iam pridem intendit Antonius:

ſi auto-

A autoritas uestra, quam nullam habebitis, nisi nunc retinueritis. Tetram & pestiferam beluam ne inclusam & constrictam dimittatis cauete. Teipsum moneo Pansa (quanquam non eges consilio, quo uales plurimũ: tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solẽt) hunc tuum tantum apparatũ, tamq́ praeclarum, ne ad nihilum recidere patiare. Tempus habes tale, quale nemo habuit unquam: hac grauitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi Romani potes in perpetuum metu & periculo rempublicam liberare.

Quorsum.] Perorat, & totam orationem ad bellum suscipiendum, pacemq́; illam fictam fugiendam accommodat. Consumitur igitur hæc peroratio tota in adhortatione, quæ ad amplificationem refertur: cum sit amplificatio pars altera perorationis. nam enumeratione hic nihil est opus. Interdicta.] Vetita, & nostris decretis prohibita.

Denunciata.] Iussa & imperata per legatos nostros. Brutum.] Reuocat in mentem decretum senatus, ut in proposito retineat. Hoc decretum alibi suo loco explicauimus. Sed uos moneo.] Hortatur senatum à magnitudine periculi. Libertas agitur.] Elegans sermo, pro de libertate agitur, uel libertas in discrimen uocatur.

Quæ est commendata uobis.] Ab officio hortatur, quæ res magnam habet ad persuadendum & cõmouendum uim.
B *Tetram & pestiferam belluam.] Imago ad amplificandum. Te ipsum moneo Pansa.] Pansam consulem postremo adhortatur. Tamen & summi gubern.] Apta similitudo ad leniendam admonendi libertatem.*

A uectoribus.] Hoc loco ab iis qui uehuntur qui etiam nauigantes uocantur, alias etiam qui uehunt, nautæ.

Tempus habes.] Hortatur à temporis occasione. Hac grauitate senatus.] A consensu omnium ordinum.

Potes.] Ergo si non feceris, nulla erit excusatio.

FINIS

IN OCTAVAM PHILIPPICAM ARGVMENTVM



VM legati ab Antonio rediissent, præter P. Sulpitium, qui in itinere obierat, unà etiam Antonius legatos cum mandatis ad senatum misit, quasi parere senatui paratus esset, si uicißim quæ petebat ipse obtineret. Id autem faciebat Antonius, non quo parere uellet (ut etiam Dion libro quadragesimosexto Historiarum testatur) sed quòd sciret nihil eorum quæ peteret (erant enim iniqua, dura, & senatui turpia) esse facturos: atq; ita iustam excusationem haberet, & in aduersarios belli causam posset reiicere,
C *qui conditiones quas petebat, reiecissent. quod etiam factum fuit. nam dimissis Antonij legatis, agi in senatu cœptum est, de bello in Antonium suscipiendo, quod quidem Cicero suadebat. Verum cum belli nomen quibusdam uideretur asperius, eorum sententia, consule Pansa suffragante, obtinuit, qui non bellum sed tumultum (leuiore scilicet, ut illi putabant, uocabulo) appellandum censuerant. Quorum sententiam hac oratione reprehendens Cicero, primo docet bellum decerni, si tumultus decernatur: quòd tumultus sit belli genus, & quidem atrocius quàm bellum: tumultum notatione, bellum rerum consequentium enumeratione definit. Deinde satis grauiter inuehitur in Q. Fusium Calenum, qui aperte fauebat Antonio, atq; eadem opera iustißimas esse belli causas ostendit. Reprehendit interdum senatus & legatorum timiditatem & inconstantiam. Munus eorum quod sit in republica, libere monet. Ad hæc Antonij responsa, improba, superba, & insidiosa esse docet. Postremo sententiam suam breuiter dicit, in eaq́; concludit orationem.*

STATVS

In hac consultatione status est definitionis. Quæritur enim quo nomine sit appellandum, quod contra Antonium agere decreuit senatus, bellumne an tumultus, id quod intelligi non potest, nisi utroque uocabulo definitione aliqua explicato, id quod Cicero facit.

ORATIONIS SPECIES

Forma dicendi circa principia & finem orationis, tenuis esse uidetur. nam admodum proprie & dilucide dicit. Reliqua sensim assurgunt, adeo ut in forensem pene dictionem exardescant (præsertim dum inuehitur in Calenum) & figuris ad amplificandum accommodatis illustrentur.
D

DISPOSITIO

Dispositio sequitur ferè prudentiæ ordinem. Nam exordio subiicitur refutatio: quanquam tota ferè causa in refutatione consumitur. confutata enim aduersariorum sententia, altera pars eadem opera confirmata est. Quatuor sunt præcipua huiusce suasionis capita: primum est, cum de belli & tumultus nomine disputat: secundum, cum causas belli inquirit, & Caleno respondet: tertium, cum senatum & legatos reprehendit: quartum & extremum, cum sententiam suam dicit.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA OCTAVA A



ONFVSIVS hesterno die est acta res C. Pansa, quàm postulabat institutũ consulatus tui. Parum mihi uisus es eos, quibus cedere nõ soles, sustinere. nã cum senatus ea uirtus fuisset, quæ solet: & cum re uiderent omnes esse bellum: quidamq́ id uerbum remouendum arbitrarentur: tua uoluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior. Victa igitur est propter asperitatem te authore nostra sententia: uicit Lucius Cæsar amplissimus uir: qui uerbi atrocitate dempta, oratione fuit quàm sententia lenior. quanquam is quidem, antequam sententiam diceret, propinquitatem excusauit. Idem fecerat me Consule in sororis uiro, quod hoc tempore in sororis filio: ut & luctu sororis moueretur, & saluti reipublicæ prouideret. Atq; ipse tamen Cæsar præcepit uobis quodammodo Patres conscripti, ne sibi assentiremini, cum ita dixit: aliam sententiam se dicturum fuisse: eamq́ se ac republica dignam, nisi propinquitate impediretur. Ergo ille a- B
uunculus, num uos etiam auunculi, qui illi assensi estis?

EXORDIVM

Confusius hesterno die.] Exorditur à Pansæ Consulis reprehensione: quare, quoniam magnum rarumq́; est Consulem reprehendere, comparat attentionem. In eo autem quod breuiter acta senatus repetit, dociles intelligentesue facit auditores. *Confusius.*] Perturbatius, negligentius, remissius. *Parum mihi.*] Quod dixit explanat, & rationem sui dicti affert. *Eos.*] Antonianos. *Quibus cedere non soles.*] A quibus uinci non soles.

Sustinere.] Parum fortiter mihi uisus es eorum impetum ferre, eisq́; resistere. Statim enim quasi uictus inclinasti, & te eis dedidisti. Translatio sumpta à pugnantibus. significat autem eum in eorum sententiam nimis facile discessisse.

Ea uirtus.] Fortitudo, constantia, & grauitas. *Id uerbum.*] Bellum nimirum, siue belli uerbum.

In discessione.] In senatusconsulto faciendo per discessionem, quo de more alibi diximus. *Ad lenitatem.*] Id est ad eorum sententiam, qui tumultus uerbum lenius putabant. *Propensior.*] Inclinatior, & pronior.

Propter asperitatem.] Quæ putabatur in belli uerbo esse. *Te autore.*] Hoc dicit quasi paria fuissent suffragia, nisi Consul in alteram partem concessisset. Ergo eo autore altera pars uicit, ut tumultus, nõ bellum in decreto scriberetur. *Oratione fuit, quàm sentẽtia lenior.*] Nam oratione propinquitatem excusauit, quo minus belli uocem C
decerneret: in sententia uero dicenda significauit, se, ni propinquitas fuisset, bellum non tumultum decreturum: qua re satis indicauit quid uellet, nempe bellum decerni. *Propinquitatem.*] Erat enim Iuliæ matris Antonij frater, hoc est auunculus eius, id quod statim Cicero declarat. *In sororis uiro.*] Simili exemplo probat. Vir aũt sororis L. Cæsaris, P. Lentulus fuit, qui cum Catilina coniurauerat, & pœnas morte dederat Ciceronis consulatu. Ea postea nupserat Antonij patri. *Præcepit uobis.*] Præscripsit, uos monuit. *Cum ita dixit.*] Declarat quomodo præceperit.

Ergo ille auunculus.] Excusauit L. Cæsarem, ut cæteros accusaret, qui talem excusationem non habebant.

Num etiam uos auunculi?] Salsum hoc & cum indignatione dictum. Ita quoq; dixit Christus discipulis, cum dicerent quosdam offensos eius sermone abijsse: Num etiam uos, inquit, uultis abire? quo uerbo plus eos repressit, quàm si dixisset, Sinite illos, uos autem manete.

At in quo fuit controuersia? belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam uerborum. Potest enim esse bellum sine tumultu: tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen
ductum est tumultus. Itaq; maiores nostri, tumultum Italicum, quòd erat domesticus: D
tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant. Grauius autem esse tumultum, quàm bellum, hinc intelligi licet, quòd bello Gallico uacationes ualent, tumultu non ualent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse nõ possit. Etenim cum inter bellum & pacem medium nihil sit: necesse est tumultum, si belli non sit, pacis esse. quo quid absurdius dici, aut existimari potest?

At in quo?] Quærit statum causæ, & oratorio more interrogat, & subiectione respondet: qua loquendi figura auditorem excitat. *Belli nomẽ*] Significat statũ siue quæstionẽ nominis fuisse, ad quod nomen definitio adhibetur.

In sententia.] In decreto, siue senatusconsulto, quod ex sententijs senatorum colligebatur. *Ignari non modo rerum.*] Inscitiam quorundam reprehendit, & tum re, tum nomine bellum esse probat. *Potest enim esse bellũ*] Distinguit à tumultu, ut sciant qui tumultum decernunt, bellum & quidem grauissimum se decernere. Hæc distinctio ex

A *generis & formæ natura pendet. nam genus quidem dicitur de forma uel specie sua, species autem de genere non dicitur. quoniam superiora & quæ latius patent, de inferioribus & angustioribus dicuntur illa quidem, eisq; conueniunt, nõ contrà. Virtus enim (exempli causa) de iustitia dicitur: & est quidem iustitia uirtus: at si dicas, uirtus est, igitur iustitia: non est necessarium. potest enim fieri ut sit fortitudo. Quare non si uirtus, continuo iustitia. Sed si iustitia, omnino etiam uirtus. In proposito igitur, Bellum genus est, cuius sunt partes siue formæ, Legitima militia, tumultus, & euocatio, ut in quinta Philippica docuimus. Itaq; si tumultus, continuo bellum est: si autem bellum, non continuo tumultus. Erit forsitan euocatio aut aliud.* Quid enim tumultus?] *Confirmat ab etymologia, quam notationem, & uocabuli ac nominis explicationem uocat Cicero. qui locus ad definitionem refertur, & est forma definitionis quædam, quasi diceret: Tumultus est timor multus, & tantus ut non maior belli causa oriatur, quia est omnium maximus. Vult enim in tumultu duo inesse uerba, & timorem, & multum. Sed Ciceronis definitio paulo plenior est: constat enim ex genere & proprietate quadam: nam perturbatio est genus, reliqua proprietatis uicem obeunt.* Itaq; maiores nostri.] *Confirmat idem exemplis, & duo genera tumultus fuisse tantum docet: Bellum scilicet Italicum & Gallicum. Gallicum autem cum dicit, intellige de Gallia togata, quæ & cisalpina Italis dicitur.* Grauius autem.] *Probat à signis. Signum est uacationes ualere in legitima militia, in tumultu non ualere, & neminem à militia excusari.* Bello Gallico.] *De Gallia comata siue transalpina, quæ & braccata, hoc intelligendum est. Igitur bello Gallico, id est legitimo, quod cum Gallis transalpinis geritur.* Ita fit.] *Epilogus superiorum.* Etenim cum inter bellum.] *Alia ratione probat illud quod quidam*

B *tumultum uocabant, bellum esse: nempe ex contrarijs per diuisionem. Contrariorum enim quædam medium habent (ut philosophi subtiliter disputant) quædam medium non habent. Bonitas & malitia medium nullum inter se continent: inter frigidum & calidum tepidum uenit. Itaq; pacis & belli nullum est medium, siue tertium. Horum enim duorum alterum sit inter homines necesse est. Si non est pax, bellum igitur: si non bellum, pax. Ex quo efficitur, quod Tullius uult, Tumultum cum pacis non sit, necessario belli esse. Sed Cicero* το κατ' ἀδύνατον *ad absurdum compellit aduersarios, & incommodo urget, ut uel malo coacti, desinant esse pertinaces. Nec est quòd aliquis hic obijciat inducias, quasi mediæ sint inter pacem & bellum: sunt enim pacis. Induciæ enim, pax ad tempus esse definiuntur. Hoc quoq; argumenti genere usus est Christus, cum inquit: Aut facite arborem bonam, aut malam: nam inter bonum & malum nihil est medium. in quo quidem doctores & magistri, ualde errarunt, neutrum, ut illi uocabant, introducentes, quod medium siue tertium esset inter bonum & malum: quæ doctrina tepidos inuexit, diuino oraculo reiectos & repudiatos.*

Sed nimis multa de uerbo. rem potius uideamus Patres conscripti: quam quidem intelligo uerbo fieri interdum deteriorem solere. nolumus hoc bellum uideri. quam igitur municipijs & colonijs ad excludendum Antonium autoritatem damus? quam
C ut milites fiant sine ui, sine tumultu, studio & uoluntate? quam ut pecunias in rempublicam polliceantur? Si enim belli nomen tollitur, municipiorũ studia tolluntur: consensus populi Romani, qui iam descendit in causam, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura? Decius Brutus oppugnatur: non est bellum? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est? Gallia uastatur: quæ potest pax esse certior? illud uero quis potest bellum non esse dicere, quo fortissimum uirum cum exercitu misimus? qui cum esset infirmus ex graui diuturnoq; morbo: nullam putauit sibi excusationem esse oportere, cum ad reipublicæ præsidium uocaretur. Caius quidem Cæsar non expectauit nostra decreta, præsertim cum esset illius ætatis: bellum contra Antonium
al. uenerat sua sponte suscepit. Decernendi enim tempus nondum † nouerat: belli autem gerendi tempus si prætermisisset: uidebat republica oppressa nihil decerni posse. Ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace uersantur: non est hostis is, cuius præsidium Claterna deiecit Hircius: non est hostis, qui armatus Cõsulem designatũ oppugnat: nec illa
D hostilia uerba, nec bellica: quæ paulo ante ex collegæ literis Pansa recitauit: DEIECI PRAESIDIVM: CLATERNA POTITVS SVM: FVGATI EQVITES: PRAELIVM COMMISSVM: OCCISI ALIQVOT. Quæ pax potest esse maior? delectus tota Italia decreti sublatis uacationibus: saga cras sumentur: Consul se cum præsidio descensurum dixit. utrum hoc bellum non est? an etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit?

Sed nimis multa.] *Transitio oratoria Ciceroni familiaris, qua ostendit se de re ipsa, & de propria causæ quæstione, & constitutione disputare uelle, uidelicet, Sitne bellum quod inter M. Antonium & senatum geritur?*

Verbo.] *Non bellum ut re uera est, sed tumultum appellando.* Quam igitur.] *Eadem ratione tractat argumentum, qua paulo ante tractauit: nempe ut incõmodo urgeat, ad tandem fatendum & concedendum, bellum reuera esse decretum: quæ tractandi ratio non directa, sed inflexa nominatur: quam quidam obliquam, nõ sane male appellant. Quoniam enim negatur decretum esse bellum, sumitur eius contrarium: ergo municipiorum studia tolluntur, consensus populi Romani debilitatur: hoc est, nullus habetur delectus militaris, nullus apparatus est belli. Sed hoc falsum est: nam municipijs & colonijs ad excludendum Antonium autoritatem damus, ut milites fiant sine ui, sine tumultu, studio & uoluntate,*

ut pecunias

ut pecunias ad rempub. iuuandam polliceantur. Igitur uerum est bellum decretũ esse. Et obserua ut milites fiant, prout delectus habeatur. *Vt pecunias in remp. polliceantur.] Obserua & hanc locutionis formulam, polliceri pecunias in remp. scilicet iuuandã.* *Descendit in causam.] Et hæc formula obseruanda est. Est enim descendere in causam, causæ subscribere & fauere, se ad causam adiungere & applicare, & in eandem cõspirare causam atq; negociũ. sumpta translatione ab ijs qui in certamẽ pugnamq; descendunt. Cic. ad Att. lib. 8. Quamuis mirere si inuitus in eam causam descendo, in qua neq; pacis, neq; uictoriæ ratio quæsita sit unquã: sed semper flagitiosæ & calamitosæ fugæ. de partib. Pompeianis loquitur.* *Sed quid plura?] Iam rem ipsam attingit, & enumeratione consequentiũ & adiunctorũ (qui locus ut Cic. ipse in Part. testatur, ad definitionẽ refertur) bellum esse cõfirmat. consequẽtia siue adiuncta sunt illa: D. Brutus oppugnatur, Mutina obsidetur, Gallia uastatur, duces cum exercitu contra Antonium misimus, qui sua sponte bellum contra Antoniũ susceperunt, eos cõprobauimus: Claterna recepta deiecto Antonij præsidio fugati sunt equites, prælium cõmissum, occisi aliquot, delectus tota Italia decreti, sublatis uacationibus: saga eras sumentur, consul se cum præsidio descensurum dixit. Vtrum hoc bellum non est? Enumerauit ea quæ bellum susceptũ consequi solẽt, eiq; adiuncta sunt, quibus positis, bellum esse necesse est. Hic locus ad Demosthenis imitationem effictus est, ex tertia in Philippum oratione.* A

Gallia uastatur.]] Prouincia cisalpinæ, siue togatæ Galliæ, ab Antonio uastatæ. *Quæ potest esse pax?] Ironia ex repugnantibus ducta.* *Fortiss. uirum.] Hirciũ consulem alterũ. Argumentũ est ex præiudicio senatus.*

Qui cum esset infirmus.] Imbecillus, debilis ex proxima ualetudine. Argumentũ ex Hircij indicio. *C. quidem Cæsar.] Octauius. argumentũ ex Cæsaris iudicio, quod senatus comprobarit.* *Illius ætatis.] Penè puer, utpote octodecim natus annos.* *Decernendi.] Statuendi cum senatu, uel decernendi belli autoritate senatus. ita excusat Cæsaris factũ, quod alioqui reprehendi poterat.* *Ergo illi nunc.] Concludit ironicôs, & adiungit alia signa quæ bellum esse certius demonstrent.* *Claterna.] Auferendi casus est. Claterna oppidũ est inter Bononiã & Cornelij forum ad Aemiliam uiã situm. nomẽ habuit à fluuio Claterna nominatũ, quo nomine hodie quoq; is fluuius ab incolis appellatur. Cic. ad Caßium lib. 12. Magno præsidio, inquit, Bononiã tenebat Antonius, erat Claternæ Hircius noster, ad Forum Cornelij Cæsar, uterq; cum firmo exercitu. Itali hodie Flauianũ uocant.* *Consulem designatũ.] D. Brutum, Mutinæ inclusum.* *Deieci præsidiũ.] Antonij scilicet. & hic attende breuißimã narrationẽ.* *Quæ pax potest esse maior?] Ironia ut illa superior. nam & easdem uerba repetit indignationis nũcia.* *Saga.] Ornamenta militaria, quæ belli sunt signa.* *Consid se.] Hircius Claterna Mutinã ad liberandũ Brutũ.* *Vtrum hoc bellũ.] Probat nõ modo bellũ esse, sed etiam maximũ bellum, idq; facit reliquorũ bellorũ cõparatione, et ex causa belli.* B

Cæteris enim bellis maximeq; ciuilibus, contentionem reip. causa faciebat. Sylla cum Sulpitio de iure legũ, quas per uim latas Sylla dicebat: Cinna cũ Octauio de nouorum ciuiũ suffragijs: rursus cum Mario & Carbone Sylla: ne dominarenť indigni, & ut clarissimorũ hominũ crudelissimã ulcisceretť necẽ. horum omniũ bellorũ causæ ex reip. contẽtione natæ sunt. de proximo bello ciuili nõ libet dicere. ignoro causam: detestor exitũ. hoc bellum quintũ ciuile geritur, atq; omnia in nostrã ætatẽ inciderũt: C primũ nõ modo in dissensione & discordia ciuiũ, sed in maxima consensione, incredibiliq; cõcordia. Omnes idem uolunt, idem defendunt, idem sentiũt. cum omnes dico, eos excipio, quos nemo ciuitate dignos putat. quæ est igitur in medio belli causa posita? nos deorũ immortaliũ templa, nos muros, nos domicilia sedesq; populi Ro. penates, aras, focos, sepulchra maiorũ, nos leges, iura, libertatẽ, coniuges, liberos, patriã defendimus. contra M. Antonius id moliť, id pugnat: ut hæc omnia perturbet, euertat: prædã reip. causam belli putet: fortunas nostras partim dissipet, partim dispartiat parricidis. In hac tam dispari ratione belli, miserrimũ illud est: quod ille latronib. suis pollicetur primũ domos: urbem enim se diuisurũ confirmat: deinde omnibus portis, quo uelint, deducturũ. omnes Caphones, omnes Saxæ, cæteræq; pestes, quæ sequunť Antoniũ: ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiũt. atq; etiã homines agrestes, si homines sunt illi potius q̃ pecudes, inani spe ad aquas usq; Puteolanas prouehunť. Ergo habet Antonius quod suis polliceať. Quid nos? nunquid tale habemus? D dij meliora. id enim ipsum agimus: ne quis posthac eiusmodi quicq̃ possit polliceri. inuitus dico: sed dicendũ est. hasta Cæsaris P. C. multis improbis & spe affert & audaciam. uiderũt enim ex mẽdicis fieri repẽte diuites. Itaq; hastã semper uidere cupiũt ij, qui nostris bonis imminẽt: quib. omnia polliceť Antonius. quid nos nostris exercitibus? quid pollicemur? multo meliora atq; maiora. scelerum enim promissio, & ijs qui expectant, perniciosa est, & ijs qui promittũt. nos libertatem nostris militibus, iura, leges, iudicia, imperiũ orbis terræ, dignitatem, pacem, ociũ pollicemur. Antonij igitur promissa cruenta, tetra, scelerata, dijs hominibusq; inuisa, nec diuturna, neq; salutaria. nostra contrà, honesta, integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.

Cæteris enim bellis.] Profert exempla bellorũ ciuiliũ, ut & hoc ciuile bellum esse ostendat, & reliquis maius: quæ uide apud Plut. in uita Syllæ & Marij. *Clariß. hominũ.] Octauij consulis, Fimbriæ, Antonij Oratoris, Craßi patris, &*

A tris,& filij: deinde Catuli, Merulæ, Ancharij Sacerdotis, Q. Mutij Sceuolæ,& aliorũ senatorũ, et consularium uirorum,
quos Marius et Cinna necauerãt. Crudelissimã puniretur necẽ.] Alij habent ulcisceretur: quod quidẽ uideri potest
interpretandi causa positũ. nam illud punitur, nõ insolens Ciceroni. ut pro Milone: Cuius tu, inquit, inimicissimũ, multo
crudelius etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ postulare: sunt & alij loci, quibus supersedeo. Ignoro cau-
sam.] De huius belli causa sic Lucanus in primo Pharsaliæ canit:

Nec quenquam iam ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem: quis iustius induit arma
Scire nefas: magno se iudice quisq; tuetur.
Victrix causa deis placuit, sed uicta Catoni.

Detestor exitũ.] Quoniã mortuus est Pompeius,& extinctis tot reip. luminibus, in Cæsaris dominatũ incidimus.
Sed in maxima consensione.] Oratio mutata, assumptis uerbis (ut Cic. in Part. dicit) remouendis: in quo etiam sunt
paria duo, paribus relata cõtraria. Cum omnes dico.] Significat se illo uerbo OMNES, omnes bonos intelligere.
Quid si in sacris literis etiã sic interdũ uniuersalem illam omnes homines,& id genus alia quædã intelligamus?
Quæ est igitur?] Ostendit apertũ discrimen inter superiora illa bella ciuilia,& hoc Antonianũ, idq; facit ex cau-
B sa. Illa ex dissensione ciuiũ in tuenda rep. hoc bellum peperit cupiditas eorum qui euertere conantur rempublicam.
Nos deorũ.] Acerba enumeratione & contentione causam belli exaggerat. Ex uerbo enim dilatat orationẽ enume
rando siue partiendo. Verbum est: Nos patriã remq; publicã defendimus. quod quidẽ uerbũ in tot quasi riuos deducitur,
ut animos multis in partibus irrigare uideatur. Contrà M. Antonius.] Auget contentione. Dissipet.] Perdat,
& consumat ipse, ut solet. Auget indignitatẽ ab Antonij persona, & eius comitũ nefandissimorũ, deinde à modo
prædandi,& ita uehementer animos perturbat. Homines agrestes.] Rustici, qui Antoniũ fouebãt. Tuscula
na, Albana.] Villas amœnissimas in Tusculano & Albano agro. Definiũt.] Animo & spe designant, sibi propo
nunt & promittũt. Si homines.] Correctio ad uituperationẽ. Ad aquas usq; Puteol.] Id est, Puteolos
usq;,& balnea, et Baias, loca ad æstiuandũ cõmodissima Romanis, ubi præclara habebãt prædia. Ergo habet Ant.]
Concludit criminose ut alia attexat longe diuersa. Dij meliora.] Execratio, siue detestatio,& auersio, quæ Græce
ἀρεία dicitur, quod alij dicunt absit. Inuitus dico.] Præmunitio anteq̃ dicat: de Orat. lib. 3. Hasta Cæsaris.]
Declinatio breuis, in querelã Cæsaris proscriptionũ & auctionũ, ut doceat malo exemplo fuisse improbis ciuibus: ideirco
eo occurrendũ esse mature, ne quid tale in posterũ fiat. Sic de Off. lib 2. Nec uero unq̃ bellorũ ciuiliũ semẽ & causa dee-
rit, dum homines perditi hastã illam cruentã et meminerint & sperabunt: & ibidẽ alia multa. Viderũt enim]
A spe prædæ consequendæ, quæ ad impulsionẽ spectat. Quid nos nostris?] Redit ad comparationẽ, ut meliora &
C honestiora præmia proposita esse defensoribus reip. ostendat. Scelerũ enim prom.] Deterret pœnis à scelere.
Nos libertatẽ.] Enumerat præmia meliora. Antonij igitur promissa cruenta.] Ingeminat contentionem
promissorum & præmiorum, quo magis ad rempublicam defendendam inflammet.

Hic mihi etiam Quintus Fusius uir fortis ac strenuus, amicus meus, pacis commo
da commemorat. Quasi uero, si laudanda pax esset, ego idem facere commode non
possem? Semel enim pacem defendi? non semper ocio studui? quod cum omnibus
bonis utile est, tum præcipue mihi. Quem enim cursum industria mea tenere potuis-
set, sine forensibus causis, sine legibus, sine iudicijs? quæ esse non possunt ciuili pace
sublata. Sed quæso Calene, quid? tu seruitutem pacem uocas? Maiores quidem no-
stri non modo ut liberi essent, sed etiam ut imperarent, arma capiebant. at tu arma abij
cienda censes, ut seruiamus. quę causa iustior est belli gerendi, quàm seruitutis depul-
sio? in qua etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse, si uelit. im-
mo nulla alia causa iusta, ac necessaria est. nisi forte ad te hoc non putas pertinere,
quod te socium fore speras dominationis Antonij: in quo bis falleris. primum, quod
D tuas rationes communibus anteponis: deinde, quod quicquam stabile in regno, aut
iucundum putas. non, si tibi antea profuit, semper proderit. quin etiam de illo homine
queri solebas. quid te facturum de bellua putas?

Hic mihi etiã Q. Fusius.] Hæc est secunda huius orationis pars, qua Q. Fusii Caleni uiri consularis aduersam
sententiã refellit Cicero. Huius Q. F. Caleni oratio acerbissima,& maxime maledica in Ciceronẽ, extat apud Dionem
lib. 46. quã nos cũ Ciceronis oratione in Antoniũ, q̃ ad hanc causam pertinent, Latinas fecimus, atq; his nostris com-
mentariolis adiungi curauimus. Vir fortis ac strenuus.] Laudat initio Calenũ seriò, ut mihi quidem uidetur, ne
quæ dicturus in ipsum est, hominis odio potius q̃ reip. causa dixisse uideatur. Ita facilius eius admittetur oratio, cui orato
ris mores, fidem conciliarint & autoritatẽ. Hæc igitur fuit causa cur eum laudaret,& amicum suum appellaret.
Pacis cõmoda cõmemorat.] Calenus pacẽ laudarat, deq; eius cõmodis multa uerba fecerat, quasi Cicero pacis esset
inimicus. Hanc Caleni opinionem, siue potius errorẽ reprehendit Cicero, ostenditq; se paci, quæ nihil habitura esset insi
diarũ, semper studuisse. Verũ eã quã pacẽ Calenus uocet, nõ pacẽ sed seruitutẽ & reip. euersionẽ esse: & eadem ferè pri
mum dicit, quæ in superiore oratione L. Pisoni, eadem de re responderat: uidelicet nulli utiliorem esse pacem quàm sibi,
cuius in agendis causis industria, sine pace & ocio nulla esset. Confer utrunq; locũ ad uarietatẽ orationis cognoscendã.
Semel enim pacẽ.] Quasi dicat nõ semel, sed semp pacẽ defendi: quod declarãt uerba sequẽtia: Nõ semp ocio studui.

Industria.] Labor & diligentia in rebus honestis posita, & illa officij cuiusq; sui sedulitas, industria uocari solet. ab instruo uidetur industria uocata, quod qui sedulo & diligenter munus obeunt suũ, ad id imprimis uidentur instructi, unde & industrij nominãtur. hic à Cicerone pro officio & munere, oratoriaq; professione ponitur: Ergo industria mea, professio mea, in agendis causis. Sed quæso te Calene.] Cum Caleno cõminus congreditur, ut uehementius urgeat. Imitatur autẽ locũ Demosthenis quo Aristodemũ reprehẽdit Philip. 4. Demosthenis altercatio breuior est & acerbior, Ciceronis longior & moderatior. utraq; ex personæ cum qua agitur dignitate & conditione. Tu seruitutẽ pacẽ uocas?] Nominis quæstio, non pacẽ illã, si cum Antonio cõponerent, sed seruitutẽ appellandã esse: ac maiorũ exẽplis probat, hanc iustissimã esse belli causam, seruitutis depulsionẽ. Ita tyranni solent tyrannidẽ suam pacis nomine ornare, cum tamen eorum huiusmodi pax, mera sit plerunq; seruitus. Sic Philippus Macedo cum Græciæ ciuitatibus pacem conficiebat, ut eas in seruitutẽ paulatim traheret. Maiores quidẽ nostri.] Enthymema ex contrarijs. ostendit enim exemplo maiorũ, omnia Calenũ contraria suadere. huiusmodi argumenta, aliquot sunt in oratione pro lege Manilia, eo loco: Maiores uestri, sæpe mercatoribus ac nauiculariјs iniuriosius tractatis, bella gesserunt, & reliqua ibi elegantissima sunt uidenda. Quæ causa iustior?] Disputatur de iustis belli causis. Cicero nullam esse iustiorẽ, quàm aut libertatis tuendæ, aut seruitutis depellendæ, & recte dicit. nam si libertas (ut in iure ciuili quoq; traditur) est secundũ naturã, necesse est seruitutẽ esse contra naturã, quoniã libertas & seruitus contraria sunt. Itaq; qui libertatẽ tuentur, aut seruitutem propulsant, ij naturæ munus excellentiamq;, imò dei proprium donum defendunt: sicut nos aliquando disticho lusimus.

Candida libertas claro descendit Olympo: B
Triste at seruitium de Phlegetonte uenit.

In quis etiamsi.] Occurrit Caleni tacitæ responsioni: qui dicat, Antoniũ non fore molestũ dominũ, respõdet, hoc incertũ esse, ac liberis hominibus uel illud miserrimũ esse, posse aliquẽ, si uelit, esse molestũ. Nam qui potitus est rerũ, in manu sua omnia habet, ut si libeat, possit tyrannidẽ exercere. Itaq; melius & tutius esse, tali metu carere. Imò nulla.] Amplificatio causæ belli, non solum eã quam dixit, nullam esse iustiorẽ, sed etiã eam solam iustam & necessariam esse. Nisi forte.] Amara & criminosa exprobratio. In quo bis falleris.] Duplici nomine erras. diuisio. Primũ quod tuas rationes.] Tua cõmoda. Hoc enim impiũ & sceleratum est: nihilq; est quod tantopere publicũ labefactet statum quàm priuatũ cõmodũ, Reip. cõmodis anteferre. Præclare enim Cicero ex Platone: ut enim tutela, inquit, sic procuratio Reip. ad utilitatẽ eorũ qui cõmissi sunt, non ad eorũ quibus cõmissa est, gerenda est. de Off. lib. 1. Quod quicquam stabile in regno.] In regno, in tyrãnide & uiolento dominatu: quoniã nihil uiolentũ, potest esse diuturnũ, ut Demosthenes de Philippi regno dicebat. Quod autẽ iucundũ esse non possit, docuit Dionysius tyrannus, appenso supra ceruicẽ cuiusdã gladio: quo significauit, omnia in tali regno esse metus plena. De uero regno non loquimur, in quo reges, pastores, & patres sunt populorũ: quo principatu nullus præstantior, aut melior aut tutior reperitur, utpote quod cum dei principatu similitudinem habeat. Non, si tibi antea profuit.] Antea dominante scilicet Cæsare. De illo homine.] De Iulio Cæsare, homine saltẽ, non bellua. Quid te facturũ de bellua putas?] Ex minore, probat Antonij dominatu Fufiũ non fore contentũ. hoc modo: Si hominem ferre non poteras, quomodo feres belluam. Homo erat Cæsar, si cum Antonio conferatur: Antonius bellua si cum Cæsare contendatur. comparationem horum duorum uide Philip. 2. C

Atqui is es, qui semper pacem optaris; semper omnes ciues saluos uolueris. honesta† ratio, sed ita, si bonos & utiles Reip. ciues: sin eos, qui natura ciues sunt, uoluntate hostes saluos uelis: quid tandem interest inter te & illos? Pater olim tuus, quo utebar sene adolescens, homo seuerus & prudens, non primas omniũ ciuium P. Nasicæ, qui Tyberium Gracchum interfecit, dare solebat? eius uirtute, consilio, magnitudine animi, liberatam Remp. arbitrabatur. quid? nos à patribus num aliter accepimus? ergo is tibi ciuis, si temporibus illis fuisses, non probaretur: quia non omnes saluos esse uoluisset? quod L. Opimius Consul uerba fecit de Republica: de ea re ita censuerunt: uti Opimius Consul Remp. defenderet. Senatus hæc uerbis: Opimius armis. num igitur eum, si tum esses, temerarium ciuem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cuius quatuor filij cõsulares? aut P. Lentulum principem Senatus, compluresq; alios summos uiros? qui cum L. Opimio Consule armati Gracchum in Auentinum persecuti sunt? quo in prælio Lentulus graue uulnus accepit: interfectus est Gracchus, & M. Fuluius Consularis, eiusq; duo adolescẽtuli filij. illi igitur uiri uituperandi? non enim ciues omnes saluos esse uoluerunt.

† al. oratio

D

Atqui is es.] Occupat, & profert uerba Caleni, eaq; distinctione interpretatur, & refellit exẽplis. Non, si tibi antea profuit.] Attende disparatas enunciationes, & repugnantes omnino. Honesta oratio.] Sic enim legendum est, non honesta ratio. Est enim imitatio Terentiana, ex Andria. Sic enim senex ille Pamphili pater, uerba filij imitans, siue potius fingẽs: Quæ sese, inquit, uoluit in ignẽ cõijcere, prohibui, seruaui. honesta oratio est. Hãc formulã sæpius usurpauit Cic. tum de Off. tum de Finib. tum etiã in 7. in Verrẽ actione. Sed ita, si bonos.] Caleni sententiæ distinctio & declaratio. Ciues enim primum aut natura sunt, aut dono fiunt: ueluti cum aliquis donatur ciuitate ea in qua natus nõ est ciuis. Sed hos etiã dicamus natura ciues esse, ut cũ ijs cõferãtur qui uolũtate ciues nõ sunt. Ita fiet ut alij sint natura & uolũtate ciues: alij natura tantũ, non uolũtate, & ciuitatis amore. Qui igitur natura tantũ ciuis est, uolũtate uero hostis, is reuera ciuis non est: non plus quàm is rex est, qui ui ac tyrannide imperat. nomen quidẽ ille ciuis, hic regis habet,

A *uerũ nomen tantũ, quemadmodũ pictæ aut fictæ personæ homines appellantur. In hunc modum Paulus de Iudæis scribit: eos Iudæos non esse, qui circũcisi corpore tantũ sunt, aut qui natura modo Iudæi sint, sed qui animũ habent, & cor circũcisum: qui deum ex animo & serio cõfitentur, laudant, prædicant. Eodẽ modo multi sunt natura & externa lotione Christiani, qui tamen uoluntate hostes sunt Christi & Christianorũ ciuiũ: qui, cum census ille magnus habebitur, pro ciuibus nequaquã habebuntur.* **Quid tandem interest?]** *Quasi dicat, nihil. Qui enim perniciosis ciuibus fauet, is non multo est illis melior.* **Pater olim tuus.]** *Domesticis Fusii exemplis, & præiudiciis eum refellit primũ, deinde aliis.*
Non primas.] *Scilicet partes. translatio sumpta de scena, ubi alii primas, secundas alii, & deinceps agunt.*
P. Nasicæ.] *Hic est ille Nasica qui ob insignẽ prudentiã, corculũ fuit appellatus, Ennii poetæ familiaris, Cn. Scipionis eius qui in Hispania unà cum Publio fratre cecidit, filius. is Tib. Gracchũ Africani ex filia nepotẽ, Tribunũ plebis, seditionẽ aduersus patres molientẽ interfecit.* **A patribus.]** *A maioribus nostris, uiris seueris & prudentibus.*
Num aliter.] *Quàm pater tuus, scilicet, & dicebat, & sentiebat?* **Ergo is.]** *Scilicet pater tuus, aut Nasica.*
Non probaretur.] *Ostendit diuersam ab optimis ciuibus Caleni sentẽtiam, id quod post singula facit exempla, quo maiore illum oneret inuidia.* **Quod L. Opimius.]** *Aliud exemplũ de C. Graccho, qui causam Tyberii fratris susceperat. quem L. Opimius consul interfecit. hæc apud Plutarchũ in Gracchorũ uita uidenda sunt. Meminit etiã Cicero in Catil. orat. prima.* **Q. Metellũ.]** *Hic est ille Metellus, qui à deuicta Macedonia, Macedonicus, ob rarã quandam felicitatẽ, felix cognomento appellatus est. Vide Val. Max. lib. 7. Pliniũ in Nat. historia lib. 7.* **Cuius quatuor filii consulares.]**
B *Dissentiunt à Cicerone, Valerius Max. & Plinius loco citato. nam tres cõsulares tantũ fuisse scribunt. Sed Ciceroni ista in Senatu dicenti credendũ est.* **In Auentinũ.]** *Fuit unus è septẽ urbis Romæ collibus siue montibus.* **Et M. Fuluius.]** *Qui cum C. Graccho erat, eiusdem furoris socius.* **Non enim ciues omnes.]** *Caleni uerba repetit ad inuidiam.*

Ad propiora ueniamus. C. Mario, L. Valerio Cõsulibus Senatus Remp. defendendam dedit: L. Saturninus Tribunus plebis, Glaucia Prætor est interfectus. omnes illo die Scauri, Metelli, Claudij, Catuli, Scæuolæ, Crassi arma sumpserunt. num aut consules illos, aut clarissimos uiros uituperandos putas? Ego Catilinam perire uolui. num tu, qui omnes saluos uis, Catilinã saluũ esse uoluisti? hoc interest Calene inter meam sententiã & tuã. ego nolo quenquam ciuẽ cõmittere ut morte mulctandus sit: tu, etiamsi cõmiserit, cõseruandũ putas. in corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur: ut membrorũ aliquod potius, quàm totũ corpus intereat. sic in
C Reip. corpore, ut totũ saluũ sit, quicquid est pestiferũ amputetur. dura uox. multo illa durior. salui sint improbi, scelerati, impij: deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica. uno in homine Q. Fusi fateor te uidisse plus quàm me. ego P. Clodium arbitrabar perniciosum ciuem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum. tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum ciuem, & optandum. in hoc uno te plurimum uidisse, multum me errasse concedo.

Ad propiora ueniamus.] *Sequitur ordinẽ temporũ, & recentiora exempla, ab antiquioribus distinguit.* **C. Mario, &c.]** *Is fuit Arpinas, & septimum consul.* **L. Saturninus.]** *L. Apuleius Saturninus appellatus, seditiosum egit Tribunatũ, multas inuito Senatu leges tulit, tertio tribunus factus: cum se recepisset cum Glaucia prætore in Capitolium, à Mario obsessus, se dedidit: cumque illinc in curiam fugisset, multitudinẽ timens, lapidibus & tegulis interfectus est: Glauciæ fracta ceruix fuit. Hanc causam egit Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo.* **Ego Catilinã.]** *Profert exemplũ suum in Catilina extinguendo: quod nemo nisi eius coniurationis socius, unquã reprehendit.* **Hoc interest Calene.]** *Diuisio quæ quid inter suam & Caleni sententiã intersit, aperit, quo magis Caleni improbitas eluceat.*
In corpore.] *Apta similitudine quid in Rep. faciendum sit, ostendit. Vt membra sunt in corpore, sic in Repub. sunt*
D *homines, & ciues, Reip. corporis membra.* **Vri ac secari.]** *Ouidius Metamor. lib. 1.*

Cuncta prius tentanda: sed immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Item Horatius:
Vt corpus ualeat, ferrum patieris & ignem.

Dura uox.] *ἀνθυποφορὰ, id est anteoccupatio. Dura uox, id est dura oratio, dicat aliquis, ciuẽ occidere, & perdere.* **Multo illa durior.]** *Soluit & diluit, duriore & grauiore re opposita, quod ipse faciendum iubet, in 2. De Oratore.* **Salui sint improbi.]** *Inuidiosa prosopopœia. non enim hoc dicebat apertè Calenus, sed quod dicebat, idem ualet. Nam qui uellet omnes esse saluos, uelit etiã improbos necesse est: qui si obtineant, ut semper cupiunt, actũ de bonis, & honestis, actũ de Rep. est.* **Vno in homine.]** *In P. Clodio, ut statim dicet.* **Te uidisse plus.]** *Ironia & dissimulatione hominẽ irridet.* **Ego P. Clodium.]** *Declarat, quod dixit, & Calenũ semper sceleratorum fuisse patronum exemplo demonstrat: qua in re fidem eius eleuat uehementer.* **Tu contra.]** *Contentio, qua multum Caleni siue errorem, siue malitiam exaggerat.* **In hoc uno te plurimum uidisse.]** *Repetit eandem ironiam.*

Nam me tecum iracunde agere dixisti solere. non est ita: uehementer me agere fateor: iracunde nego. omnino irasci amicis non temere soleo: ne si merentur quidem. itaque sine uerborum contumelia à te dissentire possum: sine animi summo dolore non

possum

possum.parua est enim mihi tecum,†haud parua de re dissensio.ego huic uidelicet fa- A
ueo:tu illi.immo uero ego D.Bruto faueo: tu M.Antonio. ego conseruare coloniam al. aut
populi Rom.cupio:tu expugnare studes.an hoc negare potes? qui omnes moras in-
terponis,quibus infirmetur Brutus,melior fiat Antonius? quousq; enim pacem dicis
uelle te? res geritur: conductæ uineæ sunt:pugnatur acerrime.qui intercurrerent,mi-
simus tres principes ciuitatis:hos contempsit,reiecit,repudiauit Antonius: tu tamen
permanes constantissimus defensor Antonij. Et quidem quo melior Senator uidea-
tur:negat se illi amicum esse debere:cum suo magno beneficio uenisse eum contra se.
uide quanta charitas sit patriæ.cum homini sit iratus:tamen Reip.causa defendit An-
toniū.Ego te,cum in Massilienses tam sis acerbus Fusi, non animo æquo audio. quo-
usq; enim Massiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem fecit belli, per quem
sublata est urbs ea: sine qua nunquam ex Transalpinis gentibus maiores nostri triumpha-
runt? quo quidem tempore populus Rom.ingemuit. quanquam enim proprios dolores
suarum rerum omnes habebant: tamen huius ciuitatis fidelissimæ miserias nemo erat B
ciuis,qui à se alienas arbitraretur. Cæsar ipse,qui illis fuerat iratissimus:tamen propter
singularem eius ciuitatis grauitatē,& fidem,quotidie aliquid iracundiæ remittebat.te
nulla sua calamitate ciuitas satiare tam fidelis potest? rursus me iam irasci fortasse di-
ces:ego autem sine iracundia dico,ut omnia:nec tamen sine dolore.neminē illi ciuita-
ti inimicū esse arbitror,qui amicus sit huic ciuitati.Excogitare quę tua ratio sit Calene
non possum.antea deterrere te,ne popularis esses, non poteramus: nunc ut sis popu-
laris exorare non possumus.Satis multa cum Fusio:ac sine odio omnia: nihil sine do-
lore.credo autem qui generi querelam moderate ferat:æquo animo laturum amici.

*Nam me tecum.] Obiecerat iracundiam Calenus,purgat se Cicero,& iracundiam à uehementia & uocis conten-
tione distinguit. Vehementer.] Contentiose,& dicendi genere uehementiore & concitatiore, animo uero sedato
iracundia uacuo & pacato.Differunt ergo inter se,iracundè agere,& uehementer.Illud enim uitij est, hoc officij. Locus
igitur est de eodem & alio,de quo Arist.Top.lib.1.& Cic.in Topicis. Amicis.] Ergo & Calenus inter amicos nu
meratur. Non temerè.] Non facile,non parua de re. Parua est enim.] Videntur esse Caleni uerba.aut si sunt* C
*Ciceronis,ironiam habent:quod sequens refutatio indicat. Imò ego.] Ostēdit rem paruā non esse,neq; de re parua,
dissensionē.quasi diceret:Ego cōseruatori Reip.faueo,tu euersori. Ego cōseruare.] Iam aperta est cōtentio,& fu-
tis criminosa. Coloniā.] Mutinā,in qua Antonius Brutū obsidet. An hoc negare potes?] Instat iam uehemen-
tius,& probat. Infirmetur.] Debilior fiat,debilitetur,minuatur. Melior fiat Antonius.] Copijs auctior, ro-
bustior,munitior. Quousq; enim pacē.] Acrius reprehēdit,& à signis demonstrat pacē nolle Antonium. Con-
ductæ uineæ.] Vinea hoc loco, quasi uiminea dicta est. bellicū est instrumentū (ut Lucius describit) lignis cōpactū,la-
tum pedibus octo,altū septē,longū sexdecim, tectū duplici ligno,cratibusq; cōtextū, cuius latera uiminibus septa sunt,
ne saxorū ac telorū impetu perfringatur:extrinsecus autē ne cremetur,crudis ac recentibus corijs integebatur. Eam ma
chinā subibant milites mœnia ariete percussuri,ne ab imminentibus hostibus læderentur. Tres principes.] Tres le
gatos consulares uiros, L.Philippū,L.Pisonē,& Ser.Sulpitiū:sed is erat mortuus. Hos cōtempsit,reiecit,repudia-
uit Antonius.] Interpretatio ad rem augendam. Et quidē quo melior.] Cōuertit orationē ad patres,Et quo melior
(inquit) senator uideatur Fusius,negat se Antonio amicū esse debere, dicens Antoniū uenisse aliquando contra se reum,
hoc est accusatum & reum à se factum Antonium, cum suo (Antonij scilicet) magno beneficio. significat autem orator,
Fusiū preuaricatū fuisse,& collusisse,cum aliquando Antoniū accusaret:quę res Antonio magno beneficio fuit:quod ex* D
*leui & dissimulata accusatione,absolutus Antonius fuit. Sunt tamen ita ambigua quę hic dicit Cicero, ut uter fuerit reus
uix intelligi possit.Illud certū est,oratorē uelle ridiculā,imò improbā causam afferre,cur debeat esse iratus Antonio Fu-
sius,cum tamē eum Reip.causa defendat, priuatis offensionibus,& simultatibus depositis. Vide quanta charitas.]
Omnia εἰρωνικῶς dicuntur hæc. Ego te in Massil.] Interfecto Cæsare Massilienses Romā repetitum uenerant,
quę bello ciuili eis ablata fuerant. Restiterat Fusius & multa in Massilienses dixerat crudeliter, Cicero eos defenderat.
Ex quo hæc querela in Fusiū Calenū oritur.Cicero ad Atticū.Massiliensibus sua reddis:hæc armis (quę quàm firma ha-
beamus ignoro) restitui fortasse possunt,autoritate non possunt. Ne triumphus quidē.] Hanc eandem in Massilien
ses calamitatē,de off.lib.2.deplorat,penè totidē uerbis.Itaq; uexatis & perditis exteris nationibus,ad exemplū amissi
imperij,portari in triumpho Massiliā uidimus,& ex ea urbe triumphari,sine qua nunquā nostri imperatores ex transa-
alpinis bellis triūpharunt. Per quem.] Triumphū.id est, in quo triumpho. Sublata est.] In triūpho portata.
Ingemuit.] Gemitū populi Rom.recordatur,ut & præsentes miseratione cōmoueat,& populi Rom.de ea re iudi-
cium & animū ostendat. Quanquā enim.] Occupat,ut si quis diceret,populū Rom. propter suas proprias calami
tates ingemuisse,Respondet,hoc quidē uerū esse,sed inter proprios dolores huius etiā fidelissimæ urbis miserias locū ha-
buisse. Cæsar ipse.] Caleni crudelitatē amplificat Cæsaris cōparatione ex maiori. Remittebat.] Lenior in-
dies fiebat,& in eam clementior. Satiare.] Explere,pacificare,quod magnæ crudelitatis est signum.
Rursus me.] Remouet denuo à se iracundiæ suspicionem, etiam si paulo contentius dicat. Neminem illi ci-
uitati*

A *uitati.*] *Tacite concludit, Calenum inimicũ esse ciuitati Romanæ.* *Excogitare.*] *Caleni incõstantiam admiratur Orator, & reprehendit.* *Tua ratio.*] *Tuum consiliũ & institutum.* *Antea.*] *Declarat quod dixit, se excogitare non posse, & nescire quo teneat Protea nodo, ut dicitur.* *Satis multa cum Fufio.*] *Epilogus Caleni reprehensionis.* *Credo autem.*] *Bonum argumentũ ex maiore. nescio quo pacto fiat, ut quo quis nobis arctiori necessitudinis uinculo cõiunctus est, ab eo si quid proficiscatur quod nos lædat aut offendat, molestius feramus, quàm ab dijs qui longiore nos attingunt gradu. Ita fit, ut grauiores existimemus propinquorum offensiones, quàm amicorum: amicorum quàm aliorum.* *Generi.*] *Pansæ consulis. huius rei meminit Cicero ad Brutum. Erat præterea, inquit, in Senatu Pansa satis uehemens & acer cum in cæteros huius generis, tum in socerum. Conquestus in senatu longa oratione de Caleno fuerat Pansa, quod Antonio faueret.*

Venio nũc ad reliquos Cõsulares: quorũ est nemo (iure meo hoc dico) qui nõ mecum habeat aliquã cõiunctionẽ gratiæ: alij maximã, alij mediocrẽ: nemo nullã. quàm hesternus dies nobis, Consularibus dico, turpis illuxit. iterũ Legatos? quid? ille faceret inducias? ante Cõsulis, oculosq; Legatorũ tormentis Mutinã uerberauit: opus ostendebat, munitionẽq; Legatis: ne punctũ quidẽ temporis, cum Legati adessent, oppugnatio respirauit. ad hunc Legatos? cur? an ut in eorũ reditu uehementius pertimescatis? Equidẽ cum antea Legatos† decerni non cẽsuissem: hoc me tamẽ cõsolabar: quod cum illi ab Antonio contempti, & reiecti reuertissent: dixissentq; Senatui non modo illũ è Gallia non discessisse, ut censuimus: sed ne à Mutina quidẽ recessisse: potestatem sibi D. Bruti cõueniendi non fuisse: putabã fore ut omnes inflãmati odio, excitati dolore, armis, equis, uiris D. Bruto subueniremus. nos etiam languidiores facti sumus: postquàm Antonij non solũ audaciã & scelus, sed etiã insolentiã superbiamq; perspeximus. Vtinã L. Cæsar ualeret: Seruius Sulpitius uiueret: multo melius hæc causa ageretur à tribus, quàm nunc agitur ab uno. dolenter hoc dicã potius, quàm contumeliose. deserti, deserti inquam sumus P. C. à principibus. sed, ut iam sæpe dixi, omnes in tanto periculo, qui recte & fortiter sentient, erunt Consulares. animum nobis afferre Legati debuerunt: timorem attulerunt. quanquàm mihi quidem nullum unquam timorem: quamuis illi de illo ad quem missi sunt, bene existiment: à quo etiam mandata acceperunt.

B (margin: *al. decreuistis, quos ego non censuissem*)

C *Venio nunc.*] *Præmunitione utitur, & beneuolentiæ causas profert, ne uideatur odio potius quàm Reip. causa reprehendere senatũ, & præsertim legatos. Minus enim hac ratione offendet senatum, & maiorẽ conciliabit orationi suæ fidem & autoritatem.* *Ad reliquos consulares.*] *Nam & Q. Fufius Calenus consularis.* *Aliquã cõiunctionẽ gratiæ.*] *Aut sanguinis, aut affinitatis, aut amicitiæ. omnia enim hæc gratiæ nomen complectitur.* *Nemo nullam.*] *Omnes aliquam: sunt enim hæc paria cum utraq; affirmet.* *Quàm hesternus dies.*] *Visi enim fuerant pridie iterum Legatos ad Antonium uelle decernere. hanc senatus molliciem & inconstantiam hic reprehendit Cicero.*

Consularibus dico.] *Hæc declaratio ad amplificationẽ turpitudinis pertinet.* *Iterum Legatos?*] *Adhuc Legatos? scilicet mittemus? Voluisse iterũ senatũ mittere Legatos ad Antoniũ, ac inter reliquos Ciceronem, testis est Dion lib. 46. decernebant autẽ quidam Ciceronẽ, quasi optimũ concordiæ instrumentũ, sed re uera, ut cum Antonio traderẽt, & se ab eo liberarẽt. Quod cum Cicero satis intelligeret, timuit, nec se Antonij armis credere uoluit. Quamobrem, nec legati reliqui, qui cum eo decreti fuerant, proficisci uoluerunt.* *Quid?*] *Indignationem habet hæc particula.*

Ille ut faceret inducias?] *Hæc duplicẽ habent sensum. prior est si pendeat à superiori interrogatione: Iterum Legatos? quam ob causam? ut faceret Antonius nobiscũ inducias? quasi uellet dicere turpe esse senatui populoq; Romano inducias cum Antonio quærere, aut facere. alter est sensus, ut eis uerbis significet Antoniũ inducias nunquã esse facturũ. Nam*

D *ea particula, VT, interdum uim negandi habet, & rei deploratæ significationẽ. Quod etiã probant illa Ciceronis in Catilinam, oratione prima. Quanquã quid est, quod loquar? Te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullã fugam meditere? tu ut ullum exilium cogites? Vtinam tibi istam mentem dij immortales donarent.*

Ante consulis.] *Ex signis probat Antonium inducias non esse facturum. Nam si ne præsentibus quidem legatis & consule Hirtio, uel punctum temporis, oppugnatio cessauit, multo minus sit inducias facturus.* *Tormentis.*] *Instrumentis bellicis, & machinis, quales sunt Arietes, Vineæ, Balistæ, & id genus alia.* *Respirauit.*] *Translatio ab animali sumpta, pro cessauit, intermissa est.* *Ad hunc legatos?*] *Iterũ idem exprobrat, quod turpe eis esse uideretur, & in eodem loco cõmoratur.* *Cur?*] *Causas inquirit, & subiectione turpem causam profert, quam ex superiore colligit legatione.* *Equidem cum.*] *Probat quod dixit, ex signo.* *Hoc me.* *Hac re meum dolorem leniebam, & minuebam.* *Reuertissent.*] *Redissent. dicimus, reuerto, ut redeo: & reuertor & regredior, in eadem significatione.* *Sibi*] *Ipsis Legatis.* *D. Bruti conueniendi.*] *Adeundi, alloquendi, uidendi.*

Inflammati.] *Valde commoti atq; accensi.* *Armis, equis, uiris.*] *Elegans & usitata ueteribus locutio, & penè prouerbium, pro omnibus copijs & uiribus, aut cum equitatum & peditatum significare uellet. Interdum tamen unum è tribus uerbis detrahebant, dicebantq; aut armis uiris ut Cicero Philippica decimatertia, aut uiris equisq;, ut idem Cicero de Officijs. Cum his (inquit) uiris equisq;, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. Et ad Q. Fr. Epistolarum libro secundo. Cursu corrigam tarditatem (inquit) tum equis tum uiris.*

ris. Qui

ris. Qui eq́uis uelisq; legunt, longe mea quidem sententia, falluntur. Nos etiam languidiores.] *Ostendit legato-* A
rum siue timiditate siue perfidia, contra ac putasset euenisse. nam non inflammati, aut excitati, sed languidiores siue re-
missiores facti sunt, ex Antonij audacia atq; superbia. Sed etiam insolentiam.] *Amplificat ut maius odium ex-*
citet in Antonium. Vtinam L. Cæsar ualeret.] *Optatio ad cōmiserationem spectans. nam L. Cæsar propter ad-*
uersam ualetudinem, in senatum uenire non poterat. Ser. Sulpitius in ipsa legatione & itinere excesserat è uita.

Multo melius hæc causa ageretur à tribus.] *Huc pertinet, quod Solomo dixit in Ecclesiaste, Funiculus triplex non*
facile abrumpitur. Quàm nunc agitur ab uno.] *Idcirco dixit idem Sapiens concionator:* V AE S O L I: *qui*
si ceciderit, quis eum subleuabit. Huc etiam est illud tritum sermone prouerbium, Ne Hercules quidem aduersus duos.

Dolenter hoc dicam.] *Cum dolore potius quàm inimicè, aut contumeliæ causa. Præmunitione utitur, quoniam du-*
rius aliquid dicturus est. Deserti, deserti inquam.] *Conduplicatio, siue geminatio miserationis causa. Deserti,*
destituti, penè proditi: hinc desertor, qui minus aliquanto quàm proditor, ut ostendit Cicero in oratione post reditū suum.
Cum uiderem eos (inquit) aut proditores esse, aut desertores salutis meæ. A principibus.] *A consularibus, & à*
legatis. Est enim Ciceroni familiare, cum de Romanis loquitur, consulares homines principes appellare: In tertia contra
Catilinam oratione: Dictæ inquit sunt à principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ, quas senatus est sine ulla mora
consecutus. Qui recte & fortiter sentient.] *Quoniam non nomen inane, sed res facit consularem, & princi-*
pem. Animum nobis afferre.] *Repetit breuius quod paulo ante dixit: putabam fore ut omnes inflammati odio &c.*
& hanc locutionem contrarijs & similiter desinentibus concinniorem facit. Animum.] *Alacritatem, magna-* B
nimitatem. hic animus opponitur timori. Quanquā mihi.] *Correctio, qua se ab alijs separat, ut eos in pudorem*
inducat. Quamuis de illo.] *De Antonio. Coarguit legatos, malè obitæ legationis, & propemodum perfidiæ.*

Prô dij immortales, ubi est ille mos, uirtusq́ maiorū? C. Popilius apud maiores no-
stros, cum ad Antiochum regem legatus missus esset: & uerbis Senatus nunciasset, ut
ab Alexandria discederet, quam obsidebat: cum tempus ille differret, uirgula stantem
circumscripsit: dixitq́ se non antè renunciaturum Senatui: nisi prius sibi respondisset,
quid facturus esset, quàm ex illa circunscriptione excederet. præclare. Senatus enim
faciem secum attulerat, autoritatemq́ reipublicæ: cui qui non paret, non ab eo man-
data accipienda sunt, sed ipse est† potius repudiandus. An ego ab eo mandata accipe- *al. totus*
rem, qui Senatus mandata contemneret? aut ei cum Senatu quicquam commune iu-
dicarem, qui imperatorem populi Rom. Senatu prohibente obsideret? At quæ man
data? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu? cur autem ea legatis nostris dabat?
cum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum, atq́ arcem amicorū suorum, hominem
ædilitium: si uere tum fuit Aedilis: cum eum iussu Antonij in conuiuio serui publici C
loris ceciderunt.

Prô dij immortales.] *Exclamatio Tragica, ad indignationem inflammandam.* Vbi est ille mos.] *Ab ex-*
emplis maiorum amplificat & arguit legatorum ignauiam. C. Popilius.] *Profert exemplum antiquæ seuerita-*
tis, legatorum facto contrarium. lege Val. Maximum lib. 6. de grauiter dictis, aut factis, & Liuium lib. 45. ab urbe con
dita. Et Popilius, non Pompilius legendum proculdubio est. Ad Antiochum regem.] *Hic Antiochus Epiphanes*
cognomento dictus est: fuitq; magni illius filius. Virgula.] *Caduceo, quem gestare legati solebant.* Ex illa
circumscriptione.] *Ex illo circulo & ambitu ut alij dicunt, barbari circumferentiam: quam Græci περιφέρειαν.*

Præclarè.] *Laudat Popilij factum, contentione, ut horum legatorum factum, ex altera parte uituperet.*

Senatus enim faciem.] *Locus cōmunis de legatorum officio & maiestate.* Faciem.] *Maiestatem & dig-*
nitatem. Debent enim Legati principis sui maiestatem præ se ferre, & autoritatem. An ego ab eo mandata acci-
perem?] *Enthymema ex maiori, ac ex repugnantibus. repugnant enim contemnere & accipere.* At quæ man-
data?] *Amplificat ex mandatorum qualitate, & conditione.* Quo stupore?] *Legendum uidetur, quo tumore.*
nam quid hic faceret, stupor, inter arrogantiam, & spiritum? Idem enim uoluit dicere tribus uerbis, ad rem augendam.
nam spiritus, hic animi elationem tumoremq; significat. quem alij fastum dicunt. Vult Cicero significare, mandata An- D
tonij, tumida, ampullata atq; inflata fuisse. Cur autem ea.] *Occasionem arripit hinc in Cotylam aliquid salse di-*
cendi. Arcem.] *Robur & firmamentum. translatum enim est à munitis locis & ædificijs.* Hominem
ædilitium.] *Sic quoq; ad Atticum hunc ipsum non sine stomacho ædilitium uocat. Est autem ædilitius, qui ædilis fuit,*
quiq; ædilitio munere functus est. Si uere tum fuit ædilis.] *Correctio ignominiosa. significat enim ædilem nō fu-*
isse, sed hominem fuisse nihili & infamem. Serui publici.] *Lictores, aut quibus in ædilitio munere utebantur.*

At quàm modesta mandata fert? ij sumus P. C. qui quicquam huic negemus?
VTRANQVE PROVINCIAM INQVIT REMITTO: EXERCI-
TVM DEPONO. PRIVATVS ESSE NON RECVSO. hæc sunt enim
uerba. redire ad se uidetur. OMNIA OBLIVISCOR: IN GRATIAM
REDEO: sed quid adiungit? SI LEGIONIBVS MEIS, ET SI EQVITIBVS,
ET SI COHORTI PRAETORIAE PRAEDAM, AGRVMQVE DEDE-
RITIS. His etiam præmia postulat, quibus ut ignoscatur si postulet, impuden-
tissimus

A tissimus iudicetur. Addit præterea, quos ipse cum Dolabella dederit agros, teneant ij, quibus dati sunt. Hic est Campanus ager & Leontinus: quæ duo maiores nostri annonæ perfugia ducebant. cauet mimis, aleatoribus, lenonibus: Casoni etiam, & Saxę cauet: quos Centuriones pugnaces, & lacertosos inter mimorum, & mimarum greges collocauit. postulat præterea ut Chirographorum, & cōmentariorum sua, Collegæq; sui decreta maneant. quid laborat? ut habeat quod quisq; mercatus est. si quid accepit: habeat qui uendidit. & ne tangantur rationes ad Opis: id est, ne sestertiū septies millies recuperetur. ne fraudi sit septemuiris, quod egissent. Nucula, credo, admonuit. uerebatur fortasse ne amitteret tantas clientelas. caueri etiam uult ijs, qui secum sunt, quicquid contra legem cōmiserunt. Mustellæ, & Tyroni prospicit: de se nihil laborat. quid enim cōmisit unquam? num aut pecuniam publicam attigit? aut hominem occidit? aut secum habuit armatos? Sed quid est, quod de ijs laboret? postulat enim ne sua iudiciaria lex abrogetur: quo impetrato, quid est quod metuat? an, ne suorum aliquis à Cyda, Lysiade, Curio cōdemnetur? neq; tamen nos urget mandatis pluribus. remit-
B tit aliquantum, & relaxat. GALLIAM, inquit, TOGATAM REMITTO, COMATAM POSTVLO. ociosus uidelicet esse malo. cum sex legionibus inquit, ijsq; suppletis ex D. Bruti exercitu, non modo ex delectu suo. tandiuq; ut obtineat: quamdiu D. Brutus, C. Cassius Consules proue consules prouincias obtinebunt. huius comitijs C. frater, †est enim iam annus [al. (eius est enim annus)] ut repulsam tulit. VT QVINQVENNIVM, inquit, OBTINEAM. At istud uetat lex Cæsaris, & tua.

At quàm modesta mandata?] Redit ad mandata, & εἰρωνικῶς ea uocat modesta. hæc autem pertinent ad amplificandam indignitatem senatus. *Ii sumus P.C.*] Ironia, qua senatum exagitat. *Vtranq; prouinciam.*] Galliam cisalpinam & Macedoniam, quæ ei post Cæsaris necem sorte obuenerat. *Remitto.*] Hoc dicit Antonius, quasi utraq; prouincia sui iuris esset. *Exercitum depono.*] Legiones dimitto: me hoc munere abdico.

Priuatus.] Sine magistratu, sine imperio, sine publica potestate. nam priuato opponitur magistratus, aut is qui cum imperio est aliquo. *Hæc sunt enim uerba.*] Mandati scilicet Antonij. *Redire ad se uidetur.*] Hoc dicit, quasi antea, non apud se, sed extra se fuerit. nam extra se esse, apud se non esse, atq; è potestate exisse dicuntur, qui men-
C tis compotes non sunt, qui insaniunt quocunq; modo. apud se esse, qui sapiunt. redire ad se, qui ad frugem se recipiunt bonam, qui corrigunt se, qui resipiscunt, quod Græci dicunt μετανοεῖν. *Sed quid adiungit?*] Adiunctionem subijcit, quam conditionem uocant, qua non redire ad se, sed plane insanire, & impudentissimus esse Antonius uideatur, ex qua etiam illud appareat, illum pacem nolle, qui tam iniqua postulata conditionesq; proponat. *Cohorti prætoriæ.*] Hanc Iul. Cæsar instituerat, ad se ipsum in tyrannide tuendum: quam post eius mortem suscepgrat Antonius, iisdem quibus Cæsar uestigijs insistens. Est enim cohors prætoria, tyranni præsidium atq; custodia. *His etiam præmia.*] Refellit ex minore. *Hic est Campanus ager.*] Ex agrorum laude ostendit indignissimum esse, atq; detrimentum Reip. importaturum, si quod petit Antonius cōcedatur. Campanū agrū uide in oratione De lege Agraria contra P. Rullum: Leontinū uero, in Verrinis. *Cauet Mimis &c.*] Prospicit, consulit: eos securos reddere uult, rationē eorum haberi quibus agros diuisit. *Pugnaces, & lacertosos.*] Effœminatos & molles, per ironiam sic uocat, quod illa uerba declarant: inter mimorum, & mimarum greges collocauit. Reuera autem pugnaces sunt bellicosi, & fortes in pugna. Lacertosi uero à lacertis, id est brachijs, robusti & neruosi dicuntur. *Collegæq; sui.*] Dolabellæ, de quo in prima satis multa. *Maneant.*] Rata firmaq; sint. non abrogentur. *Quid laborat?*] Quid pugnat? quid
D molitur? quid quærit. *Vt habeat.*] Subiectione declarat, quorsum spectent Antonij postulata. *Sestertium.*] De hac pecunia & alijs, quæ hic frequentatione in unum coguntur locum, satis superq; in secunda, & alijs Philippicis dictum est. *Ne tangantur rationes.*] Ne in memoriam reuocentur, & excitentur. *Nucula hoc, credo, admonuit.*] Hic unus ex septemuiris, qui ex L. Antonij Tribuni plebis lege, agros ex sua libidine diuiserant. horum acta senatus, ex Ciceronis sententia, resciderat. *De se nihil laborat.*] De se nihil est sollicitus. nihil sibi metuit. elegans est locutio. *Quid enim cōmisit unquam?*] Per dissimulationem & occupationem quandam, quæ Antonius ipse cōmisit, in hunc locum congerit. *Sed quid est?*] Mirifice eorum quæ enumerauit scelerum ab Antonio confessionem extorquet. *Iudiciaria lex.*] De qua Philippica secunda & quinta dictum est.

A Cyda, Lysiade, Curio.] Nomina iudicum quos Antonius in tertiam illam suam iudicum decuriam allegerat, quorum descriptionem lege Philippica quinta. *Neq; tamen.*] Et hæc εἰρωνικῶς dicuntur. *Galliam, inquit, togatam.*] Gallia togata ea fuit regio ueteribus, quæ à Rubicone fluuio, siue, ut Plinius scribit, ab Ancona, Rauennam usq; protenditur: Comata uero, Transalpina Gallia dicta est omnis, præter Bracchatam (ut quidam censent) quæ alio nomine Narbonensis dicitur. In Gallia enim Comata sunt, Belgæ, Aquitani, & Celtæ, qui à Romanis proprio nomine Galli uocabantur. Comata dicta, ut Plinius testatur, à capillatis, id est comatis, incolis: ut Togata, à Romanorum toga. quanquam comatam & Bracchatam eandem esse pleriq; censent. *Non modo.*] Nedum, non tantum.

Ex delectu suo.] Hoc dicit Cicero de Antonio, ergo suo, id est Antonij. *Huius comitijs.*] Antonij scilicet, de quibus comitijs Philippica tertia: Intelligit enim, ut arbitror, suam illam religiosam prouinciarum sortitionem, qua

C.fratri

C. fratri Macedoniã attribuit. C. frater.] *Nam tres fuisse fratres Antonios, supra iam diximus.* Est enim A
iam annus, ut repulsam tulit.] *Hæc dicit ipse Cicero, quæ sequuntur, Antonij uerba sunt. Et admirabiliter diluit Antonij petitionem Cicero ex minore, in hunc modum: Si frater Antonij Caius repulsam tulit consulatus, multo magis repulsam ferre debet M. Antonius longe deterior Caio. Verum non ita dicit omnino, sed cum quadam ironia, hoc modo: ut repulsam tulit frater, ita ut ipse obtineam. Sunt tamen qui illa uerba sic legunt, eaq; inclusa parenthesi. C. Frater (eius est enim annus) iam repulsam tulit: quæ lectio si cui placet, satis est aperta.* At istud uetat lex &c.] *Refellit Antonij petitionem, ex lege Cæsaris, quam se defendere uideri uolebat Antonius, & ipsius Antonij. Nam Cæsaris lege cauebatur, ne prætoriæ prouinciæ plus quàm annum, neu plus quàm biennium consulares obtinerentur. Antonius uero legem tulerat, ut prætoriæ biennium, triennium consulares tenerentur. Nunc quinquennium, prouinciam obtinere uult. Ergo tyrannice agit, & omnia pro sua libidine immutat.*

Hæc tu mandata L. Piso, & tu L. Philippe, principes ciuitatis non dico animo ferre, uerũ auribus accipere potuistis? Sed ut suspicor, terror erat quidam: nec uos ut Legati apud illum fuistis, nec ut Consulares, nec uos uestram nec Reip. dignitatem tenere potuistis, & tamen nescio quo pacto, sapientia quadam credo, quod ego non possum, non nimis irati reuertistis. uobisq; M. Antonius nihil tribuit, clarissimis uiris, legatis populi Romani: nos quid non legato Antonij, Cotylæ concessimus? cui por- B
tas huius urbis patere ius non fuit, huic hoc templum patuit: huic aditus in Senatum
fuit: †hic hesterno die sententias nostras in codicillos, & omnia uerba †referebat: huic *al. huic Cotulæ*
se etiam summis honoribus usi, contra dignitatẽ suam uenditabãt. O dij immortales, *externo senten*
quàm magnum est personam in Repub. tueri principis: quæ non animis solum debet, *tias &c.*
sed oculis seruire ciuium. domum recipere legatum hostium, in cubiculum admitte- *al. referebant*
re, etiam †reducere, hominis est nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. *al. deducere*
Quod autem est periculum? nam si maximum in discrimen uenietur: aut libertas †par *al. parata*
ta est uictori: aut mors exposita uicto. quorum alterum optabile est: alterum effugere nemo potest. turpis autem fuga mortis, omni est morte peior.

Hæc tu mandata.] *ἀποστροφὴ ad legatos, qua illorum inconstantiam reprehendit & indignitatem. De his ipsis legatis, ad Cassium scribens Epist. Fam. lib. 12. sic queritur. Nihil autem fœdius Philippo & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi ut Antonio ex Senatus sententia certas res nunciarent, cum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.* Non dico animo ferre.] *Ex minore reprehendit. nam si auribus accipere, id est audire Antonij mandata malum fuit, multo minus animo ferre, id est amplecti, probare & pati de-* C
buerunt. Sed ut suspicor.] *Ita excusat, ut tamen uehementer reprehendat.* Dignitatem tenere.] *Tueri, seruare, retinere, decorum, πρέπον appellant Græci.* Sapientia quadam credo.] *Stoicorum disciplina, qui irasci uetant sapientem. est tamen ironia.* Quod ego non possum.] *Quam rem ego nequeo facere, uidelicet ut non sim iratus Antonio. non enim tam sum Stoicus, aut tam sapiens.* Reuertistis.] *Redijstis. nam & reuerto & reuertor dicimus.* Vobis M. Antonius.] *Contentione ostendit quantum peccatum sit, in accipiendo Antonij legato: cuius legati nomen expressit, ad facti turpitudinem exaggerandam.* Quid non concessimus?] *Nihil negauimus, omnia concessimus.* Cui portas.] *Ex minori, facti indignitatem declarat.* Huic hoc templum patuit.] *Romani semper in templo Senatum habebãt, ad quod alludens Vergilius dixit in 7. Aen. Hoc illis curia templum.*
Huic aditus.] *Obserua in hac exaggeratione indignitatis, repetitiones non modo uerborum, sed etiam sententiarum, dum idem subinde uersat orator.* Hic, externo die.] *Hunc locum sic legit Budæus in cõmentarijs linguæ græcæ: Huic Cotulæ externo sententias nostras in codicillos, & omnia uerba referebãt, ut Cotulam siue Cotylã externum hominem non Romanum intelligamus: cui Cotulæ, Antonij amici in codicillos Senatus sententias referrent, ut ei sese uenditarent, & gratificarentur.* In codicillos referebant.] *In tabellas & libellos, ut ad Antonium referret, & ei singulorum sententias indicaret. Et attende indignitatẽ, hostis legatum interesse, dum sententiæ de re ipsius dicuntur, singu-* D
lorum sententias excipere, notare, in codicillos referre. Summis honoribus usi.] *Principes Senatus, consulares uiri, sic infra: quanquam hoc honore usi togati esse solent. male igitur legunt quidam, HI, pro, VSI.* Venditabant.] *ἐπωλοῦντο. quo uerbo usus est in hac significatione Demosthenes Philippica prima. Venditabant igitur, id est iactabant, ostentabãt, placere & cõmendari studebãt, sententias suas ad eius fauorẽ attemperantes, ac ueluti lenocinantes. translatio est à mercatoribus sumpta, uel à lenonibus & scortis.* O dij immortales!] *Exclamat in rei indignitatẽ, & mouet indignationem.* Quàm magnũ.] *Quàm arduum atq; difficile, ac si quis id facere tenereq; possit, quàm magnum, amplum, & honorificum est.* Personam in Rep. tueri principis.] *Dignitatem & decorum, & quasi grauitatem Consularis retinere. Locus cõmunis de dignitate, decoroúe in magistratu seruando.*
Quæ non animis solum.] *Vt existiment eum iustum, uigilantem, constantem.* Sed oculis.] *Dignitate retinenda, & principis decoro conseruando, in sermone, in sententia dicenda, incessu, statu, motu, cõsuetudine, & alijs quæ in oculos hominum incurrunt.* Domum recipere legatum hostium.] *Declarat quæ sint quibus consulares illi, oculis ciuium non seruierint.* In cubiculum admittere.] *Ad occultum colloquium.* Etiam reducere.] *Ex foro & curia domum, honoris causa.* Hominis est.] *Animi infirmitatem, & indignum quendam metum in con-*

A *ſularibus reprehendit.* Quod autem eſt periculum?] *Dilemmate ſiue complexione, oſtendit, fruſtra periculum timeri.* Maximum in diſcrimen.] *In certamen & pugnam, de ſumma rei.* Alterum optabile.] *Libertas qua nihil optabilius.* Alterum effugere nemo poteſt.] *Mortem ſcilicet, nam ut Ouidius canit:*

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:
Omnia ſub leges mors uocat atra ſuas.

Item Horatius Ode 4. lib. 1.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumq́; turres, ô beate Seſti. Item Ode 2. lib. 3.
Dulce & decorum eſt pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur uirum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq́; tergo.

Itaq; cum ſit omnibus definita mors (ut Cicero pro Seſtio dicit) Optandum eſt, ut uita quæ neceſsitati debetur, patriæ potius donata, quàm reſeruata naturæ uideatur. Turpis autem fuga mortis.] *Sententia. Nam mors honeſta (ut Cicero ipſe pro Quintio dicit) ſæpe uitam turpem exornat: (Vn bel morir tutta la uita honora, dixit ex hoc loco F. Pe-* B *trarcha) uita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. Ac præclare idem Cicero in Epiſtolis Fam. Nunquam honeſta mors (inquit) fugienda, ſed etiam appetenda. Tunc autem turpis eſt mortis fuga, & contrà, honeſta mors, cum aut pro patria, & libertate, aut pro uera religione, deiq́; aſſerenda gloria, oppetendum eſt.*

Nam illud quidem non adducor ut credam: eſſe quoſdam, qui inuideant alicuius conſtantiæ: qui laboribus: qui eius perpetuam in Rep. adiuuanda uoluntatem, & à Senatu & à populo Rom. probari moleſte ferant. omnes id quidem facere debebamus: eaq; erat non modo apud maiores noſtros, ſed etiam nuper ſumma laus Cõſularium, uigilare, cogitare, adeſſe animo, ſemper aliquid pro Rep. aut facere, aut dicere. Ego Q. Scæuolam augurem memoria teneo bello Marſico, cum eſſet ſumma ſenectute, & perdita ualitudine: quotidie, ſimulatq; luceret, facere omnibus conueniendi ſui poteſtatem. neq; eum quiſquam illo bello uidit in lecto, ſenexq́; & debilis primus ueniebat in curiam. huius induſtriã maxime equidem uellem ut imitarentur ij, quos oportebat. ſecundo autem loco, ne alterius labori inuiderent.

C Nam illud quidem.] *De ſe loquitur Cicero, ſed quo minus inuidioſa ſit eius oratio, tanquam de alio loquitur: atq; omnem quorundam in ſe inuidiam, in ſenatorium munus confert, cuius cauſa nihil non ferendum & faciendum eſt ab omnibus. Atq; ita delabitur in locum cõmunem, de conſularium officio & munere.* Ego Q. Scæuolam augurem.] *Ab exemplo munus eſſe conſularium quod dixit, oſtendit. Hic eſt ille Q. Mutius Scæuola augur, P. filius, quo præceptore in iure ciuili uſus fuit Cicero, ut ipſe de claris oratoribus ſcripſit, à cuius latere ſe quoad poſſet & liceret non diſceſsiſſe in Lælio idem teſtatur. Hic in Mariana clade, cum eſſet Pontifex Max. ad Veſtæ aram occiſus eſt.* Bello Marſico.] *Quod contra Marſos Italiæ gentem geſtum eſt, tempore belli ſocialis, quod & Italicum bellum dicitur. Vide Liuium, & Florum.* Memoria teneo.] *Memini, recordor, circuitio eſt.* Cum eſſet ſumma ſenectute.] *Id eſt admodum ſenex, ætate decrepita, ſiue extrema. quoniam ſeniſsimus dicere non licet.* Et perdita ualetudine.] *Id eſt deplorata, & deſperata ſanitate, quoniã inſanabili podagræ morbo laborabat.* Simulatq; luceret.] *Quod dicunt indiſerti, ubi dies factus eſſet.* Senexq́; & debilis.] *Quod dixit: ſumma ſenectute, & perdita ualetudine.* In Curiam.] *In Senatum, qui in Curia Hoſtilia præſertim haberi conſueuerat.* Huius induſtriã.] *Id eſt honeſtum laborem & ſedulitatem.* Secundo autem loco.] *Ita ferè loquitur Cicero, pro eo quod alij dicunt, Secundò, ſine adiunctione.*

D Etenim P. C. cum in ſpem libertatis ſexennio ſimus ingreſſi, diutiusq́; ſeruitutem perpeſſi, quàm captiui frugi & diligentes ſolent: quas uigilias, quas ſollicitudines, quos labores liberandi populi Rom. cauſa recuſare debemus? Equidem P. C. quanq; hoc honore uſi, togati eſſe ſolent: cũ eſt in ſagis ciuitas, ſtatui tamen à uobis, cæteriſq; ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaq; perturbatione Reipublicæ, non differre ueſtitu. non ita gerimus nos hoc bello Conſulares, ut æquo animo populus Rom. uiſurus ſit noſtri honoris inſignia: cum partim è nobis ita timidi ſint, ut omnem ij populi Rom. beneficiorum memoriam abiecerint: partim ita à Repub. auerſi, ut huic ſe hoſti fauere præ ſe ferant: legatos noſtros ab Antonio deſpectos eſſe & irriſos, facile patiantur: legatum Antonij ſubleuatum uelint. huic enim reditum ad Antonium prohiberi negabant oportere: & in eodem excipiendo ſententiam meam corrigebant. quibus geram morem. redeat ad Imperatorem ſuum Varius: ſed ea lege, ne unquam Romam reuertatur. Cæteris autem, ſi errorem ſuum depoſuerint: & in Reip. gratiam redierint: ueniam, & impunitatem dandam puto.

Etenim

Etenim P.C.] Delabitur in adhortationem. Sexennio.] Ex quo cœptum est à Pompeio & bonis omnibus A *pugnari pro libertate. non recte interpretātur qui sexennio intelligūt, à morte Iulij Cæsaris, cum uix annus esset, id quod Antonij atq; Hirtij consulatus ostendunt. nam paulo ante Cal. Ianuarij Hirtius & Pansa, fugato Antonio, consulatū inierant. Quàm captiui frugi.] Ergo captiuis ipsis deteriores, quæ comparatio ualet ad incutiendum pudorem.*

Equidem P.C.] Rationem reddit cur sagatus sit, cum togatus esse posset. Hoc honore usi.] Id est consulares. nam id solis consularibus tribuebatur, ut togati essent soli, cum reliqui in sagis erant. Statui tamen.] Suo exemplo docet quid alijs faciendum sit. Ac duas causas affert cur ita faciat: quarum altera est temporis atrocitas, quæ nemi nem eximit: altera, inuidia qua laborant consulares apud populum, ex eo quod consulari munere non recte fungantur. nam partim timidos esse uidit populus, partim Antonij gratia corruptos. Quare quo retineatur populus in cœpto ardore, aliquos oportet esse consulares, qui constantiam præ se ferant, & Reipub. amorem. Legatos nostros.] Amplificat contentione, despectos, subleuation. Huic enim reditum.] Sententia erat Ciceronis ut Cotyla retineretur, ne rediret ad Antonium. Quibus geram morem.] Acquiescam, morigerabor, hoc cum indignatione dicit Cicero, quod sequentia indicant. Varius.] L. Varius Cotyla uocabatur. Maturantius putat Varium alium esse à Cotyla: hosq; duos fuisse Antonij legatos. Sed eum errare præter Ciceronem, qui Philip. 13. eum Cotulam Varium nominat, ostendit Plutarchus in Antonio. Varius, inquit, cognomento Cotula Antonij legatus.

Quas ob res ita censeo: eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, B & aut ad Pansam, aut ad Hircium consules, aut ad Decimum Brutum Imperatorem, Cons. designatum, aut ad C. Cæsarem proprætorem, ante Idus Martias primas adierint: eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint. si quis eorum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit: quo honore, præmioúe quis dignus esse uideatur, uti C. Pansa A. Hircius consules alter, amboúe, si eis uideatur, de eius honore, præmioúe, primo quoque die ad Senatum referant. si quis post hæc ad Antonium profectus fuerit, præter L. Varium, Senatum existimaturum eum contra Remp. fecisse.

Quas ob res ita censeo.] Peroratio in qua Cicero sententiam suam dicit, & decretum facit. Eis fraudi ne sit.] Eis ne noceat, neq; uitio detur. Ante Idus Martias primas.] Quædam exemplaria, primas non habent. tamen quoniam ita loquebantur antiqui, mihi non displicet. nam eam uocem primas addebant, ut certius tempus designarent. ut etiam illa, primo quoq; tempore. Vere primo, uere nouo. Cato de re rustica bis dixit: ante Cal. Ianuarias primas: Item Liuius 23. ab urbe condita libro: Vt frumenta omnes ex agris ante Calendas Iulias primas, in urbes munitas conuehe rent. Item lib. 42. Qui ex castellis, inquit, deditis, in libertatem restitutus ante Calendas Sextileis primas non esset. C *Sunt & alij autores qui ita scribunt, quos nunc prætereo, ne manifestis lectorem oneremus. Primo quoq; die.] Primo quoq; die, primo quoq; tempore, locutiones antiquis usitatæ, pro, quocunq; die, quocunq; tempore usum fuerit, aut pro, quamprimum.*

IN PHILIPPICAM NONAM ARGVMENTVM.



CVM esset lex Romæ, ut ijs qui in legatione Reip. interfecti essent, statua in Rostris poneretur: & Seruius Sulpitius in ipsa ad M. Antonium Mutinam obsidione graui prementem, legatione, cum iam in Antonij castra peruenisset, morbo, quo Roma proficiscens, totoq; itinere illo difficili laborauerat, confectus, diē suum obijsset, ac de honore ei habendo, in Senatu ageretur: C. Pansa consul, & M. Tullius statuam ei decreuerunt. Huic sententiæ P. Seruilius intercessit: quod lege nulli, nisi ei qui in legatione interfectus esset, statua poni deberet. Ac, ne omni honore Sulpitium priuare uelle uideretur, sepulchro publico honorandum (quasi is honos statua posita minor esset) & ornandum censuit. Huius igitur sententiam refellit Cicero hac oratione, suadetq; Sulpitio statuam pedestrem æneam in Rostris ex decreto Senatus statuendam esse: & sepulchrum quoq; cum Elogio de publica pecunia faciendum, idq; ex sententia & uoluntate maiorum, qui non genus mortis, sed causam spectari uoluerunt. Hic est ille Seruius D *Sulpitius Orator post M. Tullium primus: Hic est ille Sulpitius iurisconsultus, qui in iure ciuili 180. libros reliquit, cui ut Digest. lib. 1. De origine iuris Pomponius ait, cum in legatione perijsset, statuam populus Rom. pro Rostris posuit.*

CAVSA.

Suasoria est hæc oratio. suadet enim statuam Sulpitio ponendam. Quod si laudatur Sulpitius, hoc fit generis demonstratiui affinitate, ut ex eo assumantur quæ suasionem iuuare possint.

STATVS.

Status scripti & uoluntatis est, qui legitimus à Cicerone in Topicis appellatur, in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo controuersia, quæ tum explicatur, cum ea uerba quæ desunt suggesta sunt, quibus additis, defenditur sententiā scripti perspicuam fuisse. Atq; hic status scripti & uoluntatis qualitate continetur, estq; eius pars, ut Cicero sub Antonij persona lib. 2. de Oratore docet. Omnes enim constitutiones, præter coniecturam & definitionem, qualitati tanquam generi subijciuntur, quod pleriq; non intelligentes, partes cum generibus miscuerunt, feceruntq; plures status quàm tres, contra Ciceronis apertam in ijs quos postremos scripsit libris sententiam atq; doctrinam. Existit igitur, ut ad rem redeam, ex scripto & sententia quæstio, dum sententiam legis, & uoluntatem maiorum Cicero, Seruilius autem scripturam defendit. Quæritur enim an cum lex sit, ut ijs qui in legatione interfecti fuerint, statua ponatur: Sulpitio, qui in legatione mortuus est, non interfectus, sit statua ponenda. Cicero ponendā esse dicit, idq; confirmat ex causis, ut postea uidebimus.

A

FORMA DICTIONIS.

Dicendi genus subtile est, & uix mediocre. uersatur enim in legis & exemplorum interpretatione: deinde in narrationibus quibusdam quas sermone penè quotidiano & familiari conficit. Quanquam assurgit nonnihil, ubi Sulpitiũ laudat, & ubi Seruilij sententiam refellit. Est tamen suauis hæc oratio, & aliquot funebris laudationis locis colorata: proinde ex ea fructum non mediocrem diligentes capient auditores.

COLLOCATIO.

Ordo & dispositio partium naturalis est. habet enim sex illas orationis usitatas partes, eoq; ordine collocatas, qui in præceptis artis traditur. Exorditur enim, deinde narrat, sed utrunq; breuissime, nam partes aliquas narrationis spargit & in reliquam orationem, ad miserationem permouendam. Narrationi subijcit diuisionem quandam siue potius seiunctionem, quam acutæ ac subtiles sequuntur rationes, quibus & suam sententiã confirmat, & refutat contrariam. Atq; hæc omnia concludit honorifica sententia, de statua & sepulchro Sulpitio decernendo.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA NONA.

B  ELLEM dij immortales fecissent P. C. ut uiuo potius Ser. Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. nec uero dubito, quin si ille uir renunciare legationem potuisset, reditus eius & nobis gratus fuerit, & Reip. salutaris futurus. non quod L. Philippo, & L. Pisoni aut studiũ, aut cura defuerit in tanto officio, tantoq; munere, sed cum Seruius Sulpitius ætate illis anteiret, sapientia omnibus: subito † ereptus totam legationem orbam & debilitatam reliquit. Quod si cuiquã iustus honos habitus est in morte legato, in nullo iustior quàm in Ser. Sulpitio reperietur. cæteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum uitæ periculum, sine ullo mortis metu profecti sunt: Seruius Sulpitius cum aliqua perueniendi ad M. Antoniũ spe profectus est, nulla reuertendi. qui cum ita affectus esset, ut si ad grauem ualetudinem labor uiæ accessisset,

al. ereptus è causa, totam

C sibi ipsi diffideret, non recusauit, quo minus uel in extremo spiritu, si quã opem Reip. afferre posset, experiretur. itaq; non illum uis hyemis, non niues, non longitudo itineris, non asperitas uiarum, non morbus ingrauescens retardauit: cumq; iam ad cõgressum colloquiumq; eius peruenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura & meditatione obeundi sui muneris, excessit è uita.

Vellem dij immortales fecissent.] Exordium est officiosum à desiderio Ser. Sulpitij, ex quo beneuolentiam sibi conciliat Orator. Cum enim tam pium erga eos qui in maximis Reip. muneribus defuncti sunt, Ciceronem uident: eadem & ipsi sperant in huiusmodi causa, quæ alijs exhiberi cernũt: idcirco ad eos qui hæc faciunt amandos impelluntur ij qui nullo inuidiæ morsu tanguntur. Hanc autem figuram quoniam animi desiderium significat, Cicero in tertio de Oratore optationem appellauit: alij uotum: Græci εὐχήν. Habet enim hic significationem doloris: alias etiam indignationis, ut in Catilinam oratione prima: Vtinam dij immortales tibi istam mentem darent. Vt uiuo potius.] Contrarijs & similiter desinentibus, concinnam & suauem reddit orationem. Nec uero dubito.] Rationẽ subijcit cur optet uiuum Sulpitium: nimirum quod tum gratus Senatui, tum salutaris Reipub. eius reditus fuisset futurus. gratus, quòd ab omnibus amabatur optimus uir: salutaris, propter eius sapientiã & usum rerum, quibus reliquis omnibus præstabat, quibusq;

D *Rempublicam præclare iuuare potuisset. Et obserua, Nec uero, pro, Nec enim, quod à Cicerone crebro usurpatur.*

Legationem renunciare.] ἀπαγγέλλειν, hoc loco, id est legationem obire, ac nobis quæ in legatione egisset, referre & declarare. In quo latenter notat cæterorum perfidiam legatorum, & male obitam legationem, quod & supra in alijs orationibus apertè fecit. Non quo.] Occupatione mollit & mitigat quod dixit, & uitat offensionẽ aliorum legatorum, hac dicti sui interpretatione, tanquam dicat: Non hoc dico, quo de reliquis legatis male suspicer, sed &c. Et uide Ciceronem ferè dicere, Non quo: quod alij dicunt Non quod. Velut in Epist. Famil. lib. 2. ad Curionem: Vnum illud nescio, inquit, gratulerne tibi an timeam, quod mirabilis est expectatio reditus tui: non quo uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non respondeat, &c. Sed cum Ser. Sulpitius.] Coniecturæ locus ab ætate Sulpitij atq; sapientia, quibus confirmat quod dixit: Sulpitij reditum Reip. salutarem futurum. Nam uerisimile est, qui ætate & sapientia cæteros anteit, eum meliora consilia daturum. Aetas enim usum & peritiam multarũ rerum habet: sapientia uero quæ moderatrix omnium rerum & negotiorum dicitur, consilium, rationem, & perspicientiam, & sententiam in rebus agendis suppeditat: & utrunq; magnam conciliat homini autoritatem, quod qui & usu & prudentia ualent, ij omnibus numeris absoluti, ac tanquam dij quidam esse putantur. Quod autem Cicero ætati grandiori adiungit sapientiam, id fit, quòd ferè ætatem (nisi in quibusdam qui potius de genere pecudum sint quàm hominum) sapientia comitetur: quæ nisi esset in senibus, ut Cato apud Ciceronem disputat, non summum consilium maiores nostri appellassent Senatum. Apud Lacedemonios

demonios quidem ij, qui amplissimum magistratum gerebant, ut erant, sic etiam appellabantur, senes. Quin & Paulus A
ille magnus gentium doctor, dum ecclesias, hoc est ciuitates Christianas cõstituit, πρεσβυτέρους, id est reliquis seniores,
& planè senes, ciuitatibus præficit, qui consilio & sapientia ecclesiã moderentur. Et recte quidem: nam propriè si loqui
uolumus, Temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis. Aetate illis anteiret.] Vtroq; modo dixerunt ue-
teres, & anteire illis, & illum. de Off. lib. 2. Admiratione quadam uero afficiuntur ij, qui anteire cæteros uirtute putan-
tur. Item de Claris orat. Cõsules, qui omnes intelligentia anteibant. Illud uero perquam rarum, quod pro Sylla usurpauit:
Nec se æquales tui propter istam causam abs te anteiri putant, id est uinci, superari. Aliud enim est itur à me, id est eo: a-
liud tu anteiris à me. hoc enim passiue omnino, ut grammatici loquuntur, hoc est in patiendi significatione usurpatum est,
quod ijdem grammatici fieri posse negant: cum Eo sit unum ex ijs uerbis quorum actio in alium non transit: uerum actio
& perpessio in uno eodemq; consumitur. Ex quo illud admonemur, nos diligentiores esse debere in ueteribus & illustri-
bus scriptoribus perlegendis & notandis, quàm in grammaticorum sterilibus plerũq; præceptis morose & superstitiose
obseruandis. Anteire uero, ut ad id redeam, excellere, præcellere, præstare, superare significat. Sapientia omni-
bus.] Hoc dicit propter eius in iure ciuili excellentem scientiam, ex qua post illum uehementer laudabit. Omnes, inquit,
qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non
sunt comparandi. Philosophiam autem & sapientiam, iurisprudentiam recte dici testantur ueteres iurisperiti in Pande-
ctis libro primo, de Iustitia & iure: Nam lege prima ueram philosophiam non simulatam uocant. Et legẽ 10. Iurispru- B
dentiæ eandem definitionem adhibent, quam sapientiæ definitionem Cicero & alij esse uoluerunt: sic enim definiunt: Iu-
risprudentia est diuinarum & humanarum rerum notitia, iusti atq; iniusti scientia. Ex his constare puto cur Cicero sa-
pientiam, iuris ciuilis intelligentiam appellarit. Subito ereptus è causa.] Id est antequam obire & renunciare
legationem suam potuerit ablatus & mortuus, & in ipso legationis cursu interceptus. Totam legationem or-
bam.] Quasi filiam à parentis & tutoris morte destitutam & derelictam. Translatio est à filijs qui parentibus ante-
quam adoleuerint priuantur. est enim orbare propriè priuare oculis: idcirco qui re charissima priuantur, orbi dicuntur.
Quoniam uero nihil charius parentibus est, quàm sui liberi: nihil item charius debet esse liberis adhuc paruulis parenti-
bus, utriq; alteris amissis orbi dicuntur. Sed parentes ἄτεκνοι, liberi ὀρφανοὶ à Græcis appellantur: nos uno uerbo,
inopia scilicet, utrunq; significamus. Pupillus autem is dicitur, qui desijt esse in patris potestate, uel morte, uel emancipa
tione, ut ait Pomponius De rerum & uerborum significatione, L. Pupillus. hunc etiam ὀρφανὸν uocant Græci, in hoc
uidelicet inopes uerborum, quemadmodum nos in illo. Et debilitatam.] Quasi mutilatam & imperfectam.
translatio ab animalium corporibus sumpta, quæ membro aliquo mutilata & diminuta, debilia sunt & imperfecta.

Quod si cuiquam.] Propositio est totius orationis, quam statim contentione amplificat. Seruij Sulpitij mors, ma-
iore est honore afficienda quàm cæterorum legatorum qui in legatione perierunt. Ergo Ser. Sulpitio statua & sepul-
chrum sunt decernenda. Cæteri qui in leg. mortem obierunt.] Quoniam quo quisq; animo & spe aliquid fece- C
rit ponderandum est, ut ipse Tullius in primo De officijs docet: & quo quidq; difficilius, hoc pulchrius, idcirco Orator,
eorum qui in legatione mortui sunt animum, cum Sulpitij comparat uoluntate, ac difficiliorem & periculosiorem cau-
sam Sulpitij facit, quàm aliorum, ut ex eò maior eius laus uideatur. Ad incertum uitæ periculum.] Ea tantum
metuentes, quæ omnes possunt metuere, qui sani & integra ualetudine sunt. Hi enim, etiam si fieri possit, ut eis aliquid
humanitus accidat, nihil tamen habent certi quod metuant, nec est ulla euidens metuendi causa. Ser. Sulpitius
cum aliqua.] Altera pars cõparationis, qua amplificat Sulpitij factum, ab eius animo & certo uitæ periculo: quod cum
discederet, cogitare potuit, fieri posse ut ad castra Antonij perueniret, Antonioq; Senatus mandata, quod maximopere
cupiebat, exponeret: uerum reuertendi nullam spem habere potuit, tum propter morbi grauitatem, tum propter Antonij
odium atq; furorem. Qui cum ita affectus esset.] Ita se haberet, ita ægrotaret, & graui ualetudine langueret.
Cum enim affectus sine casu auferendi usurpatur, ægrotum ferè significat, & quod uulgò dicunt, male dispositum. Ad At-
ticum lib. 14. Quod idem, inquit, L. Cæsari uidebatur, quem quidem Neapoli affectũ grauiter uideram: Id quod sequen-
ti epistola declarauit. L. quidem Cæsar, inquit, cum ad eum ægrotum Neapolim uenissem, &c. Atq; hoc modo sæpe utun-
tur medici elegantes, ut Cornelius Celsus, & alij, cum de locis affectis scribunt, uelut cum dicunt lienẽ aut iecur affectum,
& eiusdem generis alia. Propertius quoq; lepidus poeta, cum ita Iouem precatur: Iuppiter affectæ tandem miserere pu- D
ellæ. Interdum tamen affectus pro mœsto & animo ægro usurpatur, ut infra. Hic autem incipit breuissima expositio iti-
neris & mortis Sulpitij, sed assumptis exaggerata ad motus animorum excitandos. Vt si ad grauem ualetudi-
nẽ labor accessisset.] In tuenda bona ualetudine labor atq; exercitatio à Galeno laudatur, in iam aduersa eaq; graui la-
borantibus non semper. Sunt enim morbi quidam, sunt affectorum naturæ, quibus labor utilis sit: sunt rursum quibus per
niciosus, quies uero salutaris, quemadmodum in δυσεντερίαις, id est torminibus & alijs, in quibus uel intestina aliqua
uel uiscera exulcerata sunt, uel in morbis qui ualentiore motu aliquo inflammãtur & augentur. Equidem quantum con-
iectura assequor, mihi uidetur Sulpitius, non acuto aliquo morbo, sed lentiore & intestino laborasse, cuiusmodi sunt io-
cinoris & renum morbi, præsertim si ea uiscera sint exulcerata, aut δυσεντερία inueterata, in quibus morbis opor-
tet in primis conquiescere, ut Celsus & Galenus præcipiunt: siquidem omnis agitatio exulcerat. Cum igitur ad talem a-
liquem morbum, laborem etiam addiderit Sulpitius, non mirum si diutius ferre dolorem non potuit. Est enim dolor ut
Cic. Tuscul. 2. ait, motus asper in corpore à sensibus alienus: Labor uero etiam motus, siue functio quædam uel animi uel
corporis, grauioris operis & muneris. Galenus lib. 2. De sanitate tuenda, laborem ab exercitatione non distinguit, quod
qui fodiunt, qui metunt, qui equitant, qui pugnant, non laborent modo, sed etiam exerceantur, cõmuni saltem exercita-
tionis appellatione. Sibi ipse diffideret.] De salute & uita sua desperaret, non confideret se diu superfuturum.

Vel in extremo spiritu.] Id est, etiam penè animam agens, morti proximus, & uix extremum spiritum ducens.

A *Experiretur.*] *Tentaret, periculum faceret, periclitaretur. Hoc uerbo plurimum etiam utebantur in foro, & in iudicijs, pro litigare, & disceptare, iure contendere, agere. ut pro Quintio: Fuit procurator, qui cum experiri posset. Item, pro eodem, Experiri summo iure. Item pro Celio: Qui nunquam, ne congressu quidem & constituto, cœperunt de tantis iniurijs experiri. Et sine casu: pro Quintio: Ego experiri non potui. Hoc uerbum frequens est in iure ciuili præsertim in edictis prætorum. ut Digest. lib. 47. De ui bon. rapt. L. 2. & L. 4. Item De incendio, L. 1. Quo primum, inquit prætor, de ea re experiundi potestas fuerit. Et ibidem Vlpianus: Nam si quis se uim passum docere possit, publico iudicio de ui potest experiri.* *Non illum uis hyemis.*] *Ex uerbo dilatat orationem, quod quidem facit enumeratione eorum quæ iure Sulpitiũ ab illa legatione deterrere poterãt. Verbũ est: Nihil eum retardauit. reliqua sunt ad dilatandum assumpta.*

Vis hyemis.] *Frigoris magnitudo. nam mense Ianuario profectus est.* *Non niues.*] *Quæ in Apennino eo tempore multæ & prealtæ esse solent.* *Non longitudo itineris.*] *Distat enim Mutina ab urbe Roma ducenta millia passuũ, hoc est itinere septem ferè dierum equiti expedito.* *Non asperitas uiarum.*] *Est quidem illud iter difficile per abrupta Apennini iuga, siquidem per uiam Cassiam iter fecit, quod mihi uerisimile fit, propter mentionem uiuũ & asperitatis. Nec tamen reliquæ duæ, Flaminia scilicet, & Aurelia, faciles sunt, de quibus uis plura in Philip. 12.*

Non morbus ingrauescens.] *Id est augescens, qui uel solus ab eo itinere eum debuisset deterrere & remorari: etiam si reliqua omnia facilia fuissent. Auxit autem orationẽ negationis crebra repetitio, quam figuram Græci Rhetores, tum*

B *ἐπιβολήν, tum ἐπαναφορὰν uocant.* *Cumq; iam ad congressum.*] *Quo magis extet causa mortis Sulpitij, facit eum in sui muneris meditatione, & legationis altissima cogitatione, è uita discessisse. Nihil enim inimicius homini ægroto, quàm animi illa intentio, & grauior cogitatio, ut Medici omnes testantur.* *Ad congressum colloquiumq; eius.*] *Cum iam ad Mutinã, ubi erat Antonius peruenisset, & se ad Senatus mandata exponenda intentus omnibus animi uiribus compararet. Congressus est itineris & præsentiæ corporum, (à congredior enim fit congressus & congressio) colloquium uero sermonis & orationis. Pro Sestio: omnes aditum, sermonem, congressum tuum fugiunt. Item Acad. lib. 4. Quasi uero clarorum uirorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leuiorum. Item in Oratore ad Brutum: Congressus nostros, inquit, consuetudinem uictus, sermonesq; doctissimos requiro. Ex quibus perspicuum fit, aliud esse congressum, aliud colloquium. Congressio tamen interdum pro colloquio usurpatur, ut de Off. lib. 1. Sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium uersetur. Item in Topicis. Amori congressio causam attulit, amor flagitio.* *Excessit è uita.*] *περίφρασις, pro, mortuus est, occidit.*

Vt igitur alia, sic hoc Pansa præclare, quod nos ad ornandum Ser. Sulpitiũ cohortatus es, & ipse multa copiose de illius laude dixisti. quibus à te dictis nihil præter sententiam dicerem, nisi P. Seruilio respondendũ putarem, qui hunc honorẽ statuæ ne-
C mini tribuendũ censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem Patres conscripti sic interpretor sensisse maiores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. etenim cui legatio ipsa mortis causa fuisset, eius monumentum extare uoluerunt: ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. non igitur exempla maiorum quærenda, sed consilium est eorum, à quo ipsa exempla nata sunt, explicandum.

Vt igitur alia.] *Abrumpit narrationem, ut transeat ad causam, & Seruilij reprehensionẽ: quo facto ad reliqua exponenda redibit. Idcirco autem narrationem spargit, ut ea tanquam fundamento utatur, non solum ad fidem faciendam, uerum etiam ad animos permouendos. Renouat autẽ oratoriẽ propositionẽ antea positã, occasione sumpta à Pansæ oratione & sententia.* *Nihil præter sententiam dicerem.*] *Excusat longiorẽ orationẽ in dicenda sententia, quòd cogatur P. Seruilio respõdere, qui non simpliciter quoq; sententiã suã dixerat, sed eam lege & exemplis contrà munierat.*

Ego autem P. C.] *Seiunctio hæc est, & partitionis species quædam, qua quid sibi cum aduersario cõueniat, & quid in cõtrouersia relinquatur, ostendit. Ea ualet ad docilitatem.* *Sic interpretor sensisse maiores nostros.*] *Constituat*
D *ipse causam, ex quo constat, statũ esse scripti & sententiæ siue uoluntatis, ut diximus. Interpretatur enim legem à P. Seruilio laudatã, exemplaq; maiorũ de ijs qui in legatione essent interfecti, & quæ fuerit eorũ uoluntas & mens, ostendit.*

Vt causam mortis.] *Sapienter interpretatur Cicero legem, cum eam æquitate metitur. Si enim semper in apicibus literarũ manendũ sit, multa absurda sequantur necesse est. Stultũ est ubi mens & consiliũ scriptoris tenetur, uerba & literas persequi. Præclare Celsus Digest. lib. 1. L. 17. Titulo de legibus. Scire leges, inquit, non est uerba earum tenere, sed uim & potestatem, scilicet legum. Item ibidem L. 18. Benignius, inquit, leges interpretandæ sunt, quo uoluntas earũ conseruetur. Causa igitur mortis est, quæ hominẽ honore dignum facit, non ipsa mors: alioqui multi interfecti, ignominia afficiuntur, qui essent ornandi.* *Non genus.*] *Cum mors sit una, multæ tamen ad mortem uiæ, ut rectè ille dixerit,*

Mille modis leti miseros mors una fatigat.

Etenim cui legatio ipsa morti fuisset.] *Maiorum sententiam cõfirmat ex ea causa, quæ finis appellatur. Quodnam fuit consilium, quæ mens maioribus nostris, cum in legatione interfectis statuam decreuerunt? Vt in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius, cum uiderent sibi pro breui uita diuturnam memoriam paratam esse, & quandam immortalitatẽ. Cur aliorũ non mentionẽ fecerunt, qui sine uulnere & sanguine ob Remp. pereunt? quia neminẽ tam rudem & imperitum fore arbitrabantur, qui non intelligeret illos in lege ferenda causam mortis, non genus spectasse, uoluisseq; etiam statua ornari, qui in Reip. legatione quocunq; mortis genere interiret. Causa igitur habita, nihil de illorum mente & uoluntate est dubitandum. Itaq; cui legatio ipsa mortis causa extitisset, ei monumentũ decerni uoluerunt.*

Non igitur

Non igitur exempla.] Concludit argumentationem in hunc modum: Si mens & uoluntas maiorum tenetur, non sunt exempla quærenda. At uoluntas tenetur (eam enim ostendit & confirmauit) nõ sunt igitur exempla quærenda: A præsertim cum non consilium eorum & uoluntas ab exemplis, sed ex consilio exempla profecta sint. Consilium fuit, ut qui pro rep. interirent, publice ornarentur. quidam post fuerunt interfecti legati, eos ornarunt: ornaturi etiam si qui in legatione propter legationem alio mortis genere uel sine sanguine periissent.

Lartes Tolumnius rex Veientiũ quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit, quorum statuæ in Rostris steterunt usq; ad nostram memoriã. iustus honos. his enim maiores nostri, qui ob remp. mortem obierant, pro breui uita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octauij clari & magni uiri, qui primus in eam familiã, quæ postea uiris fortissimis floruit, attulit cõsulatum: statuam uidemus in Rostris. nemo enim tum nouitati inuidebat, nemo uirtutem non honorabat.

Lartes Tolumnius.] Exẽpla profert, ut ea interpretetur, & causæ seruire faciat. Lar, inquit Priscianus, si significat κατοικίδιον θεόν, id est domesticum & familiarem deum, siue genium, laris facit in genitiuo: sin autem regem Veientium, Lartis facit. Quanquam sunt & qui Lars scribant, seu Lartes. Cato autem in Originibus Italiæ, scribit à Tuscis Lartem summum regum dici. Et Ioannes Annius Viterbensis antiquitatum & studiosissimus & scientissimus, in cõmentarijs in Berosum sic scribit: Arthem Scythæ, Hetrusci autem propagati à Scythis Larthem proferunt, qui maximum significat. Hetruscis enim fuerunt duodecim reges, quos Lucumones Scythica lingua uocabant. His alium creabant regem B & dictatorem perpetuum, quem lingua, ut dixi, Scythica Arthem siue Larthem appellabant, quasi regem regum maximum, ut nunc appellant Pontificem maximum. Vnde adhuc in Liuio legimus, Tolumnium Veientem Larthem, Porsennam Clusinum Larthem: & in fragmentis quibusdam, Mezentium Larthem. Ex quo, inquit, existimo fuisse propriũ Hetrusci regis regum epitheton. Addit & multa alia, quibus mihi sanè probat quæ dicit: quæ si accipimus, non propriũ erit lars, siue larthes, sed Tolumnius: ut sic intelligamus, Lars Tolumnius rex Veientium, id est Tolumnius maximus rex Veientium. Veiens autem siue Vetentum fuit urbs eius gentis caput, quam Cato & alij Larthenianum antea uocatam ferunt, uerum à Romanis postea Veiens nominatam. Hinc Ioannes Annius multis coniecturis colligit, eam esse quæ hodie mutata prima tantum litera, Marthenianum appellatur, in colle sita, ut ueteres de Veiento scripsere: quæ item ab urbe distat circiter duodecim millia passus: & refellit eos qui Veientũ putent eam esse, quæ hodie Ciuitas castellana nominatur.

Quatuor legatos populi Ro. Fidenis interemit] Fidenæ urbs fuit in Latio in ea parte qua Sabini, non procul à Tyberi amne sita ab Ascanio constituta, olim magna Romanorũ colonia, nunc paruũ oppidum ab urbe Roma quinq; millia passus. Anno ab urbe condita cccxvij ad Lartem Tolumniũ Fidenæ defecere. Manus additũ defectioni scelus, quatuor legatos Romanos, qui mox à Cicerone nominabuntur, causam noui consilij quærentes, iussu Tolumnij interfecerũt. His statuæ pro Rostris positæ. Tolumnium postea A. Cornelius Cossus in pugna conspectum singulari certamine occidit, & legatorum manibus mactatum dedit. autor Liuius lib. 4 Ab urbe condita. *Iustus honos.*] Propter mortis causam. C nam in reip. munere, & pro rep. interfectus. *Pro breui uita.*] Breue est hoc totũ quod uiuimus, etiã si quis centũ uiuat annos, si cum perpetuitatis uel uncia cõparetur. Breues, inquit Iobus ille, sunt dies hominis. Diutius uiuunt multæ inter arbores, inter quadrupedes cerui, inter uolucres corui atq; cornices, quàm homo. Cui si nulla alia uita proposita sit, nihil infelicius homine. Verum optime prospexit summus rerum arbiter deus, qui pijs omnibus ueram proposuit immortalitatem, cuius immortalitatis umbram Romani secuti, gloriam & diuturniorem alicuius hominis memoriam monumento aliquo consecratam, instar immortalitatis habuerunt. Hinc est quod nunc dicit Tullius: Pro breui uita diuturnam memoriam reddiderunt. & paulo post: Reddita est ei tum à maioribus statua pro uita. Item: Perficite ut is quem ad mortem inscij misistis, immortalitatem habeat à uobis. Sed hæc in hisce orationibus popularibus: at in doctrina illa reconditiore, aliam statuit immortalitatem. ut in sexto De repub. lib. Sed quo sis Africane alacrior, inquit, ad tuendam remp. sic habeto, Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. *Cn. Octauij clari & magni uiri.*] Alterum exemplum, ex quo ostendit maiores, nõ mortis genus, sed causam spectasse in legatis ornandis. Sed ut melius hæc intelligantur, quæ de Octauiorum familia dicit Orator, pauca afferam ex antiquitatis memoria. Duæ fuerunt Octauiorũ familiæ, à duobus fratribus proseminatæ, Cneo et Caio, C. Rufi uiri equestris filijs. Et Cn. quidem Octauius, & ab eo reliqui omnes functi sunt honoribus summis: at Caius eiusq; D posteri in equestri ordine usq; ad Octauium, Cæsaris Augusti patrem, constitere. Illa autem altera ab Cneo familia tota interierat, adeo ut sola illius primi Cn. Octauij statua, ad tantæ familiæ memoriam, ut ait Cicero, superesset. De huius uero Cn. Octauij legatione sic Plinius in Nat. hist. lib. 34. cap. 6 scriptũ reliquit. Non præteribo, inquit, Cn. Octauiũ ob unũ uerbum. Hic regem Antiochum daturũ se responsum dicentẽ, uirga quam tenebat fortè, circumscripsit: & prius quam egrederetur circulo illo, responsum dare coegit. In qua legatione interfecto, senatus statuã poni iussit quàm oculatissimo in loco, in Rostris. In his uerbis uidetur Plinius à Cicerone dissentire, qui circumscriptũ uirga à C. Popilio Antiochũ, in superiore Philippica dixit. Verum nulla inter eos, diligentius res antiquas inspicienti, dissensio inuenietur. siquidẽ uterq; Antiochum regem uirga circumscripsit, Popilius Antiochum illius Magni filium, cognomẽto Epiphanem, id est illustrẽ: Cn. Octauius Demetrij filium Sidetem, Magni nepotẽ: Popilij scilicet secutus exemplum, sed non pari euentu: siquidem hic Octauius, ut Cicero ait, interfectus fuit. *Nemo tum nouitati inuidebat.*] Nouitati, id est hominibus nouis, per denominationẽ, & rhetoricã hypallagen. Nouos aũt homines Romani, obscuros & ignobiles appellabant: hoc est per se cognitos, ut Cicero loquitur, nulla cõmendatione maiorũ: uel ut Appianus Alexandrinus interpretatur, qui à semetipsis nulla maiorũ dignitate claruerũt. Huiusmodi homines etiã à se orti, & terræ filij dicebantur. Inde nouitas dicta, pro ge-

A neris humilitate et obscuritate. Nouitas hæc Ciceroni à suis æmulis obijciebatur, ut uidere licet in Sallustij Inuectiua, quã
nec ipse Cicero inficiabatur. Nam Sallustio respondens: Ego, inquit, mea uirtute meis præluxi maioribus. Reprehẽdit aũt
hoc loco Orator quasi præteriens, sui temporis peruersa iudicia, in quibus nouorũ hominũ uirtus & industria, quæ pro
summa nobilitate & claritate habenda est, inuidia laborabat. Idem facit pro Sex. Roscio Amer. Videmus, inquit, quanta
sit inuidia, quantoq; in odio apud quosdam homines nobiles, nouorum hominum uirtus sit & industria. Itaq; etsi de Cn.
Octauio loquitur, qui & ipse homo nouus fuit, utpote qui primus in sua familia Cos. fuit, tamẽ de se oblique intelligit, qui
inuidia apud homines nobiles laborabat: & ostendit tales multum ab illis ueteribus differre.

At ea fuit legatio Cn. Octauij, in qua periculi suspicio nõ subesset. nam cum esset
missus à senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumq; populorũ: maximeq; ut
nepotẽ Antiochi regis eius qui cũ maiorib. nostris bellum gesserat, classes habere, ele
phantos alere prohiberet: Laodiceę in gymnasio à quodã Leptine est interfectus. red
dita est ei tũ à maioribus statua pro uita, quæ multos per annos progeniẽ eius honesta
ret: nũc ad tantæ familiæ memoriã sola restaret. atq; & huic, & Tullo Cluuio, & L. Ro
scio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui à Veientiũ rege cæsi sunt: non sanguis, qui profu-
B sus est in morte, sed ipsa mors ob remp. obita, honori fuit.

At ea fuit legatio Octauij.] Hoc respicit quod initio dixit, Cæteri qui in legatione mortẽ obierunt, ad incertũ uitæ
periculum sine ullo mortis metu profecti sunt: Ser. Sulpitius cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profectus est,
nulla reuertendi. quasi diceret, maius est quod Sulpitius ob remp. fecit, quã quod illi: quòd ille ad incertũ, hic ad certũ pericu
lum profectus est. igitur maiore esset honore afficiendus. Maior propositio omissa est, quòd facile intelligatur. Qui ma-
ius beneficiũ præstat, maiore dignus est præmio: aut, qui ad certũ pro rep. periculum proficiscitur uolens, his reliqua fa-
cile adiungi possunt. *Ad animos regũ persp.*] Id est, ad regũ Asiæ & ciuitatũ animos, consiliaq; explorãda. Agi
tarentne aliquas res nouas, consiliane de bello aliquo suscipiendo caperent: quid molirentur, quid agerẽt, quid cogitarẽt.
Faciebant Romani, quod & hodie faciũt reges & imperatores, atq; alij rerũ publicarũ principes. Nam permagni re-
fert ad futuri temporis cautionẽ, quid quisq; princeps agitet animo & consilijs intelligere: id quod sine legatis, sine ex-
ploratoribus, ijsq; callidis, fidis & solertib. effici nequit, qui inuestigent, subodorentur, subauscultẽt, subornent, submittãt,
ut nihil eos fugiat, nihil lateat, nihil fallat. Semper enim uigilãtes & prudentes publicarũ rerũ gubernatores & princi-
pes plus in huiusmodi res impenderũt, maiores sumptus fecerũt, quã uel in proprias uoluptates, uel in magna inertiũ et inu
tilium hominũ familia alenda. *Maximeq; nepotẽ Antiochi regis.*] Magni illius Antiochi, ut dixi, hic nepos fuit
C Demetrij filius. Nam Antiochus ille Magnus Syriæ rex, qui tot bella cũ Romanis gesserat, quẽ tandẽ magna belli cõten-
tione terra mariq; superatũ, intra montẽ Taurũ Romani regnare iusserũt, tres filios habuit, Seleucũ, cui cognomẽ Phi-
lopatro fuit, Antiochũ Epiphanẽ, & Demetriũ. Epiphanes is fuit, quẽ Antiochus Magnus pater Romanis cum fratre iu
niore Demetrio obsidem dedit: quiq; contra Iudæos multa bella gessit, & urbem Hierosolymã diu multumq; afflixit: &
in Aegypto multa callide & fraudulenter egit. Demetrius uero fratre Epiphane mortuo, regnũ occupauit, fratris inter-
fecto filio. habuit aũt hic Demetrius duos filios, Demetriũ & Antiochũ, cognomento Sidetem. Hunc arbitror eũ esse An
tiochi nepotẽ, cuius hoc loco mentionẽ facit Orator. *Classes habere.*] Idcirco hæc eũ regẽ Romani habere nolue
runt, ne bellũ cuiquã posset inferre. nã classe Asiani reges plurimũ ualuerũt, & elephãtis, quemadmodũ etiã Afri pluri
mũ in bellis utebãtur: in quorũ dorso impositis militibus, acies hostiũ perturbabãt, ut nũc bombardis. Et quoniã uiderant
auũ huius Antiochũ Magnũ uim magnã elephantorũ semper habuisse, et magnũ in his exercitus robur cõstituisse, ne hic
illũ imitaretur metuebãt. qua de re sic Liu. in 4. Dec. lib. 7, ubi Antiochi aciẽ describit: Regia acies, inquit, uaria magis
multis gẽtib. dissimilitudine armorũ auxiliorũq; erat. Decẽ et sex milia peditũ more Macedonũ armati fuere, q phalãgi
tæ appellabãtur. hæc media acies fuit in frõte in decẽ partes diuisa: partes eas interpositis binis elephãtis distinguebat. A
frõte introrsus in duos & triginta ordines armatorũ, acies patebat. hoc et roboris in regijs copijs erat: et perinde cũ alia
specie, tũ eminentib. tantũ inter armatos elephãtis, magnũ terrorẽ præbebat. ingẽtes ipsi erãt: addebãt speciẽ frõtalia et
cristæ, et tergo impositæ turres, turribusq; superstãtes præter rectorẽ quaterni armati. et alia ibidẽ, quæ longũ esset recẽ
D sere. De elephantũ uero ingenio, docilitate, mirabilia narrat Plin. in Nat. hist. lib. 8. *Laodiceæ.*] Duæ huius nomi-
nis fuere urbes, altera in Media à Macedonibus, uel ut Pli. ab Antiocho cõdita: altera in maiori Phrygia, imposita Lyco
flumini, latera alluentib. Asopo et Capro, appellata primo Diospolis, dein Rhoas, post Laodicea: urbs quondã celeberri-
ma. De qua aũt intelligit orator, difficile est diuinare. tamẽ cũ altera illa esset in Syria (nã Media Syriæ est) et Antiochus
Syriæ rex esset, uerisimilius est Cn. Octauiũ in ea Laodicea interfectũ fuisse, quæ Antiochi esset. *In gymnasio.*] In
palæstra. Est enim gymnasiũ locus ubi uarijs ludis exerceri ad robur et agilitatẽ iuuẽtus solet. Cœpere aũt ita primum à
Græcis appellari, q. in his nudi et uncti exercẽtur athletæ. γυμνὸς enim nudus dicitur, & γυμνάζω exerceo, luctor.
Hinc Vir. in 3 Aen. Exercẽt patrias oleo labẽte palæstras Nudati socij. hinc ludi gymnici, et gymnica certamina à Cic. di
cta. postea tamẽ gymnasia dici cœperũt etiã scholæ literarũ et philosophorũ. Cic. in Parad. proœ. Ego uero illa ipsa quæ
uix in gymnasijs & in ocio Stoici probãt, ludẽs cõieci in cõmunes locos. et alibi quoq; sæpe utitur. *A quodã Lep.*] I
ussu ne Antiochi necne incertũ est. potuit enim priuato odio id fecisse: potuit etiã nebulo ille id fecisse odio Ro. nominis.
res obscura est, et à nemine explicata quod sciã. nã & quod dicit orator, à quodã Leptine, significat sibi nõ cõstare quinã
fuerit ille Leptines. *Status pro uita*] O miserã cõmutationẽ. posset haud dubie cũ Diomedis et Glauci permutatiõe
conferri, in qua pro aureis armis, ærea Glaucus accepit. Sed quid facerent? aliam uitam homines dare non possunt.

Progeniem eius.] Gentem siue familiam Octauiam, ab illo Cneo Octauio: quæ ut dixi, Ciceronis ætate nulla erat.

Illa etiam altera, ab Caio, in Augusto Cæsare extincta fuit, cum ipse filium marem non reliquerit. A

Atq; & huic, & Tullo Cluuio.] In horum quatuor legatorum nominibus referendis mire uariant scriptores. Nam apud Liuium sic legitur libro quarto Ab urbe condita: C. Fulcinium, C. Iulium Tullum, Sp. Nautium, L. Roscium, legatos Romanos causam noui consilij quærentes, iussu Tolumnij interfecerunt. In Plinio lib. 34, cap. 6. sic: Inter antiquissimas sunt & Tulli Cælij, L. Roscij, Sp. Nautij, C. Fulcinij in Rostris, à Fidenatibus in legatione interfectorum. Varietas tota est in illis duobus, Tullo & Spurio: sed fieri potest ut in Liuio ex Cluuio siue Cliuio (nam sic etiam in quibusdam Ciceronis codicibus legitur) obscuratis uetustate literis, aut corruptis, sit factus C. Iulius. Et in Plinio ex eodem Cluuio, Cælius eodem modo. Rursum & in altero, quoniam Liuius & Plinius Sp. Nautium habent, suspicor in Ciceronis codicibus N desiderari, & u tertiam literam in n mutatam: ita ex Nautio, Antium factū esse. quippe & quædā exemplaria Matium habent, alia etiam Actium. Sed de his satis. Non sanguis.] Id est, non genus mortis, sed causa effecit ut his statua in Rostris ponerentur. Cum enim statuas eis decernerent maiores nostri, non mortē simpliciter respexerūt, sed utrumq; simul, mortem nimirum pro republica obitam. Nam non propter genus mortis causa honesta, sed contrà propter honestam causam, mors pulchra & honesta censetur. Simile quiddam etiam dixit Aurelius Augustinus de martyribus: Non sanguis, sed causa martyrem facit: ut is martyr sit, qui pro Christo sanguinem fundit: siue qui pro Christi religione & fide mortem obit: non qui aliam ob causam uitam amittit. Sed ipsa mors ob rempublicam obita.] Id est, quam B *illi ob rempublicam obiere. Et obita quidem legendum est, non habita, ut pene omnia etiam emendatiora habent exemplaria. Vt enim mortem oppetere, sic mortem obire dicimus: ut initio huius orationis: Cæteri qui in legatione mortem obierunt. Hinc uicissim mors ipsa obita dicitur, & obeunda. In oratione pro Sestio: Nec uero, inquit, illorum quisquam, quos à maioribus nostris* MORTE OBITA, *positos in illo loco, atq; in Rostris collocatos uidetis, esset P. Sestio aut acerbitate mortis, aut in rempublicam animo præponendus. Item pro Cluentio: Omnibus obeunda mors est.*

Itaq; Patres conscripti, si Seruio Sulpitio casus mortem attulisset, dolerem equidem tanto reipublicæ uulnere: mortem uerò eius non monumentis, sed luctu publico esse honorandam putarem. nunc autem quis dubitat, quin ei uitam abstulerit ipsa legatio? Secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset: sua cura, optimi filij, fidelissimæq; coniugis diligentia uitare potuisset. At ille, cum uideret si uestræ autoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui: si paruisset, munus sibi illud pro republica susceptum uitæ finem allaturum: maluit in maximo populi Romani discrimine mori, quàm minus quàm potuisset, uideri reipublicæ profuisse. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi se & curandi potestas fuit: aderat & hospitum in- C uitatio liberalis, pro dignitate summi uiri: & eorum hortatio, qui unà erant missi, ad requiescendum, & uitæ suæ consulendum. At ille properans festinansq;, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia morbo aduersante perseuerauit. cuius quum aduentu maxime perturbatus esset Antonius: quòd ea quæ sibi iussu nostro denunciarentur, autoritate erant & sententia Seruij Sulpitij constituta: declarauit quàm odisset senatum, cum autorem senatus extinctum, læte atq; insolenter tulit.

Itaq; Patres conscripti, si Seruio Sulpitio.] Confirmat ex minore Sulpitium publico aliquo monumento ornandum esse, hoc modo: Si Seruius Sulpitius communi aliquo casu, non in legatione mortuus esset: non est dubium quin tanti uiri mortem, si minus publicis monumentis, at saltem publico luctu honorandam putaremus. Cum uero ei mortem attulerit ipsa legatio, quis dubitet quin sit aliquo singulari honore, & publico monumento honorandus? Publico autem luctu multorum clarorum uirorum mortē honestatā esse, testis est Liuius multis in locis. Casus aūt, cuius hic mentionē facit orator, ad omnia pertinet, quorum illustris & perspicua causa non est. Secum enim ille mortem extulit.] Legationem Seruio Sulpitio uitam abstulisse, uerisimilium turba colligit. Secum enim ille mortem extulit, qui graui morbo, magnum & grauem laborem addidit: quemadmodum antea dixi: Nam cum ita esset affectus, ut si ad grauem ualetudinem D *labor accessisset, sibi ipse diffideret, non recusauit. Secum igitur mortem extulit, hoc est, causam mortis secum tulit: uel ad certam mortem profectus est, cum adiumenta quibus reualescere potuisset, reliquit: & contrà, quæ mortem afferre poterant, assumpsit. At ille cum uideret, si.] Hic utilitatis cum honestate fiebat comparatio, utrum ex duobus faciendum esset: uiuendúmne non obeunda legatione, an obeunda pro republica legatione, moriendum: quorum alterum sibi fore utile uidebat, alterum honestum. Sulpitius quod faciendum est fecit, secutus honestatem, propria commoditate contempta: quanquam utrumq; ad utilitatem referri potest: alterum ad priuatam, ad publicam alterum. Atqui publica & communes patriæ utilitas priuatæ anteponenda est: quoniam priuata utilitas cum publica comparata, utilitas dici non debet. Nihil enim utile, quod non honestum: semper qua parte honestas, in ea quoq; uera utilitas continetur. Dissimilem se futurum sui.] Qui semper consueuerit senatui parere, & reipublicæ commoda priuatis anteferre.*

Multis illi in urbibus.] Alias facultates adiungit, quibus Sulpitij in rempublicam uoluntatem amplificat.

At ille properans festinansq;.] Contentione auget rem. Errant qui hoc loco scribunt, propero animo, festino corpore. nam utrumq; tam ad corpus quàm ad animum pertinet: ad corpus & operas propriè, ad animum uero metaphoricôs. Cicero ad Att. lib. 15. Ego in Pompeianū properabam. Item de Oratore libro primo: Cum in campum properaret, & ridens & stomachans Scæuola. Ostēdimus properare ad corpus referri: ostendamus etiam festinare, animi properationem significare. Cicero Philippica secunda: Ad singulare Antonij factum festinat oratio. Item in eadem: Ad reliqua etiam

A *tam festinat animus. Ergo non ita est, ut putant, sed pondere uerborum aliquanto plus est festinare quàm properare, quòd festinare præter corporis festinationem, quandam etiam animi intentionem habere uideatur: idcirco secundo loco festinandi uerbum, tanquam aliquid grauius & uehementius collocauit orator.* *Mandata nostra conficere cupiens.] *Conficere mandata, munus susceptum est exequi, perficere, expedire.* Perturbatus.] *Propter uiri maximam grauitatem, atq; etiam quòd accepisset, ea mandata Sulpitij autoritate esse decreta.* Declarauit quàm odisset senatum.] *Coniectura ex causa. Si enim causa odiosa, & effectus odiosus est.* Autorem senatus.] *Videtur (nisi mendum est) senatum pro senatusconsulto, siue senatus decreto usurpasse: quod quidem alibi non memini me legere, nisi autorem pro duce, impulsore, & hortatore intelligamus: ea ratione qua Cicero Pompeium autorem reipublicæ ac ducem appellauit, ad Atticum libro octauo epistola secunda.* Letè.] *Leto animo.* Insolenter.] *Superbè, arroganter: quasi ob Sulpitij mortem elatior sit factus Antonius.*

Non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium rex eos, quos modo nominaui, quàm Seruium Sulpitium occidit Antonius. is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. quocirca ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, extare quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. erit enim statua ipsa testis, bellum B tam graue fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consecutus sit.

Non igitur magis.] *Ex pari concludit argumentum.* Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit.] *Propositionem definitione confirmat: hanc Fabius finitionem uocat Institut. orator. libro septimo, dicitq; optimam esse probandi uiam, cum finitionem præcedit probatio: & citat hunc Ciceronis locum, ubi cum Cicero confirmasset coniecturis Sulpitium ab Antonio interfectum esse, ex definitione tanquam epiphonemate conclusit, ut quinam occidisse quempiam diceretur, declararet. Is enim profecto, inquit, mortem attulit, qui causa mortis fuit. Ratiocinatio autem sic posset confici, ut hæc ipsa definitio sit propositum, siue maior argumentationis propositio, deinde sequatur assumptio hæc: Antonius autem causa mortis Sulpitij fuit: Sulpitium igitur occidit Antonius. Sed Cicero oratorio more argumentationem inflexit ad motum. Minorem enim propositionem prius cum eius approbatione collocauit, deinde conclusit, & conclusioni statim propositum subiecit. Iurisconsulti Digestorum libro nono Ad legem Aquiliam hac de re uarijs propositis exemplis disputant, atq; idem penè quod hic Cicero dicit scribunt: modo causa accipiatur pro culpa: quemadmodum Vlpianus ibidem interpretatur, uultq; tales lege Aquilia teneri. Celsus autem ibidem Lege septima, multum interesse uult, occideritne, an mortis causam præstiterit: ut qui mortis causam præstitit, non Aquilia, sed in factum actione teneatur. in eo tamen consentiunt, occidisse, qui causam mortis præstitit. Quod Vlpianus in L. Nihil interest, Ad legem Corneliam de* C *sicarijs Digestorum libro quadragesimooctauo: Nihil interest, inquit, occidat quis, an causam mortis præbeat. Sed nimiùs de iure, ad nostrum Oratorem redeamus.* Quocirca ad posteritatis.] *Alia uia & ratione probat statuam ponendam esse Sulpitio: quòd sit etiam utile, posteritatem de Antonij scelere, & iudicio senatus admoneri, ut homines ab huiusmodi maleficijs abhorreant, & respublicæ siue ciuitates hoc quasi præiudicium exemplúmue habeant, quod sequantur: & unà boni ciues hoc eodem exemplo periculosas legationes obeant audacius.* Erit enim statua ipsa testis.] *Declarat quinam futurus sit eius apud posteros statuæ usus, quæue utilitas. Intelligent, inquit, posteri ex statua tanquam ex signo, belli Antoniani grauitatē. sic enim ratiocinabuntur: Statua hæc posita fuit Seruio Sulpitio, quòd in ea legatione mortuus esset, non casus: oportuit igitur ualde graue & periculosum fuisse bellum. Verum non solum ex statua ipsa id colligent, uerumetiam quòd in basi causa erit inscripta, ut Cicero postea decernet.*

Quòd si excusationem Seruij Sulpitij, Patres conscripti, legationis obeundæ recordari uolueritis: nulla dubitatio relinquetur, quin honorem mortuo, cui iniuriam uiuo fecimus, faciamus. Vos enim patres conscripti, graue dictu est, sed dicendum tamen: uos inquam Seruium Sulpitium uita priuastis. quem quum uideretis se magis morbo quàm oratione excusantem: non uos quidem crudeles fuistis: quid enim minus in hunc ordinem conuenit? sed quum speraretis nihil esse, quod non illius autoD ritate & sapientia effici posset, uehementius excusationi obstitistis: atq; eum, qui semper uestrum consensum grauissimum iudicauisset, de sententia deiecistis. Vt uero Pansæ Consulis accessit cohortatio grauior, quàm aures Seruij Sulpitij ferre didicissent: tum filium meq; seduxit, atque ita loquutus est: ut autoritatem uestram uitæ se diceret anteferre. Cuius nos uirtutem admirati, non ausi sumus eius aduersari uoluntati. Mouebatur singulari pietate filius: non multum perturbationi eius meus dolor concedebat: sed uterque nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq; grauitati: cum quidem ille maxima laude, & gratulatione omnium uestrum pollicitus est, se quod uelletis esse facturum: neque eius sententiæ periculum uitaturum, cuius ipse autor fuisset. quem exequi mandata properantem mane, postridie prosecuti sumus. qui quidem discedens, mecum ita loquutus est: ut eius oratio omen fati uideretur. Reddite igitur Patres conscripti ei uitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum, in memo

ria

ria uiuorum est posita. Perficite ut is, quem uos ad mortem inscij misistis, immorta- A
litatem habeat à uobis. Cui si statuam in Rostris decreto uestro statueritis: nulla eius
legationem posteritatis inobscurabit obliuio.

Quod si excusationem.] Tertium profert argumentum: quod quidem ducitur ex æquo & bono, quod & ipsum ad
qualitatem refertur. Aequum enim est, ut qui damnum, uel damni causam dedit, illud qua fieri potest sarciat. Tenetur e-
nim Aquilia lege, ut habetur Digestorum nono Ad legem Aquiliam. Cum igitur patres uiderent Sulpitium grauiter affe
ctum, audirent quoq; eius excusationem, impulerint tamen eum ad illam legationem suscipiendam, causam mortis de-
disse uideri possunt. Debent igitur ei uitam, qua possunt, statua posita restituere. Vos enim Patres conscripti.]
Apertius & clarius quod dixit declarat: utitur enim uoce paulo liberiore, quam παῤῥησίαν Græci, Cornificius ad He
rennium libro quarto licentiam appellauit. Ad hanc leniendam, quod idem Cornificius præcipit esse faciendum, multas
adiungit mitigationes. Graue dictu est.] Prima licentiæ mitigatio. Non uos quidem crudeles fuistis.]
Altera mitigatio. Quid enim minus?] Tertia mitigatio. Durius enim & liberius illud fuit: Vos Patres conscri-
pti Sulpitium uita priuastis. Et attende crudelitatem alienam à senatu esse debere. Sed cum speraretis.] Quo-
modo eum uita priuarint exponit: quod etiam ad leniendum quod dixit, pertinet. Priuauerant enim eum uita, non uolun
tate, sed fortuito & casu, quod indiserti logici dicunt per accidens. Non enim eum ad legationem impulerunt, ut periret,
sed ut eius autoritate reipublicæ consulerent. Accidit autem, ut cum male affectus esset, aucto, ut fit, ex labore morbo, in- B
terierit. Idcirco post dicet: Perficite ut is, quem uos ad mortem inscij misistis, immortalitatem habeat à uobis.

De sententia deiecistis.] Mutare sententiam coegistis. Vt ue. ò Pansæ.] Hoc loco redit ad intermissam
initio narrationem: qua ostendit, non ita impulsum fuisse Sulpitium à senatu, ut inuitus legationem susceperit: sed magno
& forti animo, quod uidebat senatui placere & gratum esse, exequi uoluisse: nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit,
si est uoluntarium: ut de Officijs libro primo Cicero dicit. Et faciunt hæc quoq; ad magis magisq; Sulpitium senatui conci
liandum, & ad persuadendum ut ei statua decernatur. Tum filium meq; item seduxit.] Tum filium suum & me
pariter seuocauit, ut remotis arbitris alloqueretur. Id enim significat seducere, ab alijs abstrahere, semouere, & abduce-
re, ut seorsim agas. Vt Philippica decimatertia: Trebonius te Idibus Martijs à debita tibi peste seduxit, id est abduxit.
Ad Atticum libro quarto: Cum hæc dixissem seducit me Scaptius: ait se nihil contradicere. Nunquam apud Ciceronem, ra
ro apud alios hoc uerbum accipitur pro decipere. Et simul notanda est illa compositio, meq; item, pro & me quoq;, uel,
& me pariter. Cuius nos.] Filius eius & ego. Mouebatur sing. piet. fil.] Hæc adduntur ad animos miseratio
ne permouendos. Hæc enim sunt ex ijs quæ magna usu uideri dicit in Part. oratorijs, ex quibus amplificationes sumũtur.
Et hoc totum quidem, inquit, moueat, si bona ex fortuna quis cadat: & à quorum caritate diuellatur: quæ amittat, aut ami
serit: in quibus malis sit, futurúsue sit, exprimatur breuiter. Cuius ipse autor fuisset.] Supra: Cuius cum aduentu C
maxime perturbatus esset Antonius: quód ea quæ sibi iussu nostro denunciarentur, autoritate erant, & sententia Seruij
Sulpitij constituta. Mane, postridie profecti sumus.] Id fieri solet honoris & amoris causa, ut abeuntem ali-
quem aliquousq; prosequamur & deducamus præsertim si ad aliquod publicum munus proficiscatur. Et obserua illa duo
aduerbia coniuncta, Mane, postridie, sicut hodie mane, cras mane, & id genus alia. Vt eius oratio omen fati uide
retur.] Omen fati, id est mortis significatio quædam, & quasi præsagium. Appropinquante enim morte, animus multo
est diuinior, ut Cicero de Diuinatione libro primo ait. Idcirco qui sunt morbo graui & mortifero affecti, instare mortem
uident, & non modo suam, sed etiam aliorum: ut Hector Homericus moriens, propinquam Achilli mortem denunciat.
Omen est uox hominis, ex qua rei futuræ præsagium arripitur. hanc definitionem comprobant exempla à Valerio Ma-
ximo descripta libro primo capite quinto. Cicero de Diuinat. libro primo: Neq; solum deorum uoces, inquit, Pythagorei
obseruarunt, sed etiam hominum quæ uocant omina. Huiusce obseruationis rationem reddens Valerius Maximus: Omi-
num, inquit, obseruatio aliquo contactu religionis innexa est: quoniam non fortuito motu, sed diuina prouidentia consta
re creditur. Reddite igitur.] Delabitur in hortationem, ut alia quoq; addat, amplificandi & permouendi cau-
sa. Prius uero repetit suprapositum argumentum ab æquo & iusto: tanquam dicat, Reddite ei uitam, cui ademistis, si iu-
sti & boni uiri esse uultis. Vita enim mortuorum.] Occupatione declarat, quam uitam restitui Sulpitio uelit,
statuam scilicet, ut ante dixit de Cn. Octauio: Reddita est ei tum à maioribus statua, pro uita. Viuunt enim quodammodo D
mortui in statuis, propterea quód in ipsis memoria & fama mortuorum conseruatur: quæ tanquam est uita quædam. Et
hæc, ut ante dixi, populariter dicuntur à Cicerone: qui quidem animi immortalitatem semper defendit. Nec ijs tamen quæ
dicit hoc loco efficitur, nullam aliam uitam opinatum fuisse, cum loquatur de ea uita qua quis inter homines, etiam
mortuus, uiuit quodãmodo. Perficite, ut is.] Repetit eandem sententiã, sed ita ut hæc illam interpretur & miti-
get: Reddite ei uitam cui ademistis, scilicet inscij & imprudentes. Immortalitatem.] Monumentum, quod eius
legationem à posteritatis obliuione liberet & uindicet, ut mox sequitur. Nulla inobscurabit obliuio.] Dum sta-
tua erit & steterit: quæ cum interierit uetustate aut casu aliquo, tunc iterum morietur Sulpitius, siquidem ea uiuebat.
Qui igitur in statuis atq; alijs fragilibus monumentis uolunt uiuere, eos bis mori necesse est: cum alij semel tantum mori-
antur hac corporis morte. Inobscurabit obliuio.] Delebit. inobscurabit uerbum est ab Oratore factum, & noua-
tum coniunctione. fuit enim obscurare. Vt pro Marcello: Tuas laudes obscuratura nulla unquam sit obliuio. Nec sine ra-
tione tamen inobscurabit dixit, nam id obliuio est in mente, quod cæcitas & tenebræ in oculis.

Nam reliqua Seruij Sulpitij uita multis erit præclarisq; monumentis ad omnem
memoriam commendata, semper illius grauitatem, constantiam, fidem, præstantiam
in repu-

A in republica tuenda curã atq; prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec uero silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate † explicandis scientia: omnes qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non sunt comparandi. neq; enim ille magis iuris consultus, quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscebantur à legibus, & iure ciuili, semper ad facilitatem, æquitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere.

† al. explicanda

Nam reliqua Seruij Sulpitij uita.] Occasione à statua sumpta, digreditur in alias Sulpitij laudes. Sumuntur illæ ab animi bonis, quorum sunt genera duo: alterum in uirtutibus positum est: alterum in artibus, ut Cicero in Partitionibus docet, ubi uerisimilium explicat locos. Dicit igitur: Status eius legationem & mortem testabitur: Vitam uero eius, uirtutes & artes quibus instructus fuit commendabunt. *Semper illius grauitatem.*] Multa & uaria Sulpitij facta, in propria uirtutum genera dirigit: quod interdum faciendum esse præcipit in Partitionibus Orator. Prius igitur à uirtutibus eum laudat: deinde ab artibus. Virtutes autem enumerat, grauitatem, constantiam, fidem, præstantiam, & prudentiam: quarum grauitas hominis autoritatem & maiestatem quandam in factis & dictis & uultu significat: constantia, ipsa B est perseuerantia, quæ est in ratione bene considerata, stabilis et perpetua permansio: fides, iustitiæ est fundamentum & pars. Ea est, ut Cicero de Officijs ait, dictorum conuentorumq; constantia & ueritas. Præstantiam hic ego animi excellentiam & altitudinem quandam intelligo, quæ magnificentia nominatur: quam fortitudinis faciunt partem, sicq; definiunt, ut eam esse dicant, rerum magnarum & excelsarum, cum animi ampla quadam & splendida propositione, agitationē atq; administrationē. Cura est diligētia, quæ & ipsa uirtus quædã est, aut qua uirtutes omnes continētur, & administrantur. Prudentia deniq; est uirtus, quæ in delectu rerum bonarum et malarum cernitur. Potest & hoc loco capi pro alio quodam genere prudentiæ, quam in hunc definiunt modum: Prudentia est multarum rerum memoria, & usus complurium negociorum. Ad Herennium libro 3. Hæc igitur omnia ad tria genera uirtutum reuocant, ad fortitudinem, ad iustitiam, & ad prudentiam. Reliqua est una temperãtia, sed eam paulo post memorabit, eamq; continentiam appellabit.

Nec uero silebitur.] Hic est alter ille locus artium, & doctrinarum. Laudat enim Sulpitium à legum & iuris magna quadam scientia, & eius scientiæ usu. Scientiam amplificat duobus modis, uerborum copia, & comparatione. Verba sunt illa, admirabilis, incredibilis, diuina. Quomodo autem ad tantam iuris intelligentiã peruenerit Sulpitius, uidendum est in Pandectis libro 1. tit. De origine iuris. *In legibus interpretandis.*] In legibus duodecim tabularum primum, deinde & aliarum quæ à magistratibus ferebantur. Ex iurisperitorũ interpretatione, nata est iuris ciuilis pars: C quemadmodum in eius definitione testatur Papinianus, & ante Papinianum Cicero, & alij. Ius autem ciuile est (inquit ille Digestorum libro primo) quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, autoritate prudentium, uenit. Vide etiam Instit. libro primo, titulo de Iure nat. gent. & ciuili. Lex quoq; scripta, nam de his intelligit Orator, sic ab eodem Papiniano definitur, Lex est commune præceptum, prudentium consultum, delictorum, quæ sponte uel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipublicæ sponsio. Digest. de Legibus. & ut ibidem dicit Modestinus, Legis uirtus est, imperare, uetare, permittere, punire. *Aequitate explicanda.*] Alij legunt, Aequitate explicandis, ut ad leges referatur. nam & paulo post dicet: Itaq; quæ proficiscebantur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem, æquitatemq; referebat. Veruntamen illud prius, æquitate explicanda, displicere non potest. Vt De claris oratoribus ait: In æquitate explicanda nihil erat Crasso copiosius. Intelligit autem Cicero, Sulpitiũ non modo in scripto iure & legibus interpretandis, uerumetiam in iure nõ scripto siue naturæ explicando præstitisse. Id enim tum æquitas, tum æquum bonum ab Aristotele Ethicorum libro quinto ἡ ἐπιείκεια nominatur: de qua mox plura. *Omnes ex omni* [illegible]] Scientiã iuris in Sulpitio magnificis auxit uerbis: nunc omniũ qui ante eũ fuerant in urbe Roma, eandẽ exaggerat. Qui locus breuis quidem est uerbis, sed ui atq; sententia patet latißime. Neq; tamen id oratorie facit Cicero, ut eum omnibus anteponat: nam & Pomponius Iurisconsultus De origine iuris, idem facit re, etsi non disertis uerbis. Primum habuit præceptores in iure duos ex omnibus optimos, Balbum Lucilium, & Gallum illum Aquilium, germani iuris, & ueræ æqui D tatis consultißimum: quos Sulpitius longe superauit. Deinde quantum in legibus interpretandis, & æquitate explicanda præstiterit, testes fuerunt centum octoginta libri, quos absolutos completosq; reliquit: qua in re non qui ante se fuerant modo, sed fortaßis etiam qui insequuti sunt, superauit. Postremo ex ijs qui ab eius schola, et disciplina clari profecti sunt, quantus in ea scientia fuerit, constare potest. Ab hoc plurimi profecerunt, inquit Pomponius: ferẽtamen hi libros conscripserunt, Alfenus Varus, C. Ofilius, Titus Cæsius, Aufidius Tucca, Aufidius Namusa, Flauius Priscus, C. Ateius Pacuuius, Labeo Antistius Labeonis Antistij pater, Cinna, P. Gellius. Ex his paucis quæ diximus, constare existimo, non exornandi tantum causa, Seruium Sulpitium omnibus à Cicerone esse prælatum. *Neq; enim ille magis iuris consultus, quàm iustitiæ fuit.*] Hic Orator ius à iustitia distinguit. quamobrem uidendum est, quid ius, quid item iustitia: ut quid intersit appareat. Primo illud sciendum est, ius hoc loco capi pro descripto iure, quod legibus continetur: quod & legitimum ab Aristotele uocatur: ad quod explicandũ, nisi æquitas adhibeatur, summũ ius ab Aristotele ἀκριβοδίκαιον, quasi extremum ius appellatur. Rigorem iuris, & strictum ius iurisconsultorum uulgus appellat. Iustitia uero pro æquitate sumitur. nam & Aristoteles in quinto ad Nicomachum æquitatem & iustitiam eandem esse testatur. Differunt autem inter se ius & æquitas siue iustitia, non genere quidem (utrumq; enim bonum, & æquitas quoq; ius est) sed comparatione, ut æquitas melius & præstantius ius esse dicatur. Ius igitur legitimum, bonum quidem illud est: sed hoc quod æquitate continetur, eo melius. Nam æquum & bonum, cum alicui iuri accommodatur, tum ius ipsum melius est: cum sit æquitas iuris legitimi emendatio. Atq; in hoc omnis uis æqui & boni posita est, ut correctionem quandam legi adhibeat:

quia

quia ab ea abest aliquid propter generalē sine exceptione comprehensionem. Neq; enim leges de quibusdam ferri possunt, nec legibus omnia explicari: quod etiam legislator, si adesset admoneret: etiamsi iam legem tulisset. A *Relinquitur enim homini ratio illa diuina, insita à natura, qua æquum ab iniquo distinguat: etiam si lex illa scripta non esset. Ea regula legitima omnia metitur, & ad eam scripta iura exigit: et ut Lesbij plumbeam normam ad structuræ formam accommodabant: sic æquitas ad omnes species flecti & accommodari potest. Quare scitè Donatus in Terentij Adelphos definiuit, Ius esse quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitatem uero, quæ de iure summo multum remittit. Ac iam illud perspicuum est, quid sit æquum & bonum: quidq; ius, & quo sit iure præstantius. Ex quo etiam apparet, quis sit uir bonus. Nam qui ex æquo & bono agit, geritq; omnia: quiq; nō est in malā partem index durior, sed de suo iure decedit, etiam si habeat legis præsidium, is æquus & bonus est habendus. Et habitus in hoc genere æquitas nominatur, quæ eadem iustitia dicitur, non alia animi affectio.* Itaq; quæ proficiscebantur à legibus & iure ciuili.] *Hic est ille alter locus, quem paulo ante constituimus, qui in usu & praxi iuris cernitur. nam scientia in aliquo esse potest, in quo usus eius artis & scientiæ non sit. Et hoc distinguitur sciens & doctus à uiro iusto & bono, quòd ille scientiam habet sine usu & actione, hic & scientiam & usum eius rei quam profitetur habet. Et cum laus omnis uirtutis in actione sit, Sulpitius magnam laudem consecutus est, qui non scierit modo quid ius, quid æquum esset, uerumetiam in uita, in consilijs, in iudicijs id secutus sit semper. Sed quærat aliquis quid differant leges à iure ciuili, quòd dixerit, à legibus & iure ciuili? Facilis est & expedita responsio. Eo differunt quo pars à toto. sunt enim iuris ciuilis pars, leges: ut supra ex Papiniani definitione ostensum est.* B *Et rectè est eloquutus Orator, cum partem toti præposuit, in qua totum intelligi non poterat: & totum adiunxit, ne cæteras iuris ciuilis excluderet partes.* Semper ad facilitatem æquitatemq; referebat.] *Hoc est, ex æquo & bono, non ex callido uersutoq; iure iudicabat: quod Cicero pro Cecinna faciendum esse statuit. Non enim Sulpitius ex facili & plano æquitatis campo, ad istas uerborum angustias, & ad omnes literarum angulos causas & iudicia reuocabat, sed ad æqui & boni normam omnia referebat, pluris faciens legis sententiam, quàm ipsam scriptam legem. Existunt enim sæpe iniuriæ, ut de Officijs ait Cicero, calumnia quadam & nimis callida iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermone prouerbium: id quod Sulpitius fugiēs, benignius leges interpretabatur. Et hoc est quod Celsus ait Titulo de legibus, Lege 18. Benignius, inquit, leges interpretandæ sunt, quo uoluntas earum conseruetur. Nam scire leges, ut ibidem Lex 17 ait, non est uerba earum tenere, sed uim & potestatē. Sed quæritur, an semper id tenendū & seruandū sit? Cicero respondet, Sulpitiū semper id fecisse. Ex quo intelligimus bonos uiros, nunquam de iure sine æquitate iudicasse, nec ius ab æquitate separasse: id quod confirmari posse uidetur, ex ipsa prima iuris definitione, quæ habetur Digestorum libro primo, Lege prima. sunt autem Vlpiani uerba in hunc modum: iuri operam daturum prius nosse oportet, unde iuris nomen descendat. Est autem à iustitia appellatum. Nam ut eleganter Celsus definit,* IVS EST ARS BONI ET AEQVI, *cuius meritò nos quis sacerdotes appellet. Iustitiam namq; colimus, & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes.* C *Vides in definitione iuris, æquum & bonum tanquam inseparabilem proprietatem contineri. Quod si qui ius dicunt, quiq; iura interpretantur, tenerent, si non magis iuris quàm iustitiæ consulti esse uellent, si se boni & æqui sacerdotes existimarent, & iustitiam, quæ Dei optimi maximi uicaria in terris est, colerent, non constituere litium actiones mallent, quàm controuersias tollere: non extrahere lites, illis suis cautelis, quàm æquitate, quasi Tenedia securi truncare ac finire.*

Ergo hoc statuæ monumēto non eget: habet alia maiora. hæc enim statua, mortis honestæ testis erit: illa memoria uitæ gloriosæ. ut hoc magis monumentum grati senatus, quàm clari uiri futurum sit. Multum etiam ualuisse ad patris honorem pietas filij uidebitur: qui quanquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut ille, si adesset. Est enim ita affectus, ut nemo unquam unici filij mortem magis doluerit, quàm ille mœret patris. Equidem etiam ad famam Seruij Sulpitij filij arbitror attinere, ut uideatur honorem debitum patri præstitisse: quanquam nullum monumentum clarius Seruius Sulpitius relinquere potuerit, quàm effigiem morum suorum, uirtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, filium: cuius luctus aut hoc honore uestro, D aut nullo solatio leuari potest.

Ergo hoc.] *Epilogus laudum Sulpitij, & concinnus ad propositum reditus. Vita Sulpitij non eget hoc statuæ monumento de quo loquimur, cum tot excellentibus uirtutibus eius & literarum monumentis omni statua præstantioribus posteritati commendetur. Vbi enim maiora sunt, minoribus opus non est.* Hæc enim statua.] *Seiunctio, siue digestio. Ex fine enim declarat, quinam statuæ, qui item uirtutum Sulpitij sit usus futurus. Statua mortuum esse pro republica testabitur, uirtutum & scientiæ monumenta memoriam uitæ gloriosæ, bene honesteq; actæ conseruabunt. Statua grati senatus, uirtutes & literæ clari uiri erunt monumentum.* Multum etiam ualuisse.] *Mouet ad statuam decernendam, ex luctu absentis Sulpitij filij. Etiam si absit filius, propter patris luctum, debetis tamen existimare eum à uobis idipsum petere, ad quod uos omnes hortor, ut patri suo statuam decernatis. Quod si non feceritis, uidebitur filius honorem patris contempsisse. Debetis igitur etiam filij causa, statuam Sulpitio ponere, ut filij famæ consulatis. habet enim non paruam uim hic locus ad persuadendum.* Sic animati.] *Sic affecti, commoti, & confirmati in honore decernendo.* Est autem ita affectus.] *Ita mœstus & tristis. Comparatione autem ita luctum filij Ser. Sulpitij auget, ad miserationem in animis patrum excitandam. Comparat enim filium lugentē patrem cum patre lugēte filium, eumq;*

A *unicum. Primum enim parentes magis amant liberos suos, quàm liberi parentes: quòd parentes magis norunt quos procrearunt, quàm nati se ab illis procreatos: coniunctiusq; est & copulatius ei quod procreatum est, id omne quod ipsum generauit, quàm quod generatum est, ei quod procreauit. Quicquid enim id est quod ab alio profectum sit, ei coniunctum est unde fluxerit. ut dens, & pilus, & quiduis aliud, ei qui habet. illorum nihil ei unde ortum est, aut certe minus, idq; progressu temporis. Idcirco plus dolent parentes cum filios amittunt, quàm filij cum parentes. Deinde qui unicum habet tantum, uehementius diligit, quàm qui plures. Id autem idcirco accidit, quòd amoris affectus qui in plures spargeretur, et quasi dissiparetur, in unum totus effunditur: ex quo etiam fit, ut grauior sit mœror, si unicum amittat, quàm si unum de multis. Est etiam illa causa, quòd in unico spes posteritatis omnis est, quo amisso spes omnis extingui uidetur. Et omnes eo solo quod habent, grauius se priuari patiuntur. Hinc est querela pastoris apud Virgilium:*

Modo namq; gemellos

Spem gregis ah silice in nuda connixa reliquit.

Sic & in sacratioribus literis uates luctum amplificant, cum admonent talem luctum aut futurum, aut assumendum, qualis esse solet parentum in unici filij morte dolor & mœror. *Quanquam nullum.*] *Correctio est rhetorica, ad filij Sulpitij laudem quæsita. Notandus est locus de uera filiorum effigie qua parentes referant. Non esse eam in oris & membrorum specie & similitudine, sed in animi uirtutibus & moribus elucere. Paulus quoq; non uno loco docet, imagi-*
B *nem dei ad quam facti sumus, esse iustitiam, sanctitatem, ueritatem, misericordiam, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, cæterasq; uirtutes. Præstat enim quæ ex animo elucet parentum effigies, quàm quæ in compositione membrorum, & conformatione lineamentorum cernitur. Animi enim lineamenta sunt pulchriora quàm corporis, quòd formæ corporis dignitas aut morbo deflorescit, aut uetustate: animi uirtus, quæ illius forma est, æterna claraq; habetur.*

Cuius luctus aut hoc honore.] *Impellit à necessario: qui locus ita constringit, ut omnem incidat deliberationẽ. Nulla est præterea filiũ consolandi ratio: ergo nisi uelitis illum luctu tabescere, necesse est uos hunc honorẽ patri decernere.*

Mihi autem recordanti Seruij Sulpitij multos in familiaritate nostra sermones, gratior illi uidetur, si quis est sensus in morte, ęnea statua futura, & ea pedestris magis, quàm inaurata equestris: qualis L. Syllæ prima statua est. Magnifice enim Seruius Sulpitius maiorum continentiam diligebat: huius seculi insolentiam uituperabat. Vt igitur, si ipsum consulam quid uelit, sic pedestrem ex ære statuam, tanquam ex eius autoritate & uoluntate decerno. quę quidem magnum ciuium dolorem, & desiderium honore monumenti minuet & leniet.

Mihi autem recordanti.] *Prima quæstio fuit, an statua esset Sulpitio ponenda: quod si conceditur, tum sequitur ut*
C *de genere statuæ deliberandum sit, cuiusmodi statua sit illi ponenda, pedestrisne, an equestris: deinde ænea'ne an marmorea: inaurata an sine auro. Orator ex Sulpitij defuncti uoluntate, quæ seruãda est, æneam puram pedestrem statuit.*

Si quis est sensus in morte.] *Seruius Sulpitius in illa pulcherrima & artificiosissima epistola qua consolatus est Ciceronem de morte filiæ, Famil. lib. 4. inter reliquas consolãdi rationes, similem quoq; affert. Quod si quis, inquit, etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes suos: hoc certe illa te facere non uult. quod cum dicunt, nõ idcirco faciunt, quo de animorum immortalitate sapientes uiri dubitent, sed quod de eo ambigunt interdum, an mortui earum rerum quæ à superstitibus fiunt sensum habeant: quæ quæstio perobscura est, nec hoc loco tractanda.*

Qualis est L. Syllæ prima statua.] *Syllæ dictatori tres statuæ iuxta Rostra positæ fuere, sed minores ut Plinius inquit lib. 34. Prima fuit pedestris ænea pura, reliquæ equestres.* *Maiorum continentiam.*] *Confirmat ex Sulpitij modestia. atq; hoc dicit, quoniam pedestres statuæ Romæ fuere in autoritate longo tempore, ut Plinius ait: tunc scilicet cum abstinentia & continentia Romæ uigerent. Continentiam definit Tullius, affectionem per quam cupiditas consilij gubernatione regitur: facitq; temperantiæ partẽ. Non multũ ab eo dissentit Aristoteles lib. 7 Ethicorũ, ubi impotentem opponit continẽti. Et impotens quidem, inquit, quæ mala sunt, mala ille quidẽ esse nouit, sed agit ea uictus & debilitatus*
D *obiecta specie uoluptatis. At uero continens, quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus nõ sequitur. Et miror tamẽ cur Aristoteles in uirtutũ numero reponere dubitarit, cũ sit & ipsa mediocritas quædã, ut hoc loco ostendit Orator Sulpitij & maiorum moderationem in animi cupiditate gubernanda. Nisi ita Aristotelem intelligamus, ut continentiam noluerit unam aliquam esse uirtutem ab alijs separatam atq; seiunctam, cuiusmodi est fortitudo & liberalitas, sed uirtutem cum reliquis confusam, quemadmodum de decoro loquitur Cicero, quod totum quidem cum uirtute confusum esse dicit: sed mente & cogitatione distingui. Sed certe Latinis, uox ipsa indicat, eam esse temperantiam quandam. nam temperare, abstinere, continere, idem sunt: quemadmodum quæ ab his ueniunt temperantia, abstinentia, continentia: nisi quòd abstinentia in pecunijs, continentia in uoluptatibus magis cernitur: & ita autores ferè usurparunt, etiam si interdum confundantur. Itaq; cum M. Curius aurum à Samnitibus oblatum respuit, abstinentiæ fuit: cum uero Scipio in Africa eximia forma uirginem captiuam, marito intactam restituit, magnæ fuit continentiæ ac temperantiæ: quanquam & abstinens fuit, in eo quod aurum à marito pro captiua coniuge datum restituit, & doti accedere uoluit. Hoc autem loco Cicero continentiam intelligit, quæ ambitioni & nimiæ honorum cupiditati opponitur, quam insolentiam statim uocat, id est superbam & arrogantem honorum cupiditatem: ut continentia sit, in honoribus appetendis moderatio quædam siue mediocritas, & omnino modestia. De maiorum uero abstinentia & continentia uide Val. Maximum, & sacrarum literarum exempla à Sabellico conscripta.* *Vt igitur si ipsum.*] *Concludit sententiam suam de statua decernenda ex Sulpitij uoluntate & moribus: & adiungit nouam rationem à dolore & desiderio ciuium leniendo. Si præ-*

terea

terea statuam Ser. Sulpitio statueritis P.C. rem feceritis populo Romano gratissimã: qui si uiderit statuam Sulpitio positam, non omnino mortuum arbitrabitur: & honore monumenti dolorem quem ex eius morte cepit, minuet & leniet. In quo significat Sulpitium ciuibus omnibus charissimũ fuisse. A *Pedestrem ex ære statuam.] Paulo ante dixit, ænea statua: sed hic idcirco ex ære interposuit, ne eundem finem casuum bis continuo coniungeret: in quo ingratus quidã sonus fuisset futurus, qui interiecto alio casu infringitur & lenitur. Hoc ipsum ut caueret, infrà dixit: Statuam pedestrẽ æneã. Hunc quoq; illud est, quod uerborum copia bonorum, potius quàm copia bonorum uerborum.*

Atq; hanc meam sententiã P.C. P. Seruilij sententia probari necesse est: qui sepulchrum publice decernendum Ser. Sulpitio censuit, statuã non censuit. nam si mors legati sine cæde atq; ferro nullum honorem desiderat, cur decernit honorẽ sepulturæ, qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpitio quod nõ est datũ Cn. Octauio: cur quod illi datũ est, huic dandũ esse nõ censet? maiores quidem nostri statuas multis decreuerũt, sepulchra paucis. sed statuæ intereũt tempestate, ui, uetustate: sepulchrorũ autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla ui moueri, neq; deleri potest. atq; ut cætera extinguunt, sic sepulchra fiũt sanctiora uetustate. augeat igitur isto etiã honore is uir, cui nullus honor tribui nõ debitus potest: grati simus in eius morte de- B corãda, cui nullam aliam gratiã referre iam possumus: notetur etiã Antonij nefarium bellum gerentis, scelerata audacia. his enim honoribus habitis Ser. Sulpitio repudiatæ reiectæq; legationis ab Antonio manebit testificatio sempiterna.

Atq; hanc meam sententiã.] Absolutis reliquis omnibus uenit ad Seruilij sententiã: & ex ea quoq; probat statuam decernendam esse. Mirifice autem eam interpretatur Orator, & repugnantiam ostendit, alteram contrariã opponẽdo.

Nam si mors legati.] Locus est partim ex repugnantibus, partim ex maiore. Si nullo honore mors Sulpitij afficienda est, quòd ferro nõ fuerit sublatus: cur ei maximũ tribuis? Repugnant enim hæc, nullus & aliquis. Ex maiore autẽ hoc, Quod si ei quod maximũ est tribuis, non debes ei quod minus est negare. Maius autem esse sepulchrum mortuo decernere, quàm statuam, pòst probabit. Sin id tribuit.] Commutatione, quam Græci ἀντιμεταβολὴν dicunt, exposuit argumentationem. nam à priore posterior pars contraria priori proficiscitur hoc modo: Si sepulchrum tribuit Seruio Sulpitio, quod Octauio non est datum, cur statuã quæ Octauio data est, Sulpitio dandã esse non censet? Simplicior est illa De legibus lib. 3. Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratũ. Maiores quidẽ nostri.] Sepulchri quàm statuæ maiorem honorẽ esse, quod in argumentatione sumpserat, confirmat. Id autem facit duob. firmissimis comparationis locis, quorum prior ex specie, alter ex numero appellatur à Cicerone in Top. Ac prior quidem uim capit ab hoc loco cõmuni, C RARA VVLGARIBVS SVNT ANTEPONENDA. *Sepulchra autẽ paucis decernebantur, statuæ multis: illa ergo rara, hæ uulgares erant. Sunt igitur sepulchra statuis digniora.*

Sed statuæ intereunt.] Alter locus qui à numero sumitur. numerus autem hoc loco tempus significat. nam & tempus est numerus motus, Aristotelis sententia in quarto De natura libro. Locus cõmunis ex quo uim capit argumentũ est, DIVTVRNIORA BREVIORIBVS ANTEPONVNTVR. *Sepulchra quàm statuæ sunt diuturniora: ergo etiam præstantiora. Ergo maior est sepulchri honos, quàm statuæ. Ex quo illud etiã efficitur, ut qui sepulchri honorem decernit, & statuæ decernat necesse esse. Seruilius igitur qui sepulchrũ publice Sulpitio decernit, statuæ quoq; honorem complectitur, cum minus in maiore contineatur. Quia uero statuas citius quàm sepulchra interire dixit, id probandum: quod facit ex causis corrumpentibus tribus, tempestate, id est cœli aliqua iniuria, & cõmotione, ut uento, procella, turbine, fulmine: ui, id est hominũ impetu, ut quas dicit Plin. in Syllæ introitu in urbem subuersas esse, lib. 34. ca. 6. & postremo uetustate, quæ ut reliquis nihil noceant, omnia consumit & euertit quæ hominũ manu & arte sunt facta: et, quod maius est, etiam quæ natura constant, ut eleganter canit Ouidius in Fabulis:*

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uitiataq; dentibus æui D
Paulatim lenta consumitis omnia morte. *Item in libris De ponto:*
Tabida consumit ferrum, lapidesq; uetustas,
Nullaq; res maius tempore robur habet.

Sepulchrorũ autem sanctitas.] Circuitione exornat. nisi enim ratio quædam esset habita dignitatis, potuit simpliciter dicere: Sepulchra autẽ in ipso solo sunt. Voluit tamen significare sepulchra sancta & religiosa esse. Celsus ait, non totũ qui sepulturæ destinatus sit, locũ religiosum fieri, sed quatenus corpus humatũ est. Digest. lib. 11. De relig. & sump. fun. Idem etiã sentit Cicero De leg. lib. 2. ex pontificali iure. Priusquã iniecta in eos gleba est, locus ille ubi crematũ est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis, & humatus est, & sepulchrũ uocatur: ac tum deniq; multa religiosa complectitur. In ipso solo est.] In ipsa terra, quæ tantũ abest ut labefactari aut interire possit, ut omniũ ipsa interitum recipiat & foueat. Solum enim terra proprie dicitur, quæ subiecta pedibus nostris est. aliàs quicquid aliud quippiã sustinet, aut alicui rei subijcit. Sepulchra intelligit hoc loco, spatia terræ, intra quæ licebat cadauer inferre, cuiusmodi erant Albani tumuli, & Romani in campo Aesquilino, ut paulo post dicet. Vlpianus De religiosis: Sepulchrum, inquit, est ubi corpus ossaue hominis condita sunt. Quod nulla ui moueri.] Mouetur in terræ motu terra uentorum luctantium & erumpere conantiũ ui. Sed moueri hic, est loco moueri, & aliò transferri, quod unũ est ex sex motus generibus.

Neq; deleri potest.] Donec ueniat summa illa dies, in qua terra & cœlum ipsum quo tegimur, igni conflagrabit.

A *& suum interitũ sentiet. Sed fortaßis hoc dictum ex eorũ est sententis, qui mundum hunc æternũ statuunt, in quis fuit sapiens ille Aristoteles, sed penè solus.* Atq; ut cætera extinguuntur.] *Intereunt omnia uetustate, ut diximus, quæ manu facta sunt hominũ: sepulchra, quoniã in ipso sunt solo, non intereunt: sed potius fiunt sanctiora & augustiora. nam religiosis rebus uetustas addit sanctitatem & admirationem, ut paßim uidemus. Hinc illud poetæ in septimo:*

Laurus erat tecti in medio in penetralibus altis
Sacra comam, multosq; metu seruata per annos,
Quam pater inuentam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacraſſe Latinus.

Augeatur igitur.] *Concludit de honore sepulchri cum P. Seruilio, & addit duplicem rationem, quarum altera sumitur à Sulpitij meritis: altera à neceßitate referendæ gratiæ. Et dicit augeatur, id est, præter statuæ honorẽ accedat etiã sepulchri publici honos, qui maximus haberi potest mortuo.* Cui nullus honos.] *A Sulpitij persona & meritis.*
Grati simus.] *A persona senatus, qui ingrati animi notam debet effugere. quasi diceret, Si rediſſet Sulpitius, eius meritis gratiã referre studuiſſemus: nunc cum sit mortuus, nullam præter hanc honoris referre poſſumus. Par igitur est, ut eius mortem quoad poſſumus decoremus, honestemus, & ornemus.* Notetur etiã Ant.] *Adiungit & tertiam causam, quæ sumitur à fine, debere ipsos hæc monumẽta decernere, ut belli Antoniani, & contẽptæ legationis senatus, te-*
B *stificatio ad posteros transmittatur. Ita etiã antea: Cui si statuã in Rostris decreto uestro statueritis, nulla eius legationem posteritatis inobscurabit obliuio.*

Quas ob res ita censeo: cum Ser. Sulpitius Quinti filius, Lemonia Rufus, difficillimo reip. tempore, graui periculosoq; morbo affectus, autoritatem senatus, salutemq; populi Ro. uitæ suæ præposuerit, contraq; uim grauitatemq; morbi cõtenderit: ut ad castra Antonij, quò senatus eum miserat, perueniret: isq; cum iam prope castra ueniſset, ui morbi oppreſſus uitã amiſerit in maximo reip. munere, eiusq; mors cõsentanea uitæ fuerit, sanctiſſime honestiſſimeq; actæ, in qua sæpe magno usui reip. Ser. Sulpitius, & priuatus, & in magistratibus fuerit: cum talis uir ob remp. in legatione mortem obierit, senatui placere, Seruio Sulpitio statuã pedestrẽ æneam in Rostris, ex huius ordinis sententia statui, circumq; eam statuã locum gladiatoribus, ludisq; liberos poste-
al. quoquo rosq; eius, † quaq; uersus pedes quinq; habere: quòd is ob remp. mortẽ obierit: eamq;
uersus causam in basi inscribi: utiq; C. Pansa, A. Hircius consules, alter ambóue, si eis uidebitur, quæstoribus urbis imperẽt, ut eam basim statuamq; faciendã, & in rostris statuen-
C dam locẽt: quanniq; locarint, tantã pecuniã redemptori soluendã attribuendamq; curent: cumq; antea senatus autoritatẽ in uirorũ fortiũ funeribus ornamẽtisq; ostenderit, placere eum q̃ ampliſſime supremo die suo efferri: & cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus ita de rep. meritus sit, ut his ornamẽtis decorari debeat, senatum censere atq; è rep. existimare, Ædiles curules edictũ, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpitij Q. F. Lemonia Rufi funere mittere: uniq; locum sepulchro in campo Esquilino C. Pan-
al. quoquouer- sa consul, seu quo alio in loco uidetur, pedes triginta † quaq; uersus designet, quo Ser.
sus aßignet Sulpitius inferatur: quod sepulchrum ipsius, liberorũ, posterorumq; eius sit: uti quod optimo iure sepulchrum publice datum est.

Quas ob res ita censeo.] *Decretũ Ciceronis loco perorationis. Cõplectitur aũt enumeratione præcipua totius suasionis capita, ut tria decernat, statuã, funeris pompã, & sepulchrũ, publice facienda. Merita prius recensentur in decretis faciendis, honoribusq; decernendis: deinde subijcitur sententia de honoribus uel præmijs quæ exhiberi alicui uolumus.*
Q. F. Lemonia Rufus.] *Id est, Quinti Sulpitij filius, Lemonia scilicet tribu: sexto casu, cognomento Rufus. Lemonia tribus, ut Festus siue Sextus Pompeius ait, à pago Lemonio appellatur: qui fuit à porta Capena uia Latina. Sic dicitur hoc loco Sulpitius Lemonia, ut in 2 Verrina C. Verres Romilia: & in quarta L. Claudius C. F. Palatina. Ascon. Pedia-*
D *nus illud prius explicans, Romilia, inquit, nomen est tribus, ablatiui casus, ut sit ex Romilia. Tribus enim urbanæ rusticæq; omnes xxxv numerantur, ex quibus aliquã neceſſe est, cuiusq; ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. Moris autẽ fuit, cum aliquis ciuis Romanus ostendendus eſſet, significaretur aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu in qua censeretur, aut à curia, aut à cẽsu, ut si erat senator equésue Romanus. Quàm igitur rectè censeant qui Lemonius rectius legendum putant, ex ijs quæ dicta sunt, iam constare arbitror.* Senatui placere.] *Ita censeo senatui placere: sic enim coniungenda sententia est.* Locum gladiatoribus ludisq;.] *C. Menius Cos. qui priscos Latinos deuicit, cum domũ suam uenderet Catone & Flacco censoribus, ut ibi Basilica ædificaretur, exceperat sibi ius unius columnæ, super quã tectum proijceret prouolantibus tabulatis, unde ipse & posteri eius spectare munus gladiatorũ poſſent: quod etiã tum in foro dabatur. ex illo igitur columna Menia uocitata est. Hæc Ascon. Ped. Plinius aũt lib. 34. cap. 5. Columnã C. Menio honoris causa positã fuiſſe scribit. Quicquid sit, tale aliquid hic significare uidetur Cicero circa Sulpitij statuã posteris eius datũ fuiſſe honoris causa, unde gladiatorũ ludos spectare poſſent. Quod uero quidam hic notat, gladiatoribus absolute positũ, ut subaudiatur ludis, non in contextu legatur, mihi non probatur: tum quod omnia exẽplaria utrunq; habẽt, tũ q̃ rectè dicitur, gladiatorib. ludisq;, pro gladiatorũ ludis, uel gladiatorijs ludis,*

nota

nota illa ᾧ δίκαστ. Quoquouersus.] Sic in antiquis & manuscriptis codicibus legitur, & recte quidem. nā Cato, Cæsar, & alij elegantes scriptores modo quoquouersus, modo quoquouersum usurparunt: nunquam quaqueuersus, uel quaquauersus. significat aūt quoquouersum, in omnem uel in quamuis partem. Eamq; causam in basi inscribi.] Hunc Romanorū morē in causa inscribenda secutus Pilatus, qui tum præfectus Hierosolymis erat, inscribi iußit in cruce causam cur Christū Iudæi interfecissent, ut eius historiæ scriptores sacri testātur. In basi.] Ἐν τῷ βάσει λίθῳ, ὃ ὑποβαίνει ἀνδριάς. Græca enim uox est basis. & est quod statuā, columnā, aut aliam rem sustinet, ita tamē ut sit reliquo solo altius. Id ostendunt illa uerba in Verrem: Statua ablata, basin tamen in foro manere uoluerūt. Item illa: Hæc statua erat posita Segestæ sanè excelsa in basi. Faciendam, & in Rostris statuendā locent.] Quidam inopia locorum adducti, ut faciendū locare latinè dici probent, hunc ipsum Sulpitiū proferunt testem, qui lib. 4 Epist. fam. ad Ciceronem inquit, Vt ijdem Athenienses in eodem loco monimentū ei marmoreū faciendum locarent: addunt & unum Liuij locum. potuissent tamē hunc Ciceronis locū afferre, itē alios aliquot ex Verrinis. Et ut locare faciendū, sic etiam cōducere dicitur. Cic. de Diuinat. lib. 2. Redemptor qui columnā illam de Cotta & Torquato conduxerat faciendā. Tantā pecuniam redemptori.] Redemptor dicitur, qui opus faciendum siue publicū siue priuatum certo precio conducit, atq; is fabros & architectos adhibet. qui item conducūt conuehendas merces, & alia onera, humeris, equis, rheda, naui, redemptores uocantur. Horatius: Festinat calidus mulis gerulisq; redemptor. Sallust. Et Perpennā fortè cognoscit mulio redemptoris. Redemptor à Cicerone & alijs, manceps uel conductor appellatur. Placere.] Vt antea: Censeo senatui placere. Est enim placere solenne uerbum magistratus in decretis faciendis. Quàm amplißime.] Quàm magnificentißime, & amplißima pompa & apparatu. Supremo die suo.] Obseruanda est elegans locutio, pro qua dicunt uulgares, in die mortis suæ, uel in die funeris sui. Suus est enim cuiq; dies mortis & funeris. Edictum quod de funeribus habeant.] Quod in edicto & mandato de funeribus publicis curandis & ornandis proponant & exhibeāt. Id enim ut multa alia, erat Aedilium munus, ludos funebres exhibere. Cic. lib. 3 De legib. eorum munus paucis complectitur: Suntoq; Aediles curatores urbis, annonæ, ludorumq; solenniū. Vtiq; locum sepulchro in cāpo Esquilino.] Esquilinum modo campum intelligit, qui in urbe erat colli Esquilino subiectus, inter Esquilinā portam & Querculanā. Etsi enim lex xij tab. in urbe sepelire uetabat, tribuebatur tamen hoc claris uiris, quidam etiam uirtute id consequebātur, ut in urbe sepelirentur: ut modo Sulpitius. qua de re Cic. noster lib. 2 De legib. sic cum Attico disserit: HOMINEM MORTVVM inquit lex in duodecim tabulis, IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO. Credo uel propter ignis periculum. Quod autem addit, néue urito, indicat, non qui uratur sepeliri, sed qui humetur. Atticus, Quid? qui in urbe sepulti sunt clari uiri? M. Credo Tite fuisse, aut eos quibus hoc ante hanc legem uirtutis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto: quod eorum posteri iure tenuerūt: aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, uirtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Hæc Cicero: cui suffragatur Iustinianus imperator L. xij. C. De relig. & sump. fun. Mortuorū (inquit) reliquias, ne sanctum municipiorum ius polluatur, intra ciuitatem condi iampridem uetitum est. Reliquias mortuorum, corpora siue cadauera, siue ossa uocat, quòd relicta, uel reliqua hominis sunt cum animus migrarit. Cic. De legib. lib. 2. Marij sitas reliquias dißipari iußit Sylla. fuerat enim non crematus Marius, sed humatus. Hunc morem Athenienses, hunc Israelitæ siue Iudæi semper habuerunt extra urbes sepeliendi. Et certe res fœda est, & multis incōmodis obnoxia, putrescentia cadauera intra ea mœnia, ac penè intra eosdem parietes, in quibus uitam degas, & corpora mortuorū condere. Hinc enim aeris quo perpetuo uescimur corruptio: hinc capitis illi grauißimi dolores, hinc contagiosa ulcera, hinc pestilentia qua totæ interdū ciuitates populiq; delentur. Non negamus tamen & alias esse pestilentiæ causas, quàm ex aere corrupto, sed hanc esse maximam & periculosißimam, propter huiusce spiritus necessitatem affirmamus.

Pedes triginta quoquouersus designet.] Designare est describere, & quibusdam quasi signis & limitibus definire. Hinc Liuius, designare templo Iouis fines dixit. Item Cicero De inuentione libro primo, de partitione loquens: Ex qua, inquit, certum quiddam designatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. A designo Designator uenit, qui funeribus ducendis, & sepulchris designandis præest. de quo intellexisse uidetur Horatius Epistolarum libro primo:

Dum ficus prima calorq;
Designatorem decorat lictoribus atris.

Sunt qui aßignet in Cicerone legere malunt, adducuntq; ex ueteribus marmoribus illud: Locus aßignatus monumento. & Ciceronis ad Atticum libro tertio illud: Mihi ex agro tuo tantum aßignes, quantum meo corpore occupari potest. Quanquam uero parum interest, designet an aßignet legatur: mihi tamen prior lectio magis probatur. nam præter ea quæ dixi, ea confirmatur etiam fide penè omnium codicum emendatiorum. Quod sepulchrum ipsius.] Loquitur de sepulchri iure, quorum sunt duo genera, alia familiaria siue gentilia, alia hæreditaria dicuntur. Familiaria sunt, quæ quis sibi familiæq; suæ constituit. Hæreditaria autem, quæ quis sibi hæredibusq; suis constituit. Hæc Caius Lege quinta, De religiosis. Iustinianus uero eodem titulo, C. li. 3. ius sepulchri, inquit, tam familiaris quàm hæreditarij, ad extraneos etiam hæredes: familiaris autem ad familiam, etiam si nullus ex ea hæres sit, non etiam ad alium quenquam, qui non est hæres, pertinere potest. Hoc ius sepulchri quod Sulpitio eiusq; posteris publice datum est, ad ea sepulchra pertinet, quæ familiaria nominantur.

FINIS

A IN PHILIPPICAM DECIMAM ARGVMENTVM



ARCVS Brutus cum interfecto Cæsare Antonium uideret in reconciliata concordia nō perſiſtere, ſed plebem concitare, ueteranos allicere, municipia & colonias ſollicitare: & breuiter ad regnum non iam obſcure ſpectare, & Romæ omnia pro ſua libidine agere: ſe uero non ſatis uirium uel ad reſiſtendum, uel ad tuendum habere, urbem reliquit: atq; in Græciam profectus, Athenas uenit. Ibi aliquandiu commoratus, & philoſophiæ operam dabat (audiebat enim Theomneſtum & Cratippum, quorum ille Academicorum, hic Peripateticorum facile eius ætatis erat princeps) & interea tamen apparatum belli non negligebat, ut & haberet unde in rebus aduerſis ſolatium peteret: & unà tamen reipublicæ ſuæq; patriæ quocunq; modo poſſet, uti eius perſona dignum erat, ſaluti conſuleret. Erant eodem tempore Athenis tum nobilitatis Romanæ, tum aliarum ciuitatum permulti adoleſcentes, qui bonarum artium gratia eò confluxerant: eos ſibi M. Brutus adiunxit, atq; in primis M. Ciceronem, M. Tullij filium, quem, quòd magno & generoſo animo eſſet, & tyrannos uehementer odiſſet, & magnopere admirabatur Brutus, & maxime diligebat. Itaq; cum in magna exiſtimatione iam apud reges & populos pleroſq; eſſet: & exercitum non con- B temnendum haberet, atq; Antonianas partes, Ciceronis filij potiſſimum opera, uarijs in locis afflixiſſet, & maiora moliretur, literas ad ſenatum de rebus omnibus dedit. Eas Panſa conſul in ſenatu, quod conſulis munus eſt, recitauerat, Brutumq; laudauerat, ut acta & geſta eius confirmarentur, eiq; prouincia Macedonia, Illyricum, totaq; Græcia gubernanda ac defendenda committeretur. Hic Q. Fuſius Calenus, qui ſemper ab alijs diſſentire, præſertim in Antonij cauſa, ſolitus erat, ſententiam rogatus, negauit tantam M. Bruto potentiam & autoritatem eſſe concedendam: tum quod ea periculoſa eſſet reipublicæ, tum quòd ueteranos ea res eſſet offenſura. Igitur Caleni ſententia diligenter primum reprehenſa, M. Cicero Marcum Brutum meritis ornat laudibus, & commoda occupatæ ab illo Macedoniæ oſtendit, remouetq; omnem à tali uiro ſuſpicionem. Deinde quæ de ueteranis obijciebantur facile diluit, ad tuendam libertatem grauiſſime hortatur. Poſtremo ſententiam ſuam dicit de actis & rebus à Bruto geſtis: atq; ea decreto ſenatus confirmanda eſſe cenſet: Illyricum, Macedoniam, totamq; Græciam illi tuendam & cuſtodiendam tradit, niſi quod Macedoniam prouinciā cum Q. Hortenſio obtinere uult, quoad ei ex ſenatuſconſulto ſucceſſum ſit.

CAVSA

Conſultationem eſſe nemo ambigit. Conſultatur enim, Num ſint acta & geſta M. Bruti ſenatuſconſulto confirman- C da, quod negat Fuſius Calenus, ait M. Cicero.

STATVS

Statum autem coniecturæ eſſe neceſſe eſt: ſiquidem ueriſimilibus & ſignis oſtenditur, nihil periculi metuendum eſſe à Bruti potentia, ſed potius ſalutem reipublicæ eſſe ſperandam.

DICENDI GENVS

Vtitur oratione penè quotidiana, niſi quòd confirmata cauſa paulo uehementius ad ſeruitutem depellendam, & libertatem capeſſendam hortatur: reliqua ſedata conficit oratione.

DISPOSITIO

Ad inſtitutum ſuum totam collocationem accommodat orator. Nam & more eorum qui ſententiam in ſenatu dicunt, pauca præfatus, ad unam ſe confert refutationem, qua abſoluta, ſententia ſua dicenda, concludit orationem. Quod ſi quis miretur, oratorem in una refutatione, ſiue reprehenſione conſiſtere, ſciat id artis eſſe magnæ atq; prudentiæ: quod D quidem ipſe ſub Antonij Oratoris perſona, de Oratore libro ſecundo, docet his uerbis: Mea autem ratio in dicendo hæc eſſe ſolet, ut boni quod habeat, id exornem, augeam, exaggerem, ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream. A malo autem uitioq; cauſæ recedam, non ut id me defugere appareat, ſed ut totum bono illo ornando & augendo diſſimulatum, obruatur. & ſi cauſa eſt in argumētis, firmiſſima queq; maxime tueor, ſiue plura ſunt, ſiue aliquid unum. Sin autem in conciliatione, aut in permotione cauſa eſt, ad eam me potiſſimum partem, quæ maxime commouere animos hominum poteſt, confero. Summa deniq; huius generis hæc eſt, ut ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela: ſin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Hæc ille. Ex quibus iam conſtare puto, cur oratores interdum aliquam orationis partem omittant: nimirum quòd ea quæ omittitur, infirmior: quæ retinetur, firmior & melior eſſe uideatur.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMA. A



AXIMAS tibi Pansa gratias omnes & habere & agere debemus, qui cum hodierno die Senatum te habiturum non arbitraremur, ut M. Bruti præstantissimi ciuis literas accepisti, ne minimã quidem moram interposuisti, quin quamprimum maximo gaudio & gratulatione frueremur. cum factum tuum gratũ omnibus debet esse, tum uero oratio, qua recitatis literis usus es. declarasti enim uerum esse id, quod ego semper sensi: neminẽ alterius, qui suæ confideret, uirtuti inuidere. Itaq; mihi, qui plurimis officijs sum cũ Bruto, & maxima familiaritate coniunctus, minus multa de illo dicenda sunt. quas enim † partes ipse mihi sumpseram, eas præoccupauit oratio tua. Sed mihi P. C. necessitatem attulit paulo plura dicendi, sententia eius: qui rogatus est ante me, à quo ita sæpe dissentio, ut iam uerear, ne id quod minime fieri debet, minuere amicitiam nostram uideatur perpetua dissensio. Quæ est enim ista tua ratio Calene? quæ mens? qui nunquam post Calen. Ian. idem senseris, quod is qui te sententiam prius rogat?

† al. sententias

B

Maximas tibi Pansa gratias.] A consulis persona & diligentia exorditur: quæ res ad conciliandos auditores, ut amicè audiant, plurimum ualet. Est enim beneuolentiæ locus, unus ex ijs quos Rhetores tradunt. *Et habere & agere.*] Habemus animo, agimus uerbis. & nota, habere gratias. *Senatum te habiturum.*] Consulum enim munus erat potissimũ, & Dictatoris, conuocare Senatum, deinde etiam prætoris, & Tribunorum, & interregis, id quod exempla Historicorum & Oratorum plurima docere possunt. *Maximo gaudio.*] Attentionis locus ex lætitiæ insperatæ magnitudine. *Et gratulatione.*] Publica, Bruti causa, lætitia. nam ut gaudemus nobis, ob nostra cõmoda: sic gratulamur alijs, ob ea quæ illis feliciter obtigerunt. Cicero in Epistolis Famil. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Ergo eodem modo de gaudio & gratulatione dicendum est. *Cum factum tuum.*] Diligentia in habendo siue conuocando Senatu, ut hoc gaudio & gratulatione frueremur. *Tum uero oratio.*] Qua M. Bruti uirtutem candide laudasti.

Declarasti enim.] Tum facto, tum oratione tua. *Neminem alterius.*] Exornat & orationem, & Pansam, ab eo inuidiam remouens, & uirtutem eidem tribuens. Est enim γνώμη, hoc est sententia, sumpta de more & natura bonorum uirorum: qui alterius, quòd ipsi uirtute prædití sunt, uirtuti non solent inuidere. Angusti enim & parui animi est inuidentia: oriturq; ex eo quòd in altero uidet, quod aut in se esse diffidit, aut minus excellens esse putat. Itaq; inuidet ei, quod sibi deesse existimat: & ut est angusto, ut dixi, animo, minima quæq; magna & eximia ducit, ac tantum sibi detrahi putat laudis, quantum tribuitur alteri. Hinc fit ut nec deus alicui inuideat, nec deo similes homines: quòd nihil in alijs uideant, quo ipsi careant, cum in se omnia, non in externis rebus, reposita habeant. Et aduerte sententiã hanc, transiectione figura, quæ transgressionis est species, pulchrè & concinnè conclusam. Neminem, alterius, qui suæ confideret, uirtuti inuidere. transiecta enim siue transposita sunt illa, Qui suæ uirtuti confideret. Nam simplex & naturalis compositio hæc esset: Neminem alterius uirtuti inuidere, qui suæ confideret. *Itaq; mihi.*] Attentos facit ex eo quod breuiter se esse dicturum pollicetur, nec omnia repetiturum, quæ Consul de M. Bruto dixerit. Quanta uero familiaritate esset Tullius cum M. Bruto coniunctus, quantiq; illum faceret, & uicissim Brutus Tullium, testantur præter mutuas epistolas, libri eidem Bruto à M. Tullio dicati & inscripti, Orator, de Natura deorum, de Finibus bonorum & malorum, & Tusculanæ quæstiones, atq; alia passim in suis scriptis testimonia. *Quas enim partes.*] Declarat cur minus multa, id est pauciora sibi dicenda sint. & partes, officium & munus significant. hinc illa: meæ partes, tuæ partes sunt, ab omnibus elegantibus scriptoribus usitata. sunt qui legant, Quas sententias: qua ratione ducti, non uideo.

C

Sed mihi P.C.] Ἀποστροφὴ cum præmunitione ad id quod adgreditur, hoc est, ad Q. Fusii reprehensionem, quæ præmunitio loco propositionis posita est. *Necessitatem attulit.*] Afferre necessitatem eleganter dicitur, pro cogere. *A quo ita sæpe dissentio.*] In omnibus ferè Philippicis à tertia & deinceps, sed aperte in octaua. Ac necesse quidem erat dissentire, quod Calenus non obscurè studeret Antonio. Et hic est finis exordij. *Quæ est enim ista tua ratio Calene?*] Reprehensionis siue refutationis principiũ, sanè uehemens & liberum. *Ista tua ratio?*] Quod tuum est institutum? quis sensus? quod propositum? quid sequeris? quam rationem sequeris? male legunt quidam, Oratio, cum ratio legendum sit. Sic octaua Philippica: Excogitare quæ tua ratio sit, Calene non possum.

D

Quæ mens?] Qui animus? quod consilium? quæ cogitatio? Virg. Aen. 1.

Quo facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

Qui nunquam.] Vt nunquam idem senseris, quod gener tuus Pansa consul: qui quòd senior & socer eius es, te semper primum sententiam rogat? Rogandarum uero sententiarum in Senatu hic erat modus. Primum rogandi ius erat Consulis, atq; eius magistratus interdum, qui Senatum conuocabat, ut Dictatoris, uel Tribuni: qui ubi retulerant ad Senatum, quæ referenda erant, sententias rogabant hoc ordine, ut primi rogarentur consulares, id est, qui consules fuerant: aut si fuisset, consul designatus ante omnes consulares rogabatur: deinde ordine reliqui, qui honoribus functi fuerant in Republica, & imperio Rom. administrando, post cæteri Senatores. Ex consularibus autem, interdum illud obseruatũ est, ut qui ætate reliquos anteibat, is quoq; primus rogaretur, deinceps reliqui, prout æuo gran-

A *diores erant. Iuuenes uero uix rogabantur, & raro: quasi pudor esset, iuuenem sene sapientiorem uideri. Nonnunquam uero etiam magna in Remp. merita alicuius faciebant, ut is quasi Senatus princeps haberetur, primusq; rogaretur, quod Pompeio & Cæsari datum fuit. Itaq; Pansa primum Calenum rogauit, quod ætate reliquis consularibus maior esset, nisi fortasis etiam affinitatis hic rationem quoq; habuit, & eum idcirco primũ rogauit, quod eius socer esset. Sed antequam ex hoc loco discedamus, operæprecium est referre quædam Senatoris officia quæ Cicero de Legibus tertio breuiter ac diuinitus consignauit.* QVAEQVE IN PATRIBVS AGVNTVR, MODICA SVNTO. *Id est, modesta atq; sedata. Actor enim moderatur, & effingit, non modo mentem ac uoluntates, sed penè uultus eorum apud quos agit, quod est in Senatu non difficile. Est enim Senator is, cuius non ad auditorē refertur animus, sed qui per se ipse spectari uelit.* HVIC IVSSA TRIA SVNT, VT ADSIT, NAM GRAVITATEM RES HABET CVM FREQVENS ORDO EST, VT LOCO DICAT, ID EST ROGATVS, VT MODO, NE SIT INFINITVS. NAM BREVITAS NON MODO SENATORIS SED ETIAM ORATORIS MAGNA LAVS EST IN SENTENTIA.

Cur nunquam tam frequens Senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam secu-
B tus sit? cur semper tui dissimiles defendis? cur cum te & uita & fortuna tua ad ocium & ad dignitatē inuitet: ea probas, ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica & ocio communi, & dignitati tuæ? nam ut superiora omittam, hoc certe† quod mihi maximā admirationem mouet, non tacebo. quod est tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes uenerari debemus, solus oppugnas? alterum circumsederi non moleste fers: alterum tua sententia spolias his copijs, quas ipse suo labore & periculo ad Reipub. non ad suum præsidium, per se, nullo adiuuante confecit. quis est iste tuus sensus? quæ cogitatio? Brutos ut non probes, Antonios probes? quos omnes charissimos habent, tu oderis? quos acerbissime omnes oderunt, tu constantissime diligas?

† al. quod me maxima admiratione mouet

Cur nunquam.] Vrget acrius, & singulis non modo sententijs, sed etiam uerbis, argumenta complectitur. Idcirco autem Cicero tam uehementer agit, quòd morositatem in sententia dicenda, diu tam multumq; pertulit. Neq; tamen iracunde agit dum obiurgat acrius, quemadmodum huic eidem Fusio dixit octaua Philippica: Vehementer, inquit, me agere fateor, iracunde nego. Omnino irasci amicis non temerè soleo, ne si merentur quidem. æqua igitur est obiurgatio atq;
C *contentio, quæ pro Republica non sine animi summo dolore, sine tamen uerborum contumelia suscipitur.*

Vt unus aliquis.] Quasi diceret: Cum tuam sententiam nemo sequatur, necesse est, aut te unum sapere, reliquos omnes desipere: aut te desipere, & reliquos sapere. Sed reliqui sapiunt, & è Repub. sententias dicunt: te uero desipere quæ mox dicam, comprobabunt. Cur semper tui dissimiles, defendis?] Mitigat reprehensionem, cum eum dissimilem Antonij esse dicit. Interea tamen in eo quod illum defendit, eius esse similem, non uerbo, sed re significat, quod magis ex sequentibus elucebit. Cur, cum te.] Talis ferè est in Aristodemum illa Demosthenis obiurgatio, Philippica quarta: Dic mihi, inquit, Aristodeme, cur cum exploratum habeas (quis enim hoc ignorat?) priuatorum hominum uitam esse tutam & ociosam: eorum uero qui in Rep. uersantur, criminosam, & lubricam, & multorũ certaminũ, malorumq; plenam, quietam & ociosam non amplecteris potius, quàm eam quæ quieti & ocio inimica est? Et uita.] Tuæ uitæ ratio. significat uitæ genus, quod sequebatur Calenus, quietem & ocium desiderare. nisi uitā pro ætate accipiamus, ut significet ætatem eius ingrauescentem, quietem optare, non turbas & certamina. Nam ut agere uitam: sic etiam agere ætatem usurpat Cicero. Et Poeta Georg. 4.

Si uero (quoniam casus apibus quoq; nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo.

D *Vitam enim intelligit poeta longam ætatem, pro quo etiam dicunt, longa dies. ut Ouidius:*

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Et fortuna tua.] Innuit Calenum admodum ampla in fortuna esse, quæ illum ad ocium uocet, & ad dignitatem, ut ea potius conseruare studeat, quàm ea tentare, quæ nunquā posit assequi: magno etiam periculo, quæ habeat, amittendi. Ea probas.] Cum Antonij causam probas & tueris. Ea decernis.] Cum tuo decreto legiones abducis à Bruto, atq; alia eius generis facis. Ea sentis.] Nimirum dum, quos omnes charissimos habent, tu oderis: quos acerbissime omnes oderunt, tu constantissime diligas. Ocio cōmuni.] Paci & quieti ciuium. sic enim interdum accipitur ocium, ut opponatur bello & contentionibus. supra Philip. 8. Semel enim pacem defendi? non semper ocio studui? Item contra Rullum Orat. 2. Quid tam populare quàm ocium? Item: Vos omni ratione ocium tenere debetis. de pace enim loquitur, ex qua ocium sequitur. hinc factum, ut pro pace, ocium dicatur. Et dignitati tuæ.] Quam perturbata Rep. retinere non poteris. Nam ut superiora omittam.] Quæ non satis è Rep. sed pro Antonio dixisti & decreuisti. quæ autem sint ex superioribus orationibus disci potest. Hoc certe.] Hoc profert, quasi reliquis omnibus grauius & insolentius. Idcirco mouet admirationem: magna enim & insolita mirari solemus.

Quod est tibi cum Brutis bellum?] Cum Marco & Decimo. tanquam diceret, nullum. quare sequitur indigne facere Calenum, qui sine causa Brutos persequatur & uexet.

Cur eos

Cur eos quos.] Breui enthymemate perstringit, eoq; ex contrarijs: uenerari, oppugnare. *Alterum circumsideri.*] Decimum siue Decium Brutum ab Antonio Mutinæ obsideri gaudes. A *Alterum.*] M. scilicet Brutum. Iniquum est enim hominem ijs rebus spoliari, quas suo labore & periculis comparauit: uerum multo iniquius spoliari ijs quæ quis non sibi, sed Reip. suo magno labore confecit. *Per se, nullo adiuuante.*] Dicimus etiam, per se, sine adiectione. De orat. lib. 2. Tu qui rationem dicendi per te ipsum: usum autem per nos percipere potuisti.

Quis est iste tuus sensus, quæ cogitatio?] Versat eandem rem, & eò sæpius redit, quo magis odiosum faciat. Hæc uerba idem uolunt quod illa: Quæ est enim ista tua ratio Calene, quæ mens? *Brutos ut non probes.*] Aliud ex contrarijs enthymema, sed ex ijs contrarijs quæ negantia uocant Latini, Græci ἀποφατικὰ, contraria aientibus: ut si hoc est, illud non est, inquit Cicero in Topicis. contradictoria ab indisertis dialecticis nominantur. *Quos omnes.*] Tertium ex ijs contrarijs enthymema, quæ ἐναντία Græci, Cicero aduersa uocat: tam enim sunt aduersa, oderis, diligas, quàm odium & beneuolentia siue amor. Illud autem exornationem habet, & concinnitatem, quod bina contraria inter se transiectione cõmutat: Quos omnes amant, oderis: quos oderunt, diligas. In quo in est maxima Caleni uituperatio, siquidem uerum est illud, bonos à bonis amari, ab improbis improbos. Item illud: simile gaudet simili: Item tritum illud apud ueteres: pares cum paribus. Nisi enim Calenus talis, non tam constanter Brutos odisset, amaret Antonios. Magna enim uis, magnum pondus est in nominibus. Brutos cum audis, intellige uiros præstantissimos, & libertatis assertores, ac populo Romano charissimos: Antonios uero accipe nequissimos, & Reipub. oppugnatores, ac Romanis inuisos. Proinde nomen Brutorum cum laudatione pronunciandum est: Antoniorum contrà, cum uituperatione. B

Amplissimæ tibi fortunæ sunt, summus honoris gradus: filius, ut & audio, & spero, natus ad laudem, cui cum Reipub. causa faueo, tum etiam tua. quæro igitur cum Bruti ne similem malis, an Antonij? ac permitto ut de tribus Antonijs eligas quem uelis. D. Brutus melior est, inquies. cur igitur non ijs faues? cur non eos laudas, quorum similem filium tuum esse uis? simul enim Reip. consulis, & proponis illi exempla ad imitandum.

Amplissimæ tibi fortunæ sunt.] Exponit quæ nam sint ea quæ illum ad ocium & dignitatem inuitent, ut ante monuit. sunt uero illa, maximæ opes, & summus consularis dignitatis gradus, & bona spe atq; indole filius. Hæc ut conseruet, deberet Calenus cum ijs sentire, qui Rempublicam tuentur, ocioq; consulere: non se magno cum omnium odio, in Antonianas turbas conijcere, unde non facile possit emergere. *Summus honoris gradus.*] Qui enim consulatu functus est, ad summum honoris gradum qui ordine deferatur in Republica ascendit. Nam dictatura extra ordinem & raro deferri solet. Idcirco Cicero in Catilinam, tertia extrema, quo tempore consul erat, Mihi quidem ipsi, inquit, quid C est quod iam ad uitæ fructum possit acquiri? cum præsertim neq; in honore uestro, neq; in gloria uirtutis quicquam uideam altius, quo quidem mihi libeat ascendere. *Natus ad laudem.*] Fato quodam editus, aptus, habilis, factus. Dicitur etiam, Natus laudi. In Pisonem: Ille gurges atq; helluo natus abdomini suo, non laudi atq; gloriæ. Hac formula eleganter rerum & personarum proprietates enunciantur, ut pro eo quod inelegantes Dialectici dicunt, Risibile animal, nos natum ad risum. Cicero de Fin. lib. 2. Hi non uiderunt ut ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem. sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem deum.

Quæro igitur.] Confert breuiter Brutum cum Antonio, ut exemplo contrario confessionem extorqueat.

Ac permitto.] Id est, optionem do, uel eligendi potestatem facio. *Vt de tribus Antonijs.*] Marco, Caio, & Lucio. Vult enim omnes esse nequissimos. *D. Brutus melior est.*] διαλογισμὸς, id est sermocinatio. Tribuit enim sermonem Caleno, eumq; exprimit cum personæ dignitate. *Cur igitur.*] Concludit ex ijs quæ à Caleno concessa sunt. Concessum enim est, Brutum, Antonio esse meliorem: ex quo illud sequebatur, eam ob causam malle filium suum Bruti similem esse, quàm Antonij. Quod si ita est, sequitur eum debere Bruto potius fauere, Brutum laudare, quàm Antonium. quod cum non faciat Calenus, sibi ipse contradicit: dum eundem, & laudandum esse, & non laudandum dicit. Atq; in hunc modum illum Cicero paulatim ad absurdum compulit. Verum potuisset fortassis Calenus medium ali- D quod reperire: si dixisset, excepta ea causa, magis Brutum quàm Antonium esse laudandum.

Simul enim Reipub.] Id est, si Brutum laudares, quod alij faciunt, eadem opera Reipublicæ consuleres: cuius salus ex Brutis pendet, & filio tuo exempla uirtutis proponeres, id est ipsos Brutos, ad imitandum. Solent enim filij eos admirari, quos parentes admirari & laudare uident. Nam cum ipsi in illa ætate iudicio careant, necesse est illos maiorum suorum sequi iudicium & sensum. Itaq; summa cautio est parentibus adhibenda, ne eos quos nolint filios suos imitari, commendent aut foueant.

Hoc uero Q. Fusi copiosius sine offensione nostræ amicitiæ, sic tecum, ut à te dissentiens, Senator quæro: ita enim dixisti, & quidem de scripto: nam te inopia uerbi lapsum putarem, nisi tuam in dicendo facultatem nossem: literas Bruti recte & ordine scriptas uideri. quod quid est aliud, quàm librarium Bruti laudare, non Brutum? usum in Republica Calene magnum iam habere & debes & potes. quando ita decerni uidisti? aut quo S. C. huius generis, sunt enim innumerabilia, bene scriptas literas, decretum à Senatu? quod uerbum tibi non excidit, ut sæpe fit, fortuitu. scriptum, meditatum, cogitatum, attulisti. hanc tibi consuetudinem plerisque in rebus † bonis *al. bonos*
obtrectan-

A obtrectandi si quis detraxerit, qui tibi uelit obtrectare, non relinquetur.

Hoc uero Q. Fusi.] Grauiorem parat reprehensionem, & propius adgreditur Fusii sententiam. quare non sine caussa utitur præmunitione, & offensionē amicitiæ, ut fieri par est, uitat. *Vt à te dissentiens Senator.*] Hoc ipso colore usus legitur Tiberius Senator dissentiēs in Curia à Q. Aterio. ignoscas, inquit, rogo si quid aduersus te liberius, sicut Senator dixero. Præceptum est Platonis de Rep. & Ciceronis de Officijs, ut eos aduersarios existimemus, qui arma contra ferant: non eos qui suo iudicio tueri Remp. uelint, qualis fuit inter P. Africanum, & Q. Metellum, sine acerbitate dissensio. Talem sibi cum Caleno dissensionem uult esse Cicero. *Ita enim dixisti.*] Caleni profert sententiam, ut eam acrius reprehendat. *Et quidem de scripto.*] De scripto solent homines, quo de agendum est, pronunciare: aut propter prolixitatem, memoriæ diffidentes: aut ne plus minusue dicant, quàm æquum postulat: aut quàm sibi ipsi proposuerunt. In scriptis nihil ferè esse solet non meditatū. Oratio plerunq; subita est, atq; etiam si meditata potest aberrare. Idcirco grauiora peccata sunt, quæ scripto cōmittuntur, quàm quæ fluida uoce. Leuiora enim sunt quæ repentinò accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata peccantur. De scripto dicere, pro eo quod dicunt, legere scriptū, aut scriptam sententiam legere, eleganter & Romanè dicitur. Cicero pro Plancio: Recitetur oratio, inquit, quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est. Item Famil. Epist. lib. 10. Ita enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta sententia est. Disiuncta legi & pronunciari debent, ut de & scriptum duo uerba esse intelligantur. *Nisi tuam in dicendo faculta-*
B *tem nossem.*] Non est dubium, quin hæc cum aliquo sale & ironia (ut salsus & iron erat Tullius noster) dicta dici possint. tamen disertum fuisse, & aliqua facultate dicendi ualuisse, ostendit ipsius contra Ciceronem apud Dionem oratio, quàm hisce, deo uolente adiungemus. Copiose enim, ut uidetur dixit, sed tamen etiam maledice: ita ut ne à contumelia quidem abstinuerit. *Literas Bruti.*] Hæc fuit pars Caleni sententiæ, quam ut malignam in laudandis M. Bruti literis reprehendit, & amplificat ab rei insolentia, & moribus Caleni. *Quàm librarium Bruti laudare.*] Interpretatur Caleni sententiam, ut irrideat & refellat. Librarius uero à Cicerone etiam scriba uocatur. à manu seruum, & ab Epistolis, & amanuensem appellat Suetonius: Vulgus, scriptorem, & cancellariū, & secretarium. Librarius etiam, ut alibi indicauimus, significat librorum descriptorem, quo nomine fortassis non male typographos uocaremus. Nam quod typis hodie faciunt typographi nostri, id manu faciebant, & stylo siue calamo. Sed hæc ars diuina est, & diuino beneficio inuenta: de qua plura dicerem, nisi eius commoditas, & utilitas summa, tam late pateret, quàm solis lumen, & ipsam terram ambiens Oceanus. *Vsum in Rep.*] τὴν πρᾶξιν, practicam uulgus: quidam experientiā, alij peritiam uocant: Cicero semper usum in hoc genere usurpat. significat autem in negotijs tractandis consuetudinē, & prudentiam quandam longo negotiorum usu comparatam. *Quando ita decerni uidisti?*] Quasi diceret nunquam: in quo significat illum Reip. imperitum esse & stupidum, qui ita decernat, & rei nouitatē insolentiamq; obijcit. *Bene scri-*
C *ptas literas.*] In his paucis uerbis tota uersatur controuersia. Bene enim scribere ambiguū est. potest enim significare, sententiose, doctè, eruditè, ornatè, ut etiam bene dicere, quod oratoris esse sæpe docet Orator. potest item accipi in eam partem, in quam accipit Cicero, hoc loco, pro eo quod est bene & eleganter literas pingere, seu formare, quod boni librarij & scribæ est. Sed Cicero non tam reprehendit uerba quàm Caleni sententiam: qui cum de Bruto ipso, eiusq; uirtute dicere debuisset, his relictis de quibus agebatur, de literis sententiam dixit. *Quod uerbum tibi non excidit.*] Exaggerat Caleni insolentiam, ex causa uoluntaria atq; consilio. Nam si quod uerbum excidit, inter loquendum, ut sæpe fit, in imprudentiam reijci culpa potest: quæ autem scripta afferuntur, meditata, cogitataq; putantur: idcirco uix excusationem habent. *Hanc tibi consuetudinem.*] Quasi diceret: hoc uno uitio laboras, quod libenter bonis obtrectare atq; inuidere soles, ex quo tibi odia omnium concilias, qui si hoc uitio careres, nemo tibi obtrectaret, nemo inuideret.

Bonis obtrectandi.] Alij codices habēt, bonos obtrectandi, atq; ita legit etiā Budæus in cōment. linguæ Græcæ, ubi de immutata constructione loquitur. Sed tamen quoniam Cicero semper hoc uerbum cum tertio casu cōiunxit, atq; etiam reliqui ueteres scriptores, soluśq; Plinius in naturæ historia, quartum addiderit casum, idq; fortassis semel tantum, Bonis legendum censeo. Obtrectare autem est, contra rectè tractantes facere, obloqui, alienam loquendo laudem minuere, aduersari, contradicere. Cicero Tusculana quarta, inter æmulari & obtrectare aliquod discrimen constituit: Obtrectare uero, inquit, aut illa uitiosa æmulatione, quæ riualitati similis est, æmulari, quid habet utilitatis? cum sit æmulantis angi alie-
D no bono, quod ipse non habeat: obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat.

Quamobrem collige te, placaq; animum aliquando, & mitiga: audi uiros bonos, quibus uteris multum: loquere cum sapientissimo homine genero tuo sæpius, quàm tu ipse tecum. tum deniq; amplissimi honoris nomen obtinebis. An uero hoc pro nihilo putas? in quo equidem pro † amicitia, tuam uicem dolere soleo, efferri hæc foras, & ad populi Romani aures peruenire: ei qui primus sententiam dixerit, neminē assensum. quod etiam hodie futurum arbitror.

al. pro amicitia tua, iure dolere soleo

Quamobrem collige te.] Concludit hanc reprehensionis partem, cum amica hortatione, qua illum admonet ut propius rem consideret & expendat. Idcirco ait: collige te, id est, resipisce, redi ad teipsum, noli indulgere inuidiæ, obtrectandi studio. Cum igitur eum hortatur ut se colligat, significat illum perturbatum esse, habereq; animi partes affectibus dissipatas. Nam ut Cicero Tusculan. quarto ait, Quid est seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere? *Placaq; animum.*] NIHIL ENIM LAVDABILIVS, NIHIL MAGNO ET PRAECLARO VIRO DIGNIVS PLACABILITATE ATQVE CLEMENTIA, ut idem Cicero inquit, de Officijs libro primo.

Audi uiros bonos.] *Bonorũ cõsilijs obtẽpera, qui sunt tibi familiares: uel cuiusmodi est gener tuus Pansa, uir pruden tissimus.* *Quàm tu ipse tecũ.*] *Scilicet loqueris. Secũ loquitur, qui se, non aliũ in consiliũ adhibet, tanquã uel appetitus, uel ratio inferior, cum superiore ratione deliberet: quod quidem sapienti faciendum est, ne deteriora hominum consilia illum à melioribus abducant. Itaq; Curionem filium Cicero Epist. Famil. lib. 2. contrario modo atq; Calenum hortatur. Tecum loquere, inquit, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera: Alteri qui melius consilium dare posit, quàm tu, non facile inueniri potest, tibi uero ipsi certe nemo melius dabit. At qui consilio non ita ualent, aut cõmoti aliqua perturbatione sunt, aut in re aliqua dubij, non se, sed alium audire debent, & cum alio loqui. Videndum tamen est, quàm sit ille fidus, quàm prudẽs, quàm bonus, ne aut in infidos, aut in stupidos, aut in improbos incidamus. Itaq; Cicero nõ dicit, loquere cum alio, sed cum sapientissimo homine genero tuo. Verisimile enim est, generum fidum esse, & sapientem, etiam bonum.* *Tum deniq;.*] *Fructum recti cõsilij docet, summũ honorem summamq; laudem esse. hortatur igitur à fine.* A

An uero pro nihilo.] *Iam etiam turpitudinem facti ostendit, ut partim laude, partim turpitudine & ignominia excitet ad eam sententiam dicendam, quæ sit honestati atq; æquitati consentanea, quamq; pleriq; sequi possint, non quam nemo sequatur, quam probet nemo.* *Pro amicitia, tuam uicem dolere soleo.*] *Budæus in cõment. linguæ Græcæ legit: pro amicitia tua, iure dolere soleo: uultq; Ciceronem, pro amicitia tua dixisse, pro eo quod est, pro amore quo te prosequor: hoc est, pro ea amicitia qua tu à me diligeris: In quo, inquit ille, Cicero Platonem imitatus est, qui in Gorgia ita loquitur: καί μοι μηδὲν ἀχθεσθῇς. εὐνοίᾳ γὰρ ἐγὼ τῇ σῇ. Sed uide, inquit, ne mihi succenseas. quod enim dicturus sum, tua dicam beneuolentia: hoc est, pro ea amicitia, qua in te afficior. Hanc ego Budæi lectionem, etiam si contra Vallæ præcepta esse uideatur, non omnino improbandam arbitror: præsertim cum etiam Victorius ita legat, tamen priorem lectionem ausim præferre, quod ea ab eodem Cicerone in his ipsis Philippicis comprobetur, cum illa altera insolens prorsus sit. Philippica prima sic loquitur, cumq; è uia languerem, & mihimet displicerem, nisi, pro amicitia, qui hoc diceret: plena esset locutio in hunc modum: pro amicitia quæ mihi est tecum: uel, pro amicitia quam cum eo habeo, quo modo sæpe loquitur Tullius.* B

Legiones abducis à Bruto. quas? nempe illas, quas ille ab Antonij scelere auertit, & ad Rempublicam sua autoritate traduxit. rursus igitur uis nudatũ illum, atq; solum ab Republica relegatum uideri. uos autem P. C. si M. Brutum deserueritis, & prodideritis, quem tandem † ciuẽ habebitis, quem ornetis? cui fauebitis? nisi forte eos qui diadema imposuerunt, conseruandos, eos qui nomen † regis sustulerunt, deserendos putatis. Ac de hac quidem diuina atq; immortali laude Bruti silebo, quæ gratissima memoria omnium ciuium inclusa, nondum autoritate publica testata est. tantam ne patientiam, dij boni, tantam moderationem, tantam in iniuria tranquillitatem & modestiam? qui cum Prætor urbanus esset, urbe caruit: ius non dixit, cum omne ius populi Romani recuperasset: cumq; concursu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri solebat, præsidioq; Italiæ cunctæ septus posset esse, absens iudicio bonorum defensus esse maluit, quàm præsens manu: qui ne apollinares quidem ludos, pro sua populiq; Rom. dignitate apparatos præsens fecit, ne quam uiam patefaceret sceleratorum hominum audaciæ. C

al. ciuẽ inquã ornabitis? cui fau.
al. regni

Legiones abducis à Bruto.] *Pergit ad cæteras Caleni sententiæ partes refellendas, & primo ostendit indignitatem si exercitu suo spolietur Brutus: deinde quantum ex eo immineat periculum Reipublicæ. censuerat enim Fusius, ut Brutus copias dimitteret: de quibus copijs paulo post dicentur plura.* *Quas? nẽpe eas.*] *Amplificat facti iniquitatem, ex adiunctis, & ab legionum usu. à malo usu eas auertit, & ad bonum usum conuertit, ab Reip. hostibus ad Reipub. obsequium. Obseruat Budæus in cõment. L. Græcæ, illud, NEMPE, hoc loco, pro scilicet, siue, credo, intelligendum esse, ut seruiat interrogationi, quæ uim habeat ironiæ, significetq; turpem futuram responsionem, eo modo quo Græci, Νὴ Δία interdum usurpant, profertq; Demosthenis exempla, quæ ibidem legi atq; inspici possunt.* *Rursus igitur.*] *Rursus, inquit, id est iterum, quia initio M. Brutus nudatus præsidio Roma discessit, quasi relegatus à Republica esset. Nunc igitur si suis copijs nudaretur, relegatus iterum uideri posset, quod quidem tanta Bruti uirtute esset indignum.* D

Vos autem P. C.] *Redit ad patres omisso Caleno, ut ad causæ statum propius accedat: ostendatq; Bruti potentiam non esse metuendam. Capita prima sunt, causæ, euentus, facultas, æquum, iniquum, quæ ita prudenter tractat Orator, ut nulla in Bruto suspicio relinquatur.* *Si M. Brutum deserueritis & prodideritis.*] *Deserit, qui cui adesse & fauere debet, eum destituit & frustratur: ut amicus, propinqui, patronus, & cuius officium est tueri aliquos, ut magistratus, tutor, quicunq; eos quos tueri debeant desertos esse patiuntur. Prodere autem grauius est quàm deserere, quod non modo non adesse cui debes significat: uerumetiam cum aduersarijs facere, eorumq; causæ fauere, cum tamen interea te amicum esse simules: Hinc illa Ciceronis ad Q. Fratrem querela: Amici partim deseruerunt me: partim etiam prodiderunt.* *Quem tandem ciuem ornabitis?*] *Hæc mihi uidetur incorrupta lectio. liberum tamen sit suum cuiq; iudicium. Est autem tacita comparatio Bruti cum reliquis ciuibus: significans Brutum esse optimum & præstantissimum omnium, & quem ornent, cui faueant, dignissimum.* *Nisi forte eos qui diadema im.*] *Collatio & ironia inuidiosa, ad Antonij odium renouandum. is enim Cæsari diadema lupercalibus imposuit: qua de re in 2. Philip. satis multa dicta sunt. Atq; etiam inuidiose, Eos, dixit, cum solus id fecerit M. Antonius: quasi tamen trium Antoniorum consilium fuerit.*

Eos qui

A *Eos qui nomen regis.*] Legitur etiam regni, sed parum refert: nisi quod in Regni uoce maius pondus est. facit autem Enthymema ex contrarijs, cui etiam suauitatem & concinnitatem conciliat, similiter & desinentibus & cadentibus contrarijs: imposuerunt, sustulerunt: conseruandos, deferendos. *Conseruandos.*] Propter id quod dixit: prodideritis.

Deferendos.] Propterea quod dixit, deserueritis. hæc enim bina, illis binis referuntur, quasi paria & coniugata. In hoc autem enthymemate inclusa est causa, & σημεῖον, quo probatur, nihil esse à Bruto metuendum, & simul aduersarij suspicio refellitur. Brutus sustulit tyrannum, ut Rempublicam liberaret: ergo non uult opprimere Rempublicam. Contrà, Antonius diadema imposuit Cæsari: ergo Rempublicam seruire cupit. Causa igitur in hoc timendi est: in illo nulla.

Ac de hac.] Amplificat merita Bruti, ex ciuium omniũ iudicio: qua ex re simul ex aduerso apparet indignitas & iniquitas aduersariorũ, qui Bruti uirtuti atq; laudi inuident atq; obtrectant. *Nondũ publica autoritate testata est.*] Id est, nondum aperto testimonio comprobata, nondum de eius laude S.C. factum est, nondum eius acta Senatus decreto comprobata sunt. & simul obserua, testata, passiuè (ut Grammatici loquuntur) usurpatum: quod rarum est, ut sit communis generis uerbum. Vt in Orat. part. Si testata dici uidebuntur. Item De diuin. lib. 1. Quis est autem quem non moueat, clarissimis monumentis testata consignataq; antiquitas? *Tantam ne patientiam.*] Alius coniecturæ locus ex Bruti moderatione quadam incredibili, atq; erga Rempublicam charitate. Et notanda est ἀποσιώπησις admirationi seruiens in his uerbis, quam reticentiam uocat Cicero de Oratore libro tertio. Differt à præcisione, quæ Græcis ἀπο-

B διώξις dicitur, uel quòd sit eius species, uel quòd in præcisione eludimus aliquid propositum ab aduersario, & significamus aut indignum esse de quo loquamur, aut monemus nos seruaturos in alium opportuniorem locum. At reticẽtia est, cum non id monemus, sed præ dolore, ira, siue indignatione, orationem perficere non possumus. ut apud Poetam Iuno:

Mene incepto desistere uictam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?

Item illa: Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Differunt etiam hæc duo à præteritione siue occupatione, quæ græcè παράλειψις est: quod in hac nos præterire dissimulamus, quod maxime dicimus. *Dij boni.*] Auget reticentiæ affectum, exclamatione interposita.

Qui cum prætor.] Declarat Bruti moderationem, & rei indignitatem exaggerat ex iniusto: prætorem urbanum carere urbe, & ius non dicere, cum qui ius omne populi Romani recuperasset. in quo est etiam quædam repugnantia ex coniugatis: urbs, urbanus: Item: ius non dixit prætor qui ius recuperauit. *Cum omne ius pop. Rom. recup.*] Libertatem recuperauit, tum cum Cæsarem, ius & libertatem populi Romani opprimentem, occidit. *Quam præsens manu.*] Argumento est, Brutum nullam uim parare Reipublicæ, qui maluerit cedere urbe, ne uideretur seditionis aut belli ciuilis autor, quàm armis in urbe suam dignitatem tueri. Est igitur ex signo. *Qui ne Apollinares.*] Quos prætor urbanus faciebat: erat enim muneris eius & officij. Sed de his in prima Philippica satis multa.

C *Ne quam uiam patefaceret.*] Id est, ne Antonianis aut ueteranis occasionem motus atq; tumultus præberet.

Quanquam qui unquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt? quàm cum in singulis uersibus pop. Rom. maximo clamore & plausu Bruti memoriam prosequebatur? corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat, in qua Bruti imago cerni uidebatur. At hunc his ipsis ludorũ diebus uidebam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia ciuium cogitantem. eundem uidi postea Veliæ cedentem Italia, ne qua oriretur belli ciuilis causa propter se. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis, & littoribus luctuosum: cedere è patria seruatorem eius: manere in patria proditores. †Cassius lapsis paucis post diebus consequebatur, ut me puderet Patres cõscripti in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed quo consilio redierim, initio audistis, post estis experti.

† *Cassij classis*

Quanquam qui.] Corrigit, ut iudicium populi de Bruto proferat, ex quo etiam coniectura capitur nihil esse à Bruto metuendum. Hæc etiam habes Philippica prima: Quid? Apollinaribus ludis plausus, uel testimonia potius & iudicia

D populi Romani, uobis parua uidebantur? *Corpus aberat liberatoris.*] Scilicet M. Bruti, non Iunij Bruti, ut quidam existimauere. probant quæ sequuntur: At hunc his ipsis ludorum diebus uidebam, &c. Et obserua etiam agnominationem contrariorum, in duobus uerbis, aberat, aderat: Itemq; coniugata, liberatoris, libertatis. *Libertatis memoria.*] Tragœdia cui titulus erat Brutus, ad celebrandam libertatis memoriam, per illum Iunium Brutum partæ, de qua in prima Philippica extrema dictum est. *In qua Bruti imago.*] Dum populus Romanus ludos Apollinares spectaret, & memoriam libertatis per Iunium Brutum partæ, in Accij tragœdia cerneret: M. Bruti huius imaginem cernere uidebatur: quoniam ut ille Tarquinium eiecit: sic hic Cæsarem interfecit, uterq; autem libertatis autor esse uoluit.

In insula.] Insulæ propriè dictæ sunt, terræ quæ ex mari aut ex alijs aquis extant, ut Anglia, Sicilia. ad cuius similitudinem insulæ quoq; dicuntur, domus quæ continuo pariete non distinguuntur singulæ, sed circumcinctu publico aut priuato iunguntur. *Nihil nisi de pace.*] Sic ipse Brutus Famil. Epist. lib. 11. ad Antonium, fortassis etiam ex hac insula Luculli, ut conijcio, inter cætera scripsit: Nos, inquit, ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse, exitus declarat. Est etiam hic locus coniecturæ ex consecutione & fine, ut & illa quæ sequuntur.

Vidi postea Veliæ, cedentem Italia.] Cicero in Epistolis ad M. Brutum: Te uidi Veliæ, doluiq; uehementer: cedebas enim Brute, cedebas: quoniam Stoici uestri negant fugere sapientis. Sed hæc in prima oratione explicauimus.

Ne qua oriretur.] Alia coniectura, ex causa siue occasionis belli ciuilis fuga, ut paulo ante dixit, ne quam uiam patefaceret

tefsceret sceleratorum hominum audaciæ. O *spectaculum.*] *Grauissima exclamatio ad rei indignitatem demonstrandam, & indignationem cum miseratione cõmouendam. augetur autem indignitas poetica penè cõformatione, quod inanibus rebus sensum luctumq; tribuit: Talis est apud Poetam in Daphnide illa:* A

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq; feri, syluæq; loquuntur.

Item illa Ciceronis pro Archia poeta: Saxa & solitudines uoce respondent: bestiæ sæpe immanes, cantu flectuntur.
Sed undis ipsis.] *Assumit amplificationem ex uicinis & adiunctis rebus. nam in Græciam nauigabat Brutus.*
Cedere patria.] *Hoc illud est indignissimum, quod etiam cõtrarijs aduersis exaggerat: cedere, manere: seruatorem, proditores. Indignissimum enim atq; iniquissimum est, bonos laborare, improbos in quiete & ocio esse.* *Cassius lapsis.*] *Quidam legunt, Cassij classis, &c. nam & Cassij classis fit mentio à nostro Cicerone ad Atticum libro 16. secunda & quarta epistola. Cassius cum classicula sua uenerat. Ego cum eum uidissem quinto Calendas, in Pompeianum cogitabam, inde Acudamum. Itaq; magis hanc quàm illam lectionem probo.* *Vt me puderet.*] *Hic affectus habet excusationem facti Ciceronis, & laudem Bruti & Cassij, ex rei indignitate.* *Sed quo consilio.*] *Hæc sunt explicata primæ orationis initio.* *Pòst estis experti.*] *Id est sensistis meam præsentis opem in consilio dando, & in Republica defendenda.*

Expectatum igitur tempus à Bruto est. nam quoad uos omnia pati uidit, usus est ipse incredibili patientia: posteaq; uos ad libertatem sensit erectos, præsidia uestræ libertati parauit. at cui pesti, quantæq; restitit? si enim C. Antonius quod animo intenderat, perficere potuisset (potuisset autem, nisi eius sceleri uirtus M. Bruti obstitisset) Macedoniam, Illyricum, Græciam perdidissemus. esset uel receptaculum pulso Antonio, uel agger oppugnandæ Italiæ Græcia, quæ quidem nunc M. Bruti imperio, autoritate, copijs non instructa solum, sed etiam ornata tendit dexteram Italiæ, suumq; ei præsidium pollicetur. Quod qui ab illo abducit, exercitum pulcherrimum, & præsidium firmissimum adimit Reipublicæ. Equidem cupio hæc quamprimũ Antoniũ audire, ut intelligat non D. Brutum, quem uallo circumsedet, sed seipsum obsideri. tria tenet oppida toto in orbe terrarum, habet inimicissimam Galliam, eos etiam, quibus confidebat, alienissimos Transpadanos: Italia omnis infesta est: exteræ nationes à prima ora Græciæ usq; ad Aegyptum optimorum & fortissimorum ciuium imperijs & præsidijs tenentur. B

Expectatum igitur tempus.] *Occasio. quod & prudentis & patientis est uiri. Præcidit autem cœptam expositionem prioris temporis quo Brutus & Cassius quieuerunt, ut ad ea ueniat, quæ post gessit Brutus.* *Nam quoad uos.*] *Vestrum nutum in omnibus sequutus est, ne uideretur belli ciuilis cupidus. patiebamini, patiebatur uobiscum. Erectos sensit, illico de uestra tuenda libertate cogitauit, & ad eam rem copias comparauit.* *At cui pesti.*] *Proponit cum admiratione Bruti factum, & cõmodum Reipublicæ ostendit, ex damno quod allaturus fuerit C. Antonius, si exercitum non amisisset.* *Si enim C. Anto.*] *Declarat quæ nam esset illa pestis.* *Potuisset autem.*] *Nemo obsistere potuit præter Brutum. eo igitur maius Bruti fuit beneficium.* *Macedoniam.*] *Nam C. Antonius in eas oras à M. fratre erat missus, ad exercitum comparandum, & prouincias sollicitandas. Sed animaduerte Ciceronem, Græciam à Macedonia seiungere, id quod Geographi etiam fecerunt, præsertim Mela & Plinius. Nam Cicero ad Atticũ scribens, Græciam penè totam litoralem esse putauit. Deinde in oratione pro Flacco sic Græciam diuidit. Quanquam quis ignorat, inquit, qui modo unquam mediocriter res istas scire curauit, quin tria Græcorum genera sint uerè, quorum uni sunt Athenienses, quæ gens Ionum habebatur: Aeoleis alteri: Doreis tertij nominabũtur. Ex quo perspicuũ est, Macedoniam in uera non numerari Græcia. Macedoniam hodie ni fallor, Bosnam uocant. Paret imperio Turcarum, ut & reliqua omnia Iaderam usq;.* *Esset uel receptaculum.*] *His uerbis mihi uidetur Cicero exprimere uoluisse illa Xenophontis ex libro quinto* Κύρου παιδείας, ὅπως φρούριον ἑαυτοῖς μὲν πρόβολος εἴη πολέμου, τοῖς δ' ἀσσυρίοις ἐπιτετειχισμένον. *Nam Græci locum & operibus & natura munitum, quò incursantibus in fines hostibus, se recipere atq; inde propugnare possent,* πρόβολον *appellarunt, nostri receptaculum & propugnaculum. Cæsar lib. 2. bel. ciuilium. Magno sibi esse præsidio posse, si pro castello & receptacido turrim ex latere, sub muro fecissent, quam primo ad repentinos incursus humilem paruamq; fecerunt. huc se referebant. hinc, si qua maior oppresserat uis, propugnabãt. Cicero pro Fonteio: Est in prouincia Gallia Narbo Martius, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum & obiectum. Ex quo autem ipsi procurrerent, ut hostes oppugnarent, atq; in eorum fineis insultarent, id* ἐπιτείχισμα *nominauerunt: cuius uim Cicero cum non posset uno uerbo reddere, dixit agger oppugnandæ Italiæ, interdum etiam uallum, castellum, & cõmuni nomine, munitio nominatur. De* ἐπιτειχίσματι, *etiam Demosthenes Philip. 1.* ὡς χαλεπὸν πολεμεῖν ἐστιν ἀθηναίοις ἔχουσι τοιαῦτα ἐπιτειχίσματα τῆς αὐτοῦ χώρας. *Si difficile esse cogitasset, cum Atheniensibus belligerari, qui tales munitiones haberent, ad eius ditionem oppugnandam. loquitur de Philippo Macedone. Eum uero locum Demosthenis interpres sic exponit,* ἐπιτείχισμα τόπος ὑψηλὸς ὃν προκαταλαβόντες πολέμιοι τειχίσωσιν διὰ τὸ ἐντεῦθεν αὐτοὺς ὁρμωμένους ἐπιτίθεσθαι τοῖς ἐχθροῖς. *Locum esse altum ab hostibus occupatum, ut ex eo in hostes, tanquam ex insidijs impetum faciant. uidetur tale quid de-* C D

A ſcribere cuiuſmodi ſunt turres. Pulſo Antonio.] Marcum intelligit Antonium, cui Græcia ſi ipſe Mutina & Gallia illa pelleretur, eſſet receptaculum: uel etiam ſi non pelleretur, agger & uallum ad oppugnandam Italiam.

Non inſtructa ſolum.] Inſtructa ad neceſsitatem, ornata ad ſpeciem & decus. Laus eſt fortiſsimorum & pulcherrimarum Bruti copiarum. Tendit dextram Italiæ.] Hoc ὑπεξηγήσεως ipſe declarat ſequentibus uerbis, ſummumq; præſidium pollicetur: hoc enim eſt tendere dextram Italiæ, nimirum auxilium porrigere & offerre. Quod qui.] Splendidiſsimus eſt hic locus, quo non modo ſuſpicione liberat Brutū, uerumetiam Calenū obliquè criminatur, & penè maieſtatis accuſat: Nam ſi maieſtas eſt amplitudo & dignitas populi Romani, qui ab eo copias abducit, in quibus eius eſt dignitas, is maieſtatem minuit, non is qui in populi Romani eas retinet poteſtate. Exercitum pulcherrimum.] Hæc duo ad ea referuntur quæ dixit, non inſtructa ſolum, ſed etiam ornata: nam pulcherrimum ad ornata, & firmiſsimum ad inſtructa refertur. Equidem cupio.] Ad terrendum M. Antonium hæc dicuntur, & ad eius facultates extenuandas, ut & eius amici animo concidant, abijciantq; ſpem occupandæ Reipublicæ. Tris tenet oppida.] Aut eſt extenuatio Antonij opum, ut tris pro paucis dicat, aut Brunduſium, Tybur, & Sueſſam intelligit.

Tranſpadanos.] Tranſpadani partim in undecima, partim in decima Italiæ regione ſunt. Tranſpadana appellatur à Pado flumine nobiliſsimo, regio undecima, tota in mediterraneo, cui maria cuncta fructuoſo alueo important. Plinius libro tertio. Idcirco tranſpadana Italia dicta, quòd qui Roma uenirent, in eam niſi traiecto Pado, tranſire non pote-
B rant. Nam ſic Italiam interſecat Padus, ut Veſulo monte celſiſsimo in finibus Ligurum Vagiennorum profluens triginta fluminibus auctus, in Adriaticum mare decurrat. Italia omnis.] Reliqua Italia quæ cis Padum eſt. Et obſerua in eadem re notanda uarietatem, inimiciſsimam Galliam, nimirum togatam, alieniſsimos tranſpadanos, infeſtam Italiam. A prima ora Græciæ.] Ab Apollonia, quæ prima Romanis in Græciam traijcientibus ſeſe offert. Vſq; ad Aegyptum.] Inter ea eſt reliqua Græcia, Macedonia, Creta, Aſia minor, in qua Cilicia, Syria, & alia.

Erat ei ſpes una in C. Antonio, qui duorum fratrum ætatibus medius interiectus, uitijs cum utroq; certabat. qui tanquam extruderetur à Senatu in Macedoniā, & non cōtra prohiberetur proficiſci: ita cucurrit. Quæ tēpeſtas dij immortales, quæ flāma, quæ uaſtitas, quæ peſtis Græciæ fuiſſet? niſi incredibilis ac diuina uirtus, furentis hominis conatum atq; audaciam cōpreſſiſſet? quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ uirtus? & ſi ne illa quidem Antonij celeritas contemnenda eſt. quem niſi in uia caducæ hæreditates retardaſſent, uolaſſe eum, non iter feciſſe diceres. alios ad negocium publicum ire cum cupimus, ui ſolemus extrudere: hunc retinentes, excluſimus.

C Erat ei ſpes una in C. Antonio.] Iam redit ad id quod paulo ante de C. Antonio inſtituerat, quod quidem ita tractat, ut ſuauitate & lepore quodam condiat orationem. Interea tamen Antonios uituperat, atq; in inuidiam & contemptionem trahit. Erat ei ſpes una.] Ergo ea amiſſa, nihil amplius M. Antonio relinquitur, niſi omnium rerum deſperatio, quod quidem facit, ut dixi, ad Antonij amicos abijciendos. Qui duorum ætatibus medius.] Nam Marcus erat natu maximus, Lucius minimus. Vitijs cum utroq; certabat.] Salſum hoc, & è Geometria latenter ſumptū, in qua medium, quod Græci μέσον, id eſt, quod duorum extremorum, uel utriuſq; extremitatis eſt particeps, uel quod æqualiter ab utroq; extremo diſtat. Ita C. Antonius inter duos fratres medius, utriuſq; uitiorum particeps, uitijs cum utroq; certabat, quoniam ad utriuſq; uitia addebat ſua. Qui tanquam extruderetur.] Cupiditatem Antonij in occupanda Macedonia indicant hæc uerba, & ſimul animū Senatui & Reipublicæ infeſtum. Ex quo intelligi uult, quantum ab illo fuiſſet metuendum, niſi obſtitiſſet Brutus. Quæ tempeſtas.] Amplificat periculum, ut ex altera parte M. Bruti amplificet beneficium atq; uirtutem, & ſimul tranſlatis uerbis illuminat orationem, & exclamatione animos excitat & permouet. Rurſum in his tempeſtas ad impetum ſpectat: flamma, ad urbes & oppida quæ in bello comburi ſolent: uaſtitas, ad agros: peſtis ad hominum perniciem & ſtragem. Niſi incredibilis ac diuina uirtus, furentis hominis.] Sic legendum omnino eſt: non autem, incredibilis uis, ac diuina uirtus Cæſaris. Meminiſſe debuiſſent, qui Cæſaris Octauij hic uirtutem extolli putant, Ciceronem loqui, de M. Bruto, de Græcia, de C. Antonio: non de Cæſare,
D de Mutina, de Decimo. M. igitur Bruti uirtutē extollit, iiſdem penè uerbis quibus Octauiū Cæſarem in ſuperioribus orationibus laudauit. Furētis hominis.] C. Antonij, qui furēs in Macedoniā cōtendebat. Quæ celeritas.] Hæ admirationes uim habēt magnam ad laudandū & augendum: interdum etiam ad minuendum & uituperandum, in quibus uis cernitur oratoris. Quæ uirtus?] Fortitudinem & conſtantiam intellige. Nam Romanis ea propriè uirtus uocabatur, ut Cicero Tuſculana ſecunda his uerbis docet: Atqui uide, inquit, ne cum omnes rectæ animi affectiones uirtutes appellentur, non ſit hoc proprium omnium nomen, ſed ab ea una quæ cæteris excellat, omnes nominatæ ſint. Appellata eſt enim ex uiro uirtus. Viri autem propria maxime eſt fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt, mortis doloriſq; contemptio. Etſi ne illa quidem Antonij cel.] Corrigit, ut ex C. Antonij celeritate periculum oſtendat, niſi maiore celeritate occurriſſet Brutus. Quem niſi in uia caducæ hæreditates retardaſſent.] Imperator Iuſtinianus C. de caducis lib. 6. hanc materiam diligenter tractat. Exponit enim originem caducorum, cauſam, modos, mutationes. Nos autem ſummatim eandem rem & breuiſsime exponemus. Caduca hæreditas ſiue legatum dicebatur, cum nemo erat qui iure ea adire poſſet, & ad ærarium uel ad fiſcum deuoluebantur, aut à potentioribus occupabantur. Et quoniam à certo hærede uel legatario, ut uocant, cadebant: caduca dicebantur. Tribus autem modis relicta ultimis uoluntatibus deficiebant: aut cū iis relinquebantur qui in rerum natura non erant, ignaro tamē teſtatore, & ea pro non ſcripto, leges exiſtimabant: aut cum is qui hæres inſtitutus fuiſſet, uel legatarius, uiuo teſtatore decedebat: aut ipſum relictum ex-

piraba



pirabat, forte quadam conditione sub qua relictum erat deficiente, quod ueteres appellabant, IN CAVSA CADV- A
CI. Aut iam mortuo testatore, hoc quod relictum erat deficiebat, quod aperta uoce, CADVCVM nuncupabatur.
Lege autem Papia de caducis relictum aut legatum deficiente conditione uiuo uel mortuo testatore, ad ærarium perueniebat. Legi autem causam dedere ciuilia bella, quibus multa fiebant caduca, & pereuntibus uiuis testatoribus ijs quibus relictum legatumue fuerat, & implere conditiones non ualentibus. Emendata postea lex est, ut non ad ærarium & fiscum, sed ad proximiores deuoluerentur quæ deficerent. Sublata tamē postremo lex est à Iustiniano, ut diximus. C. de Cad. tollendis. De his caducis loquitur Iuuenalis:

> Iura parentis habes, propter me scriberis hæres:
> Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Vt autem ad propositum redeamus, salse C. Antonium irridet Orator, cum significat eum cupiditate quæstus, à tanti momenti negotio retardatum. Huic idem accidit, quod L. Luculli copijs, quæ dum relictos in Ponto à Mithridate thesauros colligunt diligentius, rex ipse è manibus effugit. Volasse eum.] εἰρωνικῶς rem incredibiliter tollit, quam figuram ὑπερβολὴν Rhetores solent appellare. Est enim auium uolare, quo uerbo utimur, cum admirabilem celeritatem significare uolumus. Alios ad neg.] Enthymema ex contrarijs, ad C. Antonij criminationem, epiphonematis loco additum. Extrudere.] impellere, excludere, ut negotium citius exequantur. Exclusimus.] Extrusimus, impulimus. habet autem uenustatem illa repugnantium copulatio: hunc retinentes exclusimus.

At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quid cum Illyrico? quid cum B
P. Vatinij Imperatoris exercitu? succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. certi fines Macedoniæ, certa conditio, certus erat etiam illius exercitus, cum Illyrico uero, & cum Vatinij legionibus quid erat Antonio? at ne Bruto quidē, id enim fortasse quispiam improbus dixerit. omnes legiones, omnes copiæ, quæ ubiq; sunt, populi Rom. sunt. neq; enim legiones quæ Antonium reliquerunt, Antonij potius quam Reipublicæ fuisse dicuntur. omne enim exercitus, & imperij ius amittit is, qui eo imperio & exercitu Rempub. oppugnat. quod si ipsa Respublica iudicaret, aut si omne ius decretis eius statueretur, Antonio ne an Bruto legiones populi Ro. adiudicaret? alter aduolaret subito ad direptionem pestemq; sociorum, & quacunq; iret, omnia uastaret, diriperet, auferret, exercitu populi Rom. contra ipsum pop. Rom. uteretur. alter uero eam sibi legem statueret, ut quocunq; uenisset, lux uenisse quædam & spes salutis uideretur. deniq; alter ad euertendam Remp. præsidia quærebat, alter ad conseruandam.

At quid ei cum Apollonia?] Ex his, tanquam ex præcurrentibus, atq; ijs quæ ante rem in adiunctis spectantur, con- C
iecturam facit Antonium consilium belli cepisse. Nam & prouinciam ultra præscriptum tempus occupare, & alienam inuadere, & copias ad se traducere, signa sunt bellum apparari. Apollonia autem, ut Ptolemæus, Plinius & Strabo referunt, nomen fuit sex urbium, quarū una Cyrenaicæ fuit, altera Idumeæ, tertia Troadis, quarta Ponti, quinta Thraciæ, sexta Macedoniæ, siue ut Pomp. Mela censet, Illyrici. de hac nunc intelligit Cicero, nomen ferè antiquum obtinet: appellatur enim Apolline. non est, ut quidam putant, la Velona, quæ Aulon & Caulonia dicta fuit: sed distat ab illa 25. M. Pass. Quid cum Dyrrhachio?] Dyrrhachium Illyrica urbs, colonia ciuium Romanorum, Epidamnos ante erat, Romani nomen mutauere: quia uelut in damnum ituris omen id uisum est. hodie Durazzo nominatur. Distat ab Apollonia L. M. Pass. Quid cum Illyrico?] Illyricum interdum totam illam oram ab Orico usq; Tergestum significat. Interdum uero & magis proprie, ut in hac Ciceronis oratione ab Iadera, quæ hodie Zara, & Scardona, Dyrrhachium usq; tantum protenditur. Reliqua Tergestum usq; Liburnis & Istris tribuuntur: superiora ad Ceraunios montes Macedones & Epirotæ occupant, qui hodie Albanenses uocantur, & regio ipsa Albania. Succedebat.] Scilicet C. Antonius Hortensio, qui tum præerat Macedoniæ. hæc autem dicit per anteoccupationem. Certi fines.] Respondet occupationi, ita ut non neget eum succedere Hortensio, sed tamen non debuisse eum Illyricū & Vatinij exerci-
tum suū existimare, cum Macedonia prouincia suos habeat terminos, suam conditionem imperandi, certumq; modum & D
numerum militum: ita ut neq; Illyricū, neq; Vatinij copiæ ad eum quicquā pertinerent. At ne Bruto quidem.] Scilicet, aliquid est cum Illyrico & Vatinij copijs. Alia occupatio ex improbi cuiuspiam persona, cuiusmodi fuit forsitan Calenus. Hanc uero occupationem idcirco inducit, ut contentione facta quantum inter Brutum & Antonium intersit, ostendat, atq; ita hunc hostem, illum Reip. defensorē esse pateat. Omnes legiones.] Diluit quod obiectum est, ex Reip. iure & uoluntate. Omnes copiæ sunt Reip. Brutus est Reip. defensor & imperator: ergo omnes copiæ sunt Bruti. Rursum: omne exercitus & imperij ius amittit is, qui eo imperio & exercitu Remp. oppugnat. Antonius Remp. oppugnat, Antonius igitur omne ius imperij & exercitus amittit. Item, Legiones populi Rom. omnes eius sunt cui Resp. adiudicat & attribuit: Atqui eas Resp. Bruto adiudicat & assignat: sunt igitur legiones Bruti, non Antonij. Quod si ipsa Resp. iudicaret.] Probat à ficto exemplo: quod argumentū à fictione uocant, & per subiectionem: qui modus argumentandi κατ᾽ ὑπόθεσιν à Græcis dicitur. fingitur enim & ponitur exempli causa, quod non est: esset tamen si permitteretur. Alter aduolaret.] Contentionem facit Antonij & Bruti, non modo ut doceat legiones ad Brutum potius quàm ad Antonium pertinere: uerumetiā ut Antoniū uituperet & odiosum reddat: Brutū uero laudet, & cōmendatiorem faciat. Sunt enim huiusmodi contentiones ad animorū motus cōparatæ. Omnia uastaret.] Obserua hoc loco ἀσύνδετον, quod Cicero dissolutū & dissolutionē uocat, cum oratio coniunctionibus, quasi uinculis & nodis

A relaxatur. Huic contraria est illa altera figura, cum singula coniunctionibus illigantur. Illa ad celeritatē & acrimoniam ualet: hæc ad tarditatem & moram. De hac utraq; figura præcipit Orator in Oratorijs partitionibus cum ait, ut constructio uerborū tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. Vtranq; Orator ipse subijcit suauitati ei quæ ex uerborum compositione oritur. Lux uenisse quædam.] Lux translatum est uerbum, quod ipse sequentibus declarat, cum dicit, & spes salutis. In luce enim uita & salus est: imò lux ipsa est & uita & salus: tenebræ uero mors & exitium, ut omnes, sed præsertim diuinæ literæ docent. Denique.] Obserua, denique usurpatum, cum tamen una tantum contentio facta sit. Nam ea particula, denique, pluribus positis & enumeratis, subijci tanquam extremum solet. Vbi uero unum tantum genus præcessit, deinde, potius usurpatur. Exempla multa lectio suppeditabit.

Nec uero nos hoc magis uidebamus, quàm ipsi milites, à quibus tanta in iudicando prudentia non erat postulanda. cum VII. cohortibus isse Apolloniam scribit Antonium, qui iam aut captus est, quod dij dent: aut certe homo uerecundus in Macedoniam non accedit, ne contra Senatum fecisse uideatur. Delectus habitus in Macedonia est summo Q. Hortensij studio & industria, cuius animum egregium, dignumq;
B & ipso, & maioribus suis ex Bruti literis perspicere potuistis. Legio, quam L. Piso ducebar, legatus Antonij, Ciceroni se filio meo tradidit. †Equitatus qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eum à quo ducebatur reliquit in Thessalia, seseq; ad Brutū contulit: alterū in Macedonia Cn. Domitius adolescens summa uirtute & cōstantia ablegato Syriaco abduxit. P. autē Vatinius, qui & antea iure laudatus à nobis, & hoc tempore merito laudandus est: aperuit Dyrrhachij portas Bruto, & exercitum tradidit.

Exercitus qui in Syriam ducebantur

Ne uero nos.] A militum iudiciò, qui se Bruto adiunxerant, idem probat. Cum septem cohortibus.] Sic enim scripserat Brutus. Cobors autem est legionis pars, ut manipulus cohortis. nemo ex historijs certū horum numerum statuere potest, ita uariant, Liuius, Cæsar, & alij. cōmunis tamen sententia est, manipulum ad minimum decem, ad summum uigintiquinq; militibus constitisse: cohortem quingentis & quinquaginta peditibus, equitibus uero sexaginta sex interdum mille quingentis peditibus, & centum & quadraginta equitibus loricatis: legionem minimam duobus millibus & quinquaginta peditibus, & trecentis, & quinquaginta equitibus: maximam ferè sex millibus & ducentis peditibus, equitibus uero sexcentis. Hisce de rebus qui plura uolet, legat uel Alexandrum Neapolitanum in Genialibus: uel Vege-
C tium De re militari: uel de eadem re Modestinum (si modo eius est libellus) aut Polibium. Qui iam, aut captus est.] Victum & captum à Ciceronis filio in hunc refert in Bruto Plutarchus modum: C. Antonius ut Apolloniam applicuit, illuc milites, qui uicini erant, conuocat: sed postquam nouit eos Bruto deditos: præterea q; Apolloniates sensit Bruto obsecuturos, urbem relinquens, Buthrotum profectus, primum in itinere ipso cohorteis treis amisit, à Bruto cæsas: deinde loca quæ circa Byllidem, ualdè præoccupata fuerant, superare conatus, prælio cum Cicerone cōmisso uincitur. Hoc enim duce tum Brutus utebatur, à quo multa fortiter & strenuè gesta sunt. Is enim cum Caium nactus esset in locis paludosis longe distractum, manus conserere passus non est: sed obequitans, suis iubebat, à pugna abstinerent: tanquam hostes confestim in suam potestatem essent uenturi: quod quidem ita ut prædixit, contigit. Illi enim cum suo duce se Ciceroni dediderunt: ex qua uictoria Bruto aucta potentia fuit. Quod dij dent.] Optatio ad urendos aduersarios. Aut certe homo uerecundus.] Festiua ironia irridet Antonium. nam quod facere non potest, etiam si uelit, ut in Macedoniam accedat, id illudens eius uerecundiæ tribuit. Delectus habitus in Macedonia est.] Si è fatta la mostra ne la Bosna. Hæc de Hortensio referuntur, ut & eius acta cōfirmentur à Senatu, & ei cum Bruto, Macedonia decernatur, quod etiam factum fuit. Legio, quam L. Piso ducebat.] Quæ Cicero filius gessit, ut etiam quæ alij, cōmemorat, ne quem suo
D fraudet honore, etiamsi non omnes postea sententia sua complectatur: quod eorum acta & gestæ res, ad summos imperatores referantur. Legatus Antonij.] Il loco tenente di C. Antonio. Legati nomen & munus alibi explicauimus. Equitatus qui in Syriam ducebatur, bipartitò.] Budæus in cōment. linguæ Græcæ, paulo aliter legit, nimirum hoc modo: Exercitus qui ducebantur, pro, Exercituum autem qui in Syriam ducebantur, ut sit schema Atticum, cum rectus pro genitiuo ponitur, ad quam rem profert exempla Græcorum, quæ ibi uidenda sunt. Hanc figuram Grammatici latinè πρόληψιν nominant: Quintilianus uerbum de uerbo exprimens, præsumptionem uocat: Cicero in alia re, anticipationem. Omnia tamen exemplaria quæ mihi uidere contigit, etiam emendatiora, habent ut ante protuli, & rectè ut mihi uidetur. nam quoniam dixit bipartitò, iam intelliguntur duo equitatus, ad quos Cicero respiciens, subiecit distributionem, nec minus tamen erit πρόληψις. Hanc equitatū eum esse arbitror de quo Plutarchus in Bruto: A Cinna, inquit, equites quingentos abstulit, qui Dolabellæ in Asiam ducebantur. In Thessalia.] Prius Aemonia dicta ueneficijs infamis. hanc alij Macedoniæ, alij Atticæ attribuunt, Id sit quod inter Peneum amnem & Oetam montem ab occasu in Aegeum mare protenditur, tanquā inter Atticā & Macedoniam sita. Cn. Domitius.] Is Domitij illius filius fuit, quē Cæsar Corphinij cepit, & dimisit ad Pompeiū, quem postea in Pharsalica pugna occidit Antonius. De hoc & Apuleio, cuius post mentionē faciet M. Brutus in Epistolis, quæ ad Brutū inscribuntur, sic scribit: De Domitio & Apuleio quid attinet me scribere, cum ipsi per se tibi cōmendatissimi sint? Apuleium uero tu tua autoritate sustinere debes. Sed Apuleius in sua epistola celebrabitur. P. autem Vatinius.] In Plutarcho errorem esse puto, in Bruti uita, ubi pro Vatinio, Gabinius legitur. nam in hac oratione Cicero nusquā Gabinij meminit. Nihil autem notius odio Vatiniano, id quod uel ex illa Ciceronis in Vatiniū testem oratione, & dictis quibus eum perfricuit, intelligi potest. Nos pauca quædam suauitatis causa referemus. Vatinius homo erat morbosus, atq; inter cætera guttur habebat strumis tumidum & inflatum:

cum igitur

cum igitur aliquando causam oraret, oratorem inflatum appellauit. Cum Vatinius pedibus æger esset, uellet tamen uide- A
ri cõmodius habere, idcirco diceret, se duo millia iam passus ambulare: Dies, inquit Cicero longiores sunt. Nunciata ali-
quando Vatinij morte, cuius tamen parum certus dicebatur autor: interim, inquit, hac usura fruar. Iterum audita falsa
Vatinij morte, cum Ouinium eius libertum interrogasset, recte ne omnia? & ille respondisset, Recte. Mortuus est igitur,
inquit Tullius. Gessit Vatinius paucos dies consulatũ: nam ab eo cito deiectus est homo ridiculus. Id Cicero perquam ur-
banè notans, Magnũ ostentũ, inquit, anno Vatinij factũ est: nam eo consule nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus
fuit. Illud non iniucundum est, quod legimus, Vatinium hominem ridiculum, & odiosum, fuisse ipsum quoq; face-
tum & dicacem. Nam & in pedes suos tumidos, & in fauces, gutturq; inflatum plurima sæpe dicebat, atq; ita inimico-
rum, quos plures habebat quam morbos, & in primis Ciceronis, effugit sæpe urbanitatem. Sed ut ad causam institutumq;
redeamus, cum inimicitiæ mortales esse debeant, amicitiæ uero immortales, M. Tullius oblitus pristini odij, oblitus iniu-
riarum, utpote molli & leni ingenio præditus, Vatiniũ non solum laudauit, uerumetiã in iudicio defendit, quod etiã pro
Gabinio fecit, ut Fabius & ipse Cicero testatur. Extant duæ epistolæ Vatinij ad Ciceronẽ Famil. lib. 5. & una Ciceronis
ad Vatiniũ humanissime scripta. Cur autẽ eum cum antea odisset postea & laudarit & defenderit, reddit ipse Tullius
rationem Familiarium Epistolarum libro 1. in illa longissima epistola, quæ res quoniam & politica est, & suauitatẽ ha-
bet, hic referam. De Vatinio autem, inquit, primum reditus intercesserat in gratiam Pompeij statim ut ille Prætor est B
factus, cum quidem ego eius petitionem grauissimis in Senatu sententijs oppugnassem, neq; tam illius lædendi causa
quàm defendendi atq; ornandi Catonis, post autem Cæsaris, ut illum defenderem, mira cõtentio est consecuta. Cur autem
laudarim, peto à te ut id à me neue in hoc reo, neue in alijs requiras: ne tibi ego idem reponã cum ueneris: tametsi possum
uel absenti. recordare enim quibus laudationem ex ultimis terris miseris. Nec hoc pertimueris: nam à me ipso laudantur,
& laudabuntur ijdem. Sed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, cum illum defenderẽ, dixi
me facere quiddam quod in Eunucho parasitus suaderet militi:

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. siquando illa dicet Phædriam
Intromittamus comessatum: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu, huius contrà. denique
Par pari referto, quod eam mordeat.

Sic petiui à iudicibus, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amarẽt inimicum meum, meq;
inspectante, sæpe eum in Senatu modò seuerè seducerent, modò familiariter atq; hilarè amplexarentur, quoniamq; illi C
haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus, leuiter
repungere. Neq; solum dixi, sed etiam sæpe facio, dijs hominibusq; approbantibus. Habes de Vatinio. Publium illum al-
terum de quo loquitur Cicero, P. Clodius fuit Ciceronis inimicus, quem Pompeius, Cæsar & Crassus, ut Ciceronem ure-
rent, & lacesserent æmulatione, amplexabantur. quod Cicero uidens, uicissim & ipse P. Vatinium laudauit, & defen-
dit, eorum inimicum, ut illos remorderet, & repungeret. Qua uero de re, reum factum defenderit Vatinium si quis requi-
rat, sciat Vatinium magnis largitionibus (fuit enim ditissimus) in petitione præturæ Catoni prælatum, prætoremq; fa-
ctum. Ex quo, cum anno sequenti ambitus accusaretur, eius patrocinium ita suscepit Cicero, ut absolueretur Vatinius. Et
præterea eum laudauit, cum in Illyrico esset imperator, peteretq; pro rebus à se præclare gestis, sibi decerni supplicatio-
nes, quas Cæsar impediebat. Is postea in dissensione partium post Cæsaris necem, Bruto sese adiunxit, eiusq; res multum
iuuit, ut etiam hoc loco Cicero testatur. Antea iure laudatus.] *Ante decem annos. totidem enim intercesserant*
anni, ex quo Cicero Vatinium laudarat.

Tenet igitur populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Græciam,
nostræ sunt legiones, nostra leuis armatura, nostri equitatus, maximeq; noster est Bru-
tus, semperq; noster, eum sua excellentissima uirtute Reipublicæ natus, tum fato quo- D
dam paterni materniq; generis & nominis. Ab hoc igitur quisquam bellum timet?
qui antequam nos id coacti suscepimus, in pace iacere, quàm in bello uigere maluit.
quanquam ille quidem nunquam iacuit, nec hoc cadere uerbum in tantam uirtutis
præstantiam potest. erat enim in desiderio ciuitatis, in ore, in sermone omnium. tan-
tum autem aberat à bello, ut cum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit ciuium
studijs potius, quàm eos in armorum discrimen adduceret. Itaque illi ipsi, si qui sunt,
qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen † eiusdem moderationem, patientiamq; *al. ijdem*
mirentur.

Tenet igitur populus Romanus.] *Hæc loco assumptionis ab oratore quasi repetuntur, ut addat conclusionem argu-*
menti, quæ statim sequitur. Attende & hoc loco, Macedoniam à Græcia separari. Nostra leuis armatura.] *Le-*
uis armatura quæ fuerit, docet Vegetius lib. 3. cap. 14. Quartus item ordo, inquit, constituitur de scutatis expeditissi-
mis, de sagittarijs iunioribus, de ijs qui acriter uerutis & martiobarbulis, quas plumbatas nominant, dimicant, qui dice-
bantur leuis armatura. Ex quibus intelligimus leuem armaturam milites esse leuis armaturæ, hoc est pedites atq; equi-
tes expeditos, non graui armorum pondere oneratos: cuiusmodi sunt hodie pedites gladio tantum & ignuomo tormen-

A to, siue balista instructi, aut scutati & hastati, sine thorace ferreo, aut alio corporis munimento, qualesq; sunt in equitatu, quos leues equos appellant, nos caualli liggieri, & lanze spezzade nominamus. Tum fato quodam paterni materniq; generis & nominis.] Marci Bruti progenitor fuit Iunius Brutus, quem prisci Romanorum in Capitolio ex ære finxerunt medium inter reges, ensem strictum exerentem, quòd is constantissimè Tarquinios euertisset. Seruilia huius mater fuit, cuius genus ad Halam Seruilium referunt, qui clam gladio cinctus Spurium Melium seditiosum ciuem, & sollicitatione plebis tyrannidem machinantem in medium forum traxit, ibiq; simulato colloquio, cum ferro confecit. Plutarchus in Bruto. Ab hoc igitur quisquam bellum timet.] Conclusio est primæ partis qua suspicionem belli à Bruto remouit, & refellit eos qui negarent, tantam eidem potentiam concedendam. Argumentatio, detractis ornamentis & copia, hæc est: Ab eo bellum non est timendum qui bellum semper uitauit, qui & natura & instituto Rempublicã semper defendit, auget, tuetur. Brutus autem est talis. A Bruto igitur bellum timendum non est. In pace iacere.] Conclusioni, breuiter addit signa, quibus antea probauit animum Bruti alienum semper à bello ciuili fuisse. Sunt uero illa duo translata contraria, iacere, pro inglorium & sine honore esse, & desertum ab omnibus, & uigere pro honoratum, & in dignitate esse. Quanquam ille nunquam iacuit.] Corrigit quod dixit, in pace iacere. nam ursum est uerbum nimis humile, de tanto, tamq; excellenti uiro. Magnus enim & fortis animus nunquam iacet. Et qui fortiter aliquid pro patria fecit, erigitur pulcherrimi facti conscientia. Tantum autem aberat à bello.] Ex repugnanti-
B bus concludit Brutum à bello abhorruisse: Nam si studijs Italiæ & ciuium defuit, in bello suscipiendo, & dignitate sua tuenda, falsum est eum bellum ciuile ab initio spectasse. Hæc Cicero suspicionis remouendæ causa: aliter tamen uidetur D. Brutus sensisse Famil. Epist. lib. 11. Epistola prima quam ad M. Brutum & Cassium scripsit. Nam inter alia postquam omnium rerum difficultatem ostendit, hæc subiungit: Quid ergo est, inquis, consilij? Dandus est locus fortunæ, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, reuertemur Romam: si mediocris, in exilio uiuemus: si pessimus, ad nouissima auxilia descẽdemus. Succurret fortasse hoc loco alicui uestrum, cur nouissimum tempus expectemus potius, quam nunc aliquid moliamur. quia ubi consistamus non habemus, præter Pompeium & Bassum Cæcilium, qui mihi uidentur hoc nuncio de Cæsare allato firmiores futuri. His uerbis, quibus in angustijs uersarentur declarat: ubi etiam nouissima auxilia, arma, & bellum intelligit: consilium illud Militis in Eunucho Terentij secutus, cum ait: OMNIA, PRIVSQVAM ARMIS, EXPERIRI SAPIENTEM DECET. His igitur literis acceptis M. Brutus & Cassius ad Antonium scripserunt & humaniter, & prudenter, quibus ille cum minaciter respondisset: rursum & ipsi non minaciter quidem aut superbè, sed fortiter tamen, & grauiter rescripserunt, atq; inter reliqua, in hunc modum. Illud uero quemadmodum ferendum sit, tute cogita: non licere Prætoribus concordiæ ac libertatis causa, per edictum de suo iure decedere, quin consul arma minetur, quorum fiducia nihil est quod nos ter-
C reas. Neq; enim decet aut conuenit nobis periculo ulli submittere animum nostrum, neq; est Antonio postulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur ut bellum ciuile suscitare uellemus, literæ tuæ nihil proficerent. NVLLA ENIM MINANTIS AVTORITAS APVD LIBEROS EST. Sed pulchre intelligis non posse nos quoquam impelli, & fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum, metus uideatur, & cætera, ibidem. Hic satis apertè M. Brutus ostendit, se non metu, non auxiliorum inopia, sed iudicio, & pacis atq; ocij studio, à bello ciuili suscitando, reuocari. Sed facilis est solutio & conciliatio: Bellum ciuile ab initio non spectabant Bruti, sed libertatem. post autem cum uiderent, nec se, nec libertatem sine armis posse tueri, ad bellum ciuile descenderunt. Quod si ab initio abiecti, & uiribus destituti uisi sunt, id ad breue tempus fuit: deinde, ita ipsi uoluerunt, ne cupidi principatus, aut rerum nouarum uiderentur. Itaq;, quod statim non omnia armis, tumultu, & bello miscuerunt, patientiæ fuit, atq; ocium optantium: quod uero post bellum gerere instituerunt, necessitatis. Itaq; illi ipsi.] Commendat Bruti moderationem à iudicio eorum qui eius in bello suscipiendo tarditatem reprehenderent, id est eorum qui à Republica stabant contra impios ciues.

Sed uideo quid loquantur, neq; enim id occulte faciunt. timere se dicunt quomodo ferant Veterani, exercitum Brutum habere. quasi uero quicq; intersit inter A. Hir-
D cij, C. Pansæ, D. Bruti, C. Cæsaris, & hunc exercitum M. Bruti. Nam si quatuor exercitus ij, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi Rom. libertate arma ceperunt: quid est cur M. Bruti exercitus non in eadem causa reponatur? At enim Veteranis suspectum est nomen M. Bruti, magis quàm Decimi. Equidem non arbitror. & si est enim Brutorum cõmune factũ, & laudis societas æqua, eo tamen D. Bruto iratiores sunt omnes ij, qui id factum dolebant: quominus ab illo rem dicebant fieri decuisse. Quid ergo nunc aguñt tot exercitus? nisi ut obsidione Brutus liberetur? qui autem hos exercitus ducũt? hi credo, qui Cæsaris res actas euerti, qui causam ueteranorũ prodi uolunt? si ipse uiueret Cæsar, acrius credo acta sua defenderet, quàm uir fortissimus defendit Hircius? aut amicior † causæ potest inueniri, quàm filius? At eorũ alter non-
al. quisquam potest dum ex longinquitate grauissimi morbi recreatus, quicquid habuit uirium, id in eorum libertatem contulit, quorum uotis iudicauit se à morte reuocatum. alter uirtutis robore firmior, quàm ætatis, cum istis ipsis ueteranis ad D. Brutum liberandum profectus est. Igitur illi certissimi, ijdemq; acerrimi Cæsaris actorum patroni pro

D. Bruti

D. Bruti salute bellum gerunt, quos ueterani sequuntur. de libertate enim populi Romani, nō de suis cōmodis, armis decernendū uident. Quid est igitur cur ijs qui D. Brutum omnibus copijs conseruatū uelint, M. Bruti sit suspectus exercitus? An uero si quid esset quod à M. Bruto timendum uideretur, Pansa id nō uideret? aut si uideret, nō laboraret? quis aut sapientior ad coniecturā rerum futurarū, aut ad propulsandum metum diligentior? Atqui huius animū erga M. Brutum studiumq́; uidistis. Præcepit oratione sua quid decernere nos de Bruto, quid sentire oporteret: tantumq́; abfuit ut periculosum Reip. M. Bruti putaret exercitū, ut in eo firmissimū Reip. præsidiū & grauissimum poneret. Scilicet hæc Pansa non uidet (hebeti enim ingenio est) aut negligit? Quæ enim Cæsar egit, ea rata esse non curat. de quibus confirmandis & sanciēdis legem comitijs centuriatis ex autoritate nostra laturus est. Desinant igitur aut qui nō timēt, simulare se timere, se prospicere Reipublicę: aut ij qui omnia uerentur, nimium esse timidi: ne illorum simulatio, horum sit ignauia. A

Sed uideo.] Transit ad secundum locum, de uoluntate ueteranorum, quod obiecerat Calenus & alij quidam. Id refellit duplici ratione, ex pari primū, deinde ex Reip. autoritate & potentia. Timere se dicunt.] Propositio, quæ fuit altera aduersariorum ratio. Quasi uero quicquam intersit.] Negat ueteranos moleste laturos, M. Brutum exercitū habere, idq́; confirmat ex pari, quoniā eadem siue par est causa reliquorū imperatorū & M. Bruti. Nam si quatuor exercitus.] Enthymema quo probat eandem esse causam. Si idcirco illi laudantur, quòd Remp. defendant, & M. Brutus qui Remp. defendit laudandus. in paribus enim æque omnia ualent. At enim ueteranis.] Occupatio, non esse eandem aut parem utriusq́; Bruti rationem. M. Brutus autor fuit coniurationis & necis Cæsarianæ, non D. Brutus. Ergo magis suspectus est Marcus quàm Decimus. Equidem non arbitror.] Refellit duobus modis, primum, utrumq́; autorem fuisse, utriusq́; cōmune factum, & æquā laudem: ergo non plus hic quàm ille suspectus debet esse. Deinde si alterutri magis irati debeāt esse ueterani, et Octauius Cæsar, iratiores esse Decimo, qui quo plura à Iulio Cæsare beneficia acceperat, eo minus in eum conspirare debuit. Primum eum Cæsar in secundis hæredibus scripserat, ut autor est Suetonius: deinde Cæsaris beneficio (ut est apud Dionem) Cos. in annum sequentē designatus erat, & Galliæ uicinæ præfectus: nihilominus tamen is fuit qui cum eo die in senatum uenturus non putaretur Cæsar, cum ut ueniret sollicitauerat, eiq́; ut ueniret, quòd eum ualde amaret Cæsar, persuaserat. Hæ igitur causæ erant, cur ei iratiores Cæsaris essent amici: & tamen ad eum obsidione liberandū incumbebant. Quod si huic cum deberent non erant irati, multo minus irati erāt Marco. Sed non intelligebat Cicero quæ adulescens Cæsar faceret, omnia fuisse simulata fraudumq́; plena, id quod exitus paulo post patefecit. Ii credo.] Ironia. Omnia enim contraria intelliguntur. Si ipse uiueret Cæsar.] Exaggerat Hircij in Cæsaris actis defendendis uoluntatē, conferens eū cum ipso Cæsare mortuo. Aut amicior.] Locus ex maiore. non metuit Cæsaris filius Brutorū potentiam: multo igitur minus timere debent alij. At eorum alter.] Hircius scilicet, qui grauissime ægrotarat, ut alibi diximus. Alter uirtutis robore firmior.] Octauius adolescens, ac penè potius puer. Versat autem & tractat eandem rem multis, & uaria elocutione. Igitur illi certiß.] Renouat propositionē, ut causam subijciat cur ita faciant. De libertate enim pop. Ro.] Ratio siue causa, cur Brutum liberatū uelint Cæsaris amici: quia inimicitias suas Reip. donarunt: quia Reip. commoda, & libertatem populi Romani proprijs commodis anteponunt. Quid est igitur.] Concludit enthymemate, M. Bruti exercitum suspectum non esse, & accōmodat comparationem ad rem. An uero si quid.] Hactenus ab Hircij, Octauij, & ueteranorū iudicio, nunc ex Pansæ iudicio, acumine, studio in Remp. idem probat. Hunc separat à reliquis, propter eius singularē in rebus perspiciendis prudentiam. Non laboraret.] Non timeret, non anxius & sollicitus esset. B C

Quis aut sapientior.] Declarat oratorie, & simul exaggerat Pansæ & prudentiā & diligentiam. Atqui huius animū.] A signis probat Pansam nihil existimare à M. Bruto esse timendū. nam si suspectus illi esset M. Brutus, non illum laudasset, non ad eius acta comprobanda esset hortatus: eius enim oratio, præiudicij loco fuit. Præcepit] Id est nobis uoce præiuit. Tantumq́; abfuit.] Amplificat antithesi. Tota hæc argumentatio sic se habet: Vbi prudens & cautus nihil timet, nō est ab alijs metuendū. Pansa uir prudens nihil hic timet, ergo nihil est metuendū. Dubitabit aliquis Pansam esse talem: probauit oratoriè cum ait: Quis aūt sapiētior? &c. Scilicet hæc Pansa.] Idem argumentū per ironiā & dissimulationē tractatū oratorio more. Aut negligit?] Hic non addidit ironicā rationē, ut priori membro: intelligendum igitur, negligens enim est. Quæ enim Cæsar egit.] Alia ironia. his aūt ironijs bellè irridet & illudit aduersarios. De quibus confirmandis.] Hac adiunctione omnes ironias dissoluit atq́; aperit. Ex autoritate nostra.] Ne uideatur Pansa aliquid superbe agere, addidit hæc uerba. Comitijs centuriatis.] De his antea satis diximus. sunt aūt quæ ex censu & ætate fiunt. fieri uero intra urbis pomœriū non licebat. D

Desināt igitur.] Epilogus cum obiurgatione & hortatione. nam qui simularent se timere, eos obiurgat: qui timerent, hortatur, rhetorica distributione. Qui omnia uerentur.] Nec omnia sunt timenda, nec nulla: quod faciūt fortes uiri. timidi autem omnia timent: confidentes nihil. In medio igitur sunt fortes: quoniā uirtus inter extrema mediū iter est. Ne illorum.] Qui simulant se timere. Horum.] Qui omnia uerentur & timent.

Quæ, malum, est ista ratio, semper optimis causis ueteranorū nomen opponere? quorū etiā si amplecterer uirtutē, ut facio: tamē si essent arrogātes, nō possum ferre fa-

A stidiũ. An nos conãtes seruitutis uincula rumpere, impediet si quis ueteranos id nolle dixerit? nõ sunt enim, credo, innumerabiles, qui pro cõmuni libertate arma capiant? nemo est præter ueteranos milites uir, qui ad seruitutẽ propulsandã ingenuo dolore excitetẽ? potest igitur stare Resp. freta ueteranis sine magno subsidio iuuẽtutis? quos quidem libertatis adiutores complecti debetis: seruitutis autores sequi nõ debetis.

Quæ, malum, est ista ratio?] Alter locus de ueteranorum offensione, quem refellit ab autoritate senatus et populi Ro. potentia. Senatus non seruit ueteranis, ueterani sine populo Ro. libertatẽ non possunt tueri. ergo nõ sunt ita metuendi. Est etiam locus turpitudinis: turpe esse S.P.Q.R. ueteranis seruire, si pergant arrogantes esse. Vox uero illa, Malum, interiecta est ad indignationem declarandã, de qua uoce alibi quoq; locuti sumus. Ferre fastidium.] Arrogantiam, superbiã, insolentiã, tedium ex superbia natum. Cicero semper hoc modo, nunquam fastum dicit. est enim poetica potius q̃ oratoria uox. Seruitutis uincula rumpere.] Dominatũ, siue tyrãnidem abijcere, excutere iugũ, in libertatẽ se uendicare. Quàm sit dura & turpis res tyrãnis & seruitus, indicant uoces illæ, uincula, iugum, rumpere.

Non sunt enim, credo, innumerabiles.] Ironicôs & dissimulanter significat innumerabiles esse qui libertatem defendant, præter ueteranos. Est ergo locus à facultatibus & copijs. Nemo est præter.] Idem dicit, & eandem sententiam uersat multis modis, ad indignationẽ excitandã. paria enim sunt illa, pro libertate arma capere, seruitutem propulsare. B *Ingenuo dolore.] Libero homine digno, nõ seruili. Potest igitur stare.] Vehemẽtes sunt hæ crebræ percunctationes dissimulatione coloratæ, quibus modo negatio, modo affirmatio, pro rei natura adiungi debet.*

Quos.] Scilicet ueteranos. hic rhetorica distributione qui sequendi, qui non sequendi docet. Hanc contrarijs & negantibus exornat, cum ait: Libertatis, seruitutis, complecti debetis, sequi non debetis.

Postremo (erũpat enim aliquãdo uera & me digna uox) si ueteranorũ nutu mentes huius ordinis gubernantẽ, omniaq; ad eorũ uoluntatẽ dicta factaq; nostra referuntur: optãda mors est quæ ciuibus Ro. semper fuit seruitute potior. omnis est enĩ misera seruitus: sed fuerit quædã necessaria: ecquod nã principiũ putatis libertatis capessendę? an cum illum necessariũ & fatalem pene casum nõ tulerimus, hunc feremus uoluntarium? tota Italia desiderio libertatis exarsit: seruire diutius nõ potest ciuitas: serius populo Ro. hunc uestitũ atq; arma dedimus, q̃ ab eo flagitati sumus: magna nos quidem spe, & propè explorata, libertatis causam suscepimus. sed ut concedã incertos exitus esse belli, martemq; cõmunem: tamen pro libertate, uitæ periculo decernendum est. Non enim in spiritu uita est, sed ea nulla est omnino seruienti.

C *Postremo erumpat.] Turpitudinẽ seruitutis detestatur, ac delabitur ad incitationẽ capessendæ libertatis. multi sunt hic loci ex 3 Philipp. huc translati. Optanda mors est.] Confert mortẽ cum seruitute, & mortẽ eligendã potius quàm seruitutẽ dicit, si sit optio. hoc aũt ex illo, Ex duobus malis, minus eligendũ esse. Quæ ciuibus Ro.] A maiorũ exemplo atq; iudicio, qui semper dignitatẽ utilitati anteposuerũt. Omnis est enim misera seruitus.] Duo genera seruitutis facit (ut & 3 Philipp. indicauimus) necessariũ unũ, alterũ uoluntariũ: et hæc cõparat inter se, ut turpiorẽ esse ostendat uoluntariã seruitutẽ, q̃ necessariã. utranq; turpe, sed minus illud q̃ hoc. Capessendę.] Asserendæ, defendendæ. An cum illum necessariũ & fatalẽ pene.] Locus ex minore. Si minus turpẽ nõ tulimus, magis turpẽ quomodo feremus seruitutẽ? Sic etiã Philip. 3. Sed si illa tulimus, inquit, quæ nos necessitas ferre coegit, quæ uis quędã penè fatalis: quæ tamẽ ipsa nõ pertulimus, etiãne huius latronis feremus teterrimũ crudelissimũq; dominatũ? Et obserua utriusq; loci uariã expolitionẽ. Tota Italia desid. &c.] In tertia: Italia tota ad libertatẽ recuperandam excitata.*

*Serius] Tardius. à tẽpore hortatur. Hunc uestitũ] Saga & belli ornamẽta. Magna quidẽ spe.] A certa uictoriæ spe. quæ spes finis est propositus suadẽti, ut dissuadẽti reformidatio: ut Cic. in Part. orat. testatur. Sed ut concedã.] Occupatio. Sed euẽtus belli incertus est, quo minus certã uictoriã sperare possimus. Respondet, Fac ita esse, ta*D*men pro libertate pulchrũ est mori. Non enim in spiritu uita est.] Hunc locũ præclare declarat ille alter qui est in oratione illa pulcherrima pro Marcello: Nec uero, inquit, hæc tua uita dicenda, quæ corpore & spiritu continetur: illa inquã illa uita est, quæ uigebit memoria seculorũ omniũ, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Sed ea nulla est omnino seruienti.] Iurisconsulti seruitutẽ mortis instar esse dicunt: quòd quemadmodũ mortui alieno tractantur arbitrio, sic etiam serui nihil nisi alieno nutu & uoluntate possunt agere. Hinc illa uox Laconis pueri memorabilis, qui ab Antigono rege captus uenditusq;, cum iuberetur à domino matulam ferre, uiriliter dixit: οὐ δουλεύσω, non seruiam, inquit: mox se præcipitem dedit, atq; ita generose maluit mori, quàm turpiter seruire.*

Omnes nationes seruitutẽ ferre possunt: nostra ciuitas nõ potest. nec ullã aliam ob causam, nisi q̃ illę laborẽ doloremq; fugiunt: quibus ut careãt, omnia perpeti possunt. nos ita à maiorib. instituti atq; imbuti sumus, ut omnia cõsilia atq; facta ad uirtutẽ atq; dignitatẽ referamus. ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidẽ sit in repetenda libertate fugienda. Quod si immortalitas consequeretur pręsentis periculi fugam, tamẽ eo magis ea fugienda uiderẽ, quo diuturnior esset seruitus. Cum uero dies & noctes omnia nos undiq; fata circunstent, non est nostrum, nominisq; Romani dubitare, eum spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere.

Omnes nationes.] Comparatione aliarum nationum amplificat, & ad libertatem tuendam excitat.

Nec ullam aliam ob causam.] Ignauiam & fugam dolorum dicit esse causam cur aliæ nationes seruitutem ferant: A *cur autem Romani non possint, id facere uirtutem & honestatem, ad quam omnia tanquam ad finem bonorum referant. Ex hoc loco uidere licet alias nationes & ciuitates omnibus rebus anteferre utilitatem, alias honestatem. Itaq; oratores & qui dant consilium, illis quæstum & emolumentum proponunt, his dignitatem & laudem: illis detrimenta, his turpitudinem & ignominiam. Non est igitur unus omnibus propositus finis, uel utilitas sola, uel honestas in deliberando, si auditorum natura & moribus finem metiamur: sed modo unum, modo alterum, modo utrunq;. Nam in suadendo, inquit orator, nihil est optabilius quàm dignitas. Qui uero utilitatem putat, non quid maxime uelit suasor, sed quid interdũ magis sequatur uidet. Nemo est enim, præsertim in tam clara ciuitate, qui non putet expetendam maxime dignitatem: sed uincit utilitas plerunq;, cum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Nos ita à maioribus instituti atq; imbuti sumus.] A maiorum exemplis & institutione. Et est formula usitata Ciceroni, ut in Miloniana, de lege naturæ, ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Significat autem Romanos & genitos & institutos esse ad libertatem, & ad imperandum, non ad seruiendum. Imbuti enim ad naturam, instituti ad disciplinam referuntur. Ita præclara.] Expolitione idem uersat atq; uariat: quod quidem efficere posse summi est eloquentis.*

Quod si immortalitas.] Etiam si immortales euaderemus, præsens periculum fugientes: tamen tanto magis fugere immortalitatem deberemus, quanto seruitus futura esset diuturnior, per ipsam immortalitatem. Quidam uero ita interpretantur hunc locum, ut sit argumentum ex maiore ductum: addunt ante tamen negationem, atq; ita legunt sequentia: B *Non tamen eo magis, &c. in hanc sententiam: Si mors fugienda non esset, etiam si nos ex huius periculi fuga immortalitas esset exceptura, propterea quòd diuturnior seruitus esset: quanto magis ne seruiamus, id nunc facere debemus: qui & si euaserimus ex hoc periculo, tamen non habemus exploratum nos ad uesperum esse uicturos, præsertim cum & Romana uirtute digna facturi simus, & uitam cum amoris in patriam gloria commutaturi? Prior tamẽ explicatio simplicior est. Non est uestri, nominisq; Romani.] Non est Quiritum, qui à Quirino siue Marte nomen habent: non Romanorum, qui à fortissimo rege & autore Romulo genus & nomẽ ducunt. Sic etiam in tertia: Aut libertatem propriam Romani generis & nominis recuperemus, aut mortem seruituti anteponamus. Eum spiritum quem naturæ quis debeat.] Locus à necessitate. Quando nobis moriendũ est, nónne præstat cum gloria pro patria mori, quàm inglorios, ueluti pecora interire?*

Concurritur undique ad commune incendium restinguendum: ueteraniq́ primi Cæsaris authoritatem sequuti, conatum Antonij repulerunt: post eiusdem furorem Martia legio fregit, Quarta afflixit. Sic à suis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam sibi armis animisq́ infestam inimicamq́ cognouit. Hunc A. Hircij, C. Cæsaris exercitus insequuti sunt: post Pansæ delectus urbem totamq́ Italiam erexit. Vnus est omnium hostis: quanquam habet secum Lucium fratrem, charissimum Reipublicæ ciuem: cuius desiderium ciuitas ferre diutius non potest. Quid illa tetrius bellua? quid immanius? qui ob eam causam natus uidetur, ne omnium mortalium turpissimus esset Antonius. Est unà Trebellius, qui iam cum tabulis nouis redit in gratiam: T. Plancus, cæteri pares, qui id pugnant, id agunt, ut contra Rempublicã restituti esse uideantur: sollicitant homines imperitos Saxæ & Caphones, ipsi rustici & agrestes: qui hanc Rempublicam nec uiderunt unquam, nec uidere constitutã uolunt: qui non Cæsaris sed Antonij acta defendunt: quos auertit agri Campani infinita possessio, cuius eos non pudere miror, cũ uideant se mimos & mimas habere uicinos.

Concurritur undiq;.] Locus est à facultatibus, nullam iam esse excusationem, quando ad Antoniũ opprimendum undiq; auxilia ueniant: turpe esse si in tanto omnium mortalium feruore, ipsi soli, quorum maxime interfit, taceant & frigeant. D *Ad commune incendium restinguendum.] Bona translatio ab igni ad bellum. Incendium uocat bellum ab Antonio excitatum. Veteraniq; primi.] Enumerat copias, quo magis illos inflammet ad fauendum M. Bruti conatibus. A suis legionibus condemnatus.] Desertus, derelictus, destitutus: id quod sequitur dixit, pro eo quod antecedit: quòd enim illum deseruerunt, signum est eum à legionibus condemnatum esse Reip. hostem. Armis animisq́.] Agnominationem facit literarum immutatione. Infestam inimicamq;.] Infestam armis, animis inimicam, ut paria paribus referantur. Vnus omnium est hostis.] Delabitur in sociorum Antonij insectationem & uituperationem, ut eos in odium & contemptionem adducat. Charissimũ populo Ro. ciuẽ.] Dissimulationis iucunditate condit orationem. Ne omnium mortalium turpiss.] Duo significat, & Lucium ad scelera & flagitia natum esse, & M. Antonium omni genere turpitudinis superare. Atq; hoc oratorie dicit, nam suprà Caium deterrimum fecit. Est uero Trebellius.] De hoc L. Trebellio multa dicit, atq; etiam de alijs Philipp. 6. Nam Trebellium ualde, inquit, diligit: oderat tum cum ille tabulis nouis aduersabatur. iam fert in oculis postquam ipsum Trebellium uidit sine tabulis nouis saluum esse nõ posse. atq; ibi nos quæ dicenda erant diximus. T. Plancus, cæteri.] T. Plancus adolescens nobilis, qui omnibus sentẽtijs, maximoq; uestro plausu condẽnatus, nescio quo modo se cõiecit in turbam: atq; ita mœstus rediit, ut retractus non reuersus uideretur. Philip. 6. Saxa, Capho.] Philipp. 8. Omnes Caphones, omnes Saxæ, cæteræq; pestes quæ sequuntur Antoniũ. Non Cæsaris sed Antonij.] Id est, quæ Antonius Cæsaris nomine*

edit

A *edat ementita chirographa, & acta.* *Auertit.*] *Abduxit à Republica, & ad Antonium traduxit.* *Mimos & mimas.*] *Quibus & ipsis ager Campanus diuisus fuerat.*

Ad has pestes opprimendas quid est cur moleste feramus quod M. Bruti accessit exercitus? immoderati credo hominis & turbulenti. uide ne nimium penè patiẽtis, & si in illius uiri consilijs atq; factis, nec nimium, nec parum unquã fuit. omnis uoluntas M. Bruti P. C. omnis cogitatio, tota mens, autoritatẽ senatus, libertatẽ populi Ro. intuetur: hæc habet proposita, hæc tueri uult. tentauit quid patiẽtia proficere posset: nihil cum proficeret, contra uim ui experiendum putauit. cui quidem P. C. uos idem tribuere hoc tempore debetis, quod ad xiij. Cal. D. Bruto, & C. Cæsari me autore tribuistis, quorum priuatũ de Rep. consilium & factum autoritate uestra est comprobatum atq; laudatum. quod idem in M. Bruto facere debetis: à quo insperatũ & repentinum Reip. præsidium legionum, equitatus, auxiliorum magnæ & firmæ copiæ comparatæ sunt: adiungendusq; est Q. Hortensius, qui cum Macedoniam obtineat: adiutorem se
B Bruto ad comparandum exercitum fidelissimum & constantissimũ præbuit. nam de M. Apuleio separatim censeo referendum: cui testis est per literas Brutus: eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi.

Ad has pestes opprimendas.] *Dirigit uituperationem ad scopum, & se ad M. Brutum recipit, ob quem hæc declinatio à proposito facta fuerat. Id autem facit, ut paulatim permotis animis, & sentẽtia de Bruto atq; alijs dicta, peroret.* *Immoderati credo.*] *Ironia qua iucundius Brutum laudat, quàm si sine figura idem faceret.* *Nihil nec nimium, nec parum.*] *Moderatißimum hominem Brutum fuisse significat. nam uirtus inter nimium & parum mediocritas est. Extrema uitiosa sunt. Ergo recte dicitur Modum (μέτρον uocant Græci) in omni re optimum esse. Est igitur uirtutis circuitio, quod nec nimium, nec parum est.* *Omnis uoluntas.*] *Concludit per enumerationem breuem eorum quæ dixit, ut uim habeat causa maiorem.* *De Apuleio.*] *De hoc antea diximus ex Bruti ad Ciceronẽ epistolis.*

Quæ cum ita sint, quod C. Pansa Cos. uerba fecit de literis quę à Q. Cepione Bruto procons. allatæ, & huic ordini recitatæ sunt, ea de re ita cẽseo. Cum Q. Cepionis Bruti
C proconsulis opera, consilio, industria, & uirtute, difficillimo Reip. tempore prouincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus, in consulum, senatus populiq; Ro. potestate sint: id Q. Cepionem Brutum procons. bene & è Rep. & ex sua maiorumq; suorum dignitate, consuetudineq; Reip. bene gerendæ fecisse: eamq; rem senatui populoq; Ro. gratã esse & fore: utiq; Q. Cepio Brutus procons. prouinciam Macedoniam, Illyricum, totamq; Græciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemq; seruet: eiq; exercitui quem ipse constituit, comparauit, præsit: pecuniaq; ad rem militarem si qua opus sit, quæ publica sit, & exigi possit, utatur, exigatq; à quibus uidetur, ad rem militarem mutuas sumat: frumentum imperet: operamq; det, ut cum suis copijs quamproxime Italiam sit. Cumq; literis Q. Cepionis Bruti procons. intellectum sit, Q. Hortensii proconsulis opera & uirtute uehementer Remp. adiutã: omniaq; eius consilia cum consilijs Q. Cepionis Bruti proconsulis cõiuncta fuisse: eamq; rem magno usui Reip. fuisse: Q. Hortensium procons. recte & ordine exq; Rep. fecisse: senatuiq; placere Q. Hortensium proconsulem cum Q. Cepione proconsule, & le-
D gatis suis Macedoniam prouinciã obtinere, quoad ex senatusconsulto successum sit.

Quæ cum ita sint.] *Sententiam dicit, in quam fiat senatusconsultum, & concludit.* *Pecuniaq;.*] *M. Brutus cum à Lycijs pecuniam poposcisset, eos ad desperationem adegisse legitur, ut se omnes ferro flammaq; perderent: quod spectaculum Brutus spectare non potuit. Idem Brutus scribens ad Pergamenos Laconica breuitate epistolam, sic inquit: Audio uos Dolabellæ dedisse pecunias, quas siquidem sponte dedistis, fassi estis iniuriam: sin inuiti, hoc ostendetis, si mihi eas sponte dederitis.* *A Q. Cepione.*] *Hoc erat uerum Bruti nomen, quod forsitan ex materno genere sortitus fuerat. nam in senatusconsulto uerum nomen quodcunq; esset, edendum erat.*

FINIS

IN VNDECIMAM PHILIPPICAM ARGVMENTVM A



NTERFECTO *Cæsare sortitisq; prouincijs, Caßio decreta Syria fuit. Verum cum eam prouinciam in primis cuperet Antonius, nec tamen eam, ne maiorem de se suspicionem excitaret, uellet petere, Dolabellam iuuenem audacem, & ambitiosum, collegam consulem, qui tum cum senatu communicare consilia de republica uidebatur, cum tamen re uera cum Antonio faceret, ad Syriam & paratum iam in Parthos exercitum petendum subornauit. Cumq; per senatum ea res teneri non posset, lege lata ad populum, effecit ut & Syria & Parthicum bellum Dolabellæ, nō sine magnis tamen contentionibus, decerneretur. Erat tunc Asiæ minoris præfectus C. Trebonius, unus ex ijs qui in Cæsaris necem coniurarant, quiq; cum interficeretur Cæsar, Antonium à curia seuocarat, ne unà cum Cæsare necaretur: ut Cicero Philip. secunda, & Plutarchus in Cæsare testantur. Itaq; cum proficisceretur Dolabella in Asiam, ac Pergamo & Smyrna Asiæ ciuitatibus à Trebonio prohiberetur, Ephesum, in quam ut reciperetur, quoniam consul erat, Trebonius mandarat, cum copijs quas habebat itinere simulato, noctu Smyrnā contendit, in eamq; de improuiso scalis admotis ingressus, Trebonium nihil tale timentem, quòd amice inter se essent antè collocuti, opprimit, ac uarijs prius tormentis excruciatum necat, & in mortuum multa per ludibrium agit, quæ Cicero ipse narrabit.* B *Accepto igitur Romæ hac de re nuncio, Dolabella hostis à senatu est iudicatus. Cum autem de imperatore ad Dolabellam bello persequendum consilium caperetur, alijq; censerent, priuatum aliquem extra ordinem mittendum: alij alterum ex consulibus: Cicero sententiam rogatus, hanc orationem habuit, in qua primo C. Trebonij acerbum casum deplorat, acerbe in Dolabellam & Antonium inuehitur, monens ab utriusque crudelitate esse cauendum. Deinde refutatis contrarijs sententijs tanquam iniquis & inutilibus, censet eam rem Caßio, qui in propinquis locis agebat mandandam esse. Postremo reprehensis quibusdam qui etiam hic nomen ueteranorum opponebant, unica clausula perorat.*

DE HVIVS ORATIONIS CAVSA ET STATV

Causa est, deliberatio. deliberatur enim de imperatore deligendo. Quæstio siue status est æquitatis & utilitatis, quæ qualitate continentur. Tractatur autem per comparationem hoc modo: An sit æquius aut utilius reipublicæ mitti ad id bellum priuatum aliquem extra ordinem, alterumue ex consulibus, an Bruto & Caßio id mandari? Loci quibus ad hāc quæstionem utitur Cicero sunt, Mos maiorum, qui pro lege esse solet: item æquitas & utilitas, & dignitas, siue honestas.

DE DISPOSITIONE C

Dispositio tota consilij est atque prudentiæ. nam exordio subijcit interpunctam narrationem uituperandi causa, qua Trebonij necem, Dolabellæ atq; Antonij Antonianorumq; crudelitatem exponit. Hanc sequitur digreßio, siue amplificatio ad animos permouendos, deinde partitio, pòst refutatio, deinde confirmatio cum quadam amplificatione Caßij & Bruti laudum, & Caßij copiarum: in qua concludit orationem. nam peroratione rhetorica non utitur.

DE CHARACTERE SIVE FORMA

Elocutio ipsa temperata est, etiam si ad animos concitandos pleraque dicantur. Est tamen paulo quàm decima plenior & uehementior.

ILLVSTRIORES HVIVS CONSVLTATIONIS LOCI

Habet hæc consultatio præclaros aliquot locos, atq; sententias illustres: cuiusmodi est illa legis definitio. Item notatio, comparationes, distributiones. Item quid sapientis proprium sit. Item duas res præsertim magnas, neminem agere uno posse tempore, & id genus alia, quæ suis locis indicabuntur.

D

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA VNDECIMA



AGNO in dolore sum P. C. uel mœrore potius, quem ex crudeli & miserabili morte C. Trebonij optimi ciuis moderatißimiq; hominis accepimus. inest tamen aliquid, quod reip. profuturum putem. perspeximus enim quanta in his, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas. nam duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima & spurcißima, Dolabella & Antonius: quorū alter effecit quod optabat, de altero patefactū est quid cogitaret. L. Cinna crudelis, C. Marius in iracundia perseuerans, L. Sylla uehemens: neq; ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est, quæ tamen pœna in ciues nimis crudelis putabatur.

EXORDIVM

A EXORDIVM

Magno in dolore sum Patres conscripti.] Ab ipsa re, id est ab ipso Trebonij acerbo & miserabili casu incipit, quē statim confert ad amplificandam Dolabellæ & Antonij, sed Antonij maxime crudelitatē. Habet autem hoc principium uim ad conciliandos animos auditorum. Libenter enim homines fauent ijs, qui interitum clari alicuius & excellentis uiri deplorant: quód sibi quisq; talia accidere posse existimat. *Vel mœrore potius.*] Correctio ad dolorem & commiserationem augendam. Ex hoc loco perspicuum fit, cum uerborum habetur delectus, & uerba ipsa ponderantur, grauius aliquanto uerbum esse mœrorem quàm dolorem: id quod uel ex utriusq; definitione clarum esse potest. Dolorem enim ita Cicero in Tusculana quarta definit: Dolor est ægritudo crucians. Mœrorem autem sic: Mœror est ægritudo flebilis. Potest enim in aliquo esse dolor, qui tamen flebilis non sit: ut si latro crucietur, aut parricida. Mœror aūt præter cruciatum quem affert, flebilis est, hoc est lachrymis & miseratione dignus. *Quem ex crudeli & miserabili morte.*] Quoniam non interfectus simpliciter fuit, sed & ante discruciatus, & post abscissum caput, ludibrio habitus. Hic autem obseruandum est paria paribus relata, duo duobus. nam uox crudelis, ad dolorem refertur, miserabilis ad mœrorem. *C. Trebonij optimi ciuis, moderatissimiq; hominis.*] Hæc etiam faciunt ad dolorem & mœrorem exaggerandum. Vult enim ostendere Trebonium non ob sua scelera aut insolentiam, sed propter remp. interfectum fuisse.

Inest tamen aliquid.] Iam Trebonij acerbam necem ad amplificationem confert Antonianæ crudelitatis. Profuisse B autem reipub. mortem Trebonij intelligendum est, non per se, sed fortuitò, quod indiserti dicunt per accidens, quoniam ex eo Antonianorum immanitas patefacta est, perspectumq; quantopere ab illis cauendum sit. *Perspeximus enim.*] Declarat qua ex parte, & quomodo profuerit. *Immanitas.*] Feritas & barbaries quædam, quæ propria est affectio belluarum, non uitium proprie (nemo uitia in belluis esse dixerit, nisi per translationem) sed uitio omni, si in hominem aliquem cadat, deformior & deterior. Immanitati autē ac feritati ea uirtus opponitur maxime, quæ supra nos est, quæ eadē heroica ac diuina fortitudo dicenda est, qualem in Hectore, Achille, Aenea poetæ fuisse ferunt: qualisq; re uera in Mose, Iosua, Dauide, & ueteri Iudæorum populo: in nouo uerò, in Petro & Paulo fuit. Et quoniam raro contingit, ut aliquis homo sit diuus, quemadmodum Lacones solent appellare Diuum, cum cui excellentes uirtutes tribuunt: sic in specie humana raro aliquis ex pecudum genere cernitur, nisi è media barbaria aliquis existat, aut obleso principio, uiq; morbi talis efficiatur. Quanquam eos qui alios uitijs flagitijsq; superant, hac infamia notamus, immanesq; appellamus. Atq; hæc ferè sunt quæ de immanitate in Ethicis tradit Aristoteles. Cicero autem in alia etiam significatione utitur, præsertim cum in Part. orat. Et temperantiam, inquit, immanitas in uoluptatibus aspernandis imitatur. Hanc etiam stuporem licet nominare, etiam si Aristoteles nomine carere apud Græcos putat. Ea est cum uoluptatis sensus omnino expers est aliquis, immanitas. Immanitatem uero grauius esse uerbum quàm insolentiam, idem Cicero libro decimo Epist. famil. testatur. Et absui, inquit, proficiscens in Græciam: & postea quam de meo cursu reipublicæ sum uoce reuoca C tus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta est non insolentia (nam id quidem uulgare uitium est) sed immanitas, non modo ut uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. *Nam hæc duo capita.*] Hi duo homines: quod dicunt inepti, hæ duæ personæ. *Post homines natos.*] Post hominum memoriam: quod dicunt, Ab orbe condito. *Teterrima.*] Nocentissima, perniciosissima: quo nomine in odium trahit crudelem Dolabellam.

Et spurcissima.] Impurissima, fœdissima: trahit in contemptionem, ut rhetores docent, ex persona aduersariorum esse faciendum. *Quorum alter.*] Dolabella scilicet, qui Trebonium trucidauit, Syriam occupauit.

De altero.] Antonio nimirum, qui prouinciam Galliam cogitauit occupare, ut inde urbem armatus inuaderet, & cædem bonorum faceret. *L. Cinna crudelis.*] Collatione exemplorum Antonij & Dolabellæ auget immanitatem: in quibus exemplis spectanda est uarietas. nam cum crudeles eos tres uellet significare, Cinnā crudelem, Marium in iracundia perseuerantem, Syllam uehementem appellauit. Itaq; proprys quemq; animorum notis notauit, quæ ad crudelitatem & ultionem stimulabant. *Acerbitas.*] Crudelitas, cum quis modum in ulciscendo transgreditur.

Progressa ultra mortem est.] Cuiusmodi Dolabellæ in Trebonium fuit, qui caput Trebonij fixum gestari iussit in pilo, reliquum corpus tractum atq; laceratum proiecit in mare, ut paulo post Cicero dicet. Hæc immanitas in mortuos sæuitiem exercendi à poetis exagitata semper fuit, qualis Achillis in Hectorem. Idcirco Turnus apud Virgilium Aeneæ uictori ait: Vlterius ne tende odijs. Sed quid hic dicemus, duo quos Cicero negat, acerbitatem in aliquem ultra mortem adhibuisse, eos Valerius Maximus libro nono De crudelitate, hoc nomine infames facit. Nam Syllam Marij erutos cineres in Anienis alueum sparsisse scribit: & ipsum C. Marium caput Antonij clarissimi & ciuis & oratoris abscissum suis ma D nibus inter epulas per summam animi ac uerborum insolentiam, aliquandiu in mensa tenuisse. Ex quo dicendum esset, aut ueteres scriptores multa finxisse: aut hæc Ciceronem cum multis alijs ignorasse. nam mentitum tam impudenter in senatu, ubi statim redargui poterat, fuisse, non fit uerisimile. *Quæ tamen pœna.*] Mors scilicet ipsa.

Ecce tibi geminum in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarum. Itaq; quorum summum quondam inter ipsos odium, bellumq; meministis, eosdem postea singulari inter se consensu & amore deuinxit impurissimæ naturæ, & turpissimæ uitæ similitudo. Ergo id quod fecit Dolabella, in quo potuit: multis idem minatur Antonius. Sed ille cum procul abesset à consulibus, exercitibusq; nostris: nec dum senatum cum populo Romano conspirasse sensisset: fretus Antonij copijs ea scelera suscepit, quæ iam Romę suscepta arbitrabatur à socio furoris sui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare censetis? aut quam omnino causam esse belli? Omnes qui libere de re

publica

publica sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum Romanum libe- A
rum esse uoluimus: statuit ille quidem non inimicos, sed hostes. Maiora in nos quàm
in hostem supplicia meditatur. Mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormen
tum atque cruciatum. Qualis igitur hostis habendus est is, à quo uictore si cruciatus
absit, mors in beneficij partem numeretur? Quamobrem Patres conscripti, quan-
quam hortatore non egetis: ipsi enim uestra sponte exarsistis ad libertatis recuperan
dæ cupiditatem, tamen eo maiore studio libertatem defendite, quo maiora proposi-
ta uictis supplicia seruitutis uidetis.

Ecce tibi.] *Demonstratio inopinatæ rei, siue illa bona siue mala sit. De bona libro secundo De oratore: Ecce tibi
exortus est Isocrates magister istorum omnium. Tibi autem consuetudine Romana potius additum est, quàm ulla necessi
tate, quod à scriptoribus omnis generis factum legas. Geminum in scelere par.*] *Nominatiui sunt, geminum par.
Et geminũ hoc loco simile significat: ut pro S. R. Amer. Par est auaritia, similis improbitas, eadẽ impudẽtia, gemina auda
cia. itẽ pro Sestio: Illud uero geminũ cõsilijs Catilinæ & Lentuli. Budæus in Cõment. ling. Græcæ legit, Ecce tergeminũ,
sed male. nam ter pro tibi corrupte legit. Inusitatũ, inauditum, ferũ, barbarũ.*] *Articulus, cum uerba singula distin* B
*guuntur cæsa oratione, quod Cic. incisim dicere, et incisum uocat: parũ differt à dissoluto, utrũq; enim sine cõiunctionum
uinculis & quasi nodis ponitur. Differt tamen, quòd in dissoluto possumus & membratim & incisim dicere, in articulo
tantum cæsim, idq; singulis uerbis. Vult autem dicere, Antonium & Dolabellam esse par hominum inusitata atq; inaudi
ta feritate ac barbarie. Inter ipsos odium.*] *De Antonij & Dolabellæ inimicitijs dictum est in Philippica prima
& secunda. Deuinxit impuriss. nat. & turpiss. uitæ simil.*] *Vt ueteri prouerbio dicitur, Pares cum paribus facil-
lime congregantur. Cicero de Officijs lib. primo. Ergo id quod fecit Dolab.*] *Dolabellæ crudelitatem ad Antonij
exaggerandam immanitatem confert: ac periculi metu ad utrunq; persequendum incitat. In quo potuit.*] *In C.
Trebonio: in plures facturus si potuisset, & si nunc posset. Multis idem minatur Antonius.*] *Idem exitium, ean
dem cædem, eandem crudelitatem bonis omnibus minatur. Sed ille.*] *Dolabella scilicet. A Coss. exerciti
busq; nostris.*] *Qui in Gallia Decimũ Brutum obsidione liberare uolebant. Conspirasse.*] *Consensisse, coniun-
ctum contra Antonium esse. Fretus.*] *Confisus, elatus. Ea scelera suscepit.*] *In Trebonio necando.*
Iam suscepta.] *Perpetrata, & ad effectum perducta. A socio furoris sui.*] *Ab Antonio æque ut Dolabella
furioso, audace, crudeli. Quid ergo.*] *Ex Dolabellæ scelere coniecturam capit Antonij consiliorũ, quem non alia
de causa bellum suscepisse dicit, quàm ut omnes qui libere de republica sentiunt, tanquam infensissimos hostes misere tru-
cidet. Hunc.*] *M. Antonium, qui Mutinæ D. Brutum circumsedet. nam si Dolabellam intelligeret, illum, ut qui
longe abesset, non hunc, qui in Italia erat dixisset. De Antonio eum loqui probat superior distributio. Quod fecit Dola-* C
*bella in quo potuit, multis idem minatur Antonius. Deinde subiungit: Sed ille cum procul abesset, &c. sequebatur igitur ut
hunc de Antonio distributionis ordine diceret. Aut quam omnino causam.*] *Ex causa, quam impulsionem rheto
res uocant, belli ab Antonio suscepti turpitudinem atq; atrocitatem ostendit. Omnes qui libere.*] *Subiectio ora-
toria, qua sibijpse respondet. Qui libere de repub. sensimus.*] *Id est, qui quod de republica sensimus, libere pro-
nunciauimus. Qui dignas.*] *Declarat quod dixit duobus sequentibus membris. Dignas nobis.*] *Consu-
laribus scilicet, quos æquum est de republica libere aperteq; sentire, eamq; defendere. Qui populum Romanum
liberum esse uoluimus.*] *Hoc est quod dixit, Qui libere de republica sensimus. Et attende repetitionem singulis membris,
Qui, eamq; sine coniunctionum quasi uinculis & nodis, in quo dissolutum licet cernere, nisi quòd uox illa Qui, pro no-
do quodam uinculoq; haberi potest. Non inimicos, sed hostes.*] *Correctio antequam dixeris, ut Cicero uocat,
quam ego priorem uoco: alteram posteriorem, quam Cicero correctionem postquam dixeris uocat. Cuius exemplum ali
bi indicauimus. hæc autem correctio ad exaggerandam Antonij crudelitatem ualet, & ad odium in eum concitandum.*
Maiora.] *Addit tertium incrementi gradum. Sic enim statuit, inimicos, hostes, plusquam hostes. In quibus singu-
lis αὔξησις cernitur. nam hostis plus est quàm inimicus. inimicus enim proprie priuatus est, in priuata alicuius cau-* D
sa: hostis publicus & communis, in publica communiq; causa. Meditatur.] *Excogitat, parat, molitur.*
Mortem naturæ pœnam putat.] *Id est, idcirco homines mori, quòd nati sint. Sic Plinius libro septimo hominem di
cit miserum esse unam tantum ob culpam, quia natus est. Item Sallustius: Omnia orta, inquit, occidũt, & aucta senescũt.
Contrarium dixisse uidetur pro Milone: Milo, inquit, exilium ibi esse putat, ubi uirtuti non sit locus: mortem naturæ finẽ
esse, non pœnam. Sed non sunt contraria, quoniam hæc non ex sua, sed Antonij sententia dicit Cicero, cui peruersas tri-
buit sententias. Deinde pœna hic pro eo quod naturæ tanquam mulcta debetur, accipi potest: quemadmodum dixit Phi-
lippica decima: Eum spiritum quem naturæ quis debeat, patriæ reddere. Atq; ita mors & finis & pœna quodam modo
erit. Non loquor hic de nostra sententia, qui ex Mose sciamus, mortem naturæ ob inobedientiam irrogatam esse. Hoc
uult hoc loco Cicero, Antonium, si quem nullis cruciatibus & tormentis adhibitis occidat, existimare se iracundiæ suæ
non satisfecisse, quòd alioqui hominem mori necesse sit: sed tunc satisfactum esse, si antequam occidat, diris cruciatibus
suam expleat crudelitatem. C. Cæsar quidem mortem adeo leue suppliciũ putabat, ut cum audisset Cornelium quendam
morti addictum, anticipasse eam, exclamauerit, Cornelius me euasit. Item in recognoscendis custodijs, precanti cuidam
pœnæ celeritatem responderit: Nondum tecum in gratiam redij. Verum enim est, quod ueteri celebratum est dicto: Mors
misera non est, sed aditus ad mortem est miser. De hac re præclare Franciscus Petrarcha in Triumpho mortis, Italicis
rhythmis cecinit. Rogat enim in hunc modum Lauram defunctam, eamq; respondentem facit:*

A *Deh dimmi se'l morir è si gran pena?*
Rispose: mentre al uolgo dietro uai,
Et à l'opinion sua cieca & dura,
Esser felice non pò tu giamai.
La morte è fin d' una prigion oscura
A gl'animi gentil, à gl'altri è noia
C' hanno posto nel fango ogni lor cura.

Et paucis post uersibus:

Sylla, Mario, Neron, Gaio, & Mezentio,
Fianchi, stomachi, febri ardenti, fanno
Parer la morte amara piu ch' assentio.
Negar disse, non posso che l' afanno
Che ua inanzi al morir, non doglia forte,
Ma piu la pena del'eterno danno.
Ma pur che l'alma in Dio si riconforte,
B *E'l cor ch' in se medesimo forse è lasso,*
Che l'altro, ch' un suspir breue è la morte.

Qualis igitur hostis?] Concludit cum amplificatione. ostendit enim Antonium hostem omnium immanissimum habendum. Mors in beneficij parte numeretur.] Loco beneficij habeatur. Partem enim pro loco usurpat, ut Plato & Demosthenes μερίδα. Quamobrem Patres conscripti.] Addit hortationem, quo magis ad Antonium & Dolabellam bello persequendos inflammet. Quanquam hortatore non egetis.] Correctione hac magis hortatur, quàm si sine ea apertè adhortaretur. Pudet enim eos qui hoc audiunt, non respondere dicentis de ipsis opinioni: quanquam hæc correctio modestiam quoq; commendat oratoris, fauoremq́; conciliat. Exarsistis.] Inflammati estis. Translatio à materia quæ facile accenditur, in qua inest amplificatio. plus enim dixit, quàm si usus esset uerbo proprio & suo. Esset autem proprium, Commoti & excitati estis. Sic in quarta extrema: Ad spem libertatis exarsimus.

Quo maiora proposita uictis supplicia.] Reformidatione malorum proposita uehementer commouet. Nam spes in bonis, & reformidatio in malis sunt suasori propositi fines. Hic autem duo maxima mala proponit, supplicia & seruitutem.

In Galliam inuasit Antonius, in Asiam Dolabella: in alienam uterq; prouinciam. alteri se Brutus obiecit, impetumq́; furentis, atque omnia diuexare & diripere cu-
C pientis uitæ suæ periculo colligauit: à progressu arcuit, à reditu refrenauit: obsideri se passus ex utraque parte constrinxit Antonium. Alter in Asiam irrupit cursim: cui in Syriam patebat uia certa, neque longa. Quid opus fuit cum legione, præmisso Marso, nescio quo Octauio scelerato latrone atque egente? qui popularetur agros, uexaret urbes, non ad spem constituendæ rei familiaris, quam tenere eum posse negant qui norunt (mihi enim hic senator ignotus est) sed ad præsentem pastum mendicitatis suæ. Consequutus est Dolabella in nulla suspicione belli. Quis enim id putaret? sequutæ collocutiones familiarissimæ cum Trebonio, complexusq́; summæ beneuolentiæ, falsi indices extiterunt in amore simulato: dextræ quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt & scelere uiolatæ. Qui nocturni introitus in Smyrnam? quasi in hostium urbem, quæ est fidelissimorum antiquissimorumq́; sociorum. Oppressus Trebonius, si ut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus: si ut ab eo, qui ciuis etiam tum speciem haberet, miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna uoluit, quid esset uictis extimescendum. Consularem hominem consulari imperio prouin-
D ciam Asiam obtinentem Samario exuli tradidit: interficere statim captum noluit, ne nimis credo in uictorijs liberalis uideretur, cum uerborum contumelijs optimum uirum incesto ore lacerasset, tum uerberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idq; per biduum: post autem ceruicibus caput abscidit: idq; fixum gestari iussit in pilo: reliquum corpus tractum atq; laceratum abiecit in mare. cum hoste hoc bellandum est, cuius teterrima crudelitate omnis barbaria superata est.

In Galliam inuasit Antonius.] Delabitur in narrationem, ut quomodo Trebonium occiderit Dolabella, declaret. In alienam uterq; prouinciam.] Nam Gallia D. Bruto, Asia C. Trebonio sortitione decretoq́; obuenerat. Alteri.] M. Antonio. Vitæ suæ periculo.] Beneficij amplificatio. nam quæ sine difficultate & periculo geruntur, non tanti fieri solent. Quo enim quidq; difficilius, eo pulchrius habetur. Colligauit.] Retinuit, impediuit, constrinxit. A progressu arcuit.] Cohibuit, ne progrederetur impediuit. A reditu refrenauit.] Translatio ab equis, qui nimis incitati freno retinentur. Sunt autem in hoc loco hæc ornamenta: interpretatio primum:

nam colligauit, arcuit, refrenauit, pro eodem posita sunt, nimirum retinuit, impediuit, retraxit. Deinde similiter cadens, A
similiterq́; desinens, quæ concinnam reddunt orationem in his, furentis, cupientis : itemq́; colligauit, refrenauit. Ad hæc
dissolutum, cum tria membra sine copula efferuntur. Obsideri se passus, &c.] Prudentis & callidi ducis & im-
peratoris strategema. Tali strategemate (liceat mihi rem omnium maximam docendi causa cum paruis comparare) usus
est imperator IESVS CHRISTVS, non modo capi se passus, sed etiam crudelissime occidi, ut captiuam abdu-
ceret ipsam captiuitatem, & mortem inferosq́; superaret. O inauditam ducis atq; imperatoris artem. In utraq;
parte.] Ne aut progredi aut regredi posset. Alter.] Dolabella. Irrupit.] Inuasit, impetum fecit.

Cursim.] Magna celeritate, ad scelus, non ad rem gerendam. Neq; longa.] Id est, & breuis. Quid
opus fuit?] Totam narrationem accommodat ad inflammandum senatum, & confirmandum bellum contra Antonium
& Dolabellam. Præmisso Marso.] Præmittere Marsum. ut illud Sallustij in Catil. procemio: Prius quàm inci-
pias consulto, & ubi consulueris mature opus est facto. pro consulere & facere. Nescio quo.] Ad eius contem-
ptionem pertinet hæc dissimulata ignoratio oratoris. Hic erat Dolabellæ legatus, quem sibi ipse sumpserat, cum inuito se-
natu in Syriam proconsul proficisceretur. Qui popularetur agros.] Vastaret, depopularetur. Vexaret
urbes.] Ciuitates sociorum diriperet, & affligeret Constituendæ rei famil.] Stabiliendæ & confirmandæ.

Quam tenere eũ posse negãt.] Significat eum magnum fuisse decoctorem, dilapidatoremq́; bonorum, qui parta te-
nere tueriq; non posset. Mihi enim hic senator ignotus est.] Cum stomacho hominis obscuritatem notat. Opor-
tuit enim eum ualde obscurum esse & nouũ, qui cum senator esset, Ciceroni penè esset ignotus. Sed ad præsentem B
pastum.] Ad præsentem prædam & rapinam, qua præsentem pasceret edacitatem, cum in diem uiueret, id est præsentis
tantum diei rationem haberet. Mendicitatis.] In hoc uerbo inest amplificatio egestatis. nam plus est mendicitas
quàm egestas. Egenti aliquid deest, mendico omnia. Nulla suspicione belli.] Cum omnia essent pacata. Hæc au-
tem dicit ut excuset Trebonium, si cui parum caute insidias Dolabellæ uitasse & cauisse uideatur. Sequutæ collo-
cutiones.] Colloquia, congressus. Persequitur beneuolentiæ signa, quibus facile fuit Trebonium decipi, nulla præsertim
suspicione belli. Quæ fidei testes esse solebant.] Nam fidei Numa Pompilius dextram consecrauit, ut est apud
Liuium: quam dextram etiam Plinius in fide appeti dicit. Perfidia.] Antithesis, fides, perfidia. Nocturn-
nus introitus.] Hoc autem factum est scalis admotis, cum Ephesum se Dolabella proficisci simulasset. In Smyr-
nam] Vrbs fuit post Clazomenas in Ionia clarissima, in sinu Smyrneorum recessu sita, quam Meles præterfluit amnis.
Smyrnei Homerum suum ciuem esse confirmant, cuius etiam delubrum in oppido dedicauerunt. Salaminij repetunt, Chij
suum uendicant, Colophonij ciuem esse dicunt suum: permulti alij pugnant inter se atq; contendunt, ut Cicero & Strabo
testantur. Quod autem hoc loco notandum est, idem Strabo obsidione à Dolabella Trebonium captum scribit, & dirutas
tas complures urbis partes. Sed ego Ciceroni assentior, utpote oculato testi. Quæ est fidelissimorum, &c.] Am-
plificat facti atrocitatem à Smyrneorum fide, & Dolabellæ perfidia. Oppressus Trebonius.] De improuiso ca-
ptus. Si ut ab eo.] Dilemmate utitur (quam diuisionem Cornificius, complexionem Cicero interpretatur) sed ita
tamen, ut prior dilemmatis pars neganda sit, posterior affirmanda. Non erat aperte hostis reipublicæ adhuc Dolabella, C
tunc enim se prodidit primum: erat tamen hostis, sed qui ciuis etiam tum speciem haberet, id est qui præ se ferret formam
ciuis in ijs quæ extrinsecus apparent. Speciem enim appellat, eam quam isti apparentiam uocant. Miser.] Mise-
rum enim ciuem à ciue occidi, idq́; proditione & insidijs. Ex quo.] Dixit in orationis principio, in hoc Dola-
bellæ facto inesse aliquid quod reipublicæ profuturum putaret: hic etiam illud ipsum monet, ut in eis excitet reformidatio-
nem, & maius odium accendat in aduersarios. Documentum.] Exemplum, admonitionem. Extimescen-
dum.] Verbum coniunctione factum ab oratore, & nouatum. Consularem.] Factum ex persona Trebonij ex-
aggerat, & ex persona & conditione eius cui traditus est torquendus. Samario exuli.] A Samaria, quæ regio
est Palestinæ, & in eadem regione urbs fuit potens, æmula Hierosolymorum, quo tempore utraq; floruit : nunc nihil su-
perest. Erant autem Samarij tum Iudæis tum etiam alijs gentibus contemptibiles & odiosi. Quare Samarius exul pro-
uerbio dicebatur, pro homine extremo, odioso, & crudeli. Hinc etiam illud in Euangelio, Non habent consuetudinem Iu-
dæi & Samaritani. Vide D. Erasmi Adagia. Erat autem hic Samarius, Dolabellæ carnifex & lictor. Interficere
statim captum.] Aliter scribit Appianus, sed tamen Ciceroni assentiendum cur potius sit, nemo non intelligit.

Ne nimis credo.] Causam addit odiose, cur statim Dolabella Trebonium interficere noluerit, quia à uictore (ut pau-
lo ante dixit) si cruciatus absit, mors in beneficij parte numeretur. At noluit tam liberalis & benignus uideri Dolabella. D
Itaq; eum Samario exuli torquendum tradidit. Cum uerborum contumelijs.] Persequitur institutam narratio-
nem. Omnia autem criminose dicit, ad facti atrocitatem augendam. Incesto ore.] Infami, impuro, ut paulo post:
Os illud infame. Lacerasset.] Affecisset. sed illud atrocius. Quæstionem habuit.] Per tormenta quæsi-
uit, ubinam esset pecunia publica, quam Bruti & Cassij hortatione in futurum bellum ex Asiæ ciuitatibus congerebat.

Idq́; per biduum.] Amplificat à tempore. Post à ceruicibus.] Energia, id est euidentia siue demonstratio.
potuisset breuius, Caput abscidit, sed à ceruicibus caput abscidit, uisum est horribilius. quemadmodum & in eo quod se-
quitur: Idq́; fixum gestari iussit in pilo. satis fuisset, idq́; gestari iussit in pilo: sed fixum atrocius. Fuit autem pilum pro-
prie Romanorum telum. Hinc Lucanus initio Pharsaliæ bellum ciuile describens, in quo ijsdem signis et telis utraq; pars
uteretur, dixit:

Signa pares aquilas, & pila micantia pilis.

Reliquum corpus tractum.] Vt Achilles Hectoris corpus raptauerat, quod insignis crudelitatis est argumentum.

Abiecit in mare.] Quasi rem detestandam & abominandam. nam aqua marina expiari contaminata putaban-
tur, ut testis est præter alios Cicero in oratione pro Sexto Roscio Amerino. Cum hoc hoste.] Cum Dolabella, cu-

A *ius crudelitatem, absoluta narratione instituit tanquam digreßione quadam amplificare. Eo autem hoc facit, ut Dolabellam & Antonium maiore animo atq; odio persequantur. Pòst aget de imperatore ad id deligendo.* *Omnis barbaria superata est.*] *Confert Dolabellæ crudelitatem cum barbaris, quos à Dolabella superatos esse dicit. Sic etiam in Pisonem: Quod nulla in barbaria (inquit) quisquam tyrannus fecit. Pro barbaris sumpta est barbaria, ut pro Afris Africa: & ornandi causa proprium proprio commutatum, ut Cicero ipse docet de Oratore libro tertio.*

Quid loquar de cæde ciuium Romanorum? de direptione fanorum? quis est qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? & nunc tota Asia uagatur: uolitat ut rex: nos alio bello detineri putat. Quasi uero non unum idemq; bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Imaginem Antonij crudelitatis in Dolabella cernitis. ex hoc illa effecta est, ab hoc illa Dolabellæ scelerum præcepta sunt tradita. Nunc leniorem quàm in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? Mihi quidem & ille peruenisse uidetur, quoad progredi potuerit feri hominis amen-
B tia: neque Antonius ullius supplicij adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem est relicturus.

Quid loquar?] *Locutio apta, cum plura enumeramus, siue ea sint mala, siue bona, quod genus sunt & illa: Quid? quod, Quid dicam? Quid enumerem, quid memorem? siue commemorem? & id genus alia, quæ plurimum uenustatis & uirtutum addunt orationi.* *De direptione fanorum?*] *Ergo non modo crudelis, sed etiam sacrilegus est Dolabella, qui nec hominibus, nec dijs parcit, illos necando, hos spoliando.* *Quis est, qui.*] *Commiserationis locus, satis uehemens ad animos permouendos. Talis est ille Virgilij locus Aeneidos 2.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut posßit lachrymis æquare dolores?

Et nunc tota Asia uagatur.] *Locus indignationis. Indignum enim est hominem tot sceleribus recenter patratis ita impune uagari, regnare, triumphare, qui iam sublatus esse debuisset in crucem. Sic Iarbas Aeneidos 4.*

Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemq; madentem
Subnixus, rapto potitur, &c.

Tota Asia.] *Poetice, pro per totam Asiam.* *Volitat ut rex.*] *Imago inuidiosa. nam regis nomen Romanis*
C *non secus quàm tyranni inuisum erat, idq; propter Tarquinium Superbum, ut alibi notauimus. Volitat ergo, id est, huc & illuc cursitat, non minore insolentia & superbia, quàm si rex & tyrannus esset Asiæ, aut alter Mithridates.*
Nos alio bello.] *Explicat Dolabellæ consilium.* *Quasi uero.*] *Coniungit Dolabellæ causam cum Antonio, & unum idemq; facit bellum, ut parem crudelitate ostendat Antonium.* *Contra hoc iugum.*] *Iugum nunc dicit, quod supra geminum par appellauit, quia Græci ζεῦγος utrumque dicunt. Sumpta autem est translatio à bobus, qui uno iugo plaustrum trahunt. Sic Antonius & Dolabella uno animo bellum gerunt contra rempublicam.*
Impiorum.] *Qui contra patriam arma ferant.* *Nefarium.*] *Detestandum, nefandum, abominandum.*
Imaginem Antonij crud.] *Quòd si talis est imago, quid erit ipsa res? quanta erit Antonij crudelitas?*
Imaginem.] *Speciem & exemplum.* *Ex hoc.*] *Antonius omnium scelerum autor & causa.*
Ab hoc illa.] *Antonius magister est, Dolabella tantum discipulus.* *Nunc leniorem.*] *Ex præcedentibus infert, non minorem sed maiorem crudelitatem ab Antonio in Italia expectandam esse, quàm fuerit in Asia Dolabellæ.*
Mihi quidem.] *Respondet sibipsi, & utriusq; crudelitatem ad summum peruenisse dicit.* *Feri*] *Immanis, barbari, crudelis.* *Amentia.*] *Furor, audacia.* *Si potestatem habeat.*] *Breuius paulo ante si liceat dixit.*

Ponite igitur ante oculos Patres conscripti miseram quidem illam, & flebilem spe-
D ciem, sed ad incitandos animos uestros necessariam: nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum: cum ille miser prius latronum gladios uideret, quàm quæ res esset audisset: furentis introitum Dolabellæ: uocem impuram, atq; os illud infame: uincula, uerbera, eculeum, carnificem tortoremq; Samarium: quæ tulisse illum fortiter & patienter ferunt. Magna laus, meoq; iudicio omnium maxima. Est enim sapientis, quicquid homini accidere possit, id præmeditari: ferendum modice esse si aduenerit. maioris est omnino consilij, prouidere ne quid tale accidat, sed animi non minoris, fortiter ferre si euenerit.

Ponite igitur ante oculos.] *Imaginem Antonij crudelitatis in Dolabella spectandam proponit, illustri quadam explanatione, rerumq; quasi gerantur sub aspectum penè subiectione. Hanc figuram Græci καὶ ἐνάργειαν καὶ ὑποτύπωσιν uocant: Cicero & quomodo dixi, & euidentiam, & perpetuitatem: Cornificius ad Herennium demonstrationem, ut alibi indicauimus. Hoc lumen & in exponenda re plurimum ualet, & ad illustrandum id quod exponitur, & ad amplificandum. Cicero libro tertio de Oratore.* *Speciem.*] *Imaginem, faciem: hoc est illam tragœdiam totam animo, quasi præsentem contemplamini.* *Necessariam.*] *Vt uestræ & patriæ saluti prospiciatis, tanta crudelitate perspecta*

te perspecta

te perspecta. *Nocturnum impetum.*] *Rem ipsam incipit exponere, & auget rei atrocitatem à tempore. Noctu* A
enim omnia sunt formidolosa magis: & qui noctu talia patrant, in ciues præsertim, declarant se esse latrones & prodi-
tores. *In urbem Asiæ clarißimam.*] *Amplificat à loco.* *Irruptionem.*] *Non sedatum ingressum.*

In Trebonij domum.] *Quæ solet omnibus esse commune profugium, ut in Catilinã dicit Cicero. Item pro domo sua: Nihil sanctius, inquit, nec omni religione munitius, quàm domus uniuscuiusq; ciuium: hic aræ sunt, hic foci, hic dij penates, hic sacræ religionis cerimoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.*

Prius latronum gladios uideret.] *Improuisa enim & repentina mala uidentur grauiora. Quemadmodum contra dixit Ouidius:*

Nam præuisa minus lædere tela solent.

Furentis introitum Dolabellæ.] ἦθος *à persona Dolabellæ, & modo quo Dolabella ad Trebonium accesßit, furens audacia, scelus anhelans, clamans, minans.* *Vocem impuram.*] *Obscœnam, quæ solitus tantum flagitia & scelera proferre.* *Atq; os illud infame.*] *Supra: Cum uerborum contumelijs optimum uirum incesto ore lacerasset.* *Infame.*] *Erat enim impudicitia multiplici infamis Dolabella.* *Vincula, uerbera, &c.*] *Scilicet ponite ante oculos, ut suprà. Et amplificat à tormentorum uarijs generibus.* *Equuleum.*] *Sunt qui hoc nomen scribant per c secunda litera: ego autem ab equo ductum nomen puto. nam & equuleus equi pullus dicitur, quasi paruus e-* B
quus. Erat enim machina in equi formam, ad tormenta adhibenda, comparata. Verum postea factum est ut equuleus pro quouis instrumento quo torquentur à tortore homines miseri caperetur. *Tortoremq; Samarium.*] *Quem supra Samarium exulem uocauit, cui Dolabella excarnificandum Trebonium tradiderat. Est autem amplificatio à persona tortoris.* *Quæ tulisse.*] *Laudat Treboniũ à fortitudine & patientia. & rectè quidem. nam nõ quòd quis passus sit, sed quòd fortiter tulerit, in laude ponendum est.* *Magna laus, &c.*] *Scilicet fortiter & patienter mala quæ inferuntur ferre: ut non immeritò dixerit ille: Maxima enim morum semper patientia uirtus. Est enim patientia, ut à Lactantio Firmiano definitur, malorum quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio.* *Est enim sapientis.*] *Locus communis è media philosophia desumptus, quid sit proprium sapientis. Hunc locum præclare tractat Cicero in tertia Tusculana, citatq; ad eum poetarum & philosophorum sententias. Sed nos contenti erimus unicam ex eodem loco, quam epiphonemate pronunciat, subijcere sententiam. Et nimirum, inquit, hæc est illa præstans & diuina sapientia, & perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cum acciderit, nihil antequam euenerit, non euenire posse arbitrari. Et addit illud ex Terẽtij Phormione: Quamobrem omnes cum secundæ res sunt, tum maxime meditari oportet, quo pacto aduersam fortunã ferant, pericula, damna, exilia. Nam hæc præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum aduentum. In hanc sententiam est ille uersiculus:*

Nam præuisa minus lædere tela solent.

Ac uicißim Seneca in Agamemnone: Dubia plus torquent mala. *Ferendum modice.*] *Id est moderate, patienter.* C

Maioris est omnino consilij.] *Id est maioris prudentiæ. Alter locus communis de officio sapientis*

Prouidere ne quid tale accidat.] *Sed quis omnia præcauere potest? Itaq; quod sequitur tutius est.* *Sed animi non minoris, fortiter ferre si euenerit.*] *Hoc enim fortis & magnanimi uiri, illud prudentis & magni consilij.*

Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis (quanquam eius nunquam particeps fuerit) ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit, non solum in uiuo, sed etiam in mortuo: atque in eius corpore lacerando atq; uexando, cum animum satiare non posset, oculos pauerit suos. O multo miserior Dolabella, quàm ille, quem tu miserrimum esse uoluisti. Dolores Trebonius pertulit magnos. multi ex morbi grauitate maiores, quos tamen non miseros, sed laboriosos solemus dicere. Longus fuit dolor bidui. at compluribus hominibus annorum sæpe multorum. nec grauiora uere sunt carnificum tormenta, quàm interdum cruciamẽta morborũ. Alia sunt, alia inquã, ó perditissimi homines & amentissimi, multo miseriora. D

Ac Dolabella quidem.] *Redit ad crudelitatem Dolabellæ exaggerandam.* *Immemor humanitatis.*] *Inhumanus, immanis, crudelis.* *Quanquam eius.*] *Corrigit quod dixerat, immemorem fuisse. nam immemor is dicitur, qui aliquando memor alicuius rei fuit: At Dolabella nunquam humanitatis fuit particeps: non potuit igitur immemor eius esse. Plus igitur est, non esse participem alicuius rei, quàm immemorem esse.* *Crudelitatem exercuerit.*] *Quod alij scriptores sæuire dicunt, Cicero semper uel sæuitiam, uel crudelitatem exercere, uel adhibere dicit, sæuire nunquam. Et quanquam hoc loco in uiuo dixerit, alibi tamen ferè, in aliquem, quarto casu usurpat.*

Ac in eius corpore.] *Illam particulam Ac non præposuisset uocali, si periodum & conuersionem incepisset. in ipsa comprehensione interdum solet in principio, semper sequitur consonãs, ut paulo ante: Ac Dolabella. Possem sexcenta exempla proferre, nisi putarem posse inuenire, qui uolent, legatur modo procemium primi libri de Oratore.*

Cum animum satiare non posset.] *Insatiabilem fuisse eius crudelitatem probat.* *Oculos pauerit suos.*] *Dum lacerari & uexari eius corpus spectaret, & caput in pilo fixum gestari. Hoc ipsum postea Antonius & Fuluia eius uxor in capite Ciceronis, & multo crudeliora fecerunt. Quare non fallitur Cicero, cum Antonij crudelitatem Dolabellæ parem esse dicit.* *O multo miserior Dolabella.*] *Ingreditur locum communem, de miseria & dolore, qui copiose tractatur in prima & secunda Tusculana. Quæritur autem hoc loco, An miseri sint qui dolorum acerbitatem pa-*

A *tiuntur? Cicero in secunda Tusculana, ut hoc quoque loco, dolorem malum non esse asserit (nihil enim malum esse Stoici uolunt, præter culpam & scelus) ex quo effici uult, miseros non esse quibus dolorum adhibentur faces.*

O multo miserior Dolabella.] Conuertit sermonem ad Dolabellam cum exclamatione, ad animos permouendos. Tractat autem hanc quæstionem, Vter miserior sit, qui infert, an qui patitur dolores? hoc est, qui facit, an qui sustinet iniuriam? Probat uero eum esse miseriorem qui iniuriam facit: quòd grauiora sint mala quæ animo concipiuntur, quàm illa quæ corpore. Scelus autem concipitur animo, dolor corpore. miserior igitur est qui suscipit in se scelus, quàm is qui alterius facinus subire cogitur. Dolores Trebonius.] Subiectione sibi quædã proponit, eaq; breuiter dissoluit & diluit. Multi ex morbi grauitate maiores.] Scilicet ferunt dolores. Modus hic diluendi est ex ijs quos tradit Cicero de Oratore libro secundo, cum in contrariam partem affertur quod sit aut grauius, aut æque graue. hic grauiora afferuntur, quàm sint illa quæ obijciuntur. Non miseros, sed laboriosos.] Miseriam hoc loco ad animum refert, laborẽ ad corpus, ut miseri proprie dicãtur, qui uitijs, qui scelerib. inquinati sunt: laboriosi, qui morbis, aut alijs rebus asperis & duris exercentur. Hæc tamen non satis consentiunt cum ijs quæ de labore & dolore tradit Tusculan. 2. Sed dicendum est, illic, ut in schola, subtilius ista disputari: in causis autem crassiore Minerua, & omnino populariter. Nam & illic laborem & dolorem finitima esse dicit, quamuis differant aliquid. Vtrunq; autem ita definit: Labor est functio quæ-
B *dam uel animi uel corporis, grauioris operis & muneris. Dolor autem motus asper in corpore, à sensibus alienus. Hæc duo, inquit, Græci illi (quorum copiosior est lingua quàm nostra) uno nomine appellant. Itaq; industrios homines, illi studiosos, uel potius amantes doloris appellant, nos commodius laboriosos. Aliud est enim laborare, aliud dolere. Verbum autem quo Cicero dicit industrios homines à Græcis appellari, est φιλόπονος. φιλόπονοι enim tales nominantur, quos Cicero studiosos, uel potius amantes doloris interpretatur. Annorum sæpe multorum.] Cuiusmodi sunt arthrici, id est articulorum dolores, ut podagra. Nec uero grauiora.] Sunt enim morbi quibusuis tormentis aut pares, aut certe acerbiores & grauiores, quales sunt febres ardentes, claui, tormina, podagræ. Alia sunt, alia inquam.] Conduplicatio siue iteratio eiusdem uerbi amplificandi causa.*

Nam quo maior uis est animi quàm corporis, hoc sunt grauiora ea quæ concipiuntur animo, quàm illa quæ corpore. Miserior igitur qui suscipit in se scelus, quàm is, qui alterius facinus subire cogitur. Cruciatus est à Dolabella Trebonius, & quidem à Carthaginensibus Regulus. In qua re cum crudelissimi Pœni iudicati sint in hoste,
C quid in ciue de Dolabella iudicandum est? An uero hoc conferendum est? an dubitandum uter miserior? is'ne cuius mortem senatus populusq; Romanus ulciscetur, an is qui cuncti senatus sententia hostis est iudicatus?

Nam quo maior.] Declarat quænam sint illa corporis doloribus multo miseriora. Probat autem proportione siue comparatione animi & corporis, grauiora esse animi mala, quàm corporis. Quam enim rationem habet animus ad corpus, eam habent animi mala, ad mala corporis. Animus autem maiore ui & præstantiore præditus est, quàm corpus: necesse est igitur maiora & grauiora esse animi mala, quam corporis. id quod uel hinc perspicuum esse potest, quod morbi corporis facilius sanantur quàm animi morbi. At qui suscipit in se scelus, iniuriamq; alteri facit, is animum grauissimo afficit malo, morboq;: qui uero alterius facinus subire cogitur, iniuriamq; accipere, is sceleris expers est. Scelus autem est miseriæ causa. Igitur miserior est qui facit, quàm qui accipit iniuriam.

Vis est animi.] Vt ingenium, memoria, intelligentia, cæteraq; animi uires & facultates planè diuinæ.

Concipiuntur animo.] Suscipiuntur, accipiuntur. Quàm illa quæ corpore.] Scilicet concipiuntur, siue patimur. Concipere enim hoc loco & alijs multis Ciceronis, pro eo accipitur quod Græci πάσχειν dicunt: quod
D *uerbum Cicero modo accipere, modo suscipere, modo pati, atque etiam concipere solet conuertere.*

Miserior igitur.] Concludit argumentum. Fuit autem hæc sententia Socratis, quam Plato multis rationibus illustrauit. A qua non abhorruit Aristoteles, qui Ethicorum libro quinto: Accipere, inquit, quàm facere præstat iniuriam. Violare enim alterum, cum scelere coniunctum, & uitio dandum. Qui suscipit in se scelus.] Qui scelus admittit, qui facit iniuriam, qui alterum uiolat & lædit. Alterius facinus.] Scelus, iniuriam.

Cruciatus est.] Hæc tertia est subiectio hoc loco. Diluit autem quod sibi ipse obijcit, simili exemplo. Nota est Reguli historia uel ex Cicerone de Officijs libro primo & secundo, uel ex Valerio Maximo, uel ex alijs historicis & scriptoribus. nihil enim magis decantatum. In qua re cum crudelissimi Pœni.] Enthymema ex minore, quo probat Dolabellam crudeliorem, quàm Pœnos fuisse. Illi enim in hostem crudelissimi fuerunt, hic in ciuem.

An uero hoc.] Alia ratione probat Dolabellam quàm Trebonium miseriorem esse. Quid enim miserius, quàm omnium sententijs, reipublicæ atque patriæ hostem iudicatum esse? cum contrà Trebonius adeò reipublicæ amans sit iudicatus, ut eius mortem senatus populusq; Romanus uelit ulcisci? Itaque ex signo consequenti, charum reipublicæ Trebonium fuisse probat.

Nam cæteris quidem uitæ partibus quis est qui possit sine Trebonij maxima contumelia conferre uitam Trebonij cum Dolabella? alterius consilium, ingeniũ, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in patria liberanda quis ignorat? alteri à puero pro delicijs crudelitas fuit. Deinde ea libidinum turpitudo, ut in hoc sit semper

lætatus

lætatus, quod ea faceret, quæ sibi obijci ne ab inimico quidem possent uerecundo. Et A
hic, dij immortales, aliquando fuit meus amicus. occulta enim erant uicia non inquirenti. neq; nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille uobis, nisi mœnibus patriæ, nisi huic urbi, nisi dijs penatibus, nisi aris & focis omnium nostrum, nisi deniq; naturæ & humanitati inuentus esset inimicus.

Nam cæteris.] Hactenus ex ijs quæ ad mortem Trebonij pertinerent, miseriorem esse Dolabellam probauit: iam idem facit, ex reliqua utriusq; uita & moribus. ἀντίφρασις est oratoria augendi causa: negat enim inter eos ullam esse comparationem. Ac quantam conciliat erga mortuum Treboniu benevolentiam, tantum in Dolabellam ex altera parte odium incitat. nam hi duo affectus hic considerandi sunt. Sine maxima contumelia.] Sine iniuria, infamia, dedecore, ignominia. Alterius consilium.] Factorum collocatio in laudando aut uituperando triplex est, ut Cicero in Orat. part. docet. Aut enim temporum seruandus est ordo, aut in primis recentissimũ quodq; dicendum, aut multa & uaria facta, in propria uirtutum, aut uitiorum genera sunt dirigenda, quem postremum ordinem tenet hic Orator, in Trebonio exornando, & Dolabella uituperando. Itaq; consilium & ingenium ad prudentiam referuntur, humanitas & innocentia ad iustitiæ caput, magnitudo uero animi, eadem est fortitudo. supererat una temperantia, cuius mentionem nullam facit. uerum ea ex contraria Dolabellæ uituperatione intelligenda est. Nam cum Dolabellam à libidinum turpitudine uituperet, necesse est nos contrariam uirtutem in Trebonio intelligere: alioqui cur alterum uituperaret, ex eo uitio B
quod & in altero extitisset? tacuisset potius, ne posset refelli. Consilium.] In cõsilio inest ratio, & recta aliquid faciendi aut non faciendi cogitatio. Ingenium.] Quo nomine docilitas & memoria appellantur, ut Cicero de Finibus docet. Humanitatem.] Lenitatem, benignitatem, placabilitatem, humanitatem hic intelligit, quæ barbariei & crudelitati opponitur. Innocentiam.] Hanc Cicero Tusc. 3. apud Græcos usitatum nomen habere negat, sed habere posse ἀβλάβειαν. Nam (inquit) est innocentia affectio talis animi, quæ noceat nemini. hac uirtute potissimum efficitur, ut primum iustitiæ munus obeamus, quod quidem in eo situm est, ne cui quis noceat. Magnitudinem animi in patria liberanda.] Hoc dicit, quia unus fuit ex coniuratis in Cæsarem. Alteri.] Dolabellæ.

A puero.] Ab ipsa pueritia, à teneris unguiculis, ut aiunt. Pro delicijs crudelitas fuit.] Dolabellam iam ex altera parte uituperat, à crudelitate, à libidinum turpitudine & intemperantia, & deniq; ab impietate, quod contra patriam bellum gerat. Vt in hoc sit semper lætatus.] Gloriatus, tanquam re aliqua honesta & prædicanda.

Ne ab inimico quidem uerecundo.] Magna uituperatio. nõ est igitur mirũ si à Cicerone ei nominatim non obijciuntur. Et hic, dij immortales.] Epiphonema dolentis & indignantis, quòd aliquando Dolabella fuerit eius amicus: nam bonos cum malis amicitiam ullamue consuetudinem habere non decet. Tali figura usus est Verg. Aen. 1.

Et quisquam numen Iunonis adoret? Item lib. 6.
Et dubitamus adhuc uirtutem extendere factis?

Occulta enim erant uitia.] Excusat peccatum, in eo quod fuerit aliquando amicus Dolabellæ, & reijcit culpam in C
ignorantiam siue imprudentiam ex iuridiciali assumptiua. Neq; nunc.] Significat reliqua uitia potuisse se utcunq; ferre, modo arma contra patriam non sumpsisset: quod scelus omnia reliqua uincit & superat. Nisi ille uobis.] Exaggerat Dolabellæ in patriam scelus, enumeratione, siue distributione quadam copiosa, eorum omnium quæ patria continet. Ex uerbo enim uno, tota hæc dilatatur oratio. Verbum, est patria ipsa, ad quam reliqua omnia quasi membra referuntur. Nisi deniq; naturæ & humanitati.] Id est ipsi naturæ humanæ, cui uniuersæ bellum indixit, quicunq; impius & sceleratus est in patriam. Et aduertenda est repetitio uerbi, Nisi, in qua exornatione multum grauitatis atq; acrimoniæ est.

A quo admoniti diligentius & uigilantius caueamus Antoniũ. Etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos ac insignes latrones. At uidetis quos & quàm multos habeat Antonius. Primũ L. fratrẽ, quam facẽ dij immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitem? quam uoraginẽ? quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinẽ non bibere censetis? in cuius possessiones atq; fortunas non impudentissimos oculos spe & mente defigere? quid Censorinũ? qui se uer- D
bo Prætorẽ esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit. quid Bestiam? qui se Consulatum in Bruti locum petere profitetur. atq; hoc quidem detestabile omen auertat Iupiter. quàm absurdum autem qui Prætor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationẽ pro Prætura putat. alter Cæsar Vopiscus, ille homo summo ingenio, summa potentia, qui ex ædilitate consulatum petit. soluatur legibus, quanquam leges eum non tenent. credo dignitate. at hic me defendente quinquies absolutus est. sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis. sed hæc iudicum culpa, non mea est. ego defendi fide optima. illi debuerunt clarissimum & præstantissimũ Senatorem in ciuitate retinere. qui tamen nunc nihil aliud agere uidetur, nisi ut intelligamus illos iudices, quorum res iudicatas irritas fecimus, bene & è Repub. iudicauisse. Neq; hoc in hoc uno est. sunt alij in eisdem castris honeste condemnati, turpiter restituti. quod horum consilium, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimum putatis fore?

A *A quo admoniti.*] *Mirificè ad finem amplificationis adiunxit sequentium quasi propositionem, & mentionem iniecit Antonij, ut doceret, quod sæpe iam fecit, non minus Antonij quàm Dolabellæ crudelitatem esse pertimescendam.*

Etenim Dolabella.] *Cur diligentius cauendus sit Antonius, probat ex causa, quod habeat plures secum sceleris socios impulsores.* *Non ita multos.*] *Non tam multos, uel, non admodum multos.* *Primum L. fratrem.*] *Enumerat & recenset nominatim aliquot ex insignioribus, qui duces erant reliquorum.* *Quam facem.*] *Translatio, pro quod incitamentum sceleris & audaciæ? Exaggerat Lucij fratris nequitiam & audaciam.* *Quod facinus, quod scelus?*] *Metonymia est, pro facinoroso & scelesto. propinquum rei nomen ad personam assumit.*

Quem gurgitem? quam uoraginem?] *Hæc ad eius auaritiã referũtur. aliâs gurges, pro belluone accipitur ut etiam uorago. Est autem gurges propriè, omnis profunda aquarum congeries. Idem significat uorago, nisi quod grauius est uerbum: à uorando enim dicta est.* *Quid eum non sorbere animo?*] *Declarat se non de gutturis uitio nunc loqui, sed de immensa habendi cupiditate. Et obserua in tribus uerbis incrementum quoddam: sorbere animo, haurire cogitatione, sanguinem bibere.* *Spe & mente.*] *Quod dixit animo & cogitatione, nam re ipsa nondum licebat. Et nota oculos defigere in aliquam rem, pro intueri, siue oculos intentos habere.* *Re certe noluit.*] *Quia Antonium sequi maluit.* *Quid Bestiam?*] *Is est L. Bestia, qui in Præturæ petitione repulsam passus est, & ambitus damnatus, etsi à Cicerone defensus, ut Cicero ipse ad Q. Fratrem scribens, Ad quartum Idus Februarias (inquit) dixi pro Be-*
B *stia de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conuentu.* *Atq; hoc quidem.*] *Execratio, Græce Ἀρᾶ nominatur.* *Qui prætor fieri non potuerit.*] *Refellit ex minore. nam qui quod minus est obtinere non posset, multo minus sperandum est, eum quod maius est obtenturum.* *Nisi fortè.*] *Salse obijcit ei damnationem ambitus, de qua paulo ante dixi.* *Alter Cæsar Vopiscus.*] *Huius Vopisci sæpe in Epistolis ad Atticum mentionem facit. Plinius Vopiscum à ueteribus appellatum tradit, unum è geminis qui recenti utero nasceretur, altero interempto abortu.* *Ille homo, summo ingenio, summa potentia.*] *Ironia est, nam per irrisionem ista dicuntur.*

Qui ex ædilitate ad consulatum.] *Subaudi, uoluit ascendere, aut aliquid huiusmodi. Alij legunt: qui ex ædilitate consulatum petit: sed mihi prior illa ἀποσιώπησις, quam Cornificius præcisionem, Cicero reticentiam uocat, non displicet, nec uidetur inuenusta.* *Soluatur legibus.*] *Quod inepti dicunt: dispensetur, siue, cum eo dispensetur. hoc dicit, quoniam lege uetabatur, aliquem fieri consulem, nisi Prætor ante fuisset, de qua re supra Philippica quinta dictum est satis. dicuntur autem hæc per ironiam.* *Quanquã leges.*] *Et hæc ironia est, qua illudens corrigit quod dixit.*

Credo dignitate.] *Id est propter hominis dignitatem. Nam principes, & clarissimi dignitate uiri, non tenentur legibus. nam suis magnis in Remp. meritis hoc sunt assecuti, ut supra leges sint, quod etiam imperatores sanxerunt, ut est in Iurisconsultorum libris.* *At hic.*] *Et hunc criminosum facit, ut præteriens uituperet, idq; satis urbanè, præ-*
C *sertim cum addit:* *Sexta palma.*] *Sexta uictoria, id est absolutio.* *Vrbana.*] *Hoc dicit quoniam seueriora fiebant Romæ iudicia, quàm in prouincijs.* *Etiam in gladiatore difficilis.*] *Obliquè appellat illum gladiatorem. hoc dicit: non mirum si sexta mea defensione absolui non potuit, & uictoriam ex iudicio auferre, nam & gladiatores, quantumuis strenui, non semper uictores euadunt: sed post multas palmas, interdum inferiores discedunt.*

Sed hæc iudicum culpa.] *Dicit per se non stetisse, quominus & sextam palmam obtineret, & absolueretur.*

Ego defendi fide optima.] *Serio hoc dicit, nec est, ut quidam putant, ironia. alioqui se præuaricatorem & perfidiosum Cicero fateretur.* *Clarissimum & præst.*] *Hæc quidem εἰρωνικῶς dicuntur.* *Qui tamen.*]. *Correctio, qua ostendit Vopiscum ita agere itaq; uiuere, ut iudices eum iure condemnasse uideantur.* *Quorum res iudicatas.*] *Hic locus uidetur innuere Ciceronem de ijs iudicibus loqui, qui lege iudiciaria Antonij in tertia decuria iudicauerant, quam postea senatus aboleuit.* *Neq; hoc in hoc uno est.*] *Hoc est, non in uno solo Vopisco res iudicatas irritas fecimus.* *Turpiter restituti.*] *Quos debuissemus, cum eorum iudicum iudicia irrita fecimus, excipere, aut denuo condemnare.* *Quod horum consilium?*] *Ostendit cur istos numerarit, ut nimirum intelligerent, eos contra Rempublicam conspirasse, & nihil cogitare, quàm cædem bonorum, & prædam.*

D Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia tribunum pl.
al. alienus dedit, castrorum antea metator, nunc ut sperat urbis: à qua cum sit †alienissimus, suo capiti saluis nobis ominetur. cum hoc ueteranus Capho, quo neminem ueterani peius oderunt. His, quasi præter dotem, quam in ciuilibus malis acceperant, agrũ Campanum est largitus Antonius, ut haberent aliquorum nutriculas prædiorum. quibus utinam cõtenti essent. ferremus: & si tolerabile non erat. sed quiduis patiendum fuit, ut hoc teterrimum bellum non haberemus.

Accedit Saxa nescio quis.] *Pergit & reliquam multitudinem latronum qui cum Antonio erant enumerare, ut quanto in periculo uersentur, intelligant, & diligenter caueant, quod supra monuit.* *Cæsar.*] *Iulius ille Dictator.*

Ex ultima Celtiberia.] *Regio est Hispaniæ, sic appellata ab Iberis Hispaniæ, & Celtis Galliæ populis. est enim Celtis uicina. ultimam autem uocat, quod ea in citeriore ultimaq; Hispania sit.* *Castrorum antea metator.*] *Castrorum diuisor, quem Vitruuius lib. 8. Castrametatorem uocat. hinc castrametari, uerbum quo usus legitur Liuius. Significat autem castra, id est exercitum collocare & ponere. Qui hoc munere fungitur, hodie uocatur, Mastro di campo, tanquam diceres: Magister exercitus, siue castrorum.* *Nunc ut sperat, urbis.*] *Scilicet metator, hoc est, sperat se castra Antonij in urbe Roma positurum, urbemq; diuisurum.*

A qua cum sit alienus.] *Alij legunt alienissimus, sed parum refert. alienum autem dicit, tum quod è Celtiberia esset, non Roma-*

non Romanus, tum quod esset hostis, tum quod Romæ non esset. A qua igitur urbe cum esset alienus, id est, cum ab ea ab= A
esset, tutius illi poterat imprecari Cicero, quod sequitur. nam non tutò imprecamur ei qui nobiscum est in eadem naui, ne & periculi eius simus participes. Suo capiti.] *Quia dixit de Saxa: Castrorum antea metator, nunc ut sperat urbis, idcirco ut hoc malum omen auerteret, optauit, ut in ipsum Saxam recideret, Suo capiti (inquit) nobis saluis ominetur. Sic enim legendum, non, dominetur, ut quidam exponunt. Est enim prouerbij forma ueteribus trita, quod illa Cicer. ad Atticum ostendunt: Multa inquam mala cum dixisset, suo capiti, ut aiunt. Item Cælij in Epistolis: Te ad 9. Calend. Ian. subrostrati, quod illorum capiti sit, dissipârant perijsse. Item, Plautus in Pœnulo: Ei Mars iratus est. Ly. suo capiti istuc quidem. Item Verg. Aen. 2.*

Tum magnum exitium (quod dij prius omen in ipsum
Conuertant) Priami imperio Phrygibusq; futurum.

Peius oderunt.] *Magis oderunt. Sic Horatius: Odit cane peius & angue. peius pro magis.* His.] *Saxæ & Caphoni.* Præter dotem.] *Dos propriè in nuptijs dicitur. hic inuidiose & criminose transfertur, & significat prædam, quam à Cæsare acceperant.* Reliquorum.] *Quos reliquos fecerat Cæsar, nec cuiquam dederat.*

Nutriculas.] *Fructus quibus alerentur donec maiora acciperent. & hoc translatum est à pueris qui à nutricibus B primum aluntur, deinde maiore firmioreq; cibo nutriuntur.* Ferremus.] *Pateremur.* Tolerabile.] *Patiabile, ferendum.* Sed quiduis patiendum fuit.] *Nihil non patiendum, omnia ferenda.* Teterrimum bellum.] *Perniciosissimum, quod Antonius & alij inferunt patriæ.*

. Quid illa castrorum M. Antonij lumina, nónne ante oculos proponitis? primum duos collegas Antoniorum, & Dolabellæ, Nuculam, & Lentonem, Italiæ diuisores lege ea, quam Senatus per uim latam iudicauit, quorum alter cõmentatus est mimos, alter egit Tragœdiam. Quid dicam de Apulo Domitio? cuius bona modo proscripta uidimus. tanta procuratorũ est negligẽtia. at hic nuper sororis filio infudit uenenum, non dedit. Sed non possunt non prodige uiuere, qui nostra bona sperant cum effundunt sua. Videte etiam P. Decij auctionem clarissimi uiri, qui maiorũ suorum exempla persequens, pro alieno se ære deuouit. emptor tamen in ea auctione inuentus est C nemo. O hominem ridiculum, qui se exire ære alieno putaret posse, cum uenderet aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? †quammultæ uidentur furiæ debitorũ? †uindices enim tabularum nouarum nouam tabulam uidimus. quid de Planco? quẽ præstantissimus ciuis Aquila, †Potẽtia expulit, & quidem crure fracto. quod utinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset. Lumen & decus illius exercitus penè præterij, Caninium Cimbrum Lysidici filium, Lysidicum ipsum †in græco uerbo, qui omnia iura dissoluit: nisi forte iure germanum Cimber occidit. cum hanc & huius generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet? cum Dolabella tantis se obstrinxerit parricidijs nequaquam pari latronum manu & copia?

al. quem multa uidentur — *al. uindicis* — *al. Pollentia* — *al. græco uerbo sine, in*

Illa lumina.] *Pergit enumerare Antonij socios, cui narrationi & enumerationi suauitatem conciliant ironiæ frequentes, illusiones, & amari salsiq; ioci, ut hoc loco lumina uocat, homines obscurissimos, & nequissimos. in quo non modo ironia est, sed etiam translatio.* Ante oculos ponitis.] *Subiectione quadam.* Italiæ diuisores.] *Agrorum qui uacui in Italia erant, raptores, à διανέμομαι, diripio, & diuido, ut raptores solent inter se prædam partiri.*

Lege ea.] *Lege agraria, de qua in 2. Philip. dictum est.* Alter cõmentatus est mimos.] *Nucula scripsit eas fabulas, quos mimos ab imitatione uocarunt, quod quidem ut ex hoc Ciceronis loco, & alijs nonnullis apparet, dedecori D potius quam laudi dabatur illo tempore, quemadmodum etiam agere Comœdiam, aut Tragœdiam, quod tamen quidam hodie sibi laudi ducunt.* Alter egit tragœdiam.] *Lento nimirum, repræsentauit, fuit personatus in tragœdia repræsentanda.* De Apulo Domitio.] *Apulo dixit ad eius minuendam dignitatem, quod Romanus non esset.*

Proscripta.] *In tabella uenalia proposita, in auctione posita propter æs alienum.* Tanta est procuratorum negligentia.] *Acclamatio fictius, quasi procuratorum culpa, & non potius Domitij hoc factum esset. Procurator autem is dicitur, qui aliena procurat & agit.* Sororis filio.] *Quem nepotem ex sorore dicunt, semper Cicero sororis filium solet appellare: sic etiam fratris filium, pro ex fratre nepotem.* Infudit uenenum, non dedit.] *Significat cum ueneno sororis filium sustulisse, ut deinde à sorore acciperet hæreditatem. Et infudit dicit, hoc est ipsemet in os eius indidit, idq; largè & copiose, quo periret certius & citius. non dedit, id est non ita immiscuit, ut dubium esset an id esset sumpturus.* Sed non possunt non prodige uiuere.] *Ludit in copia infusi ueneni, & ex eo prodigam eius uitam etiam notat.* Prodige.] *Profuse, sine modo. nescio an alibi usquam dixerit prodigè Cicero.* Qui nostra bona.] *Verè dixit ille: Qui sua consumunt, cum deest aliena sequuntur.*

Cum effundunt sua.] *Et hic ludit, & ad uenenum alludit.* Videte P. Decij auctionem.] *Amarus est iocus in P. Decium, & quo acumen & urbanitas elucet Ciceronis: uix enim aliquem nominat, quem non aliquo amaro & salso ioco perstringat.* Clarissimi uiri.] *Ironia, Videte, inquit, P. Decij clarissimi uiri auctionem.*

Maiorũ suorum.] *Deciorũ, qui se pro Republica deuouerunt, quæ res ex Valerio Maximo & alijs est notissima.*

Pro alieno se ære deuouit.] *Improuisum hoc est, & inexpectatum, & ex ijs iocis, quæ ἀπροσδόκητα uocant*

A Graeci. Nam quis hoc expectasset, cum uirum clarissimum P. Deciū dixisset exempla maiorū persequi? Verū illi pro Republica: hic autē decoctor pro alieno se aere deuouit: Vetusta exemplaria hunc locū sic habent: Pro alieno se aere deuouit emptori: hominē ridiculum, &c. Videtur Cicero in carmen respexisse, quo Decij se deuouebant, in quo haec uerba erant in extremo: sicut uerbis nuncupaui, ita pro Republica Quiritiū, exercitu, legionibus, auxilijs populi Romani Quiritiū, legiones auxiliaq; hostium mecū dijs manibus tellurią; deuoueo. Cicero igitur pro dijs manibus tellurią; facete dixit emptori. Quod etsi non displicet, tamen non possum etiam alteram lectionem penitus improbare, ut emptor recto casu ad sequentia pertineat hoc modo: Emptor tamen in auctione inuentus est nemo.] Cum se, inquit, in auctione uendere uellet Decius, nullus est inuentus emptor. Probant idipsum etiam sequentia uerba: Hominē ridiculū, qui se exire aere alieno putaret posse, cum uenderet aliena.] His uerbis significat Cicero illū seipsummet, atq; ut dicitur animam debuisse. Idcirco se aere alieno eximere non potuisse, nec emptorē inuenisse, quod aliena, id est, seipsum uenderet, qui suus non esset. Se deuouit.] Perdidit, in interitum dedit, omnia decoxit & abligurijt. Exire aere alieno.] Eximere & liberare se à creditoribus, & pecunia alijs debita. Cum uenderet aliena.] Id est seipsum, qui suus non esset, cum animam deberet, ut dixi. Iuuenalis de perditis huiusmodi hominibus loquens, inquit:

Queis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluuiem, portandum ad busta cadauer,
B Et praebere caput domina uenale sub hasta.

Furiae debitorum.] Dirae ultrices, quas imprecati Trebellio fuerant debitores tum cum ille tabulis nouis aduersaretur. Vindicis.] Vltoris. Nam Dolabellae Antonij suasu legem nouarum tabularum ferenti, acerrimè restiterat, creditoresą; defenderat: postea se aere alieno sic obruerat, uti tabula, ut mos erat, prolata, bona eius omnia auctione uenierint. Idem Philippica sexta significauit his uerbis, de Antonio loquens: Nam Trebelliū ualde iam diligit: oderat tum cum ille tabulis nouis aduersabatur: iam fert in oculis, postquā ipsum Trebellium uidit sine tabulis nouis saluum esse non posse. Item Philip. 10. Est unà Trebellius, qui iam cum tabulis nouis redit in gratiam. Ludit igitur Cicero festiuè in tabulis nouis & auctionarijs. Nouarum tabularum.] Quibus ueteres tabulae creditorum abolentur, ut à debitoribus nihil exigere liceat, fiunt deinceps nouae. Nouam tabulam.] Auctionariam, qua eius bona proscribebantur. Hoc modo lusit in Catilinam. Meo beneficio (inquit) tabulae nouae proferuntur, uerum auctionariae. Quid de Planco?] Hic Titus Munatius Plancus uocabatur. Quem praestantissimus ciuis Aquila, Potentia expulit.] Haec est sincera lectio, quam Dionis tuetur autoritas. Scribit enim lib. 46. Pontium Aquilam unum ex Tyrannoctonis, D. Bruti proprętorem, siue legatum, praelio decertasse cum T. Munatio Planco, eumą; superasse. Id ipsum etiam confirmatur ex Philippica 13. ubi Cicero sic, Illud tamen uerum, inquit, quod in hoc Planco prouerbij loco dici solet: perire eum non posse,
C nisi ei crura fracta essent. fracta sunt, & uiuit. Hoc tamen ut alia multa, Aquilae fertur acceptum. Potentia expulit.] Potentia, oppidum est Italiae, non longe à Polentia: quo fit ut aut Potentia aut Polentia legendum sit, non Pollentia. Quod utinam.] Optatio Reip. salutaris. Lumen & decus.] Dissimulatio, ut supra: Quid illa castrorum M. Antonij lumina? Lysidicum ipsum.] Quasi diceret, qui non modo Lysidici filius est, sed etiam Lysidicus ex re ipsa appellari ipse debet Graeco uerbo, qui omnia iura dissoluit, ut Cicero ipse interpretabitur. Iocus enim est à nominis interpretatione siue notatione. Lysidicus enim à dissoluendo iure Graece dicitur. λύσις enim solutio siue dissolutio est, & λύω dissoluo. δίκη uero ius siue iustitia. Nisi forte iure Germanum Cimber occidit.] Ridicula correctio. Ludit enim ex ambiguitate uerbi in Caninium Cimbrum, qui fratrem occiderat. nam Cimbri & Germani populi finitimi sunt, qui saepe inter se bellum gererent: & Cimber est proprium nomen, & Germanus fratrem significat. Ludit ergo, ut dixi, tanquam Cimber aliquis iure Germanum hominem occiderit. De hoc ioco Quintilianus libro octauo.

Cum hanc & huius generis.] Colligit ex adiuuantibus causis siue facultatibus, Antoniū nullum scelus omissurum.

Cum Dolabella tantis.] Ex minori concludit Antonium multo crudeliora designaturum, quàm Dolabella, cum par sit immanitate, facultate uero etiam antecellat. Latronum manu.] Quaesita est amplificatio in uerbo. nam pro copijs militum, posuit latronum manum & copiam.

D Quapropter ut inuitus saepe dissensi à Q. Fusio, ita sum eius sententiae libenter assensus. ex quo iudicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa dissidere. Itaq; non assentior solum, sed etiam gratias ago Q. Fusio. dixit enim seuerā, grauem, Rep. dignam sententiā, iudicauit hostem Dolabellam, bona eius censuit publice possidenda. quo cum addi nihil posset: quid enim atrocius potuit, quid seuerius decernere? dixit tamen, si quis eorum, qui post se rogati essent, grauiorem sentētiam dixisset: in eam se iturum. quam seueritatem quis potest non laudare? Nunc quoniam iudicatus est hostis Dolabella, bello est persequendus. neq; enim quiescet. habet legionem, habet fugitiuos, habet sceleratam impiorum manum: est ipse confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus.

Quapropter ut inuitus.] Comprobat Caleni sententiam, & simul suspicionem remouet leuitatis.

Ex quo iudicare debetis.] Excusat, si quando uisus est à Q. Fusio dissentire, & ex eo quod nunc ab eo non dissentit, tanquam ex signo probat se potius cum causa, quàm cum homine dissidere. Ita commoda distinctione ostendit se homini bene uelle, etiam si ab eius sententia interdum discrepet.

Sed cum causa dissidere.] Cum sententia, qua Antonij causae studere uidetur. Rara est haec forma cum sexto casu & cum prepo-

cum præpositione. Ad Herennium lib. 2. Cum uoluntas scriptoris cum scripto dissidere uidebitur. Crebra uero illa, dissidere ab aliquo. Interdum etiam per inter, ut cum dicimus opiniones inter se dissidere. A *Itaq; non assentior solum.] Fusii sententiam laudat ingenue, ne uideatur ab eo studio contentionis semper dissentire. Iudicauit hostem Dolabellam.] Ergo etiam quod sequitur decreuit, nimirum bello persequendum esse. Publicè possidenda.] Publicanda, ad fiscum redigenda, confiscanda, ut dicunt. In eam se iturum.] Eam se comprobaturum, uel eam secuturum: de hac locutione alibi docuimus. Quis potest non laudare?] Omnes laudare debent. Nunc quoniam.] Transit ad alteram partem, de imperatore deligendo, hoc modo. si Dolabella iudicatus est hostis, est igitur bello persequendus, bellum autē sine imperatore non geritur: quare imperator est deligendus. Habet legionem.] Enumerat facultates & copias, ut eum quieturum non esse probet, atq; ita metū incutiat, qui stimulus sit ad ulciscendum.*

Est ipse confidens.] Audax, improbus, temerarius. Impotens.] Arrogans, superbus, insolens, hæc duo uerba alibi diligentius declarauimus. Gladiatorio generi mortis addictus.] Violentæ destinatus morti qualem obire solent gladiatores.

Quamobrem quoniam cum Dolabella hesterno die hoste decreto bellum gerendum est, Imperator est deligendus. Duæ dictæ sunt sententiæ, quarū neutram probo. Alteram, quia semper, nisi cum est necesse, periculosam arbitror. alterā, quia alienam his temporibus existimo. Nam extraordinariū semper imperium populare atq; uentosum est, minime uestræ grauitatis, minime huius ordinis. B Bello Antiochi magno & graui, cum L. Scipioni Publij filio obuenisset Asia, parūq; in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusq; ad Collegam eius C. Lelium huius sapientis patrem negocium deferret: surrexit P. Africanus frater maior L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus est, dixitq; & in fratre suo summam uirtutem esse, summumq; consilium, neq; se ei legatum id ætatis, hisq; rebus gestis defuturū. quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis prouincia cōmutatū. nec plus extraordinariū imperiū ad id bellum quæsitum, quàm duobus antea maximis Punicis bellis, quæ à consulibus, aut à Dictatoribus gesta sunt, quàm Pyrrhi, quàm Philippi, quàm post Achaico bello, quàm Punico tertio, ad quod populus Rom. ita ipse sibi delegit idoneum ducem P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere Consulem uellet.

Quamobrem quoniam.] Cum hostis patriæ occiso Trebonio, iudicatus esset Dolabella, restabat ut bello esset persequendus. Relatum in senatu de eo est, cui belli eius gerendi prouincia demandaretur. alij extra ordinem aliquem: alij ex consulibus alterum censuerant. neutram sententiam probat Cicero: sed Cassio qui in Asia tunc agebat, mandandam esse censet. C *Duæ dictæ sunt sententiæ.] Partitione ea qua quid nobis cum alijs conueniat, quid non conueniat, aperimus, causam illustrat & proponit. Alteram, quia semper.] Cur neutram sententiam probet, causas reddit distributione. Nisi cum est necesse.] Durum telum necessitas, cui etiam dij, ut est in prouerbio, parere coguntur.*

Nam extraordinarium.] Duo proposita sunt capita, periculosum & intempestiuum, quibus duas sententias refellit. Et primum cur periculosum sit docet: nempe quia extraordinariū imperium, id est priuato homini delatum, populare semper atq; uentosum est, hoc est ad seditiones in populo excitandas aptum: deinde etiam leue, ambitiosum, gratia & fauore collectum, & non tantæ autoritatis. Populus enim leuis ac uento similis, inconstans, imperitus, animi sui motum potius sequitur, quàm rationem ducem. Itaq; dignis præfert plerunq; indignos. Et minime uestræ grauit.] Idem dicit, adiecta negatione, sed alijs uerbis. Bello Antiochi.] Exemplis confirmat extraordinariū imperium semper à maioribus improbatū fuisse, semperq; ordinariū quæsitum. Fuit autem ordinariū imperiū, id quod ordinario magistratui deferebatur, ut cōsulibus, & pretoribus, & ijs qui in Senatorū & patrū essent numero. Extraordinariū uero, quod fauore & suffragatione populari, priuato alicui de populo, etiam equiti, deferebatur. De Antiochi bello, legendus est Liuius Decad. 4. lib. 3. Intelligit Cicero Antiochū illum magnū, quem Romani tandem terra mariq; superatum, intra montem Taurū regnare iusserunt. D *Hunc igitur Antiochū L. Cornelius Scipio, Publij Scipionis filius, Publij fratris usus consilijs apud Sipylum montē superauit: tunc cum illo congressus, cum pluuia hostium arcus hebetati essent, atq; ita uictor Asiæ rediens, Asiatici cognomen reportauit. Obuenisset Asia.] Sortitione nimirum. Parum animi.] Consilij atq; prudentiæ. Parum roboris.] Fortitudinis & constantiæ. Ad collegam eius C. Lælium.] Vterq; enim consul erat. Huius sapientis patrem.] Lælij duo fuere illustres, & uterq; C. Lælius appellatus pater & filius: alter Scipionis superioris, alter posterioris amicus. Sed hic in primis eloquens fuit, & sapientis nomē adeptus: De quo plura Cicero in libro de Claris Orat. in dialogo uero de amicitia, qui ab hoc Lælius est inscriptus, sic ad eum Fannius gener, Vnum te, inquit, sapientē & appellant & existimant. Item paulo post: Te autē, alio quodam modo non solum natura & moribus, uerumetiā studio & doctrina esse sapientem. Negotium deferret.] Id est bellum Asiaticum. Deprecatus est.] Precibus auertit & depulit. nam deprecari interdum est precari, interdum precibus depellere. Summā uirtutē.] Contra id quod dictū est, parū roboris. Summūq; consiliū.] Contra id quod dixit, parum animi. Summū autē consiliū, optimū & præstantissimū intelligitur. Neq; se ei legatū id ætatis.] Duo adhibet ad persuadendum, ætatem, quæ multa docet, erat enim natu maior, quàm frater: & res gestas: is enim à deuicta Africa, & Annibale, Africanus est appellatus. Hac de re, & hac Scipionis & Lælij contentione uide Plutarchum in P. Scipionis Africani uita.*

Quàm

A *Quàm duobus antea maximis Punicis bellis.*] *Tria maxima bella cum Pœnis Romanus populus gesit: Si quis uero trium temporum momenta consideret, primo commissum est bellum, profligatum secundo, tertio uero confectum est. Et in primo quidem imperatores fuere Cn. Duillius, Attilius Calatinus, Attilius Regulus, Cæcilius Metellus, C. Luctatius. Secundo uero, C. Flaminius, Q. Fabius Max. Paulus, & Varro, Q. Fuluius, Appius Claudius, T. Sempronius, Claud. Marcellus, P. Scipio P. filius, M. Liuius, Claudius Nero, omnes consulares. Tertio autem quo deleta Carthago est, Imperatores fuerunt belli initio, L. Martius, & M. Manlius, post P. Scipio, quem filium, filius Africani maioris sibi adoptarat de Paulo Aemilio, Carthaginem euertit, ex quo etiam Africanus dictus est.* *A dictatoribus gesta sunt.*] *Sic legendum est, & consummata, quod in quibusdam additur, reijciendum. Nam & in uetustis codicibus id uerbum non additur, nec id superior ætas, nec Ciceronis usurpauit. Quare nec in procœmio libri primi de Officijs ex Vuendelini officina sincera est lectio illa, Quæ de Officijs tradita ab illis, & præcepta sunt, & consummata. irrepsit enim ex margine, atq; ex imperiti alicuius expositione.* *Quàm Pyrrhi.*] *Rex Epeirotarum fuit, qui accersitus à Tarentinis ante bellum Punicum primum, in Italiam traiecit, & uaria fortuna cum Romanis conflixit: summa tamen æquitate & moderatione semper cum Romanis contendit, ut etiam Cicero de Officijs libro primo testatur. Duces in eo bello fuere, diuersis temporibus consules, Valerius Leuinus, C. Fabritius, M. Curius dentatus.* *Quàm Philippi.*] *Tria bella Macedonica gessere Romani: sed primum contra Philippum. Causæ belli à fœdere cœpere, quo rex dominantem in Italia Anni-*
B *balem sibi sociauerat. Auctæ inde sunt implorantibus aduersus regis iniurias auxilium Atheniensibus, Leuino consule, Attalo rege Pergamenorum, & Rhodijs adiuuantibus, bis uictus, bis exutus castris, bis fugatus est: mox à Flaminio rege oppressus ad tumulos quos Cynocephalas uocant, pace tamen impetrata & regno.* *Quàm post Achaico bello.*] *Id bellum post tertium Punicum bellum, & dirutam Carthaginem gestum est contra Corinthios & Critolaum, qui libertate à Romanis accepta, contra ipsos usus est. Legatos enim Romanos, dubium an & manu, certe oratione uiolauit. Metellus Macedonicus consul exercitum Critolai, & ipsum Critolaum cecidit. L. Mummius uictoriam alieno labore quæsitam intercepit. Missus enim Metello successor, cum lictoribus & paucis equitibus, in Metelli castra properauit. Dineum alterum ducem sub ipsis Isthmi faucibus superauit, desertamq; ab incolis urbem Corinthũ diripuit. de Achæis triumphauit. Signa ærea marmoreaq; & tabulas pictas in triumpho tulit, Achaicusq; cognominatus est. Corinthos enim Achaiæ caput fuit.* *P. Scipionem.*] *Hic P. Scipio Aemilianus dictus est, qui cum Aedilitatẽ peteret, consul à populo nuncupatus fuit. Sed quoniã per annos consulẽ fieri non liceret, legibus est solutus, eiq; Africa prouincia extra sortẽ decreta.*

Cum Aristonico bellum gerendum fuit L. Valerio, P. Licinio consulibus. rogatus populus quem id bellum gerere placeret: Crassus cõsul, Pontifex maximus Flacco collegæ Flamini Martiali mulctam dixit, si à sacris discessisset. quam mulctam po-
C pulus Romanus remisit: Pontifici tamen flaminem parere iussit. sed ne tum quidem populus Romanus ad priuatum detulit bellum. quanquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumphauerat. qui cum longe omnes belli gloria & uirtute superaret, duas tantum tribus tulit. Itaq; populus Romanus consuli potius Crasso, quàm priuato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeij imperijs summi uiri, atq; omnium principis, tribuni pl. turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum à Senatu priuato datũ est: quia consules recusabant, cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule.

Cum Aristonico.] *Post deletam Numantiam cum Aristonico regis Eumenis filio bellum gestum est, cum ille Asiam quæ regis Attali testamento libera esse debebat, occupasset. Consules erant L. Valerius Flaccus, & P. Licinius Crassus, idemq; Pontifex Max. Senatus populum rogauit, quem id bellum gerere placeret. Populus Flaccum respondit. Sed cum L. Valerius Flamen Martialis esset, & sacerdotij ratione Crasso Pontifici Maximo subesset, uetitus ab eo est, mulcta dicta, id est pecuniaria pœna, à sacris discedere: quam pœnã etsi statim ei populus remisit, uoluit tamẽ eum Pontifici pare-*
D *re. Itaq; Crassus est missus, & quod nunquam ante acciderat, Pontifex Maximus extra Italiam profectus, uictus autem est, & interemptus. Sed M. Perpenna uictum Aristonicum in deditionem accepit.* *Duas tantum tribus tulit.*] *Id est duarum tribuum suffragia habuit.* *Consuli potius Crasso.*] *Maluit consuli Crasso deferre, qui tot res non gesserat, quàm Africano priuato, qui rebus recenter, præclare gestis, celebris erat, idq; ut ordinarium imperium seruaretur.* *De Cn. Pompeij imp.*] *Occurrit contrario exemplo Pompeij magni, & dissimilitudinem ostẽdit, ne quis ex eo contrarium colligat. Nam quæ similitudine probantur, dissimilitudine indicata refelluntur.* *Tribuni plebis turbulenti.*] *In hoc uerbo sita infirmatio est. Hi fuerunt Gabinius & Manilius, quorum alter Piraticum, alter Mithridaticum lege ad populum lata Pompeio mandauerat.* *Nam Sertorianum.*] *Et hoc exemplum diluit ex eo quod consules ire recusarent. Nam cum iam multos in Hispania duces superasset Sertorius, non contentus Senatus P. Metello pio, Numidici filio uiro claro ac bellicoso, sed admodum sene, & ueritus ne in Italiam ille traduceret bellum, Pompeium illi addidit, consulibus Q. Catulo, & L. Philippo recusantibus. Cũq; inter patres admiraretur quispiam, rogaretq; Philippum, idoneum ne existimaret Pompeium qui pro consule mitteretur in Hispaniam, non pro consule respondit, sed pro consulibus mittendum. Plutarchus in Pompeio.*

Quæ igitur hæc comitia? aut quam ambitionem constantissimus & grauissimus ciuis L. Cæsar in Senatum introduxit? clarissimo uiro atq; innocentissimo decreuit

imperium. priuato tamen. in quo maximum nobis onus imposuit. assensero, ambitionem induxero in curiã. negauero. suffragio meo, tanq; comitijs, homini honorẽ amicissimo denegauero. Quod si comitia placet in Senatu habere, petamus, ambiamus, tabella modo detur nobis, sicut populo data est. cur committis Cæsar ut aut præstantissimus uir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse uideatur: aut unusquisq; nostrum præteritus, si cum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur. A

Quæ igitur hec comitia?] Redarguit L. Cæsaris sententiam, & quæ ex ea sequantur incõmoda, declarat. Nam L. Cæsar bellum contra Dolabellam P. Seruilio Isaurico priuato mandandum censebat: qua sententia induci dicit Cicero ambitionem in curiam periculosam, ut uel uir præstantissimus ferat repulsam, si suffragia in eum non concurrant, quod ignominiæ expositum est, aut cæteri tali honore uideantur indigni, cum pari omnes sint dignitate. Assensero.] Dilemmate, id est diuisione rhetorica refellit. &, assensero, concessio est, pro si assensero, uel si assensus fuerit quispiam, dabitur ambitioni aditus in curiam, ut sperent se homines ambiendo, quamuis dignitatem posse consequi.

Negauero.] Si neget quis, exponet se inuidiæ qui suffragio suo noluerit amico fauere. Tanquam comitijs.] Comitia inuidiose appellat suffragationem in Senatu, sicut in campo, ubi corruptio & ambitio potissimũ regnat. B *quam rem uult indignam esse, & decernendi libertati contrariam. Itaq; & ambitionem uocat, hoc est, precariam sententiarum, tanquam suffragiorum collectionem. Quod si comitia.] ὑποθετικὴ concessio cum ironia, cum dicit, petamus, ambiamus. Tabella modo detur.] Male legunt quidam tabula noua. neq; enim de tabulis nouis quibus æs alienum aboletur, loquitur: sed de tabellis in quibus tacita & occulta suffragia dantur. Suffragia enim apud ueteres Romanos uoce ferebantur, existimabaturq; in suffragijs uoce nihil esse melius. deinde placuit per tabellam suffragari, unde ortæ leges tabellariæ sunt, de quibus M. Tullius libro de Legibus tertio copiose disserit. Enumerat autem quatuor, Gabiniam, Cassiam, Carbonis, de iubendis legibus ac uetandis, quartam M. Gratidij, Marij patris. Tabellaria lege, latebra quædam data populo uidetur, in qua bonis ignorantibus quid quisq; sentiat, tabella uitiosum occultaret suffragium. Cui malo medetur illa lex à Cicerone scripta de Leg. lib. 3.* SVFFRAGIA, OPTIMATIBVS NOTA, PLEBI LIBERA SVNTO. *Habeat sanè populus, inquit, tabellam quasi uindicem libertatis: dummodo hæc optimo cuiq; & grauissimo ciui ostendatur, ultroq; offeratur, uti in eo sit ipsa libertas, quòd populo potestas honestè bonis gratificandi datur. Ex his uerbis, & illis quæ hoc loco huius orationis leguntur, & alijs, perspicuũ fit, non Senatum usum fuisse tabella in dando suffragio, sed populum tantum in comitijs. Cur cõmittis Cæsar?] Ostendit incõmodum, atq; L. Cæsaris sententiæ iniquitatem. Præstantissimus uir.] P. Seruilius, si reliqui tuam non comprobauerint sententiam.* C *Præteritus.] Non nominatus, cum de uno tantum referatur, de reliquis sileatur.*

At enim (nam id exaudio) Cæsari adolescentulo imperium extraordinariũ mea sententia dedi. Ille enim mihi præsidium extraordinarium dederat. cum dico mihi, Senatui dico, populoq; Romano. à quo Respub. præsidium ne cogitatum quidem tantum haberet, ut sine eo salua esse non posset. huic extraordinariũ imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. quæ est enim ratio? aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus? non igitur quod ereptum non est, id est existimandum esse datum. eripuissetis C. Cæsari P. C. imperium, nisi dedissetis. milites ueterani, qui illius autoritatem, imperium, nomen secuti pro Repub. arma ceperant, uolebant sibi ab illo imperari: Legio Martia, & Quarta, ita se contulerant ad autoritatem Senatus, populiq; Rom. dignitatem, ut eum deposcerent imperatorem & ducem. Imperiũ Cæsari belli necessitas, fasces Senatus dedit. o cioso uero, nihil agenti, priuato, obsecro te L. Cæsar (cum peritissimo homine mihi res est) quando imperium Senatus dedit? D Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amicissimo, ac de me optime merito uidear. & si quis potest refragari non modo non petenti, uerum etiam recusanti?

At enim.] Quam differentiam ostendit exemplorum in Pompeio, eandem ostendit in Octauio Cæsare. Id autem facit anteoccupatione rhetorica, quam ἀνθυποφορὰν Græci dicunt. Nam id exaudio.] Id est, ex istis audio, mihi id obijci. Ille enim mihi.] Diluit ab honesto & iusto: dedi, quis dedit: extraordinarium pro extraordinario: pro præsidio, imperium. Cum dico mihi.] Declarat merita Octauij erga Rempublicam, ut id fieri Reip. causa doceat. Hic color à Cicerone in tertio de Oratore, appellatur, Expositio sententiæ suæ. Non darem?] Quasi diceret: Iniquus & ingratus essem si non darem. Aut exercitus adimendus.] Argumentationem ex disiunctionibus conficit, in qua secundum affirmatur, ut negetur primum, hoc modo: Aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. Sed dandum imperium fuit: non igitur exercitus adimendus. Verum oratoriè tractat Cicero. nam sumptionis loco ponit eius confirmationem, & conclusionem ita conficit, ut aliud quàm quod instituit agere uideatur. Quæ est enim ratio?] Confirmatio, assumptionis loco. Non igitur.] Conclusio, igitur exercitus non fuit adimendus. Sed Cicero pro eo quod dicendum erat, non esse faciendum, dixit non esse factum, hoc est exercitum ereptum Octauio non esse, atq; enthymemate falsam consecutionẽ reprehendit. non enim ualet, non est ereptum, ergo est datum. Occurrit

A *enim medium, nec ereptum, nec datum, quoniam ipsius fuit.* Eripuissetis.] *Quia re uera habuit: habuit autem quoniam eo Rempublicam defendit. Si igitur non confirmassetis ei imperium Remp. defendenti, eripuissetis quodam modo, quod iniquum esset.* Milites ueterani.] *Excusat imperium extraordinarium datum Cæsari Octauio, à necessitate & militum ueteranorum uoluntate.* Ociosō uero.] *Distinctione & definitione quadam probat priuato Cæsari, imperium non esse datum. Priuatus non est, qui bellum pro Rep. gerit. Sed priuatus est, qui nihil agit pro Republica. Deinde, cum dicimus priuato imperium non esse dandum, intelligitur priuato nihil agenti, non priuato, necessarium bellum pro Rep. gerenti, cui iam ipsa necessitas dedit imperium, nec aliud desideratur, quàm imperij insignia, & per fasces declaratio, cum iam reuera haberet imperium, sine quo exercitus non tenetur. sunt enim exercitus & imperium in ijs quæ cum aliquo referuntur, quorum alterum sine altero non est.* Obsecro te.] *ἀποστροφή.* Sed de hoc quidem hactenus.] *Abrumpit, & priorem partitionis locum concludit.* Ne refragari homini amicissimo.] *P. Seruilio, quem his uerbis sibi conciliat senator Cicero. Refragari autem est contrarium suffragium dicere, suffragio impedire, obstare, repugnare.* Etsi, quis potest?] *Correctio ex definitione uerbi refragari, quod non est simpliciter impedire, sed impedire eum qui petat, qui ambiat. Cum uero Seruilius non modo non peteret illam prouinciam, sed etiam recusaret, qui ei eam non decerneret, non refragabatur ei, sed potius decernenti.*

B Illa uero P. C. aliena à cõsulum dignitate, aliena à temporũ grauitate sententia est, ut consules Dolabellæ persequendi causa Asiam & Syriam sortiantur. Dicam cur inutile Reipublicæ. sed prius quàm turpe consulibus sit uidete. Cum consul designatus obsideatur, in eoq́; liberando salus sit posita Reipublicæ, cumq́; à Rep. pestiferi ciues, parricidæq́; desciuerint, cumq́; id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de uita decernamus, & si in potestatẽ quis Antonij uenerit, proposita sint tormenta atq; cruciatus, cumq́; harum rerum omnium decertatio consulibus optimis & fortissimis cõmissa & cõmendata sit, Asiæ & Syriæ mentio fiet? ut aut suspicioni crimen, aut inuidiæ materiam dedisse uideamur. At uero ita decernunt, ut liberato Bruto. id enim restabat, ut relicto, deserto, prodito. Ego uero mentionẽ omnino prouinciarum factam dico alienissimo tempore: quamuis enim intentus animus tuus sit C. Pansa, sicut est, ad fortissimum uirum, & omnium clarissimum liberandum, tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum, &
C partem aliquam in Asiam & Syriam deriuare curæ, & cogitationis tuæ. Si autem fieri posset, uel plures te animos habere uellem, quos omnes ad Mutinam intẽderes. quod quoniam fieri non potest, isto te animo, quem habes præstantissimũ atq; optimũ, nihil uolumus nisi de Bruto cogitare. facis tu id quidem, & eò maxime incumbis, duas tamen res, magnas præsertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisq́; potest. incitare & inflãmare istud tuum præstantissimũ studiũ, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus.

Illa uero P. C. aliena à consulum dignitate.] *Iam se ad secundum caput confert, quo alienam his temporibus eius sententiam dixit, qui bellum in Dolabellam consulibus decernebat. Duo autem facit huiusce disputationis capita, turpe & inutile: turpe consulibus, inutile Reip.* Dicam cur inutile.] *Partitione proponit, & alteram partem probat à Bruti & Pansæ consulis persona & dignitate, & Reipublicæ periculo.* Cum consul designatus.] *A Bruti persona. turpe enim fuerit consulem Brutum libertatis autorem deserere.* Cumq́; à Repub.] *Ab hostium persona. nam contra pestiferos ciues, boni & præstantes sunt opponendi.* Cumq́; id bellum geramus.] *A tempore & belli*
D *genere, in quo tria longe charissima aguntur, dignitas senatus, libertas ciuitatis, uita omnium ciuium bonorum, cum cruciatu & tormentis.* Cumq́; harum rerum omnium.] *A consulum dignitate & munere. Turpe enim esset, consules susceptum & cõmendatum munus deserere, in tanto præsertim Reipublicæ periculo.* Consulibus] *A. Hircio & C. Pansæ.* Suspicioni crimen.] *Crimen proditionis, Si D. Brutus proditus aut desertus esse uideatur, quod fieret si consules Asiam & Syriam sortirentur. Asiam minorem intelligere debemus, quæ hodie Natolia appellatur: Syria uero, Soria: utraq; Otomanis imperatoribus subiecta.* Aut inuidiæ materiam.] *Aemulationis materiam consulibus ex prouincijs præbeamus, id quod solet accidere in sortiendo. aut inuidiæ causam alijs demus, qui uiderint consules tam præclaras prouincias nactos.* At uero ita decernunt.] *Altera ἀνθυποφορὰ, cui ita respõdet, ut ineptam esse innuat exceptionem. Nam nisi hoc adiecissent, apertè prodere Brutum uiderentur. Male intellexit hunc locum noster Maturantius, cum ita exponit: sic de prouincijs deliberant, quasi liberatus Brutus sit. Atqui non hic est sensus, sed est exceptio & excusatio aduersariorum, qui dicerent, se ita decernere consulibus prouincias, ea lege ut priusquam ad eas accederẽt, Brutum liberarent.* Ego uero.] *Negat ullam esse idoneam exceptionem, ullum tempus prouincias illas consulibus sortiendi.* Quamuis enim intentus.] *Et hic subest ἀνθυποφορὰ, cui respondet à natura & conditione rerum & negotiorũ: qui locus à Cicerone in Partitionibus oratorijs, inter uerisimilia postremus numeratur.*

Et partem aliquam.] *Locus hic est præclarus, & è media philosophia sumptus. Virtus dissipata, atq; in plures partes dispertita debilior est, quàm si astricta & coniuncta agat. neq; enim solis radij tam sunt ardentes in uarias partes fracti & sparsi, quàm coacti atq; coniuncti, id quod uidere licet cum radij rectis lineis, quod dicunt perpendiculariter, in*

cauo spe-

cauo speculo excipiuntur, quorum uis idcirco maior est, quod quæ erant sparsa, ad centrum punctumq; coguntur. Cum A
igitur animus Pansæ in duas res eodem tempore distraheretur, ita ut simul & de liberando Bruto, & Dolabella perse-
quendo cogitaret, tantam animi intentionem singulis adhibere non poterat, quantam fecisset, si in alterum tantum tota
animi contentione incubuisset. Deriuare.] *Deducere, transferre. translatio sumpta ab aquis, quæ in riuos dedu*
cuntur. Si autem fieri posset.] *Optatio, amplificandi causa. tantum abest, ut uelim te animum istum tuum in ua-*
rias res & cogitationes distrahere, ut potius te plures animos habere optem, quos omnes ad Brutum liberandum inten-
deres: tantum est Brutum liberare. Fieri non potest.] *ἀδύνατον, ad uitandas optationis ineptias.*

Duas tamen res.] *Et hic locus ex Physicis manat. Nam & Aristoteles in libro de Sensu, & iis quæ sensibus perci-*
piuntur, duas res simul eoq; indiuiduo tempore sensu percipi posse negat. Quod si interdum secus uideatur, non ita est:
sed temporis penè mixta celeritas, fallit. uelut cum trisulcam linguam cernere uidemur, de quo Virgilius & linguis mi-
cat ore trisulcis. de serpente loquitur. Eodem modo ne cogitatione quidem duas res simul explicare possumus: celeritas
autem facit mentis, ut secus uideatur. Itaq; si quid oculis obiiciatur, id percipere & sentire non solemus, quoties acriter
animũ in aliquam rem intendimus. Exemplo est Archimedes summus ille Geometra, Syracusius, qui nõ patriæ ruinam,
sed ne mortem quidem suam sensit, dum magna animi contentione figuras Geometricas radio describeret.

Adde istuc sermones hominũ, adde suspiciones, adde inuidiam. imitare me, quem
tu semper laudasti, qui instructam ornatamq; à Senatu prouinciam deposui, ut incen- B
dium patriæ omissa omni cogitatione restinguerem. nemo erit, præter unum me (qui
cum profecto, si quid interesse putasses tua, pro summa familiaritate nostra cõmunica
uisses) qui credat te inuito prouinciam tibi esse decretam. hanc quæso pro tua singula
ri sapientia reprime famã, atq; effice, ne id, quod non curas, cupere uideare. quod qui-
dem uehementius eo tibi laborandum est: quia in eandem cadere suspicionẽ Collega
uir clarissimus non potest. nihil horum scit, nihil suspicatur, bellum gerit, in acie stat,
de sanguine, de spiritu decertat. ante prouinciam sibi decretam audiet, quàm potuerit
tempus ei rei datum suspicari. Vereor ne exercitus quoq; nostri, qui non delectus ne-
cessitate, sed uoluntariis studiis se ad Remp. contulerunt, tardentur animis, si quicquam
aliud nobis, nisi de instanti, bello cogitatum putabunt. Quod si prouinciæ consulibus
expetẽdæ uidentur, sicut sæpe multis clarissimis uiris expetitæ sunt, reddite prius nobis
Brutũ lumen & decus ciuitatis. qui ita conseruandus est, ut id signum, quod cœlo de-
lapsum Vestæ custodiis continetur: quo saluo, salui sumus futuri. tunc uel in cœlum,
si fieri poterit, nostris humeris tollemus, prouincias certe dignissimas uobis delige- C
mus. nũc quod agitur, agamus. agitur autem liberi ne uiuamus, an mortem obeamus.
quæ certe seruituti anteponenda est.

Adde istuc sermones.] *Pansæ animum à cogitatione Asiæ prouinciæ reuocat, ab infamiæ metu, quæ infamia secutu-*
ra erat, si prouinciam Asiam sortitus esset, etiam si ipse immunis esset à culpa. Nam neq; honesta tam expetunt homines
quàm deuitant turpia, ut Cicero in Partitionibus oratoriis dicit. Sermones hominum.] *Qui de te male loquen-*
tur. Suspiciones.] *Suspicabuntur enim te idcirco prouinciam illam expetiuisse, ut Brutum proderes.* Inui-
diam. Quæ consequetur ex sortita tam præclara prouincia. Imitare me.] *A suo exemplo, quid in Reipublicæ pe*
riculis faciendum sit, monet. Hunc locum interpretatur ille alter in oratione contra Pisonem: Ego, inquit, Antonium col-
legam cupidum prouinciæ, multa in Republica molientem, patientia atq; obsequio meo mitigaui. Ego prouinciam Gal-
liam Senatus autoritate, exercitu, & pecunia instructam & ornatam, quam cum Antonio cõmunicaui, quod ita existi-
mabam tempora Reipublicæ ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano. his uerbis Ciceronis & lux affer-
tur huic loco, & falsa Maturantii refellitur interpretatio. Vt incendium patriæ.] *Translatio. coniurationem e-*
nim Catilinæ intelligit, ex qua & cædes bonorum, & incendium patriæ secutum esset. Nemo erit.] *Ambitionis*
& cupiditatis infamia, ab illa cogitatione deterret. Qui cum.] *Cum quo. hac parenthesi Pansam liberat cupidi-* D
tatis suspicione. Te inuito.] *id est, nisi cupiuisses, ambiuisses, petiuisses. minus dicit, ut plus intelligatur. λιτό-*
της hæc figura à Græcis dicitur, nos diminutionem aut extenuationem dicere possumus. Hanc quæso.] *Horta*
tur ad suspicionẽ cupiditatis, uel falsam, tollendam. Neq; enim tantũ culpa, sed etiã culpæ suspicione, si fieri possit, caren
dum est. Quod quidem.] *Addit stimulos, ex collegæ, id est Hircii cõparatione, in quem ea suspicio cadere non po*
test, cum bellum gerat. Nihil horum scit.] *Declarat cur suspicio in eum cadere non possit.* Bellũ gerit.]
Membratim dicit, & interpretatione auget. id enim significant hæc tria: bellum gerit, in acie stat, de sanguine decertat.

De sanguine, de spiritu decertat.] *περὶ ψυχῆς, id est de uita, de salute. Sanguine enim & spiritu uita contine-*
tur. sanguine alitur, spiritu uiget animal. Sanguis tanquam oleum in lucerna est: spiritus ignis, flamma lux. Hinc etiã olei
usus ad uitam producendam aptissimus & præstantissimus habetur. primum quòd tenuissimũ sit: deinde quòd pinguis-
simum: postremo, quòd excrementorũ maxime expers. Itaq; illis duobus, calorem naturalem maxime accendit: ob puri-
tatem autem, minime calorem ipsum fatigat, minimeq; uias obstruit. Antè, prouinciam.] *A temporis breuitate*
Hircium suspicione liberat, ut tota hæreat in Pansa. Vereor ne exercitus.] *Dixit de turpitudine: iam de incom-*
modo dicendum est, qui fuit alter propositæ partitionis locus. Delectus necessitate.] *Non enim dare nomina*

A *con'ulibus coacti fuerant, quod secundum classes in delectu fiebat. In tumultu uero, uoluntarijs studijs, saga sumebant. In*
hoc autem bello, & tumultus decretus erat, & delectus habitus. Vt ex Philippica quinta patet, ubi sic Orator: Tumul-
tum decerni, iustitiū indici, saga sumi dico oportere: delectum haberi sublatis uacationibus. Tardentur animis.]
Languescant, remissius agant. Quod si prouinciæ.] Occurrit occupatione. Dicat aliquis, non est nouum hoc, ut
prouinciæ à consulibus expetantur. Respondet id quidem uerum esse: sed nunc id fieri alienissimo tempore, pollicetur q;
prouincias in aliud tempus cōmodum magis Reipublicæ. Vt signum.] Comparatio illustris & magnifica, qua
D. Brutum ornat, cum ita Brutum conseruandum dicit, ut Palladium in fata Romana, & urbis salutē cōtineri putabatur.
Fuit autem Palladium Palladis siue Mineruæ simulacrū, quod Ilo, siue Iulo Aeneæ filio regnante de coelo cecidisse ferunt:
quanquā antea Troiani habuerunt, ut Homerus & Virgilius testantur. Variæ tamen sunt opiniones quas Ouid. Fast. li-
bro 6. refert. Hoc signum postea Romam translatū fuit, & in Vestæ templo reconditū. Nam cum cecidisset, editū fuisse
huiusmodi oraculum, idem Ouidius refert:

Aetheriam seruate deam, seruabitis urbem:
Imperium secum transferet illa loci. *Vide etiam Seruium Virgilij explicatorem lib. 2. Aen.*

Tunc in coelum.] ὑπερβολή, qua res incredibiliter tollitur. Nunc quod agitur agamus.] Id est, relicta
cogitatione prouinciarum, libertatem defendamus. Vergilius Ecloga nona, ait: Quod nunc instat agamus.
B *Agitur autem.] Quid agatur ipse declarat, nimirum libertas, res summa, res diuina, res dulcissima.*

Quid si etiam affert tarditatē ista sententia ad Dolabellam persequendum? quan
do enim ueniet Consul? an id expectamus, quo ne uestigiū quidem Asiæ ciuitatum
atq; urbium relinquatur? At mittent aliquem de suo numero. ualde mihi probari po-
test, qui paulo ante clarissimo uiro priuato imperiū extra ordinē non dedi. At homi-
nem dignum mittent. num P. Seruilio digniorem? at eum quidem ciuitas non habet.
quod ergo ipse nemini putat dandum, ne à Senatu quidem, id ego unius iudicio dela
tum cōprobem? Expedito nobis homine, & parato P. C. opus est, & eo qui imperium
legitimum habeat: qui præterea autoritatē, nomen, exercitū, perspectū animū in Rep.
liberanda. Quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterq;. Decernerem pla
nè, sicut multi, consulem alterum ambosúe, ni Brutum colligassemus in Græcia, &
eius auxilium ad Italiam uergere, quàm ad Asiam maluissemus, non ut ex ea acie au-
C xilium haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum.

Quid si.] Aliud profert incōmodum ex tempore & tarditate Dolabellæ persequendi. Quando enim ue-
niet.] Id est, si Consul mittatur, quando in Asiam perueniet? quasi diceret, nimis serò. An id expectamus?] Ab
præsenti periculo. donec enim uenerit Consul, omnia erunt in Asia deleta. At mittent aliquē.] Occupatio. Mit-
tent, inquiunt, aliquem consules legatū aut Quæstorē de suo numero. Vel ex optimatibus, & ijs qui Remp. conseruatam
uolunt. Valde mihi.] Ironia. intelligitur enim nullo modo illum probabo, quicunq; sit, ne P. Seruiliū uidear im-
probasse. At hominē.] Alia occupatio. Sophistæ replicam uocant. Quod ergo ipse nemini.] Refellit
ex maiore. Si enim non à toto Senatu, multo igitur minus ab uno. Expedito nobis.] Reperit ipse medium inter
consules & P. Seruiliū priuatū, nimirū M. Brutū, aut Cassiū, propter cōmoditatē & autoritatem. Imperium le-
gitimum.] Legibus constitutū, non extraordinariū. Facit autē quasi quandam partitionē, & enumerationē eorum, quæ
in eo sint, cui hoc bellum mandandum sit. Et hæc enumeratio, est loco maioris propositionis. Quis igitur is est?]
Minorem propositionē siue assumptionē oratoriè subijcit, in hūc modū: Expedito nobis homine & parato opus est, &c.
is autem est M. Brutus & Cassius. Ergo aut M. Brutus, aut Cassius, aut uterq; est deligendus. Aut M. Brutus.]
Vereor ne hic locus corruptus sit, ut & Hier. Ferrarius existimat. neq; enim uidentur omnia cohærere cū Ciceronis men
D *te atq; consilio, qui C. Cassio decernit, M. autē Brutū liberū relinquit. Ac fortasse ita corrigi possit. Aut C. Cassium, aut*
M. Brutum, aut utrunq; decernerē planè, sicut multi consulem alterum, ambosue, ni Brutū colligassemus in Græcia. Nisi
quis putet ita priorem lectionem intelligendam, ut dicat se libenter decreturū consulem alterū ambosúe, una cum Cassio
ad persequendum Dolabellam, nisi fieret iniuria M. Bruto, quem ipsi in Græciam misissent, & ibi præsto esse iussissent,
ut Italiæ si opus esset, auxilium ferret. Sed illa correctio, magis est sequentibus Ciceronis uerbis & toti disputationi con-
sentanea. Reddit enim rationem cur non Brutum solum, aut cum Cassio decernat, quòd scilicet uelit illum senatus esse in
Græcia, ut & Italiam tueatur, & Græciam non amittat, quod fieret si illinc discederet, & in Asiam ueniret, cum Apol-
loniam & alia loca teneret C. Antonius. Vergere.] Inclinare, respicere. Non ut eò ex acie respectum
haberemus.] Alij legunt, non ut ex ea acie auxilium haberemus. Et quidem ut fatear mihi neutra lectio placet. Vult au-
tem dicere, non idcirco M. Brutum esse in Græcia colligatum, ut ex eius acie & copijs haberent auxilium quod aliò mit-
terent, sed ut Resp. subsidium haberet firmum in Græcia. Sed ut ipsa acies.] Lego, ut ipsa Respublica, ut Victo-
rius, alioqui nullus est sensus.

Præterea P. C. M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam
magnam urbem, & grauem: tenet opinor Byllidem, tenet Amantiam, instat Epiro,
urget Oricum, habet aliquot cohortes, habet equitatū. hinc si Brutus erit traductus
ad aliud bellum, Græciā certe amiserimus. Est autem etiam de Brundusio, atq; illa ora
Italiæ

Italiæ prouidendũ. quanq̃ miror tamdiu morari Antoniũ. solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metũ sustinere. quod si confecerit Brutus, & intellexerit plus se Reip. profuturũ, si Dolabellã persequatur, q̃ si in Græcia maneat, aget ipse per se, ut adhuc quoq; fecit, neq; in tot incendijs, quibus confestim succurrendũ est, expectabit Senatũ. nam & Brutus & Cassius multis iam in rebus ipse sibi Senatus fuit. necesse est enim in tanta† concursatione perturbationũ, rerũ temporibus potius parere, quàm moribus. nec enim nunc primũ aut Brutus, aut Cassius salutẽ libertatemq; patriæ legem sanctissimã, & morem optimũ iudicauit. Itaq; si ad nos nihil referretur de Dolabella persequẽdo, tamẽ ego pro decreto putarẽ, cũ essent tales uirtute, autoritate, nobilitate summi uiri, quorum alterius iam notus nobis est exercitus, alterius auditus. A

†*al. conuersione & perturbatione omnium rerum*

Præterea.] Alia ratio cur remoueri ex Græcia Brutus non possit, nec ab eo exercitus abduci. Magnã urbẽ & grauẽ.] Amplã, & difficilẽ oppugnatu. Tenet opinor Byllidẽ.] Ita legendũ est Byllidẽ. Hellidẽ quidem scio, quæ Attica quoq; dicitur, sed longe hinc abest, Hellidẽ uero non memini me legere. Post Apolloniã autẽ scio esse Byllidẽ, quæ Bullis quoq; fertur. Plinius lib. 3. Nymphæum locum in Apolloniatarũ finibus incolere dicit Amantes & Bulliones.

Vrget illyricũ.] Sunt qui legant Oricũ, quod quidem est in eadem ora, ubi initium Epeiri est: sed rectius, illyricũ, nam Philip. 10. ostẽdit sæpe Illyricũ à C. Antonio esse tentatum. Hinc si Brutus.] Ostendit periculũ & damnũ, ut metũ & conseruandi studiũ inijciat. Est autẽ etiã de Brundusio.] Timendũ est etiã ne C. Antonius Brundusiũ occupet, & illã Apuliæ orã, à qua poterit eum M. Brutus arcere. Quanquã miror.] Corrigit, ne uideatur partes cõfirmare aduersariorum. Solet enim accipere ipse manicas.] Id est solet se dedere & præbere manus, in quo minuit orator metũ, quem ab enumeratione copiarũ Caij crearat. Manicæ, sunt manuũ uincula. Vt est apud poetam Aeneid. 2. B

Manicas atq; arcta leuari,
Vincla iubet Priamus.

Significat etiam alia quæ Grammaticis explicanda relinquimus. Quod si fecerit Brutus.] Si Caium comprehenderit, & in uincula coniecerit. Aget ipse per sese.] Sua sponte, suo consilio priuato. Ex hoc loco apparet, non Bruto, sed Cassio tantum prouinciam decerni: Bruto autem liberum relinqui. Quibus confestim.] Significat in necessitate defendendæ Reip. omnes esse imperatores & magistratus. Nam multa excusat necessitas, ut cum Dauid panes sacratos accepit, & Apostoli spicas Sabatis uellebant, & confricabant, cum aliunde tum non suppeditaret cibus. Et Christus ipse ægros sanabat uetito die. Ipse sibi Senatus fuit.] Fuit sibi Senatus, quoniam ea egit suo consilio, quæ Senatus, si potuisset, imperasset. Necesse est enim.] Locus cõmunis, in perturbatione rerum & necessitate, omnes ad Reip. salutem esse magistratus. Vt enim in naui cum tempestas ingruit, omnes sunt nautæ, omnesq; cõmunem tueri salutem debent: nec peccat qui ad gubernaculum accedit, etiam cõtempto gubernatore, si tractare clauum nescit, aut euertere uult nauim: sic qui non expectat magistratus iussum, non peccat, cum salus ciuitatis periclitatur, si ea tractet, quæ alioqui sine eius autoritate non faceret. Huc facit locus ille Ciceronis de Offic. lib. 1. Sed incidunt sæpe tempora, inquit, cum ea quæ maxime uidentur digna esse iusto homine, eoq; quem uirum bonum dicimus, cõmutantur, fiuntq; contraria. Referri enim decet omnia ad æquitatem, ut cõmuni utilitati seruiatur. Temporibus potius.] Opportunitatibus, casibus incertis & subitis. Quàm moribus.] Quàm maiorum institutis & legibus. Neq; enim nunc primum.] Delabitur ad comprobationem eorum quæ à Bruto & Cassio priuato consilio in Græcia & Asia acta fuerant. Locus habet uim defensionis, contra obtrectatores Cassij & Bruti. Salutem libertatemq;.] Locus cõmunis, quo significatur, nullam esse legem seruandam, ubi salus & libertas patriæ periclitatur: quoniam ea sit summa lex, patriæ salus & libertas. Cum sint tales uirtute.] Dixi alibi magnos & Heroicos uiros, legibus esse solutos, quoniam eo uenere suis diuinis uirtutibus, ut ipsi sibi sint lex. faciunt enim ea quæ lex aut legislator, iuberet, si adesset. C

Alterius.] M. Bruti, q. prope Italiam esset. Alterius auditus.] Scilicet Cassij, ut qui longius in Asia abesset.

Non igitur Brutus expectauit decreta nostra, cum studia nosset. neq; enim est in prouinciam suam Cretam profectus, in Macedoniam alienam aduolauit, omnia sua putauit, quæ uos uestra esse uelletis, legiones conscripsit nouas, excepit ueteres, equitatum ad se abduxit Dolabellæ, atq; eum nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia iudicauit. nam ni ita esset, quo iure equitatũ à Consule abduceret? Quid C. Cassius pari magnitudine animi & consilij præditus, nónne eo ex Italia cõsilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? eo, quod Iupiter ipse sanxit, ut omnia quæ Reip. salutaria essent, legitima & iusta haberentur. Est enim lex nihil aliud, nisi recta, & à numine deorum tractaratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Cassius, cum est in Syriam profectus, alienã prouinciam, si homines legibus scriptis uterentur: his uero oppressis, suam lege naturæ. D

Cum studia nosset.] Id est uoluntates & desideria. In Macedoniam alienam.] Erat enim Antonio decreta, & hæc idcirco exponit, ut confirmentur à Senatu. Parricidio.] Ciuis Trebonij cæde, quod crimen parricidio æquatur. Oblitum.] Contaminatum, respersum. à lino enim est, unde linea, & litura. poetæ etiam dicunt litus,

A *pro oblitus. Virg. Et paribus lita corpora guttis, id est maculis notata & distincta, Georg. 4. Quo iure equitatū.] Ex consequentibus. Abduxit equitatū à Dolabella. ergo hostem, non consulē iudicauit. Quid C. Cassius?] Quæ dixit de Bruto, eadē confirmat de Cassio. Qua lege?] Sermocinatione condit orationē. Eo, quod Iupiter ipse sanxit.] Videtur Cicero illud Hectoris ad Polydamantē fratrē exprimere, cum is augurē suaderet de rebus gerendis consulere Iliad. 12. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, id est, Augurium optimū, pro patria pugnare. Eobanus sic uertit: Augurium tamen est, quod præualet omnibus unum Pro patria pugnare, armis defendere ciues.*

Est enim lex.] Legis naturæ atq; æternæ elegans & uera definitio, qua probat Brutū & Cassiū nihil contra eam, quæ sola uera & perpetua lex est, fecisse. Sed referamus & alterū locū, ex primo Ciceronis de Legibus, ut alteri ex altero lux afferatur. Lex, inquit, est ratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, probibetq; contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est. Itaq; arbitror prudentiā esse legē, cuius ea uis sit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere. Eamq; rem illi Græco putant nomine, à suū cuiq; tribuēdo appellatā: ego nostro, à legendo. nam ut illi æquitatis, sic nos delectus uim in lege ponimus, & propriū tamen utrunq; legis est. & paulo post: Constituendi uero iuris, ab illa summa lege capiamus exordiū, quæ seculis omnibus ante nata est, q̃ scripta lex ulla, aut quam omnino ciuitas cōstituta. Huiusce quoq; legis originē & uim in Miloniana ita describit: Est enim hæc iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: uerū ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam
B *non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, in tela aut latronū aut inimicorū incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma: nec se expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, ante iniusta pœna luenda sit, quàm iusta repetenda. Huic igitur legi paruit Cassius, paruit Brutus, cum in alienam prouinciam uenit si hominis scriptas leges spectemus: his uero oppressis, in suam lege naturæ.*

Sed ut ea uestra quoq; autoritate firmetur, censeo: Cū P. Dolabella, quiq; eius crudelissimi & teterrimi facinoris ministri, socij, adiutores fuerunt: hostes populi Rom. à Senatu iudicati sint, cumq; Senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut is qui omnia deorum hominumq; iura nouo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioq; patriæ se parricidio obstrinxerit: pœnas dijs, hominibusq; meritas debitasq; persoluat: Senatui placere C. Cassium Proconsulem prouinciam Syriam obtinere, ut qui eam optimo iure prouinciam obtinuerit, cumq; à Q. Martio Crispo Proconsule,
al. Statio L. †Scauro proconsule, A. †Plotio Legato exercitus accipere, eosq; ei tradere, cumq;
Murco his copijs, & si quas præterea parauerit, bello P. Dolabellā terra mariq; persequi. eius
al. Allieno belli gerendi causa, quibus ei uideatur, naues, nautas, pecunias, cæteraq;, quæ ad bel-
C lum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, ius potestatemq; habeat: utq; quamcunq; in prouinciam eius belli gerendi causa aduenerit, ibi maius imperium C. Cassij procons. sit, quàm eius erit, qui eam prouinciam tum obtinebit. Cum C. Cassius procons. in eam prouinciam uenerit, regem Deiotarū patrem, & regem Deiotarū filium, si ut multis bellis sæpenumero imperium populi Rom. iuuerint, item C. Cassium procōsulem copijs suis opibusq; iuuissent: Senatui populoq; Rom. gratum esse facturos. Itemq; si cæteri reges, Tetrarchæ, Dynastæq; fecissent, S. P. Q. R. eorum officij non immemorē futurū. utq; C. Pansa, A. Hircius consules, alter, amboue, si eis uideretur: Rep. recuperata, de prouincijs consularibus, Prætorijs, ad hunc ordinē primo quoq; tempore referant. interea prouinciæ ab his quibus obtinentur, obtineantur: quoad cuiq; ex S. C. successum sit.

Sed ut ea uestra.] Refutatis aduersarijs, suam nunc sententiam dicit, & imperium Cassio decernit. Ministri,
D *socij, adiutores.] Hos complices uulgus notariorum uocat, qui socij & conscij sceleris dicuntur. Vt is qui omnia.] Causam profert cur ita decernat. Deorū hominūq; iura.] Diuina & humana, uiolato iure naturæ, gentiū, & ciuili, interfecto, ciue, & proconsule. Nouo, inaudito.] Scelus amplificat uerbis dissolutis. Inexpiabili.] Nunquam remittendo. irremissibile dicunt theologi. Parricidio.] Qui bellum contra patriam gerat, quæ parens est ciuium. Parricidio obstrinxerit.] Obligauerit. hinc titulus apud iurisconsultos, de obligationibus quæ ex delicto & maleficio nascuntur. Inst. lib. 4. Item Digest. lib. 44. de Actionib. & oblig. L. 4. Vt enim stipulatione & pactis homines obligantur: sic ex maleficijs obnoxij fiunt legibus & pœnis. hinc pœnas persoluere dicitur, ut hoc loco Cicero.*

Pœnas dijs hominibusq; meritas debitasq; persoluat.] Vt qui omnia deorum hominumq; iura polluerit, ut dixit.

Senatui placere.] Censeo est intelligendum. Asia.] Non de ea dicit quā tertiā orbis terræ partē faciunt, sed de ea quā ab oriente Lycia includit & Phrygia, ab occidente Aegæa litora, à meridie mare Aegyptiū & Paphlagonia, à septentrione Bithynia, quæ olim Bebrycia & Mygdonia dicta est: deinde à Bithyno rege Bithynia appellata. Est aūt in exordio Ponti ad partē solis orientis aduersa Thraciæ, opulenta & clara, à fonte Sangarij fluminis primos fines habet.

Ponto.] Pontus ea ora est quæ ab oriēte fluuiū Parthenium & Galatiā habet, à meridie Bithyniā, ab occasu Bosphorum Thraciū, & Calcedonē insignē quondā urbē, à septentrione Pontū Euxinum, ex quo nomen, regio Medea infamis.

Regē Deiotarū.] Gallogreciæ regē, de quo antea. Tetrarchæ.] Qui quartā partē regni obtinent, ut prius dictū est. Dynastæ.] Sic appellabant in Asia principes & optimates, q. plurimū possent, ut Strabo scribit: & Dynastiam prin-

ſtiam principatum. fuit nomen regum prius Dynaſtes, poſt à regibus diſtinctum. Non immemorem.] *Non ingratum, id eſt gratum omnino.* A

Hoc ſenatuſconſulto ardentem inflammabitis, & armatum armabitis Caſſium. Nec enim animum eius poteſtis ignorare, nec copias. Animus is quem uidetis, copię quas audiſtis. Fortes & conſtantes uiri, qui ne uiuo quidem Trebonio Dolabellæ latrocinium in Syriam penetrare ſiuiſſent. Halienus familiaris & neceſſarius meus poſt interitum Treboniј profectus, ne dici quidem ſe legatum Dolabellæ uolet. Eſt Q. Cęciliј Baſſi priuati illius quidem, ſed fortis & præclari uiri robuſtus & uictor exercitus. Deiotari regis & patris & filiј & magnus, & noſtro more inſtructus exercitus. Summa in filio ſpes, ſumma ingeniј indoles, ſummaq́ uirtus. quid dicam de patre? cuius beneuolentia in populum Romanum eſt ipſius æqualis ætati: qui non ſolum ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, ſed etiam dux copiarum ſuarum. Quæ de illo uiro Sylla? quæ Murena? quæ Seruilius? quæ Lucullus? quàm honorate? quàm honorifice? quàm grauiter ſæpe in ſenatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum uereq́ beneuolum, unum fidelem populo Romano iudicauit. Fuimus imperatores nuper ego & M. Bibulus propinquis finitimisq́ prouinciјs. ab eodem rege adiuti ſumus & equitatu et pedeſtribus copiјs. Sequutum eſt hoc acerbiſſimum & calamitoſiſſimum ciuile bellum, in quo quid faciendum Deiotaro? quid omnino rectius fuerit, dicere non eſt neceſſe: præſertim cum contrà ac Deiotarus ſenſit, uictoria belli iudicauerit. Quo in bello ſi fuit error, communis ei fuit cum ſenatu: ſin recta ſententia, ne uicta quidem cauſa uituperanda eſt, B

Hoc ſenatuſconſulto.] *Ab animo & copiјs Caßiј confirmat ſenatuſconſultum, & dictam à ſe ſententiam.* Ardentem inflammabitis.] *Currentem incitabitis. Translationes hæ ornant & amplificant.* Armatum armabitis.] *Armatum copiјs armabitis autoritate. uerba ex coniugatione facta ſunt.* Animus is eſt quē uidiſtis.] *in Cæſare trucidando & patria liberanda.* Alienus.] *Enumerat copias Caßiј, easq́; amplificat. Hic autem Alienus legatus erat Dolabellæ, ſed ad Caßium ſe contulerat. Aliј ſcribunt Halienus.* Q. Cæc. Baßi.] *Huius in Epiſtolis crebra fit mentio.* Deiotari regis.] *Hunc & filium magnifice laudat, quòd ſemper à reipublicæ partibus ſtetit, eamq́; quibuſcunq; potuit rebus ſemper iuuit.* C *Eſt ipſius æqualis ætati.] Id eſt, ab incunabulis amicus populi Romani fuit.* M. Bibulus.] *Is præerat Syriæ, ut in Epiſtolis ad Cælium libro ſecundo familiarium, quo tempore Cicero præerat Ciliciæ, C. Thermus Bithyniæ.* Quæ de illo uiro Sylla.] *Teſtimoniјs clarorum uirorum Deiotari beneuolentiam confirmat.* Quid faciendum.] *Deiotarus Pompeiј partes ſecutus fuerat, quòd meliorem cauſam iudicarat: quamuis pax bello melior fuiſſet, ut Cicero ſemper ſuaſit.* Communis ei fuit cum ſenatu.] *Excuſat Deiotarum ab autoritate ſenatus: nec plus ei uitio dandum quàm ſenatui. Habet hic locus criminis translationem, ex aſſumptiua iuridiciali.* In recta ſententia.] *Ita profecto res habet. Voluntas enim & cauſa in omnibus rebus, nō euentus ſpectandus eſt. nam & recta conſilia, & optimæ cauſæ contrarios euentus interdum habent, ut recte dixerit illa barbara puella:* Careat ſucceßibus opto Quiſquis ab euentu facta notanda putat. *De hac cauſa illud auribus Cæſaris dedit Cicero pro Ligario: Cauſa, inquit, dubia, quòd erat aliquid in utraq; parte quod probari poſſet: nunc melior certe iudicanda eſt, quam etiam diј adiudicauerunt. Et Lucanus:*

Victrix cauſa deis placuit, ſed uicta Catoni.

Ad has copias accedent aliј reges, etiam delectus accedent: neq; uero claſſes deerunt. Tanti Tyriј Caſſium faciunt, tanti eius in Syria nomen atq; Phœnicia eſt. Paratum habet imperatorem C. Caſſium patres conſcripti reſpublica cōtra Dolabellam, D nec paratum ſolum, ſed peritum atque fortem. Magnas ille res geſſit ante Bibuli ſummi uiri aduentum, cum Parthorum nobiliſſimos duces, magnas copias fudit, Syriamq́ immani Parthorum impetu liberauit. Maximam eius & ſingularem laudem prętermitto. cuius enim prædicatio nondum omnibus grata eſt, hanc memoriæ potius, quàm uocis teſtimonio conſeruemus.

Tyriј.] *Maxima & antiquißima Phœnicum urbs fuit Tyrus, ab omni olim continente diuiſa: poſtea ab Alexandro molibus & aggere coniuncta. ab Alexandro euerſa penitus, ſe ipſa nauigando inſtaurauit: qua una re Phœnices omnibus mortalibus præſtitere. Huius urbis ſæpe fit in diuinis literis mentio, propter eius ingentes opes, luxum & ſuperbiam.* Tantum eius in Syria nomen atq; Phœnice.] *Epiphonema ad Caßiј augendam laudem. Sunt autem Syria & Phœnicia cōiunctæ regiones. Syria, inquit Mela, late littora tenet, terrasq́; etiam latius introrſum aliјs aliјsq; nuncupatas nominibus. nam & Cœle dicitur, & Meſopotamia, & Damaſcene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene. Hinc Palæſtina eſt qua tangit Arabas cum Phœnice, & ubi ſe Ciliciæ committit, Antiochia: olim ac diu potēs, ſed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentißima. Phœnicen uero illuſtrauere Phœnices, ſolers hominum genus,*

A & ad belli pacisq; munia eximium. Literas & literarum operas, aliasq; etiam artes, maria nauibus adire, classe constingere, imperitare gentibus, regnum prœliumq; commenti. Magnas ille res gessit.] Cicero in Epistolis familiaribus libro secundo ad Cœlium: Cassius, quod mihi magnæ uoluptati fuit, ab Antiochia hostem reiecerat: Bibulus prouinciã acceperat. Nec paratum solum, sed peritum.] Agnominatione ludit, & Cassium à diligentia, à rei militaris peritia, & à fortitudine commendat. Sic enim faciendum ut quem imperatorem deligi uelis, cõmendes, ut Pompeium quoq; facit pro lege Manilia. Cum Pacori.] Dux fuit Parthorum. Alij legunt Parthorum nobilissimos duces, sed priorem lectionem tum historia, tum ueteres codices probant. Maximam eius.] Quod autor fuit Cæsaris necis, & reipublicæ liberandæ. Cuius enim præd.] Causam addit cur maximam Cassij laudem prætermittat.
Prædicatio.] Laus & commendatio publica. Omnibus.] Scilicet Cæsarianis, quibus interitus erat Cæsaris ingratus. Nondum.] Hoc dicit quasi speret aliquando gratam fore.

Animaduerti Patres conscripti, dici iam à quibusdam exornari etiam nimium à me Brutum, nimium Cassium ornari. Cassio uero sententia mea dominatum & principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reipublicæ? Quid Decimum Brutum? nonne omnibus sententijs semper ornaui? num igitur reprehen-
B ditis? An Antonios potius ornarẽ, non modo suarum familiarũ, sed Romani nominis probra atq; dedecora? An Censorinũ ornem in bello hostem, in pace sectorem? an cætera ex eodem latrocinio naufragia colligam? Ego uero istos ocij, concordiæ, legum, iudiciorum, libertatis inimicos tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos tam oderim, quàm rempublicam diligo.

Animaduerti.] Occurrit reprehensioni, & contentione personarum se tuetur. Exornari.] Coniunctione uerbi uarietatem quæsiuit, nam mox dicet ornari in eadem conuersione: facitq; similiter desinens, Exornari, ornari, dari.
Ornamenta.] A similitudine & coniugatis, orno, ornamenta. Quid Decimum Brutum?] Subest argumentum ex pari. An Antonios potius ornarem?] Argumenta depromit ex repugnantibus & ex pari: & hinc mire sumit occasionem uituperandi Antonianos & Antonios. Ex eodem latrocinio.] Id est ex eodem latronum cœtu: sic dicitur latrocinium, ut seruitium & famulitium, pro seruorum multitudine. Naufragia.] Vel quia ipsi tanquam ex naufragio bonorum ad Antonium, quasi ad scopulum & saxum adhæserunt: uel quia causa sunt ut multi periclitentur, & naufragium faciant. Ego uero istos.] Causas reddit criminose, cur eos non ornet, cur oderit potius. Tam oderim.] Comparatio repugnantium.

C Vide, inquit, ne ueteranos offendas. hoc enim uel maxime exaudio. Ego autem ueteranos tueri debeo: sed hos, quibus sanitas est, certe timere non debeo. eos uero ueteranos, qui pro republica arma ceperunt, sequutiq; sunt C. Cæsarem autoritate beneficiorũ paternorũ, hodieq; remp. defendunt cum magno periculo, nõ tueri solũ, sed
al. Sexta etiã augere cõmodis debeo. qui aũt quiescunt, ut † Septima & Octaua legio, in magna gloria & laude ponendos puto. Comites uero Antonij, qui postquã beneficia Cæsaris comederunt, Cos. designatũ obsederũt: huic urbi ferro igníq; minitantur, Saxæ se & Caphoni tradiderunt, ad facinus prædamq; natis: num quis est qui tuendos putet? Ergo aut boni sunt, quos etiam ornare: aut quieti, quos conseruare debemus: aut impij, quorum contra furorem & bellum & iusta arma cepimus. Quorum igitur ueteranorum animos ne offendamus ueremur? eorum ne qui Decimum Brutum obsidione
D cupiunt liberare? quibus cum Bruti salus chara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? An eorum, qui utrisq; armis uacant? Non uereor ne acerbus ciuis quisquam istorum sit, qui ocio delectantur. Tertio uero generi non militum ueteranorum, sed importunissimorum hostium cupio, quàm acerbissimum dolorem inurere. quanquam patres conscripti quousque dicemus sententias ueteranorum arbitratu? quod eorum tantum fastidium est? quæ tanta arrogantia? ut ad arbitrium eorum imperatorem etiam deligamus?

Vide, inquit, ne ueteranos offendas.] Transit ad tertium causæ & orationis caput, quod sibi occupatione proponit, & refellit facta ueteranorum distinctione: deinde ab autoritate senatus, quæ à ueteranis non pendet.
Ego uero ueteranos.] Enumeratione colligit, non esse metuendum ne ueterani offendantur, hoc modo: Veterani aut cum Cæsare sunt ad Brutum liberandum, aut quiescunt, aut cum hostibus sunt. Qui Brutum liberare uolunt, non offenduntur Cassij honoribus, cum Brutus & Cassius pares & in eadem causa sint: contra illos malos sumpta sunt arma: medij illi & quieti non sunt timendi: ergo ne ueterani offendantur non est metuendum. Ergo aut boni.] Colligit summã enumerationis, ut concludat argumentum. Quorum igitur.] Oratorie concludit. Est autem conclusio oratoria, quæ breui argumentatione ex ijs quæ ante dicta sunt aut facta, conficit id quod necessario sequatur.

Quanquam

Quanquam Patres conscripti.] *Alter locus ab autoritate senatus, & ab utili & commodo. Contendit enim ueteranos cum Italiæ iuuentute, quæ ad militiam succrescebat: significans pluris faciendam esse iuuentutem, quàm ueteranos senectute confectos.* A

Ego autem (dicendum est enim Patres conscripti quod sentio) non tam ueteranos iniuendos nobis arbitror, quàm quid tirones milites, flos Italiæ, quid nouæ legiones ad liberandam patriam paratissimæ, quid cuncta Italia de uestra grauitate sentiat. Nihil enim semper floret: ætas succedit ætati: diu legiones Cæsaris uiguerunt: nunc uigent Pansæ, uigêt Hircij, uigent Cæsaris filij, uigent Planci. uincunt numero, uincunt ætatibus: nimirum etiam autoritate uincunt. Id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. Itaque his præmia promissa sunt, illis persoluta. Fruantur his illi: persoluantur his quæ spopondimus. id enim deos immortales spero æquissimum iudicare. Quæ quum ita sint, eam quam dixi sententiam, uobis Patres conscripti censeo comprobandam.

Tirones.] *Nouitij, ut quidam uocant, & adhuc rudes, quorum multi erant in exercitibus Brutorum & Caßij.* B
De uestra grauitate.] *Ab autoritate senatus.* *Nihil enim semper floret.*] *Sententia & locus communis, de humanarum rerum uicißitudine. Seneca in Troade tragœdia:*

Quicquid sol oriens, quicquid occidens
Nouit, cæruleis Oceanus fretis,
Quicquid uel ueniens, uel fugiens lauat,
Aetas Pegaseo corripit gradu.

In hanc sententiam nos aliquando hoc hexastichon ludebamus:

Quæ rosa mane nitet, iam uespere flaccida languet,
Et uiolæ splendor protinus omnis abit.
Lilia purpureis certant splendore hyacinthis,
Sed neutri perstat gratia salua tamen.
Nix quoq; non semper oculos candore fatigat,
Nec pueri species fulget in ore diu.

Aetas succedit ætati.] *In hanc sententiam Lucretius libro secundo:*

Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur, C
Inq; breui spacio mutantur secla animantum:
Et quasi cursores uitai lampada tradunt.

Diu legiones Cæsaris.] *Quod in genere uniuerso probatum est, probat in specie: & Iulium Cæsarem mortuum intelligit.* *Vigent.*] *Florent, excellunt. Repetitionibus auget.* *Itaq; his.*] *Distributio rhetorica sane elegans. His, scilicet Pansæ, Hircij, & Octauij Cæsaris, & Planci legionibus.* *Illis persoluta.*] *Veteranis Iulij Cæsaris legionibus.* *Fruantur his illi.*] *Veterani fruantur persolutis præmijs.* *Persoluantur his.*] *Tironibus, & Octauij legionibus. Latomus legit, uel persoluantur, ut sit correctiua particula, ut ipse ait, pro imò: sed errat non animaduersa distributione.* *Id enim deos.*] *A iudicio deorum immortalium confirmat.* *Quæ cum ita sint.*] *Clausula: & breuißimo epilogo concludit orationem.*

FINIS

IN DVODECIMAM PHILIPPICAM ARGVMENTVM D


VM Antonij amici constanter & grauiter senatum Romæ, imperatores in castris de Bruto liberando & Antonio persequendo agere uiderent, rursum honestæ pacis cum Antonio spem attulerunt: & de noua legatione decernenda referre cœperunt: persuaseruntq; denuo ut legati ad eum mitterentur. Decernebant autem P. Seruilium, & Ciceronem. Verum cum Antonius nihilo segnius Mutinam oppugnaret: constaretq; ad nullam eum pacis conditionem uelle descendere, nisi qua dignitatem suam retineret, hanc sententiã dixit Cicero, qua se cum alijs in illa legatione decernenda deceptum esse fatetur, & excusat imprudentiam: deinde mentionem nullam legatorum censet esse faciendam: quoniam legatio sit reipublicæ inutilis, turpis et periculosa. Postremo ostendit se nullo modo idoneum esse, qui hoc legationis munus obeat, propter multas causas, quas ipse acute & ingeniose commemorat. Neque tamen ita recusat, quin uelit, si tuto liceat, & sit utile reipublicæ, proficisci.

CAVSAE GENVS

Genus causæ in dando consilio uersatur: dissuadet enim legationem ad Antonium.

A ### CAVSAE CONSTITVTIO

Status est qualitatis. Quæritur enim an sit honestum, an utile, mittere legatos ad Antonium: neq; honestum esse, neque utile, probat multis modis.

FIGVRA ORATIONIS

Genus dicendi seuerum & graue, sententijs quàm uerbis ornatum, in illa mediocritate consistens.

COLLOCATIO PARTIVM

Partium dispositio ad prudentiam oratoris accommodata est. nam exordio, & refutatione, & breui peroratione totam agit causam.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DVODECIMA



ETSI minime decere uideretur Patres conscripti falli, decipi, er-
B rare eum, cui uos maximis sæpe de rebus assentiamini: consolor
me tamen, quoniam uobiscum pariter & unà cum sapientissimo
consule erraui. Nam cum duo consulares spem honestæ pacis no
bis attulissent: quod erant familiares M. Antonij, quod domesti-
ci, nosse aliquod eius uulnus, quod nobis ignotum esset, uideban
tur. Apud alterum uxor, liberi: alter quotidie literas mittere, acci-
pere, aperte fauere Antonio. Hi subitò hortari ad pacem, quod
iam non fecissent, non sine causa uidebantur. Accessit Consul hortator. at qui Consul?
si prudentiam quærimus, qui minime falli posset: si uirtutem, qui nullam pacem pro-
baret, nisi Antonio cedente atque uicto: si magnitudinem animi, qui præferret mor-
tem seruituti. Vos autem Patres conscripti, non tam immemores uestrorum grauissi-
morum decretorum uidebamini, quàm spe allata deditionis, quam amici pacem ap-
pellarent: de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. Auxerat autē meam
quidem spem, credo item uestram, quòd domum Antonij afflictam mœstitia audie-
C bam, lamentari uxorem. Hic etiam fautores Antonij, quorum in uultu habitant oculi
mei, tristiores uidebam. Quod si non ita est, cur à Pisone & Caleno potissimum? cur
hoc tempore? cur tam improuiso? cur tam repente pacis facta est mentio? Negat Piso
scire se, negat audisse quicquam: negat Calenus rem ullam nouam allatam esse. atq; id
nunc negant, posteaquam nos pacificatoria legatione implicatos putant. Quid ergo
opus est nouo consilio, si in re nihil omnino noui est? Decepti, decepti inquam su-
mus Patres conscripti: Antonij est acta causa ab amicis eius, non publica. Quod uide
bam equidem: sed quasi per caliginē. præstrinxerat aciem animi Decimi Bruti salus.
Quod si in bello dari uicarij solerent, libenter me, ut Decimus Brutus emitteretur,
pro illo includi paterer. Atque hac uoce Q. Fusii capti sumus. ne si à Mutina quidem
recesserit, audiemus Antonium? ne si in senatus potestate futurum se dixerit? durum
uidebatur. Itaque fracti sumus: cessimus. recedit igitur à Mutina? Nescio. Paret sena-
tui? Credo, inquit Calenus: sed ita ut teneat dignitatem. Valde uobis hercule laboran
dum est Patres conscripti, ut uestram dignitatem amittatis, quæ maxima est: Anto-
nij, quæ neque est ulla, neq; esse potest, retineatis: ut eam per uos recuperet, quam
D per se perdidit. si iacens id nobiscum ageret, audirem fortasse. quanquam (sed hoc ma-
lo dicere) audirē. Instanti resistendum est: aut concedenda unà cum dignitate libertas.

EXORDIVM

Etsi minime decere uidetur.] *Exorditur ab attentione: nam falli, decipi, errare sapientem, nouum penè & inusitatum est. Nam si, ut Cicero de Officijs libro primo scribit, labi, errare, nescire, decipi, & malum & turpe ducimus: ea turpitudo à sapiente abest maxime: ergo nouum & inusitatum est, errare sapientem.* *Falli.*] *Aperte labi.*

Decipi.] *Occulte & per fraudem ab alijs in errorem induci.* *Errare.*] *Per se & sua opinione labi. Translatum ab ijs qui certam uiam non uidentes, ad aliam se conuertunt, & aberrant.* *Consolor me tamē.*] *Errorem suum duplici ratione excusat: tum quòd cum alijs senatoribus, ac præsertim cum consule sapientissimo errarit: tum quòd à duobus consularibus inductus in errorem fuerit, qui honestæ pacis spe, & familiæ Antonij misericordia moueri uidebantur.* *Cum sapientissimo consule erraui.*] *Vtitur Orator remotionis loco, qui assumptiuæ causæ pars est. causam*

enim

enim erroris in consulem Pansam transfert. Nam cum duo consulares.] L. Piso,& Q. Fufius Calenus: quo-
rum ille socer,hic amicus Antonio fuit. Et hic est locus assumptiue iuridicialis,ut rhetores uocant,quo nō factum,sed cul- A
pa à nobis remouetur,& in alios transfertur. Honestæ pacis.] Non cuiusuis pacis,sed honestæ. Est autem pax
honesta,qua quis dignitatem suam tuetur & retinet. Contrà est pax quædam nomine potius quàm re, cum uidelicet aut
sub pacis nomine bellum latet, aut cum pax affert seruitutem. hæc pax à tyrannis appellari solet, cum nihil minus sit
quàm pax. Nobis attulisset.] Id est,in senatu proposuisset. Quòd erant familiares.] Verisimile facit
quod dicit. nam facilius de alicuius incōmodis & calamitate credimus ijs qui familiares & domestici sunt,quòd hi mul-
ta uidere possunt,quæ ab alijs ignorantur. Vulnus.] Calamitatem,damnum,iacturā. Apud alterum.]
Lucium Pisonem socerum. Alter.] Q. Fufius Calenus. Literas mittere.] Infinitus pro imperfecto in-
dicandi modi,satis historice: pro mittebat,accipiebat,fauebat. uel mittere,scilicet solet,ut ad præsens accommodetur.
Hi subito.] A tempore. nam non tam subito fuissent nos ad pacem hortati,nisi aliquam Antonij nobis ignotam ca-
lamitatem sensissent. Accessit consul hortator.] Pansa,ut paulo post dicet. At qui consul?] Laudat con-
sulem,ut minus turpe uideatur,si tantum uirum secutus errauit. Nam,ut Fabius ait,non est magnus error,magnos auto-
res sequentibus. Si prudentiam.] Distributio oratoria cum subiectione ad amplificandum. Si uirtutē.]
Hæc est quæ fortitudo propriè dicitur,cuius est munus,ut Cicero in Orat. part. dicit,uenientibus obstare malis.
Si magnitudinem animi.] Hæc in capiendis incommodis,& maxime iniurijs,cernitur. Aristoteles quoq; fortitudi-
nem,quam ἀνδρείαν uocat,ab animi magnitudine,quæ μεγαλοψυχία dicitur,distinguit in Ethicis. Fortitudinem B
enim,quam hic Cicero uirtutem uocat,in rebus magnis & arduis uersari tradit: animi uero magnitudinem, in magno
honore assequendo,& magna ignominia fugienda. Quamobrem & Cicero,quasi proprietatibus alteram ab altera se-
parans,de uirtute dicit,qui nullam pacem probaret,nisi Antonio cedente & uicto, quod quidem est res arduas & ma-
gnas tractare. De animi uero magnitudine,qui præferret mortem seruituti,quod est magnam ignominiam,nimirum ser-
uitutem uitare,& uel honestam mortem oppetere,qui magnus est honos. Vos autem Patres conscripti.] Osten-
dit & reliquos senatores in eundem errorem inductos,ut legationem de pace cum Antonio decernerent: uerum in eo se-
parat eos ab Antonij fautoribus,quòd de imponendis Antonio legibus,non de accipiendis cogitarent: atq; ita dignitatem
suam tueri,non Antonij uellent. Grauissimorum decretorum.] Quibus in prima legatione Antonium, nisi pare-
ret senatui,& à Mutina recederet,hostem reipublicæ iudicabant. Quam spe allata deditionis, quam amici pa-
cem appellarent,imponendis,&c.] Hæc mihi uidetur sincera lectio,quæ continet dilucidam sententiam. Signi-
ficat enim,quam fautores Antonij pacem nominarent,leniore scilicet uocabulo, senatores deditionem intellexisse, qua
se Antonius senatui traderet,ueniam deprecatus. Quod si putassent agi de ea pace qua Antonij dignitas retineretur,se-
natus minueretur,nunquam in eam legationem consensuros patres. De imponendis legibus.] Imponuntur le-
ges uictis & deditis,ferūtur ciuibus uolūtarijs. Adduxerat autē.] Alia signa mutatæ Antonij uolūtatis enumerat,
quæ spem deditionis facere uiderentur: afflictam mœstitia domum,lamentari Fuluiam uxorem Antonij,tristiores fauto- C
rum Antonij uultus: hæc enim omnia ualde animos senatorum permouebant,ut crederent rem serio agi.
Quorum in uultu habitant oculi mei.] Quos perpetuo intueor,à quorum uultu oculos nusquam dimoueo. Ita so-
lent qui aut aliquem amant,aut timent,aut reuerentur. Quod si non ita est.] Confirmat quæ dixit ex anteactis,
& coarguit dissimulationem Pisonis & Caleni: & simul repugnantia eos dicere probat,ut fraudulenter eos egisse osten-
dat. Quod si non ita est.] Si hæc uera non erant,cur à Pisone & Caleno mentio pacis facta est. Tam importu-
ne? neq; enim sine causa credibile erat fieri, etsi negabat uterq;,rem ullam nouam ab Antonio allatam: quod facerent,
sponte sua se dicebant facere. Existimabant enim non esse integrum à legatis mittendis supersedere, quandoquidem se-
mel decreti fuerant: & id agebant,ut duos à senatu ablegarent,acerrimos Antonij inimicos, Ciceronem atq; Seruilium,
eosq; periculis obijcerent. Cur à Pisone,&c.] A personis coniectura ducitur. Cur hoc tempore?] A
tempore coarguit. Cur tam improuiso?] A modo. nam ea subita & repentina pacis mentio,nouum aliquid ac-
cidisse Antonio significabat. Negat Piso.] Iam dissimulationem eorum palam coarguit,qui negarent quicquam
noui accidisse Antonio,cum tamen antea id præ se ferrent non obscure. Rem ullam nouam allatam esse.] Lite-
ris scilicet,quas quotidie ab Antonio accipiebat. Pacificatoria legatione.] Pacis faciendæ causa decreta. Hinc
Cicero ad Atticum pacificatorem appellat,pacis faciendæ legatum & arbitrum. Ac fortassis non inepte is pacificator la-
tine dici posset,quem diuus Paulus μεσίτην uocat,quando mediatoris uoce Latini autores usi non leguntur. D
Implicatos.] Impeditos,obstrictos. Quid ergo opus est nouo consilio?] Refellit à causæ remotione. Si nul-
la est causa,ne effectus quidem esse debet. Non debent igitur mitti legati de pace,quando non est mutatus Antonius.
Decepti,decepti.] Reduplicatio siue iteratio,siue potius geminatio ad amplificandum. nā est quasi telum aliquod,
quod sæpius perueniat in eandem partem corporis. Quod uidebam.] Intelligebam,suspicabar. Sed qua-
si per caliginem.] ἐν αἰνίγματι,ut Paulus ad Corinthios ait, obscure, non clare & aperte. Præstrinxerat
aciem animi.] Hebetauerat ingenij acumen mentisq; aciem. Translationes sunt elegantes,caligo pro errore,præstrin-
gere pro fallere & decipere,acies animi pro ingenio. nam acies est alicuius corporis,ut gladij,styli,oculorum,acumen.
Sumpta translatio est uel à præstigiatoribus,qui artibus quibusdam & fucis,quas præstigias Latini uocant, rem aliter
atq; est,uideri faciunt,atq; ita belle oculis imponunt: uel à nimio fulgore quo oculorum acies præstringi ac retundi solet.
Plautus: Curate ut splendor sit meo clypeo,ut præstringat oculorum aciem in hostibus. Decimi Bruti salus.]
Hic locus & sequens habet uim expurgationis ex charitate Bruti. Salus D. Bruti,quam unam semper spectabat,fuit illa
caligo,qua effectum est ut minus clare amicorum Antonij dolos peruideret. nam quacunq; Bruti salus obijciebatur,sequi
non dubitabat. Ergo honesta erroris ratio fuit. Quod si in bello.] Confirmat suam in Brutum charitatē,hac ani-
mi testifi-

A mi teſtificatione ſui. Vicarij.] Vicarius dicitur, qui quauis in re uicem & quodcunq; munus pro altero obit & gerit. Emitteretur.] Obſidione liberaretur. Includi.] In Mutinam uidelicet, in qua Brutus ab Antonio obſidebatur. Capti.] Decepti, inducti. Ne ſi à Mutina.] Refert uerba Caleni, quibus captos fuiſſe dixit. Ne ſi in ſenatus.] Sunt qui hoc loco legant, Niſi in ſenatus poteſtate futurum ſe dixerit: quam lectionem ſequerer, niſi ſequentia Ciceronis uerba repugnarent. nam illis duobus, Ne ſi à Mutina, & Ne ſi in ſenatus, hæc duo refert: Recedit igitur à Mutina? Neſcio. Paret ſenatui? Credo. Durum uidebatur.] Scilicet eum non audire.

Fracti.] Translatum, pro uicti ſumus, ceſſimus, quod ipſe ſtatim interpretans adiungit. Recedit igitur.] Inducit inuidioſam ſermocinationem, quam διαλογισμὸν Græci uocant. Sed ita ut teneat dignitatem.] Hac adiunctione totam Antonij cauſam corrumpit. idcirco addit Orator, Valde nobis.] Ironia eſt ſpectans ad indignationem, eaq; geminata contrarijs, amittatis, retineatis: maxima, nulla. Per uos.] Veſtro beneficio & autoritate. Quam per ſe perdidit.] Sua culpa, ſuoq; ſcelere. Si iacens.] Supplex, abiectus, calamitoſus. Sub eſt argumentum ex maiore, quod tamen perficere noluit callidus Orator. Si iacens peteret, non eſſet audiendus: multo igitur minus ſtans, & contra nos erectus. Quanquam.] Reticentia, indignantibus, cupientibus, dolentibus familiaris. Vergilius Aeneidos quinto:

Quanquam ò, ſed uincant quibus hoc Neptune dediſti.

B Voluit enim dicere: Quanquam omnino non audirem: ſed uicit clementia, idcirco correxit & dixit: Sed hoc malo dicere, audirem. Stanti reſiſtendum eſt.] Quaſi diceret: At non iacens agit nobiſcũ, ſed ſtans & armatus cõtra nos pugnat: ergo non modo non audiendus, ſed potius reſiſtendum ei fortiter eſt, aut unà cum dignitate libertas amittenda.

At non eſt integrum, conſtituta legatio eſt. Quid autem integrum non eſt ſapienti, quod reſtitui poteſt? Cuiuſuis eſt hominis errare: nullius, niſi inſipientis, in errore perſeuerare. Poſteriores enim cogitationes (ut aiunt) ſapientiores ſolent eſſe. Diſcuſſa eſt illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit: patet: uidemus omnia: neque per nos ſolum, ſed admonemur à noſtris. Attendiſtis paulo ante præſtantiſſimi uiri, quæ eſſet oratio. Mœſtam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos. Admirabantur boni uiri, accuſabant amici, quod ſpe pacis legationem ſuſcepiſſem. Nec mirum P. Seruili. Tuis enim ueriſſimis grauiſſimisq; ſententijs omni eſt, non dico dignitate, ſed etiam ſpe ſalutis ſpoliatus Antonius: ad eum ire te legatum quis non miraretur? de me ex-
C perior: cuius idem conſilium, quod tuum, ſentio quàm reprehendatur. Nos reprehendimur ſoli? Quid? uir fortiſſimus Panſa ſine cauſa tam accurate paulo ante loquutus eſt tam diu? Quid egit? niſi uti falſam à ſe ſuſpicionem depelleret? unde autem eſt iſta ſuſpicio? ex pacis patrocinio repentino, quod ſubito ſuſcepit eodem captus errore, quo nos. Quod ſi eſt erratum Patres conſcripti ſpe falſa, atque fallaci: redeamus in uiam. Optimus eſt portus pœnitenti mutatio conſilij.

At non eſt integrum.] Occupatio, cui reſpondet ab honeſto & utili. Perſequi Antonium non licet: mutare ſententiam non poſſumus, inquit Calenus: quoniam conſtituta legatio eſt. Quid autem.] Diluit quod opponitur per locum communem. Sapienti omnia integra ſunt, quæ & fieri poſſunt, & honeſta ſunt. Nam de ijs quæ fieri non poſſunt, nulla eſt conſultatio neq; deliberatio. Honeſtum autem eſt errorem corrigere: nos igitur qui errauimus, mutare ſententiam & poſſumus & debemus. Tritum eſt ſermone prouerbium: Sapientis eſſe, dum licet, mutare propoſitum.

Reſtitui.] In integrum reuocari, corrigi. Cuiuſuis hominis eſt errare.] Veriſſima eſt hæc ſententia. nam uitijs ſine nemo naſcitur (inquit Horatius) optimus ille eſt Qui minimis urgetur. Ea eſt enim imbecillitas humanæ natu-
D ræ, ſiue potius prauitas, ut nemo ſit qui errorẽ cauere ac præſtare poſſit. Hanc ſententiã uulgo ſic efferre ſolẽt: Humanũ eſt peccare, diabolicũ in peccato perſeuerare, angelicũ emendare: nõ prorſus inepte quidẽ, ſed elegantius hæc Ciceronis uſurpatur: quã etiam in hunc modum licet enunciare: Cuiuſuis hominis eſt errare, nullius niſi ſapiẽtis & profligati in errore perſeuerare: ſapientis ac propè diuini eſt errorem corrigere. Vel, Humanum eſt peccare, ſceleſtum in peccato perſeuerare, diuinum peccata emendare. Poſteriores enim cogitationes.] Aliud prouerbium: Poſteriorum cogitationum ſapientiæ plenas domos eſſe. Et in ſacrificijs, aruſpicum erat uetus uerbum, ſecunda meliora. Huius prouerbij, quo hic utitur Cicero, ratio ſumitur, quòd quæ præclara ſunt, ea ſolent eſſe difficilia. At quæ prima occurrunt, in ijs nulla ineſt difficultas: non ſunt igitur in optimis & præclaris numeranda. Item, ſine conſilio & matura deliberatione uix aliquid præclarum ſtatui poteſt: quæ autem prima & ſubita occurrunt, ea non eſt antegreſſa matura deliberatio: poſteriora uero tempus deliberandi habuerunt: quo fit ut ea ſint ſapientiora. An fortaſſis idcirco id fit, quòd malo edocti magis ſapimus? An quòd primas cogitationes affert cupiditas, poſteriores ratio, quæ in receſſu poſita, non ſtatim ea uidere potuit, quæ geruntur? An forſitan hæc omnia concurrunt? Illa caligo.] Error, falſa opinio. omnia hæc ſunt translata, quare allegoria eſt. Diluxit.] Quod uulgo dicunt, dies eſt, dies factus eſt, Cicero lucet & diluxit dicit. Significat autem patefacta eſſe Antonij atq; eius amicorum conſilia. Vt enim à ſolis luce pellitur & diſſoluitur nox, aut denſa aliqua nebula, ſic ueritate patefactis aduerſariorum conſilijs, & detecta diſſimulatione, receſſit error, & falſa pacis opinio. Neq; per nos ſolum.] Confirmat rem hominum conſenſu. Attendiſtis.] Animaduertiſtis, obſeruaſtis.

seruastis. Præstantissimi uiri.] *Genitiui casus est, id est P. Seruilij.* Mœstam, inquit.] *Sunt uerba P. Serui-* A
lij, quæ & ipse ab amicis Antonij deceptus Pisone & Caleno, in oratione sua dixerat. Nec mirum P. Seruili.]
Si mirabantur boni uiri, si accusabant amicitiam & tu & ego grauissimas dixerimus in Antonium sententias.

Dignitate.] *In adimenda illi consulari potestate, & exercitu.* Spe salutis.] *Cum hostis reipublicæ esset iudicatus.* Cuius idem consilium.] *Ex pari. Si te reprehendunt quòd damnaris Antonium, & me quoq; qui idem feci reprehendant necesse est.* Nos reprehendimur soli?] *Socium erroris adiungit consulem, ut initio fecit, quo leuior error esse uideatur.* Tam accurate paulo ante locutus est, tam diu.] *Attende aduerbiorum multitudinem in tam breui sententia, ac præsertim illa, tam accurate, tam diu, sine copula, pro tam accurate tam q; diu.*

Falsam à se suspicionem.] *Proditionis, ne nos uideretur & rempublicam prodere, quòd tam repente mutata sententia de pace loqueretur.* Depelleret.] *Ab se remoueret.* Vnde autem ista suspicio?] *Interrogat, & subijcit ipse quod respondendum est. est igitur subiectio.* Patrocinio.] *Suasione.* Quod si est erratum.] *Erratum esse adhuc ostendit. Iam monet errorem esse corrigendum, & reuocandam esse legationis sententiam.*

Spe falsa.] *Vana, inani.* Fallaci.] *Quæ & fallere, & in errorem potuit inducere, & induxit.*

Redeamus in uiam.] *Mutemus consilium atq; sententiam, resipiscamus. Translatio sumpta ab ijs qui itinere deerrarunt.* Optimus est portus.] *Salus & securitas. Sententia grauissima & uerissima, quæ ad locum communem* B
de pœnitentia refertur. Vt enim qui se ex tempestate maris recipiunt in portum, tuti saluiq; sunt: sic ijs qui errarunt & peccarunt, mutatio consilij salutem solet afferre. Mutatio consilij.] *Hic locus ostendit pœnitentiam & consilij mutationem non idem esse, quòd in pœnitente sit tantum erroris dolor, sed nondum nouum accessit consilium de errore corrigendo: ergo pœnitentia imperfecta & inutilis est, nisi unà adsit consilij mutatio: cuiusmodi fuit Caini fratricidæ, & Iudæ proditoris. Quod dixi, de Latinis uocabulis intelligendum est: nam Græci uno uerbo utrumq; belle exprimũt, cum μετανοεῖν, καὶ μετάνοιαν dicunt: quo in uerbo inest mutatio illa consilij, erroris q; correctio.*

Quid enim per deos immortales potest reipublicæ prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura? quid si etiam nocuit? an uos acerrimã illam & fortissimam populi Romani libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore, ut eos pœniteat professos esse, & præ se tulisse odium in Antonium: qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos & animis & corporibus in salutem reipublicæ contulerunt? quemadmodum uestrum consilium hoc Capua probabit? quæ temporibus his Roma altera est. Illa impios ciues iudicauit, eiecit, exclusit. Illi, illi inquam urbi fortissimæ conanti, è manibus ereptus est Antonius. Quid? legionum nostrarum neruos nónne his consilijs incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus spe pacis oblata? illa ipsa Martia, cœlestis, & diuina legio, hoc nuncio languescet & mollietur: atque illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excident gladij: fluent arma de manibus. Senatum enim sequuta non arbitrabitur se grauiore odio debere esse in Antonium, quàm senatum. Pudet huius legionis, pudet Quartæ, quæ pari uirtute nostram autoritatem probans, nõ ut Consulem & Imperatorem suum, sed ut hostem & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus, qui coniunctus ex duobus, qui iam lustratus, qui profectus ad Mutinam est: qui si pacis, id est timoris nostri nomen audiuerit, ut non referat pedem, sistet certe. Quis enim reuocante & receptui canente senatu properet dimicare? Quid autem hoc iniustius? quàm nos inscientibus his qui bel- D
lum gerunt, de pace decernere? nec solum inscientibus, sed etiam inuitis? An uos A. Hirtium præclarissimum consulem, C. Cæsarem deorum beneficio natum ad hæc tempora, quorum epistolas spem uictoriæ declarantes in manu teneo, pacem uelle censetis? uincere illi expetunt: pacisq; dulcissimum & pulcherrimum nomen, non pactione, sed uictoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim huius belli propulsandi, administrandi, sustinendi, principatum tenet. Gallia Decimi Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium sequuta, armis, uiris, pecunia belli principia firmauit: eadem crudelitati M. Antonij suum totum corpus obiecit: exhauritur, uastatur, uritur omnis: æquo animo belli patitur iniuriam, dummodo repellat periculum seruitutis. Et ut omittam reliquas partes Galliæ: nam sunt omnes pares: Patauini alios excluserunt, alios eiecerunt missos ab Antonio: pecunia, militibus, & quod maxime deerat, armis nostros duces adiuuerunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant: & propter multo-

A rum annorum iniurias alienati à senatu putabantur. quos minime mirum est communicata cum his republica fideles esse: qui etiam expertes eius, fidem suam semper præstiterunt. His igitur omnibus uictoriam sperantibus pacis nomen afferemus? id est desperationem uictoriæ?

Quid enim per deos.] Ingreditur in legationis reprehensionem, quód sit inutilis & periculosa, quod turpis, & quod pax fieri non poßit. Tractatio autem eadem est quæ fuit primæ legationis, quam dissuasit Philippica quinta: & pacis, quam dissuasit Philippica septima. Eos locos debent conferre inter se studiosi dicendi, ut quæ similia sint uideant, quæ item dißimilia. Prodesse dico.] Correctio ad amplificationem, in qua inest etiam gradatio, proximo ter repetito uerbo. An uos.] Proposuit, nunc quod proposuit confirmat, nempe mentionem legationis iam obfuisse. Confirmat autem inductione singulorum qui reipublicæ causa arma contra Antonium sumpserant, aut qui quocunq; modo iuuerunt. Commune incendium.] Contra Antonium. translatis enim uerbis illuminat orationem. Exarserat.] Commota fuerat. perstat in translatione. Professos esse.] Palàm ostendisse, præ se tulisse. solet enim hæc duo Cicero coniungere, ut altero alterum declaret. Totos.] En totum. Et animis, & corporibus.] En B totius partes primas. nam homo primum in animũ et corpus distribuitur: auget enim partitione, ergo nihil sibi reliquum fecerunt. Capua.] Campaniæ urbs olim florentißima, in qua urbe domiciliũ quondã Superbiæ fuit: & in qua luxuries Annibalem corrupit. Ea ad Tifata montes fuit, nunc tota euersa. Noua uero quæ hodie extat, ad Vulturnum fluuium sita est. Illa impios.] Capuæ merita in rempublicam commemorat, ut rem indigniorem esse doceat.

Conanti.] Comprehendere & ulcisci Antonium. Neruos.] Robur & uirtutem, animos. Incidimus.] Fregimus, debilitauimus. Incidimus autem à cædo, à quo incido penultima longa, ut perstet in neruorum cœpta translatione. Cœlestis & diuina.] à deo Marte dicta: uel cœlestis & diuina propter uirtutẽ. Pulcherrimũ nomen Martium] A turpitudine locus, & nomen Martium, nomen fortitudinis. Excident gladij.] Cadent de manibus. Fluent arma.] Elabentur. ipso uerbo negligentiam militum ante oculos ponit. Sensum enim.] Addit causam ex pari. Pudet me.] Et hic locus est à turpi. Obseruanda est hæc dicendi forma, cum aliorum causa, non nostra, nos pudet. Itali dicunt, Io m' auergogno in tuo seruitio, ò per caggion tua. Ex duobus.] Nempe Hircij & Octauij Cæsaris exercitibus. Lustratus.] Expiatus, purgatus, recensitus, recognitus. Lustrabatur autem in Campo Martio mactatis oue, sue, & tauris tribus: idq; more & instituto Seruij Tullij regis, ut est apud Liuium.

Pacis, id est timoris.] Interpretatione, pacis nomen turpe fuit. Vt non referat pedem.] Quamuis, aut C etiam si non retrocedat, si pareat imperatoribus. Sistet certe.] Consistet, quiescet, non dimicabit omnino.

Quis enim?] Confirmat ab autoritate uel exemplo senatus. Receptui canente.] Verbum militare & castrense est receptui canere, quando scilicet imperator iubet copias ex acie atque conflictu in castra reuocari, atque in tuto collocari. hinc per translationem canere receptui, est artem aliquam desinere, ab agendoq; cessare. Quintilianus de oratore loquens, inquit: Quare antequam in has ætatis ueniat insidias, receptui canat, & in portum integra naue perueniat. Quid autem iniustius?] Ab iniusto, dissuadet pacis legationem. Decernere.] Decreta facere, statuere. Nec solum.] Auget rei indignitatem, ab imperatorum persona. An uos A. Hircium?] Declarat quod dixit, inscientibus & inuitis. Natum ad hæc tempora.] Natum ut hoc tempore rempublicam defenderet, ut Cicero falso existimabat: sed reuera natum, ut rempublicam euerteret, quod fecit. Quorum epistolas.] Ab imperatorum testimonio probat eos pacem cum Antonio non probare. Vincere.] Ergo pugnare, non pacem facere illi expetunt. est enim locus à fine. Non pactione, sed uictoria.] Non sine pugna, sed pugnando. Contentio. Galliam.] Togatam. Quo tandem animo?] Iniquißimo. Reprehendit à Galliæ iudicio.

Illa enim.] Galliæ merita declarat, quo pacis nomen iniquum & indignum esse ostendat. Ne dicam.] Nedum, non solum. Belli principia firmauit.] Paria paribus referuntur. id enim est quod dixit propulsandi.

Totum corpus obiecit.] Hoc est quod dixit, administrandi. Et totum corpus, uniuersam ditionem suam, omnes D uires, omnes urbes, & populos. Exhauritur, uastatur, &c.] Id est quod dixit, sustinendi principatum tenet.

Exhauritur.] Pecunia, & alijs rebus. Vastatur.] Agri eius uastantur. Vritur.] Incenduntur eius uillæ. Omnes belli iniurias.] Quæ sunt infinitæ.

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea uox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Reliquas partes Galliæ.] Rhegium, Parmam, Placentiam, Cremonam, Mantuam, Brixiam, Veronam, & alias. Non sunt omnes pares.] Non pares magnitudine, uiribus, & opibus, sed pares studio reipublicæ tuendæ. Patauini.] Patauium urbs Venetiæ regionis amplißima, & florentißima bonarum artium studio. Eam condidit Antenor Troia profugus, ut est apud Liuium Patauinum libro Ab urbe condita primo, & Virgilium Aeneidos libro primo. Iniurias.] Propter negatum illis ius suffragij, unde bellum sociale Italicum ortum fuit diuturnum et periculosum. Quos minime mirum.] Ex maiore, Galliæ in Romanos fidem confirmat. Expertes.] Iuris suffragiorum, à iure suffragiorum exclusi. His igitur.] Epilogus & enthymema ex contrarijs. Indignum & absurdum esse pacis nomen afferre ijs, qui uictoriam ex pugna consequi uolunt. Id est dispersionem uictoriæ.] Interpretatione nominis rem indignam facit.

Quid? si ne potest quidem ulla esse pax? quæ est enim conditio pacis? in qua ei, cum

cum quo pacē facias, nihil concedi poteſt? Multis rebus à nobis eſt inuitatus ad pacē A
Antonius, bellum tamē maluit. Miſſi legati repugnante me, ſed tamen miſſi. Delata
mandata, non paruit. Denunciatum eſt ne Brutum obſideret, à Mutina diſcederet:
oppugnauit etiam uehementius. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nun
cios repudiauit? Verecundiorem'ne coràm putamus in poſtulando fore, quàm fue-
rit tum cum miſit mandata ad ſenatum? Atqui tum ea petebat, quæ uidebantur im-
proba omnino, ſed tamen aliquo modo poſſe concedi: nondum erat ueſtris tam gra
uiſſimis, tamq́; multis iudicijs ignominijsq́; conſciſſus. nunc ea petit, quæ dare nullo
modo poſſumus: niſi prius uolumus nos bello uictos confiteri. Senatuſconſulta fal-
ſa relata ab eo iudicauimus. Num ea uera poſſumus iudicare? Leges ſtatuimus per
uim, & contra auſpicia latas: hisq́; nec populum, nec plebem teneri. num eas reſti-
tui poſſe cenſetis? Seſtertium ſepties millies auertiſſe Antonium pecuniæ publicæ
iudicauiſtis. num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo, ciuitates, ſacer-
dotia, regna uenierunt. num figentur rurſus hæ tabulæ, quas uos decretis ueſtris refi- B
xiſtis? Quod ſi ea quæ decreuimus, obruere uolumus: num etiam memoriam re-
rum delere poſſumus? quando eius obliuiſcetur ulla poſteritas, cuius ſcelere in hac
ueſtitus fœditate fuerimus? ut Centurionum legionis Martiæ Brundusii profuſus
ſanguis eluatur: num elui prædicatio crudelitatis poterit? ut media præteream, quæ
uetuſtas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta? ſceleris indicia? latroci-
nijq́; ueſtigia?

Quid? ſi ne poteſt quidem ulla eſſe pax?] Ab eo quod fieri non poteſt, legationem diſſuadet Cicero: quem lo-
cum etiam tractauit Philippica ſeptima, qui uidendus erit ab adoleſcentibus, ut utriuſque loci artificium melius intelli-
gant. *Quæ enim eſt conditio pacis?]* Propoſitionis confirmatio: pacem fieri non poſſe, neq; ex Antonij parte,
neq; ſenatus: quod Antonius pacem non daturus ſit, niſi conceſſis quæ uelit, & ſenatum ea concedere non poſſe.
Multis rebus.] Coniectura ex anteactis, & Antonij uoluntate. *Delata mandata.]* Scilicet ſenatus ad
Antonium, quibus non paruit. *Et ad eum legatos?]* Enthymema ex repugnantibus, ad indignitatem rei oſten-
dendam. *Verecundiorem ne.]* Modeſtiorem. Argumentum ex pari, uel etiam ex minori. *Conſciſſus.]*
Laceratus, hoſtis iudicatus. ut Philippica quinta: Decretis ueſtris non conſcidiſtis. Contentionibus ex minori reſilit & C
exaggerat. *Niſi prius uolumus.]* Adiunctio neceſſitatis, ſine eius quod fieri non poteſt. Poſſumus concedere, ſi
uolumus nos uictos confiteri, quod quidem turpiſſimum eſſet. *Senatuſconſulta falſa.]* A turpitudine ſenatus, ſi
ea concedat Antonio, quæ ſemel reſcidit, & falſa iudicauit. *Relata.]* Sic enim rectè legitur, non delata. Intelligit
enim ſenatuſconſulta, quæ quaſi ex actis Cæſaris, falſa ad ſenatum retulerat Antonius: de quibus Philippica quinta in
hunc modum Cicero: Senatus etiam conſulta, pecunia accepta, falſa referebat. *Leges.]* De prouincijs, & diuiſio
ne agrorum, & iudicum decurijs, de quibus omnibus & ſequentibus ſupra, non ſemel in ſecunda & alijs Philippicis.
Septies.] Septuagies quinquies centena millia coronatorum, ut ſuprà diximus. Ea enim pecunia erat ad ædem
Opis. *Peculatus.]* Publici furti. Eſt enim peculatus, publicæ pecuniæ, ſiue ærarij furtum. *Figentur.]*
Sancientur. nam figere tabulas, eſt leges aliquas ſancire. Contrà, refigere eſt improbare, & abrogare. Virgilius in ſex-
to Aeneidos:

Leges precio fixit atq; refixit.

Obruere.] Delere, reſcindere, extinguere. *Memoriā rerum]* Quas Antonius patrauit contra rempu-
blicam, & nos contra Antonium pro republica. *Veſtitus fœditate.]* In ſagis. *Vt centurionum.]* Vt pro
quamus. *Num elui prædicatio.]* Deleri fama non poterit. *Tetra monumenta.]* Bellicæ machinæ ad op
pugnandam Mutinam extructæ. hæc omnia eo pertinent, ut turpe uideatur eſſe cum eo pacem facere. D

Huic igitur importuno atque impuro parricidæ, quid habemus per deos immor-
tales quod remittamus? An Galliam ultimam, & exercitum? quid eſt aliud quàm non
pacem facere: ſed differre bellum? nec ſolum prorogare bellum, ſed concedere etiam
uictoriam? An ille non uicerit, quacunq; conditione in hanc urbem cum ſuis armis ue
nerit? Nunc omnia tenemus: autoritate ualemus plurimum: abſunt tot perditi ciues
nefarium ſequuti ducem: tamen eorum ora, ſermones, qui ex eo numero in urbe reli-
cti ſunt, ferre non poſſumus. Quid cenſetis, cum tot uno tempore irruperint? nos ar-
ma poſuerimus, illi non depoſuerint? nonne uos ueſtris conſilijs uictos in perpetuum
fore? Ponite ante oculos M. Antonium Conſularem, ſperātem Conſulatum: Lucium
adiungite: ſupplete cæteros, neq; noſtri ordinis ſolum, honores & imperia meditan-
tes: nolite ne tirones quidem, Nummiſios, & Muſtellas, Saxáſue contemnere. Cum
his facta pax, nō erit pax, ſed pactio ſeruitutis. L. Piſonis ampliſſimi uiri præclara uox

A à te non solum in hoc ordine Pansa, sed etiam in concione iure laudata est excessurum se ex Italia dixit: deos penates & sedes patrias relicturum: si, quod dij omen auerterent, rempublicam oppressisset Antonius.

Huic igitur.] *Epilogus, siue conclusio, nihil esse quod Antonio concedi possit: ex quo sequitur, pacem cum eo fieri non posse.* *Importuno.*] *Immani, crudeli, immiti: sumptum à littoribus barbarorum, quæ tutum portum non habent.* *An Galliam ultimam?*] *Transalpinam, ulteriorem, comatam, braccatam.* *Quid est aliud?*] *Ostendit periculum, si pax fiat.* *Prorogare.*] *Differre.* *An ille.*] *Descriptione oratoria declarat periculum quod indicauit, si Antonius in urbem cum suis armis uenerit.* *Nunc omnia tenemus.*] *Antithesis, quæ securitatem ostendit, absente Antonio & eius asseclis.* *Tamen eorum ora.*] *Ex minore periculum exaggerat.*

Nostris consilijs.] *Quibus legationem de pace decreuimus.* *Ponite ante oculos.*] *Demonstratione, siue euidentia rem ante oculos ponit, quo magis animos permoueat periculi magnitudine.* *Spirantem consulatum.*] *Dicitur aliquis spirare consulatū, aut aliam rem, cum insolentia atq; impotentia quadam se gerit, quasi iam adeptus sit quod maxime expetit. Si sperantem legas, cum sequenti membro coniungendum erit in hunc modum: Sperantem consulatum, Lucium adiungite.* *Nostri.*] *Senatorij, sed etiam plebeios & peregrinos.* *Tirones.*] *Homines* B *uiliores, & plane nouos. ex minori.* *Numisios, &c.*] *Multitudinis numero hos appellat ad contemptum.*

Non erit pax, sed pactio.] *Agnominatio ad rei turpitudinem ostendendam.* *L. Pisonis.*] *Profert dictum quoddam L. Pisonis, quo sententiam suam confirmat, & aduersariorum refellit.* *Vox.*] *Dictum, denunciatio.*

Excessurum.] *Abiturum.* *Deos penates.*] *Id est, domum: sed illud grauius.* *Et sedes patrias.*] *Patriam ipsam, ubi considemus & habitamus.* *Quod dij omen.*] *Execratio, de qua alibi admonuimus.*

Quæro igitur à te Piso, nónne oppressam rempublicam putes, si tot, tam impij ciues, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? quos nondum tantis parricidijs contaminatos uix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos tolerabiles censes ciuitati fore? Aut isto tuo, mihi crede, consilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, uitam inopem & uagam prosequamur: aut ceruices latronibus dandæ, atque in patria cadendum est. Vbi sunt C. Pansa illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ? quibus à te excitatus senatus, inflammatus populus Romanus, non solum audiuit, sed etiam didicit, nihil esse homini Romano fœdius seruitute. Idcircône saga sumpsimus? arma cepimus? iuuentutem omnem ex tota Italia exciuimus? ut de exercitu florentissimo & maximo C legati ad pacem mitterentur? si postulandam, quid timemus? si accipiendam, cur non rogamur? in hac ego legatione sim? aut ad id consilium admiscear? in quo, ne dissensero quidem à cæteris, sciturus populus Romanus sit. ita fiet, ut si quid remissum, aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius, cum ei peccandi potestas à me concessa uideatur.

Quæro igitur.] *Probat id quod L. Piso dixit futurum esse, si Antonius cum suis recipiatur.* *Quos nondū.*] *Enthymema ex minori.* *Coopertos.*] *Contaminatos, obrutos.* *Aut isto tuo.* *Disiunctione, qua magnum, utrumuis eligatur, periculum indicat.* *Cedamus, abeamus.*] *Interpretatio ad amplificandū.* *Cadendū*] *Oppetendum, moriendū.* *Vbi sunt?*] *Delabitur ad ignominiā & turpitudinē huius pacis ostendendā, atq; id ex præclara Pansæ consulis cohortatione.* *Didicit.*] *Ex Cæsaris tyrannide.* *Idcircône.*] *Hæc omnia turpitudinem compositionis & pacis amplificant.* *Exciuimus.*] *Euocauimus: unde milites euocati, & euocatio militiæ genus dictum. uel exciuimus, excitauimus.* *Si postulandā.*] *Scilicet pacem. Dilemmate, id est complexione, turpitudinē concludit. Si postulanda est à nobis pax, nihil est quod timeamus: si accipienda ab Antonio, cur nō ab eo rogamur? At cum timeamus, nec rogemur ab Antonio, quid est quod de pace mittere legatos uelimus?* *In hac ego legatione.*] *Venit ad alterum caput personæ suæ, in quo ostendit quàm turpe & periculosum sibi futurum sit, si ipse lega-* D *tus mittatur ad Antonium.* *Ad id consilium.*] *Quod cum Antonio de pace fiat.* *Sciturus populus Ro.*] *Prima ratio cur ipse non sit idoneus, quia etiam si ipse à cæteris dissenserit legatis, quicquid cum Antonio fuerit constitutum, eius æque uidebitur autor, atq; cæteri. qui locus sumitur à turpi, quod hoc illi sit apud populum Romanum turpe & ignominiosum, adde etiam odiosum futurum.*

Quod si habēda cū Antonij latrocinio pacis ratio fuit, mea tamē persona ad istam pacem conciliandā minime fuit deligenda. ego nunq̃ legatos mittendos censui, ego ante legatorū reditum ausus sum dicere, pacē ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandā: ego princeps sagorū: ego semper illum hostem appellaui, cum alij aduersariū: semper hoc bellum, cum alij tumultum. nec hæc in senatu solum, eadē ad populum semper egi. nec solum in ipsum, sed in eius socios, facinorum ministros, & præsentes, & eos qui unà sunt, in totā deniq; M. Antonij domū sum semper inuectus. Itaq; ut alacres, & læti spe pacis oblata inter se impij ciues, quasi uicissent

gratulabantur

gratulabantur:sic me iniquum eiurabant,de me querebant̃.diffidebant etiā Seruilio, A
meminerant eius sentētijs confixum Antoniū.L.Cæsarē fortem quidem illum & con
stantem senatorē,auunculum tamē:Calenū procuratorem:Pisonem familiarem: te ip
sum Pansa uehementissimū & fortissimum consulem,factum iam putant leniorē:non
quo ita sit,aut esse possit:sed mentio facta à te pacis suspicionem multis attulit immu-
tatę uoluntatis.Inter has personas me interiectum amici Antonij moleste ferunt.qui-
bus gerendus mos est,quoniā semel liberales esse cœpimus.Proficiscantur legati opti
mis ominibus:sed hi proficiscantur,in quibus non offendatur Antonius.

Quod si habenda.] Aliam affert rationem. • Latrocinio.] Bello,sed odiosiorem rem facit ex propinquo uocabulo. Mea persona.] Id est ego,qui semper ei restiti,qui unus autor eius sum persequendi,quem unum odit Antonius. Ego nunquam.] Cur non fuerit ipse deligendus declarat,& affert causas,& eas quidem efficaces. Ac ea omnia quæ hic recenset,uera esse ex quinta,sexta,septima & octaua Philippica perspicuum est. Ego princeps sagorum.] Id est,autor saga sumendi,de quibus alibi diximus. Ego semper illum hostem.] Cicero ficum ficum appellabat. Alij minus inuidioso nomine,aduersarium Antonium malebant appellari.id cum fit,ὑποκόρισμα à Græcis uocatur.Idem etiam fit cum uitia uirtutum nomine propter similitudinem tegimus aut obscuramus.Hoc queritur Cato apud Sallustium in Catilina:Iampridem,inquit,equidem nos uera rerum uocabula amisimus:quia bona aliena largiri,liberalitas:malarum rerum audacia,fortitudo uocatur.Idem significare uoluit Virgilius in quarto,cum de Didone ait: B

Coniugium uocat:hoc prætexit nomine culpam.

Semper hoc bellum,cum alij tumultum.] Hoc tractauit Philippica octaua. Me iniquum eiurabant.] Iureiurando affirmabant,detestabantur. Diffidebant etiam Seruilio.] Idcirco eum legatum ad Antonium decernebant. Confixum.] Quasi uulneratum & conscissum,id est condemnatum. Auunculum tamen.] Scilicet Antonij,ac idcirco ei æquiorem futurum sperabant. Non quo ita sit.] Corrigit quod dixit, ne quis putet mutatum Pansam esse. Sed mentio.] Ratio cur de Pansa suspicetur. Inter has personas.] Consilium & propositum Antonij amicorum aperit,nempe eos se legatum ad Antonium decreuisse,ut eo absente facilius possent in senatu obtinere quæ uellent. Quibus gerendus mos est.] Ironia. Liberales.] Benigni,lenes. Proficiscantur legati.] Dissimulanter eis permittit legatos mittere,modo ne se mittant. Ominibus.] Auibus,id est feliciter.Contrarium dixit Cicero de Diuinatione:Aduersa aui soluere. In quibus non offendatur.] Obserua:in quibus offendatur,pro quibus offendatur,præsertim de personis.

Quod si de Antonio non laboratis, mihi certe Patres conscripti consulere debe-
tis. Parcite oculis saltem meis, & aliquam ueniam iusto dolori date. Quo enim aspe-
ctu uidere potero, mitto hostem patriæ, ex quo mihi odiū in illū cōmune uobiscum C
est : quomodo aspiciam mihi uni crudelissimum hostem? ut declarant de me eius a-
cerbissimæ conciones. Adeóne me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum
aspicere possim? qui nuper quum in concione donaret eos, qui ei de parricidis auda-
cissimi uidebantur : mea bona donare se dixit Petissio Vrbinati, qui ex naufragio lu-
culenti patrimonij ad hæc Antoniana saxa proiectus est. An Lucium Antonium a-
spicere potero? cuius ego crudelitatem effugere non potuissem, nisi me mœnibus &
portis & studio municipij mei defendissem. Atque idem hic myrmillo Asiaticus, la-
tro Italiæ, collega Lentonis & Nuculæ, quū aquilæ primipili nummos aureos daret:
de meis bonis se dare dixit. si enim de suis dedisset, ne aquilam quidem ipsam credi-
turā putauit. Non ferent, inquam, oculi Saxam, Caphonem, non duos prætores, non
tribunum plebis, non duos designatos tribunos, non Bestiam, non Trebellium, non
Plancum. Non possum animo æquo uidere tot, tam importunos, tam sceleratos ho-
stes. Nec id fit fastidio meo, sed charitate reipublicæ. Sed uincam animum, mihiq; im D
perabo : dolorem iustissimum, si non potuero frangere, occultabo. Quid? uitæ cen-
setis ne Patres conscripti habendam mihi aliquam rationem esse? quæ mihi quidem
minime chara est: præsertim cum Dolabella fecerit, ut optanda mors esset : modo si-
ne cruciatu atque tormentis. Vobis tamen & populo uilis esse spiritus meus non de-
bet.is enim sum, nisi forte me fallo, qui uigilijs, curis, sententijs, periculis etiam, quæ
plurima adij propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim:
ut non obstarent reipublicæ, ne quid arrogantius uidear dicere. Quod quum ita sit,
nihil'ne mihi de periculo meo cogitandum putatis? Hic quum in urbe essem, ac do-
mi, tamen multa sæpe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam
uniuersæ ciuitatis oculi custodiunt. Quid censetis, quum iter ingressus ero, longum
præsertim, nullásne insidias pertimescendas?

De Antonio non laboratis.] Non curatis,nō estis solliciti,quo animo laturus sit me Antonius. Mihi consu-

 lere

A lere.] Mei rationem habere, de me laborare. Parcite oculis.] Id est, uerecundiæ meæ. Deprecatur & excusat pudorem suum in conueniendo Antonio, & odium illius in se, quo minus uideatur ad illam legationem accommodatus.

Quo enim aspectu.] Hinc illa Porcij Latronis in suis declamationibus euidentia, qua Ciceronem in hunc alloquitur modum: Videbis ardentes crudelitate simul ac superbia oculos, uidebis illum non hominis, sed belli ciuilis uultum. uidebis illas fauces per quas Cn. Pompeij bona transierunt. Item: Erit aliquid quod Antonium offendat, aut factum tuū, aut dictū, aut silentium, aut uultus. haud enim placitus es. Vt declarant eius.] Odium Antonij probat, ab ipsius Antonij testimonio. Adeóne me ferreum?] Commemorat Antonij Antonianorumq; in se iniurias, ut ostendat se non æquo animo eos posse aspicere. Ferreum.] Durum, omnis sensus expertem. In Catilinam quarta: Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris charissimi atque amantissimi præsentis mœrore non mouear. Aliàs significat immitem, crudelem, inhumanum, ferum. ut ad Atticum: O te ferreum, qui illius periculis non moueris. Cum eo congredi.] Illum conuenire, cum eo colloqui, agere. Petissio Vrbinati.] Decoctori cuidam. Vrbinates populi sunt Vmbriæ, in sexta Italiæ regione, olim Metaurenses quoq; nominati. Caput gentis Vrbinum, principibus Federico, Guidone Vbaldo, & Francisco Maria in re militari, atq; in omni humanitate præstantissimis, ciuitas clarissima. Ex naufragio.] Bona translatio sumpta ab ijs qui periclitantur in mari, & naui fracta uix ad saxum aut scopulum enatant. Significat eum

B comesis paternis bonis, ad arma Antonij confugisse. Municipij mei.] Arpini, quæ fuit patria Ciceronis.

Myrmillo.] Gladiator. Aquilæ.] Militibus primi ordinis, qui sub ea aquila, quæ signum fuit Romanorum militabant. Primipili.] Primi uexilli, aut centurionis primi uexilli. nam primipili centuriones dicebantur. quod uero quidam de Aquila uiro intelligunt, uerisimile non est, cum hic ex coniuratis in Cæsarē non fuisset, ut in sequenti Philippica ostendemus, & ostendimus in proxima. Ne aquilam quidem ipsam.] Ita legendum est, non ipsum. intelligit enim eius uexilli milites, ut diximus, per metonymiam, signum pro re quam signat. Duos pretores.] C. Antonium, & Censorinum, de quibus etiam in sequenti oratione: Duo pretores sine causa diffisi se aliquid habituros.

Non tribunum pleb.] Saxam Decidium intelligit. Non duos designatos.] T. Hostilium, & Visenium. De alijs, qui sequuntur iam & sæpe dictum, & dicetur in sequentibus. Nec id fastidio meo.] Non mea aliqua morositate aut superbia aut contemptu, quod aliqui fastum dicunt. Sed uincam animum.] Concessio cuiusdā. χῦμα.

Si non potero frangere.] Excutere ex animo, delere, aut lenire & mitigare, occultabo saltem & celabo. Sic Virgilius de Aenea, cui sapientiam & moderationem affectuum tribuit: Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.

Præsertim cum Dol.] Interpretatur quod dixit suprà, nam contempsit. & coniungit cum insectatione Dolabellæ.

Vt optanda mors.] Qui enim eos repetat animo cruciatus & ludibria, quibus & uiuum & mortuum affecit Trebonium Dolabella: is mori malit, quàm ea experiri quæ uictori collibuerint, si in eius ueniendum sit potestatem.

C Spiritus meus.] Mea uita, & salus. Is enim sum.] Sua erga remp. merita modeste commemorat, quare sibi fauorem conciliat, quo eis sit eius uita charior. Sententijs.] In senatu dicēdis, dandisq; consilijs. Hic cū in urbe essem] Quāto in periculo futurus sit, si legationē suscipiat, ostēdit ex minori. si domi in periculo fui, quāto magis foris?

Tres uiæ sunt ad Mutinā, quò festinat animus, ut q̄ primū illud pignus libertatis populi Ro. D. Brutū aspicere possim: cuius in cōplexu libenter extremū uitæ spiritū ediderim: cum omnes actiones horū mensium, omnes sententiæ meæ peruenerint ad eum exitū, qui mihi fuit propositus. Tres ergo ut dixi uiæ: à supero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Cassia. Nunc quæso attendite, num aberret à coniectura suspicio periculi mei. Hetruriā discriminat Cassia. scimúsne igitur Pansa quib. nūc in locis sit Lentonis Cesenij septēuiralis autoritas? nobiscū nec animo certe est, nec corpore. si aūt aut domi est, aut nō lōge à domo, certe in Hetruria est, id est in uia. quis igit mihi præstat, Lentonē uno capite esse cōtentū? dic mihi præterea Pāsa, Vētidius ubi sit? cui fui semper amicus, antequā ille reip. bonisq; omnib. tā aperte est factus inimicus. Possū Cassiā uitare, tenere Flaminiā. quid si Anconā, ut dicit, Ventidius uenerit? poteróne

D Ariminū tutò accedere? restat Aurelia. hic quidē etiā præsidia habeo. possessiōes em̄ sunt P. Clodij: tota familia occurret: hospitio inuitabit ꝓpter familiaritatē notissimā.

Tres uiæ sunt.] Præmunitio, ad periculorum declarationem, quæ in itinere Mutinensi timēda sunt. Totus locus ad facultatē coniecturarū pertinet. Illud pignus.] Declinatio breuis à proposito. declinat enim in Bruti laudes, et affectus mouet, ex Bruti meritis, & sua erga illū charitate. Pignus libertatis] Translatum, pro uindice & autore.

Ad eum exitum.] Vt patriam liberam relinquam. Tres ergo.] Reuocatio uerbi. reuocat enim id unde declinauit uerbum. A supero mari Flaminia.] Superū mare est Adriaticū, cuius in intimo sinu Venetiæ, urbs omniū clarissima est. Flaminia uero uia à Cn. Flaminio per Hetruscos Aretiū, ab Augusto Cæsare per Vmbriā & Picenum, ubi Ancona, Ariminū usq; strata, longa CC. M. pass. La uia di Romagna, Romandiola, siue Romaniola à nostris appellata.

Ab infero Aurelia.] Inferum mare, Thuscum & Tyrrhenum nominatur. Aurelia uia per maritimas Tusciæ oras, Pisas ducit, Lucam, Apuā, quam Pontremuli dicunt: atq; etiam rectà Luca Castronianum, hodie la Calfagniana, hinc Castrum nouum, & Mutinam. Hæc & Claudiana, & Consularis, & Traiana. Est item Aurelia uetus & noua.

Media Cassia.] Hanc puto esse, uiam quæ ducit Sutriū, Viterbium, Vulsinios, hodie Bolsena: deinde Senam, Florentiam, Bononiam, quæ Felsina fuit. nam Cicero dicit: Hetruriam discriminat Cassia. Antoninus uero Pius in Itinerario suo, sex itineribus in Gallias iter patere scribit. Ab urbe, inquit, in Gallias iter itineribus sex, maritimo, littoreo, Aureliano

reliano

reliano, Cassiano, Tyberino, Flamineo. Sed non discrepat à Cicerone, qui tantū iter terrestre, Mutinā usq; describit: An
tonius uero, & maritimū, & in Galliā etiā ulteriorē: nam Gallias dicit. Nunc quæso attendite.] Declarat & con- A
firmat pericula & insidias, à uiarū descriptione, & ab ijs qui in illis uijs aliquid possident & tenēt: Ergo à locis & per-
sonis. Hetruriā discriminat Cassia.] διακρίνει, diuidit, & mediā quasi partitur. Septēuiralis.] Vnus sep-
temuirū, qui ab Antonio diuidendis agris præfecti fuerant. Nobiscū nec animo certe est, nec corpore.] Ab enume-
ratione, qua significat Lentonē, nec amicū esse Reip. nec Romæ esse. potuisset enim Romæ esse corpore, non animo: po-
tuisset etiā corpore in Hetruria esse, animo Romæ. Sed erat in Hetruria corpore & animo à Rep. alienissimus. erat igi-
tur timēdus. Aut domi est.] Significat illū Hetruscū fuisse. Quis igitur mihi præstat.] Quis mihi promittit,
quis recipit? iurisconsultorū est uerbū, quo significant, securū facere & cauere. ut præstare dolū, noxam, uitium & alia.
Vno capite esse cōtentū?] Innuit, idq; acutè, Lentonē cædem fecisse, nec adhuc contentū esse. Vel uno capite, id est
suo: quin uelit duo capita habere, suū & meū. Vult tamē hoc simpliciter dicere: Quis mihi præstat, Lētonē à meo capite
tēperaturū? me non interfecturū, cū sit Reip. inimicus, unus ex Antonij grege, isq; nunc domi in ipsa uia sit? Venti-
dium ubi sit.] Periculū à Vētidio, quē in uia Cassia esse innuit. Hic etiā gregis Antoniani fuit, P. Vētidius Bassus nomina
tus. Picens fuit loco humili natus: bis captus, & in triūpho Romā adductus. primo, mulio fuit: ut Plācus eū appellat Epist.
Famil. lib. 10. Quin & Cicero, autore Plinio lib. 7. cum Mulionē castrensem suffraraneū fuisse dixit. Post dux militum
factus, de Parthis primus omniū triumphauit. Publico funere elatus est, de quo plura Gellius & Plutarchus in Antonio. B
Cui fui semper amicus.] Causam odij Ventidiani, in Remp. trāsfert, ne sua causa illū timere uideatur. Possum
Cassiā uitare.] Indicauit Cassiæ uiæ pericula, nunc ad Flaminiā transit. Tenere Flaminiā.] Iter facere per Flami
niam uiam sine periculo. ironia. Quid si Anconam?] Hæc in angusto duorū promontoriorū ex diuerso coeuntium
inflexi cubiti imagine sedet, ac ideo à Græis dicta Ancona. inter Gallicas Italicasq; gentes quasi terminus interest, merca
tu inter omnes celeberrima. Hanc enim prægressos Piceni litora excipiunt, in quibus Potentia, fanū Lauretanū, uotiuis
donis atq; opibus toto orbe terrarū celeberrimū: idcirco non segnius q̃ aurea illa Hesperidū mala, à uigili serpēte custo-
ditū: in ijsdē litoribus est Claterna, quæ fortassis hodie Flauianū est, & Firmū, & Atria, & alia. Vt dicitur.] Sci-
licet uenturus. Ariminū.] Non procul à Rubicone flumine, à comitibus Herculis conditū, à quo cognominatur, ut
Cato in Originibus testatur. Rimini uulgo uocatur. Restat Aurelia.] Quæ pericula timeat in Aurelia uia exponit.
Hic quidem etiam præsidia habeo.] Omnia per dissimulationem non inuenustam dicit, ad leuandum narrationis tæ-
dium. Omnia enim contraria sunt intelligenda. Notæ enim sunt Clodianæ familiæ inimicitiæ cum Cicerone.

Hisce ego me uijs cōmittā? qui Terminalibus nuper in suburbiū, ut eodē die reuer-
terer, ire non ausus sim. domesticis me parietibus uix tueor, sine amicorum custodijs. C
Itaq; † in urbe, si sic licebit, manebo. hæc mea sedes est, hæc uigilia, hæc custodia, hoc
præsidium statiuū. teneant alij castra, regna, res bellicas, oderint hostē, nos ut dicimus
semperq; fecimus, urbem & res urbanas uobiscū pariter tuebimur. neq; uero recuso
munus hoc. quanq̃ populū Rom. uideo pro me recusare. nemo minus timidus, nemo
cautior. res declarat. uigesimus annus est, cū omnes scelerati me unū petunt. itaq; ipsi,
ne dicā mihi, populo Rom. pœnas dederunt, me saluū adhuc Resp. conseruauit sibi.
Timide hoc dicam: scio enim quiduis homini accidere posse. uerumtamen semel cir-
cumsessus lectis ualentissimorū hominū uiribus cecidi sciens, ut honestissimè surge-
re possem. possum ne igitur satis uideri cautus, satis prouidus, si me huic itineri tam
infesto, tamq; periculoso cōmisero? gloriā in morte debent hi, qui in Rep. uersantur,
non culpæ reprehensionem, & stulticiæ uituperationem relinquere. quis bonus non
luget mortem Trebonij? quis non dolet interitum talis & ciuis & uiri?

† al. in urbe maneo: si licebit, manebo

Hisce ego me uijs cōmittā?] Infert intentionē, & confirmat ex maiore. Si in suburbiū tuto ire non potui, multo mi-
nus tutus ero tam procul ab urbe. Qui Terminalibus.] Terminalia uocabant ueteres, diem Termino deo dica- D
tum, qui erat undecimo Calen. Mart. De quo Ouidius in 2. Fast. inter alia multa hæc canit,

Termine siue lapis, siue es defixus in agro
Stipes, ab antiquis, tu quoq; numen habes.
Tu populos, urbesq;, & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
Legitima seruas credita rura fide.

In suburbiū.] In agrū siue prædiū ante urbē, quasi sub urbe sit. Hic tantū suburbiū, aliâs semper suburbanum dixit.
Præsidiū statiuū.] Id est ubi stare & permanere debeo. alludit ad militaria statiua, quæ sunt quasi stationes & loca
tuta, in quibus diu consistit exercitus. Teneant alij castra.] Permissio, non sine stomacho tamen. Oderint ho-
stem.] Sic legendū, non, oderint, quod hic nihil est. Neq; uero recuso.] Corrigit quæ dixit, ut uitet arrogantiam
& pertinaciam, & suspicionē timiditatis. Nemo me minus timidus, nemo cautior.] Fortitudo media est inter ti-
miditatē & temeritatē siue cōfidentiā. qui omnia timent, timidi & ignaui sunt: qui nihil timent, temerarij. fortes, cauti
sunt, id est in prouidendis & uitādis periculis diligētes: non tamē ab honesto periculis deterrentur. talē se hic fuisse dicit
Orator. Vigesimus annus.] A coniuratione Catilinæ. Cum omnes.] Ex quo omnes, inepti dicunt, q. omnes.
Ne dicā mihi.] Hac correctione uitat arrogantiam. Cōseruauit sibi.] Id est, ut se defenderē, sibiq; cōsulerem.

A *Timide dicã.] Occupat & modeste defendit. Scio enim, quiduis.] Nihil est quod homini non posit accidere, sed tamen prudenti prouisione multa caueri possunt. Cecidi sciens.] Loquitur de Clodiano tempore, quo sponte sua in exilium abijt, ne eius causa seditio in ciuitate oriretur. Possem exurgere.] Quod fecit cum humeris Italiæ ab exilio in ciuitatẽ est restitutus. Possemne igitur.] Ab honesto cõcludit se legationẽ illã obire non posse: haberetur enim, stupidus, incautus, plumbeus. Infesto.] Aduerso & inimico. Gloriã in morte.] Mortẽ sine culpa nostra pro patria esse oppetendã, locus cõmunis: quem cõfirmat exemplo. Locus est à cõsequentibus. Mortẽ gloria sequi debet, non reprehensio aut uituperatio. Qui uero se pro patria stulte & temere in pericula conijciunt, eos infamia sequitur.*

Quis bonus non luget.] Confirmat exemplo Trebonij, qui parũ prouidus & cautus uisus est in uitando periculo.

At sunt qui dicant, dure illi quidẽ, sed tamẽ dicũt, minus dolendũ, quod ab homine impuro nefarioq; non cauerit. etenim qui multorũ custodẽ se profiteaẽ, eum sapientes sui primũ capitis aiunt custodẽ esse oportere. Cũ septus sis legibus, & iudiciorum metu, non sunt omnia timenda, neq; ad omnes insidias præsidia quærenda. quis enim audeat luci? quis in militari uia? quis bene comitatum? quis illustrẽ aggredi? hæc neq; hoc tẽpore, neq; in me ualent. non modo enim pœnã non extimescet, qui mihi uim attulerit, sed etiã gloriã sperabit à latronũ gregibus & præmia. B hæc ego in urbe præuideo. facilis est circũspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextrã, quid ad sinistram sit. num idem in Apennini tramitibus potero facere? in quibus, etiã si non erunt insidiæ, quæ facillime esse poterunt, animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit de officijs legationis attendere. Sed effugi insidias, perrupi Apenninum. nempe in Antonij congressum colloquiũq; ueniendũ est. qui nam locus capietur? si extra castra, cæteri uiderint, ego mortem actutum futuram puto. noui hominis furorem, noui effrenatam uiolentiam. cuius acerbitas morum, immanitasq; naturæ, ne uino quidem permixta temperari solet: hic ira, dementiaq; inflammatus, adhibito fratre Lucio teterrima belua, nunquam profecto à me sacrilegas manus atq; impias abstinebit.

At sunt qui dicant.] Confirmat aliorũ testimonio. Dure illi quidẽ.] Id est, inhumaniter. hoc addit parenthesi, ne uideatur eorum iudicium probare. Etenim qui.] Locus cõmunis, à sapientum autoritate, quo dictũ confirmat.

Sui primũ capitis.] Et recte. nam ut Plautus ait, & est iam tritũ sermone prouerbiũ: TVNICA PALLIO C PROPIOR EST. *siue ut Græci aiunt γόνυ κνήμης ἔγγιον, hoc est, genu crure propius. Est enim generi animantium omni à natura tributũ, ut se, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura uideantur. Deinde quomodo alios custodiet, qui se non nouit custodire? Hoc imperatores in bello, hoc principes in pace obseruare debent, non tam sua, quàm eorũ qui sibi cõmissi sunt, causa. Cum septus sis legibus.] Fingit hæc sibi obijci ab aliquo, ut ea cõmodius refellat. Est igitur Ἀνθυποφορά. Quis enim audeat luci?] Id est, dum lucet, uel interdiu: aduerbiũ enim est, sicuti, uesperi.*

Quis in militari uia?] Vias publicas, inquit Vlpianus, pretorias dicimus, uel cõsulares, uel militares, quæ publicè irentur & cõmearentur: Vicinales uero quæ in uicis sunt, aut in uias ducũt. Viæ priuatæ, quæ in agris quibus imposita est seruitus, & ad alterius agrũ ducũt. Hæc neq; hoc tẽpore, neq; in me ualent.] Dissoluit obiecta quæ sunt, à tempore & persona sua. Ea erant tempora in quibus omnia licere uidebantur. Silent leges inter arma. deinde cum essent partium studia, sibi palmariũ fore putassent, Ciceronem aduersarũ partiũ principẽ tollere. Num idem in Apennini tramitib.] A loco. Non enim si in Vrbe tutus esse possim, ubi facilis est circũspectus, cõtinuo cauere potero, in Apẽnini angustijs & faucibus. Apennimus, siue, ut Cato uult, & Seruius, Apœninus, mons est Italiæ amplissimus, perpetuis iugis ab Alpibus tendens ad Siculũ fretũ. Tramites uero sunt uiæ angustiores, quæ pedibus teruntur. ex his solent latrones uiatoribus insidiari. Animus tamen erit solicitus.] Huc facit, quod proxima oratione dixit: Duas res, magnas præsertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidẽ explicare quisquã potest. Dum enim animus de præsenti periculo D solicitus, cogitat, de officio mandato, cogitare aut prorsus non potest, aut non recte potest. Sed effugi insidias.] Cõcessio, ut alia addat pericula grauiora, ex odio & audacia Antonij. Quinã locus capietur?] Instituit diuisionẽ, siue enumerationẽ bipartitã, & utranq; refellit partem. Si extra castra.] Priorẽ partẽ proponit, eamq; diluit ab Antoniorũ immanitate & crudelitate. Actutum.] Statim. particula comica, qua raro utitur Cicero. Ne uno quidẽ.] Scribit Plinius in Naturæ explicatione, quod & res ipsa docet, omnẽ animi impetum, cibo & potione molliri. Seneca uero, uetus uerbũ est, inquit, à lasso rixam quæri, itemq; à sitiente. Vates quoq; atq; idem rex Dauid uino hominis cor lætificari & exhilarari canit: Et Solomo eius filius, mœstis uinum dari iubet, ut eorũ mœror leniatur. Ergo animi asperitas, dulciore uini succo mitigatur, & acerbitas morũ emollitur. Hæc autẽ omnia intelligenda sunt, si uinũ modicè sumatur. nam si immodicè, in insaniã & furorẽ agit, ea est huius diuini succi natura. Cur aũt Antonij immanitas ne uino quidẽ tẽperari posset, in prõptu est: primũ q tanta esset, ut uini suauitatẽ uinceret: deinde q uino ita permisceretur atq; obrueretur, ut mẽte sepulta potius q̃ delinita, sola immanitas, eaq; nimio uino irritata, accẽsa & inflãmata reliqua esset.

Memini colloquia, & cum acerrimis hostibus, & cum grauissime dissentientibus ciuibus. Cn. Pompeius Sexti filius consul me præsente, cum essem tyro in eius exercitu, cum P. Vectio †Scatone duce Marsorũ inter bina castra collocutus est. quo quidem memini Sex. Pompeium fratrẽ consulis ad colloquium ipsum Roma uenire, doctum uirũ atq; sapientẽ. quẽ †Scato cum salutasset, quẽ te appellẽ inquit? at ille, uoluntate ho-

al. Catone
al. Cato

tate hoſpitem, neceſſitate hoſtem. Erat in illo colloquio æquitas, nullus timor, nulla A ſuberat ſuſpicio, mediocre etiam odium. non enim ut eriperent nobis ſocij ciuitatem, ſed ut in eam reciperentur, petebant. Sylla cum Scipione inter Cales & Teanū, cum alter nobilitatis florem, alter belli ſocios adhibuiſſet, de autoritate Senatus, de ſuffragijs populi, & de iure ciuitatis, leges inter ſe cōditiones cōtulerunt. non tenuit omnino colloquiū illud fidē. à ui tamē periculoq; abfuit. Poſſumus ne igit in Antonij latrocinio æque eſſe, ut hi? nō poſſumus. aut ſi cæteri poſſunt, me poſſe diffido. Quod ſi non extra caſtra cōgrediemur, quę ad colloquiū caſtra ſument? in noſtra ille nunq̄ ueniet. multo minus nos in illius. reliquum eſt, ut & accipiant, & remittantur poſtulata per literas. ergo erimus in caſtris. mea ad omnia poſtulata una ſententia. quam cum hic uobis audientibus dixero, iſſe & rediſſe me putatote.

Memini colloquia.] Antonij immanitatē, & furioſam iracundiā amplificat diſsimilibus exemplis. Nam cum colloquia habita cum acerrimis hoſtibus proferuntur, in quibus tamē aliqua æquitas fuit, abfuit periculum, tum q̄ ſceleratus, quàm amens furore ſit Antonius, oſtenditur qui cum nemo tutò congredi poſsit. Cn. Pompeius.] Fuere eodē tempore illuſtres Pompeij tres: Pompeius Strabo, Cn. Pompeij Magni pater. Q. item Pompeius qui cum L. Sylla conſul fuit, & B *Orator illo tempore haud contemnendus, de quo Cic. de Clar. Orat. meminit. Tertius fuit Cn. Pompeius Sexti filius ſub quo adoleſcentulus militauit Cicero. Is Picentes prælio fudit & obſedit: præterea conſul Marſos uicit, autor Liuius lib. 74. Cum P. Vectio Catone.] Alij legunt, Scatone: ſed Appianus & Velleius Paterculus Catonem uocant, non Scatonem. Inter bina caſtra.] Romanorū & Marſorum. At ille.] Sextus Pompeius frater conſulis Cn. ſcilicet Pompeij. Voluntate hoſpitem.] Id eſt amicū. nam hoſpitiū amicitiæ ſignum eſt. Neceſsitate hoſtē.] Id eſt iure ſacramēti militaris, ſine quo, nec hoſtis fuiſſet, nec cum eo pugnare licuiſſet, ut Cic. præclarè Officiorū lib. 1. docet. Et ſimul attende agnominationē non illepidā, inter hoſpitem & hoſtem. Et quidē apud ueteres, qui nunc hoſpes dicitur, hoſtis uocabatur, id eſt peregrinus, ut idem Cicero teſtatur. Erat in illo.] Declarat exemplū, ut maiorē uim habeat.*

Sylla cum Scipione.] Altero exemplo idem oſtendit quod ſuperiore. Quid huic colloquio occaſionem præbuerit, paucis indicabo. Cū rogatione Sulpitij Mithridatica prouincia adempta Syllæ, Mario eſſet decreta, Sylla hoſtiliter cum Q. Pompeio cōſule urbē ingreſſus, Mariū & ſocios urbe expulit. Ad Mithridaticū bellū proficiſcitur Sylla. Octauius interim Cinnam pellit. is confugit ad Marij partes. Redit Marius. multi cæduntur Syllanorū, & nobilitatis ingens fit cædes in urbe. Exul & hoſtis Sylla, ſed uictor tamē reuertitur ex Aſia. Vndiq; ei occurritur à quindecim imperatoribus, ut ipſe dicebat, inimiciſsimis, quadringentas & quinquaginta cohortes habētibus. Inter hos C. Norbanus & L. Scipio conſules, erāt: ſed C. Norbanus uictus illico eſt, & intra Capuā clauſus. Alterū conſulē L. Scipionē undiq; circūcluſum, Sylla ad pacem eſt hortatus, ad quam cum inclinaret ille, habita ſunt plura colloquia. Dum hæc fiunt, cum militibus utriuſq; C *imperatoris cōmeare per caſtra liberè liceret, & colloqui, argento corruptus eſt Scipionis exercitus, & perſuaſus ut relicto duce ſuo, ad Syllā tranſiret, factūq; eſt ut ſolus penè relinqueretur Scipio, qui cum interimi poſſet, incolumis eſt dimiſſus. autor Liuius lib. 85. & Plutarchus in Sylla. Ex his quæ attuli intelligi puto cur dixerit Cicero: Non tenuit omnino colloquiū illud fidem, à ui tamen periculoq; abfuit. Inter Cales & Teanū.] Oppida Campaniæ, uino laudatiſsima. Teanū autē cognomento Sidicinū intellige, de quo alibi plura diximus. Cum alter nobilitatis florē.] Cum Sylla omnis erat nobilitatis flos. nam is optimatū fouebat partes. De autoritate Senatus.] Per Mariū & ſocios diminuta, & penè abolita. id enim conquerebatur Sylla. De ſuffragijs.] De ſublato iure ſuffragiorū. Omnia enim ex paucorū libidine ſuffragia ferebantur, quod Mariani reſtitui uolebant. De iure ciuitatis.] In qua omnia erant perturbata, & ad paucos redacta, quare ciues ſuo iure priuabantur. Leges & conditiones.] Quibus Reſp. ordinaretur, & pax inter partes conſtitueretur. Poſſumus ne.] Accōmodat Antonij colloquiū cum huiuſmodi exemplis, ut diſsimilis oſtēdat. Aeque eſſe tuti, ut hi?] Sic legendū eſt. nam omnia exēplaria hic ſunt corrupta. Aut ſi cæteri poſſunt.] Suam perſonā à reliquis ſeparat, ſeq; in maiore fore periculo quàm cæteros affirmat. Me.] Quaſi dicat, quē ille odit maxime, quē unū petit. Quod ſi nō extra caſtra.] Perſequitur alterū membrū diuiſionis, & oſtendit fieri non poſſe ſubiecta altera diuiſione, & refutatis partibus, ad unum caput rem adducit: quo etiā refutato, concludit, inutilē fore eius legationē, cum quæ ageret ſi mitteretur, poſsit domi agere & exequi.* D *Quæ ad colloquium caſtra?] Propoſitio diuiſionis. In noſtra ille.] Diuiſio caſtrorū. Reliquū eſt.] πρὸς ἀδύνατον, rē adducit.*

In caſtris.] Scilicet noſtris, quæ Panſa & Octauius habent. Vna ſententia.] Vt omnia ad Senatum reijcienda dicam, ut ipſe mox dicet.

Legationem† confecero, omnia ad Senatum mea ſententia reijciam, quæcūq; poſtulabit Antonius. *al. confiro* neq; enim licet aliter, neq; permiſſum eſt nobis ab hoc ordine, ut bellis confectis decem legatis permitti ſolet more maiorum, neq; ulla omnino à Senatu mandata accepimus. quę cum agam in cōſilio nōnullis, ut arbitror, repugnantibus: nónne metuendum eſt, ne imperita militū multitudo per me pacē diſtineri putet? Facite hoc meū conſiliū legiones nouas non improbare: nam Martiā & Quartā nihil pręter dignitatē & decus probaturas eſſe, certe ſcio. quid? Veteranos non ueremur? nam timeri ſe ne ipſi quidem uolunt. ſed quonam modo accipient ſeueritatē meam? multa

enim

A enim falsa de me audierunt, multa ad eos improbi detulerunt. quorũ cõmoda, ut uos optimi testes estis, semper sententia, autoritate, oratione firmaui. sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidẽ, sed propter memoriam rerũ quas gesserunt pro populi Rom. libertate & dignitate Reip. nimis feroces, & ad suam uim omnia nostra consilia reuocantes. horũ ego cogitationes non uereor, impetum pertimesco. Hæc quoq; pericula tanta si effugero, satis ne tutum reditũ putatis fore? cum enim & uestra autoritate, & meo more defendero, & meam fidem Reip. constantiamq; præstitero, tum erunt mihi non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam qui inuident, extimescendi.

Legationẽ confero.] Scilicet in hoc unum caput, & hanc unã sententiã. sunt qui legant, confecero, id est munus legationis obiero, hoc est si confecero & obiero. *Neq; enim licet aliter.*] Confirmat quod dixit, à decreto Senatus. *Decem legatis permitti solet.*] Apud Liuium & alios obseruatum est, morem fuisse Romanis, quoties aut populos subegerant, aut regionẽ aliquã in formã redegerant prouinciæ, ut decẽ pluresúe mitterentur legati, qui populorum aut B ciuitatũ ordinarent statũ: postulata publicè priuatimq; audirent, quæ concedenda esse iudicarent, ea cõcederent, quæ omnia rata se habiturũ Senatus recipiebat. nunc sibi & collegis hoc non licere, quod permissum non esset, Cicero dicit: sed ut audiant duntaxat Antonij postulata, & ad Senatum reijciant. Ex his & alijs Ciceronis locis innumerabilibus, apparet quàm peritũ antiquitatis, morum, & exemplorũ omnis generis oporteat esse oratorem, & Reipublicæ moderatorem.

Quæ cum agam.] Tertiũ caput, de periculo quod à militibus ei imminet, si reijciat Antonij postulata ad Senatum, legatione suscepta. Existimabunt enim idcirco ad Senatũ reijci, ut pax cum Antonio impediatur. ex quo in odium militum incurret. *Distineri.*] Impediri, differri, retardari. *Facite hoc meum consiliũ.*] Concessio, qua ostendit, si effugerit legionũ nouarũ reprehensionẽ, non posse ueteranorũ odium effugere. *Nam Martiam.*] Has semper laudat Cicero, & quantũ potest earum offensionem uitat. *Nam timeri.*] Distinguit uerbũ uereri, à timere, ut uereamur maiores, & qui honore nos antecellunt: timeamus dominos & tyrannos. Liberi parentes uerentur: serui dominos timent. Ad Herenniũ lib. 4. Licentia est, cum apud eos quos aut uereri aut metuere debemus, tamen aliquid pro nostro iure dicimus. Item pro Plancio. Parentẽ ueretur ut deum. In his enim locis aliquid tale constituitur. Itaq; Cicero ueteranos non ueretur, ut maiores: quia maiores senatu non sunt, nec timet ut dominos & tyrãnos, quia ipsi se timeri nolunt: quod si uellent, turpe esset. Aut forsitan hoc intelligit, ueteranorũ reprehensionẽ & iudiciũ uerendũ esse (etiamsi timendi C non sint) quòd propter memoriã rerũ gestarũ hanc sibi autoritatẽ sumpserunt. Difficile enim est homines in rebus secundis modum seruare. *Sed quomodo accipient.*] Quasi diceret, pessimè, & in partẽ iniquiorem. *Horum.*] Aliorũ ueteranorũ qui facti sunt insolentiores. *Hæc quoq; tanta.*] Reditus pericula exponit, quod postremum est. nam reliqua omnia itineris & legationis momenta tractauit. *Cum enim.*] Declarat & ostendit se non posse effugere aut inimicorum aut inuidorum pericula & calumnias. *Extimescendi.*] Vt paulo ante pertimesco, uerba sunt cõiunctione facta atq; nouata, ut ostẽdunt eius in lib. 3. de Oratore præcepta. facta autẽ ad uim uerbi augendã sunt.

Custodiatur igitur mea uita Reipublicæ: eaq;, quoad uel dignitas, uel natura patietur, patriæ reseruetur. mors autem necessitatem habeat fati: aut si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria. Hæc cum ita sint, & si hanc legationem Resp. ut leuissime dicam, non desiderat: tamen si tuto licebit ire: proficiscar omnino P. C. totum huiusce rei consilium non periculo meo, sed utilitate Reip. metiar. de qua mihi quoniam liberum est spacium, multum etiam atq; etiam considerandum puto, idq; potissimum faciendum, quod maxime interesse Reip. iudicauero.

D *Custodiatur igitur.*] Cõcludit per breuissimã cõmiserationẽ, qua legationẽ deprecatur, & tamẽ nõ detrectat adeo, quin, si tuto proficisci liceat, subire laborem, odium, & inuidiam sit paratus. *Vel dignitas.*] Qua amissa haud magnopere in uita superesse optasset, uir laudi & dignitati natus. *Vel natura.*] Ne anteuertere naturã sine causa cogatur, quod accidit ijs qui ferro necantur. *Necessitatẽ habeat fati.*] Id est, tũc moriamur, cum natura id posceret, quod in senectute contingit. refertur ad id quod dixit, quoad natura patietur. *Oppetatur cum gloria.*] Id est quod dixit, quoad dignitas patietur. duo enim duobus retulit. Cum gloria igitur, id est cum dignitate, non cum stultitiæ ignominia, quod fieret, si me in aperta pericula sine utilitate conijcerem. *Hæc cum ita sint.*] Altera conclusionis pars, qua se ob Remp. omnia facturum, si ei sit profuturus, pollicetur. *Multum &c. considerandum.*] Prudentiæ munus est, diu multumq; cogitare & deliberare, ne quid temere faciamus.

IN PHILIPPICAM XIII. ARGVMENTVM.



Ntonij amici & fautores, cum uiderent se quod maxime cupiebant, obtinere non posse, ut aut bellũ retardarent, aut pacem cum Antonio faciendam persuaderent, M. Lepidum qui Galliam tum ulteriorem obtinebat, ut Romam legatos ad Senatum mitteret, de pace cum Antonio facienda, sollicitarunt. qua in re Lepidus, ut qui hoc ipsum sua sponte cuperet, gratificatus est. Itaq; legatos ad Senatum misit, & ipse literas ad Senatũ dedit, quibus ad pacẽ, & ad belli ciuilis incõmoda uitanda, patres hortabatur. Hanc rem Antonij amici in Senatu, & approbabant, & rationibus quibusdam adiuuabant. Afferebant enim Lepidi potẽtiam & autoritatem

ritatem, merita quoq; eius & maiorũ suorũ in Remp. cõmemorabant, atq; illud præsertim, quod Cn. Pompeium Magni filiũ, restituendũ curasset. Ab hac sententia dissentiens certis de causis Tullius, pacem dissuadet: ostendens, quod & antè aliquot consultationibus fecerat, nullã cum Antonio pacem, non summè periculosam & turpem fieri posse. Hoc autem dum facit, cogitur Lepidi primũ autoritatẽ & potentiã infringere (intelligebat enim eum iam nescio quid superbius & insolentius moliri) uoluntate tamẽ & meritis in Remp. eiusdem maiorũq; suorũ cõprobatis & laudatis. Deinde etiam Antoniũ ipsum Antonianosq; insectatur. Postremò, recitat literas Antonij quasdam ad Hircium, interpositis suis breuibus illis quidem, sed maxime criminosis interpretationibus, id autem facit, ut confessionibus & quasi sui ipsius testimonijs omnia eius scelera, atq; in Rempublicam uoluntas patefieret. A

CAVSA.

Dissuasoria est hæc oratio. dissuadet enim pacem cum Antonio, quod periculosa, quod turpis, quod fieri non possit, saluа libertate.

STATVS.

Status coniecturæ, hoc modo: Sit ne firma & tuta pax cum Antonio futura? negat Cicero, & probat ex coniectura locis, causis, uoluntate, & ex facultate.

ELOCVTIO.

Figura dicendi moderata, ut aliæ quoq; præter unam aut alteram.

DISPOSITIO.

Dispositio partium orationis, consilio & prudentia oratoris cõstituta est. Tribus enim modo partibus utitur, breui exordio, diligenti & copiosa reprehensione & breui conclusione. B

LOCI ALIQVOT INSIGNES.

Habet hæc oratio locos aliquot insignes, Exempla, comparationes, utiles sententias locosq; cõmunes, uerborum acutas interpretationes, cuiusmodi est illa: Licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorũ, institutisq; conceditur. Habet præterea Epistolæ Antonij interpunctã declarationẽ, quæ exemplũ esse possit, si quis (ut fit) aduersariorũ, aut aliorum uelit uerba sententiasq; expendere, & breuiter interpretari. Nam præterquã quod ex ea epistola uoluntas Antonij animusq; qui fuerit percipitur, quanta debeat esse cura purè & usitatè scribendi, in una aut altera uoce ostẽdit Cicero, cum Antoniũ Romanũ hominẽ reprehendit. Quare digna est hæc oratio quam diligenter legant, linguæ Romanæ studiosi.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMATERTIA.



IN principio huius belli P. C. quod cum impijs ciuibus, sceleratisq; suscepimus: timui, ne conditio insidiosa pacis, libertatis recuperandæ studia restingueret. dulce enim nomen est pacis: res uero ipsa, cum iucunda, tum salutaris. nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordię, quem cædes ciuiũ, quem bellũ ciuile delectat, eumq; ex numero hominũ eijciendũ, ex finibus humanæ naturæ exterminandũ puto. Itaq; siue Sylla, siue Marius, siue uterq;, siue Octauius, siue Cinna, siue iterũ Sylla, siue alter Marius & Carbo, siue quis alius ciuile bellũ optauit, eum detestabilem ciuem Reip. natũ iudico. nam quid ego de proximo dicam? cuius acta defendimus, cum autorẽ ipsum iure cæsum fateamur? Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius: si aut ciuis, aut homo habendus est, qui ciuile bellum concupiscit. C

EXORDIVM.

Principio huius belli P. C.] Quoniam turpitudo inesse in causa uidetur (sine turpitudine enim ciuile bellum non uidetur optari posse) ab insinuatione exorditur. Itaq; cum pacẽ nollet Cicero, & ad bellũ ciuile uellet adhortari, rem pro re interponit in hoc exordio, pacẽ laudat, bellum ciuile detestatur, idq; dum in θέσει persistit, uerum paulo post ab ipsa θέσει, id est à genere uniuerso, & infinita quæstione, ad ὑπόθεσιν, hoc est partẽ generis, tẽporaq; dilabitur: ostẽdit, non hanc pacẽ esse faciendã, non hoc ciuile bellum esse fugiendũ: id quod uerisimiliũ locis diligenter confirmat, ut etiam in 7. Philip. & aliquot alijs factitauit. Quod cum impijs ciuibus.] His paucis uerbis præparat animos, ad ea quæ post dicet, de bello ciuili cõstanter gerẽdo, paceq; repudianda. nam si impij sunt ciues, cõtra quos bellũ susceptũ est, ergò honestũ & iustũ est bellũ, non turpe aut iniustum. Timui ne conditio insidiosa pacis.] Ergo non amaui ciuile bellum, sed exhorrui seruitutem, timui insidiosam & fallacẽ & periculosam pacẽ, timui iniectas nobis moras, ut nos omnia remissius ageremus: interea tamen urgeret obsidionem Antonius. Nomen.] Ipsa pacis uox & appellatio. D

Res uero ipsa.] Id est, tranquilla libertas, sic enim ipse Philip. 2. pacẽ definit. Nam nec priuatos focos &c.] Rem ipsam declarat. sunt enim hæc effecta quæ pacẽ consequuntur. Quem discordiæ.] Tria hæc tribus propositis refert. Eumq; ex numero hominum &c.] Ex uerbo & circuitione dilatauit. significat enim eum morte afficiendum esse. Ex finibus humanæ naturæ.] Quod dixit: Ex numero hominum. Itaq; siue Sylla.] Amplificat exemplis & bellorum ciuilium duces enumerat. Sylla.] Ille Dictator felix, qui Dictaturam sponte deposuit. Marius.] C. Marius Arpinâs VII. Consul, homo popularis.

Octauius

A *Octauius.*] *Is qui consul collegam expulit Cinnam, de reuocandis exulibus legem ferre uolentem, & postea ipse Mariano & Cinnano furore periit, capite à Censorino abscisso.* *Iterum Sylla.*] *Secunda clade, postquam ex Asia rediit uictor.* *Alter Marius.*] *Iunior, prioris filius, sæuitia similis patris. Sed Præneste à Lucretio Offella obsessus, Pontio Telesino se iugulandum præbuit, quod Appianus tradit.* *Carbo.*] *Hic Marianas & Cinnanas est secutus partes, & ipse crudelitate insignis: uictus autem cum in Libyam, atq; inde in Siciliam, & mox in Corsicam fugeret, ad Pompeium retractus, ante eius pedes percussorem sensit. caput ad Syllam transmissum est.* *De proximo.*] *Iulio Cæsare, autore belli ciuilis quod cum Pompeio gestum fuit.* *Cuius acta.*] *ἐλέγχως indicat, non fuisse Cæsaris acta comprobanda, cum iure cæsus esset.* *Nihil igitur.*] *Exordij epilogus, quo confirmat se à bello ciuili maxime abhorrere.* *Si aut ciuis.*] *Correctione exaggerat.*

Sed hoc primũ uidendum est P. C. cum omnibus ne pax esse possit, an sit aliquod bellum expiabile, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis. Pacem cum Scipione Sylla faciebat. non erat desperandum, si conuenissent, fore aliquem tolerabilem statum ciuitatis. Cinna si concordiam cum Octauio confirmare uoluisset, hominum in Rep. sanitas remanere potuisset. Proximo bello si aliquid de summa grauitate Pompeius, multum de cupiditate
B Cæsar dimisisset, & pacem stabilem, & aliquam Remp. nobis habere licuisset. Hoc uero quid est? cum Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? exempli causa paucos nominaui: genus infinitum, immanitatemq́; ipsi cernitis reliquorum. addite illa naufragia Cæsaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonij collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Cælium, Pontium, Crassiciũ, Tyronem, Mustelam, Petissium, comitatum relinquo, duces nomino. huc accedunt Alaudæ, cæteriq́; ueterani, seminarium iudicum tertiæ decuriæ, qui suis rebus exhaustis, beneficijs Cæsaris deuoratis, fortunas nostras concupierunt. O fidam dexteram Antonij, qua ille plurimos ciues trucidauit. O ratum religiosumq́; fœdus, quod cum his fecerimus. hoc si Antonius uiolare conabitur, Lucij eum sanctitas à scelere reuocabit. Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus non erit.

C *Sed hoc primũ.*] *Dissuasionis siue refutationis propositio & caput, aut, si mauis, Quæstio. Et hic ut uides, facit quod ego initio dixi, generis uniuersi Quæstionem, ad partem transfert: Quærit enim, an cum omnibus pax esse possit, & an sit aliquod ciuile bellum, quod iure suscipi possit? intelligendũ autem est, eum de priore quæstione eam partem tueri quæ neget, cum omnibus pacem esse posse: de posteriore eam partem tenere, quæ affirmet, esse aliquod ciuile bellum, quod suscipi iure possit.* *An sit aliquod bellum expiabile.*] *Id est cuius damna expiari & sarciri possunt, quale hoc est, quod libertate compensatur, & seruitute inexpiabile efficitur: idcirco tali pactione pacis non emittendum. Alij legendum censent, inexpiabile, id est implacabile, ineuitabile, & necessarium, quod nulla ratione leniri, aut expiari, aut uitari, nisi geratur, potest, quale hoc erat, nisi seruire mallent, & hosti se iugulandos dare. Sic etiam de Ar. Respon. Cum his (inquit) inexpiabile bellum mihi susceptũ est. Sed prior lectio mihi magis probatur.* *In quo pactio pacis.*] *Insidiosa scilicet & fallax. Videtur facere notationem quandam, & innuere pacem à pactione uenire. Ita enim ludunt interdum in uocabulis auctores, & aliud agentes, uerbi alicuius originem notarẽt: ut cum Virgilius ait Aen. 4. Multa uiri uirtus. innuit à uiro uirtutem appellatam.* *Lex sit seruitutis.*] *Id est sit iugum seruitutis pacis specioso & plausibili nomine coloratum & palliatum.* *Pacem cum Scipione.*] *Hic totus locus figuratur κατ' ἀνθυποφοράν, congestis aliquot exemplis quæ mox dissimilia ostendet, socios Antoniani sceleris cõmemorans. De Scipione & Sylla dictum est proxima Philip.* *Cinna si concordiam.*] *Cum L. Cornelius Cinna consul perniciosas leges ferret, & de*
D *nouis ciuibus qui minus possiderent, per omnes tribus distribuendis, & de exulibus Mario scilicet & socijs reuocandis, à collega Octauio cum sex Tribunis urbe pulsus est, abrogatumq́; ei imperium: sed ipse corruptum Appij Claudij exercitum in suam potestatem redegit: bellum urbi intulit, seruis ad pileum uocatis, aduersarios uicit, Octauium interfecit, iterum ac tertio se consulem fecit. Lapidibus tandem ob crudelitatem ab exercitu obrutus est.* *Proximo bello.*] *Ciuili bello Pompeiano.* *De summa grauitate Pompeius.*] *Finita prouincia ulterioris Galliæ postulabat Cæsar, alteram Galliam & Illyricum, cum duabus legionibus. Pompeius contrà, uolebat illum, quoniam iam illius potentiam metuebat, priuatum redire & senatui parere. Hinc seueritas Pompeij: inde imperandi Cæsaris cupiditas: hinc bellum ciuile illud tam perniciosum, dum neuter quicquam remittere uult, sed uterq; omnia summo iure agere, quod sæpe summa iniuria est.* *Et aliquam Remp.*] *Hoc ipsum etiam queritur de Officijs libro primo. Mea quidem sententia, inquit, paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum, etsi non optimam, at aliquam Rempublicam, quæ nunc nulla est, haberemus.* *Hoc uero quid est?*] *Respondet, & differentiam exemplorum ostendit. illi erant homines, hi bestiæ sunt: illi aliquam Rempublicam, hi nullam esse uolunt.* *Cum Antonijs pax potest esse?*] *Enumerat aduersarios, & sceleris autores & socios hostes Reip. ut quantum hi ab illis differant, intelligatur.* *Paucos nominaui.*] *Plus relinquit in suspicione quàm dixerit.* *Addite illa naufragia.*] *Id est homines perditos & profligatos. metonymia est, id est nomen de propinquo sumptum & submutatum.*

Collusores.] *Cum quibus Antonius solet ludere. nam ex ludendi consuetudine eos uituperat: sunt enim lusores infames, ut*

mes, ut alibi ostendimus. Eutrapelum.] *Hic proprium est nomen, aliâs comem, facetumq́; significat. Eutrapelia, urbanitas, comitas, festiuitas.* Huc accedunt Alaudæ.] *Milites ueteranos intelligit, de legione Alaudarum, quæ & Alauda dicebatur, de qua alibi dictum.* Seminariũ iudicũ.] *Trãslatio ab agricultura sumpta, in qua seminarium tradunt autores locum esse, cui tanquã nutrici semina arborum, atq; pulluli, nouelleq; plantæ cõmittuntur: unde ubi adoleuerint, aliò transferuntur. Hæc migratio mirum in modum mitigat, etiam syluestres plantas: cum arborum quoq; ut hominum natura, nouitatis ac peregrinationis auida sit. ponitur pro origine, fonte, principio, & materia. ut hoc loco Alaudas uocat seminarium iudicum tertiæ decuriæ, tanquam ab his deriuati sint, ac propagati iudices nefarij atq; turpissimi. Dicitur etiam plantarium.* Qui suis rebus exhaustis.] *Id est, consumptis & dilapidatis: describit enim eos uituperandi causa.* O fidem.] *Ironica exclamatio, ad eius perfidiam salse exaggerandam.* Lucij eum sanctitas.] *Ironica & hæc sunt.* Illis locus si.] *ἀσύφωνημα, ex repugnantibus conflatum.* Vrbi ipsi.] *Quoniam ab illis euertetur.* A

Ora uobis eorum ponite P. C. ante oculos, & maxime Antoniorũ: incessum, aspectum, uultum, spiritum, latera tegentes alios, sequentes alios, alios prægredientes amicos. quam uim anhelitus? quas contumelias fore censetis, minasq́ uerborum? nisi forte eos pax ipsa leniet: maximeq́, cum in hunc ordinem uenerint: salutabunt benigne, comiter appellabunt unumquenq; uestrum. non recordamini per deos immortales B quas in eos sentẽtias dixeritis? acta Antonij rescidistis, leges refixistis, per uim, & contra auspicia latas decreuistis, totius Italiæ delectum excitastis: collegam, & socium scelerũ omnium, hostem iudicauistis. cum hoc quæ pax esse potest? Si esset externus hostis: tamen id ipsum uix talibus factis posset aliquo modo. sed si maria, montes, regionum magnitudines interessent: odisses eum, quem non uideres. hi in oculis hærebunt, & cum licebit in faucibus. quibus enim septis tam immanes beluas cõtinebimus? At incertus exitus belli est. Est omnino fortium uirorum, quales uos esse debetis: uirtute præstare tantum, ut possint fortunæ culpam non extimescere. sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, uerum etiam sapiẽtia postulatur: quanq; uidentur hæc non posse seiungi: seiungamus tamen. fortitudo dimicare iubet, iustum odium incẽdit, ad confligendum impellit, uocat ad periculum. quid sapientia? cautioribus utitur consilijs, in posterum prouidet, est omni ratione protectior. quid igitur censet? parendum est enim, atq; id optimum iudicandum, quod sit sapientissime constitutum, si hoc præcipit, ne quid uita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne C discrimen: quæram ex ea, etiam ne fuerit, cum id fecero, seruiendũ. si annuerit, næ ego istam sapientiam, quamuis sit erudita, non audiam. sin responderit, tu uero ita uitam corpusq; seruato, ita fortunas, ita rem familiarẽ, ut hęc posteriora libertate ducas: itaq; his uti uelis, si liberare Remp. possis, nec pro his libertatẽ, sed pro libertate hæc projicias, tanq; pignora iniuriæ: tum sapientiæ uocem audire uidear, eiq́; ut deo paream.

Ora uobis eorum.] *Grauissima ὑποτύπωσις, siue demonstratio, qua exprimit Antonianorum insolentiam.* Incessum, aspectum.] *Ex his tanquã signis & argumentis, hominum superbia demonstratur.* Spiritum.] *Anhelitus. ponitur pro animi elatione & tumore quodam.* Latera tegentes alios.] *Describit re ipsa, quod in secunda Philippica, & hac paulo post, Agmine quadrato Antonium incedere dixit. Est enim agmen quadratum cum dux ipse in medio collocatus parem ferè numerum militum & satellitum ante, & ponè, & ad utrunq; latus habet: siue ut Cicero breuissime & elegantissime describit, cum ducis latera tegunt alij, sequuntur alij, alij prægrediuntur: hæc enim dispositio quadratum agmen efficit & format.* Quam uim anhelitus?] *Reliqua descripta sunt, quæ oculos feriunt: restabat ut aliquid olfaciendum auscultandumq́; proponeret: ecce tibi uini incocti & crudi odor, & contumeliarum, minarumq́; concentus, ne quid deesse quis forte queratur, ad uiuam picturam exhibendam.* D Nisi forte eos pax.] *Crebris ironijs suauem reddit orationem. nihil enim suauius, nihil quod tam leniter irrepat in hominum mentes, quam cum alia dicentis est ac significantis dissimulatio: præsertim cum in oratione, non contentione, sed sermone tractatur, quod sæpe facit Orator.* Non recordamini.] *Nunc serio loquitur, & affert causas, nimirum decretorum seueritatem, quibus iracundus sit irritatus Antonius.* Acta Antonij rescidistis.] *Hanc decretorum enumerationẽ, crebris & multis similiter desinentibus concinnam & suauem efficit.* Leges refixistis.] *Reuellistis, infirmastis, abrogastis, irritas fecistis. Virgil. in 6. Leges precio fixit atq; refixit. figere, & refigere disparata sunt.* Collegam.] *Dolabellã, propter interfectũ Trebonium.* Cum hoc.] *Conclusio rhetoricè prolata.* Si esset externus hostis.] *Amplificat & confirmat simul ex minori. sunt enim loci elegantissimi atq; optimi.* Talibus factis.] *Facinoribus, sceleribus.* Sed si.] *Contentione exaggerat.* Hi in oculis.] *Ante oculos obuersabuntur Antoniani.* In faucibus.] *Vt uos iugulent, quod grauius est.* Quibus enim septis.] *Acclamatio ad finem addita, tam uehemens, tanto pondere, talibus lacertis impulsa, uix sustineri potest. non enim homines scelestos, sed belluas appellat: non illos urbe, sed septis & caueis contineri posse negat, & interrogando obtinet quod negari non po-*

ii test

A test. O uiolentum Oratorem. *At incertus exitus belli est.*] Occupatio de belli periculo, cui occurrit, & negat fortibus fortunam belli extimescendam esse, sed potius pro libertate moriendum, neq; audiendam esse mollem & delicatam sapientiam, quæ tuta pacis consilia, libertatis dimicationi anteponat. Locus est illustris, qui ferè prosopopœia, id est, conformatione tractatur, atq; utilis & honesti comparatione. *Est omnino fortium.*] Ex coniugatis. Fortium uirorum est uirtute præstare, id est fortia facere, & fortitudine excellere. *Sed quoniam ab hoc ordine.*] Locus cõmunis, quid à Senatu requiratur. Duo autem requiri dicit, fortitudinẽ atq; sapientiã. quæ quanquã natura seiungi non possunt, seiungit tamen docendi causa. Nam seiungi non posse docet Cic. de Offic. lib. 2. ex Stoicorũ sententia. uerum cum ad opinionem cõmunẽ omnis accõmodatur oratio, alios fortes, alios prudentes, alios iustos esse dicimus. *Fortitudo dimicare iubet.*] Fortitudinis propria munera describit, & tanquam definitionẽ explicat. Est enim fortitudo animi affectio in adeundo periculo, & in labore ac dolore patiens, cuius duo sunt maxima munera, mortis dolorisq; contemptio, ut ipse in Tusculanis docet. *Quid sapientia?*] Hic prudentiam quandam & calliditatem describit, quam uulgi, non sua opinione sapientiam uocat. Ostendunt illa uerba, paulo post. Næ ego istam sapientiam, quamuis sit erudita, non audiam. istam, inquit, sapientiam, id est, quæ se pro sapientia uenditat. nam prudentiam calliditas imitari solet.

Quæram ex ea.] Finem quærit consilij istius sapientiæ, ex quo qualis sit agnoscitur. nam cum eius consilium in seruitutem ducat, perspicuum est, fallacem esse opinionem, non ueram prudentiam. *Sin responderit.*] Dialogismo
B ueram sapientiam loquentem inducit, & non minus fortia, quàm honesta dantem consilia. Vera enim sapientia res inter se comparat, expendit, examinat, ut quæ nam cuiq; anteponenda sit intelligat. Itaq; libertatem, sine qua belluarum potius uita est quàm hominum, si modo est aliqua sine libertate uita, omnibus rebus alijs anteponit: seruitutẽ omnium malorum postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Hæc finem habet honestum, & cum dignitate coniunctum: ergo uera est prudentia. Ex his constat Ciceronem semper in deliberando honestatem anteposuisse utilitati.

Pignora iniuriæ.] Pignus est obligatio quædam. hic autem translatum est, & significat obnoxia iniuriæ, id est, quæ casibus fortunæ exposita sint, & auferri possint. *Tum sapientiæ uocẽ.*] Vides Ciceronẽ distinctione usum fuisse, ut ueram à falsa & ficta sapientia distingueret, ne quis ambiguitate falleretur. *Vt deo pareant.*] Nam ut deus, sic uera uirtus, nihil unquam iubet, quod non sit honestum.

al. fin ius, incolumibus his, nullum esse potest

Itaq; si receptis illis possumus esse liberi, uincamus odium, paceq; potiamur. †sin liber uiuis his, incolumibusq; esse nullus potest, lætemur decertandi oblatam esse fortunã. aut enim illis interfectis fruemur uictrice Republica, aut oppressa, quod omen auertat Iupiter, si non spiritu, at uirtutis laude uiuemus. At enim nos M. Lepidus imperator, Pontifex Maximus optime proximo ciuili bello de Rep. meritus ad pacẽ
C adhortatur. Nullius apud me P. C. autoritas maior est, quàm M. Lepidi, uel propter ipsius uirtutem, uel propter familiæ dignitatem. accedunt eodem multa priuata, magna eius in me merita, ac mea quædam officia in illum. maximum uero eius beneficium numero, quod hoc animo in Rempub. est, quæ mihi uita mea semper fuit carior. Nam, cum Magnum Pompeium clarissimũ adolescentem præstantissimi uiri filium autoritate adduxit ad pacem, Remq; publicã sine armis maximo ciuilis belli periculo liberauit, tum me eius beneficio plus quàm pro uirili parte obligatum puto. Itaq; et & honores decreui, quos potui amplissimos, in quibus uos mihi estis assensi, nec unquam de illo & sperare optime, & loqui destiti. magnis & multis pignoribus M. Lepidum Resp. obligatum tenet. summa nobilitas est hominis, summi honores, amplissimũ sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, fratris, maiorumq; monumenta, probatissima uxor, optatissimi liberi, res familiaris cum ampla, tum casta à cruore ciuili. nemo ab eo ciuis uiolatus, multi beneficio & misericordia liberati. talis igitur uir & ciuis opi-
D nione labi potest, uoluntate à Rep. dissidere nullo pacto potest.

Itaq; si receptis illis.] Scilicet Antonianis, Et est conclusio hypothetica, quam conditionalem uocant, ego connexum uoco. *Pacemq; potiamur.*] Et potior pacem & pace dicimus. *Sin liber uiuis his, incolumibusq;, esse nullus potest.*] Quidam legunt, sin ius, incolumibus ijs, nullum esse potest, sed ego utrunq; probo, quoniam eadem sententia est, & clara. *Aut enim.*] ὑποφώνημα, ad animos honestate permouendos. *Quod omen.*] Præsagium, sumptũ ex dictis uel factis fortuitis. Est autem oratoria execratio. *Si non spiritu.*] Id est, si non uita hac caduca & mortali uiuemus, ut proxima oratione: Non enim in spiritu uita est. sed ea nulla est seruienti. *At enim nos M. Lepidus.*] Occurrit autoritati Lepidi, quam aduersarij obijciebant, & primum uoluntatem illius erga Remp. laudat, & amplificat merita ex restitutione Pompeij, cuius ille autor fuerat. Deinde opponit autoritati, periculum Reip. & scelera Antonianorũ, quos cum Pompeio cõfert, negans parem Antonij & Pompeij causam esse: interim laudat S.C. quod de Pompeio factum fuerat. *At enim nos.*] Sunt uerba ex aduersariorũ persona. *M. Lepidus imperator iterum.*] Hunc M. Lepidum imperatorẽ iterum appellatum fuisse, ex ipsius ad M. Tullium epistolis apparet, in quibus adscribit Famil. lib. 10. M. LEPIDVS IMP. ITER. Id est, imperator iterum. *Proximo ciuili bello.*] Quod contra Iulium Cæsarẽ gestum est. *Nullius apud me autoritas.*] Insinuatione ingreditur in refutationẽ Lepidi autoritatis, quæ ab aduersarijs obijceretur. *Accedunt eodem.*] Amplificat ex Lepidi meritis erga

se, &

se, & ex suis uicissim erga illum, ne uideatur contra Lepidum ex odio aliquid dicere. Maximum uero.] A Lepidi animo in Remp. quod quidem maximum beneficiũ est, sunt enim publica cõmoda priuatis anteponenda. A Quae mihi uita mea semper fuit charior.] Et merito: nam uita Ciceronis una erat, cum Resp. omnes omniũ uitas & fortunas contineret. Innumerabiles sunt tales loci in Cicerone, qui eius in Remp. animũ praeclarè testantur. atq; utinã tales Resp. Christiana ciues haberet, quibus uita charior, & antiquior esset, illum dignitas atq; libertas. Nam cum Magnum Pompeium.] Magni cognomen filio attribuit honoris causa, & simul Lepidum laudat, ex eò quòd talem adolescentem restituendũ curarit. Adduxit ad pacem.] Alij legunt, ad urbem, utrunq; rectè, sed rectius ad pacem, quod sequentia probant. Plus quàm pro uirili parte.] Ac si dicat, plus quàm possim, & facultas polliceri queat, siue maximopere, ut uno uerbo dicam. Itaq; ei & honores decreui.] Ostendit se uicissim erga Lepidum gratum extitisse, qui autor fuerit, ut ei honores amplissimi decernerentur, qui autem fuerint ij honores, declaratur in quinta Philippica. fuit enim statua equestris inaurata. Magnis & multis pignoribus.] Id est obligationibus, quasi uadimonijs, ne ei referre pedem liceat, & à Rep. deficere. nam pignus est, quod interponitur inter aliquos, fidei seruandae causa, quae nisi seruetur, pignora amittantur. loquitur autẽ metaphoricῶs, sumpta à cõtractib. trãslatione. Summa nobilitas est.] Nimirũ familiae Aemilianae, quae nomen à Paulo illo Aemilio nobilissimo habebat. Omnes honores.] Hoc dicit Orator, quoniã M. Lepidus per omnes honorũ gradus ad fastigiũ penè peruenerat, utpote iterũ imperator & Pontifex B maximus: idcirco addit. Amplissimũ sacerdotiũ.] Erat enim, ut dixi, Lepidus Pontifex maximus beneficio Caesaris creatus, qui honoris titulus etiam hodie Romae retinetur, ita ut alter Pontifex maximus sit in caelo, alter in terris.

Plurima urbis ornamenta.] Ambiguũ est ornamenta ne ipsis ab urbe collata, an quae ipsi urbi contulissent. ego tamen intelligenda esse monumenta censeo, cuiusmodi sunt sepulchra, statuae, columnae, atq; alia huiusmodi, quibus cum ipse Lepidus, ipsiusq; frater, tum maiores ipsius à Senatu & ciuibus ornati fuerunt ob res praeclare gestas. Probatissima uxor.] Amplificat Lepidi laudes à fortunae bonis, ut & proximis locis fecit. nam in fortuna sunt genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestas, diuitiae libertas. Inter prima autẽ addẽtur, si cõtigerit, pbata uxor, optatissimi & honestissimi liberi, & res ipsa familiaris bonis artibus, & sine ullius iniuria parta, nam haec sunt familiarum summa decora & ornamenta. De Lepidi uxore in Epistolis Bruti multa leguntur, fuit enim M. Bruti soror, idcirco Brutus Ciceronem rogat, ut sororis suae liberos obliuiscatur esse Lepidi filios, seq; his in patris locum successisse existimet, quorum erat auunculus. Optatissimi liberi.] Id est, optimae spei, & tales, quales quisq; sibi posset optare.

Tum casta à cruore ciuili.] Ac si dicat, incorrupta, & ex ciuili sanguine minime cõflata, cuiusmodi fuerat Iulij Caesaris & Antoniorum. Nemo ab eo ciuis uiolatus.] Ostendit eius erga ciues suos in ciuili bello moderationem, & Lepido boni uiri munera tribuit, quorum alterum est neminẽ laedere, alterum si possis, omnes beneficio afficere, haec summa est hominis laus. Talis igitur uir.] Concludit Lepidi laudes, ut ad causam propius accedat. Opinione C labi potest.] Vt si Lepidus opinetur, aliquid conducere Reip. quod reuera inutile & turpe sit, ut si pacem cum Antonio suadeat, quae sine damno & dedecore fieri non potest. si enim hoc nullo dolo suadet, opinione labitur, non uoluntate, non malitia, non dolo, aut fuco aliquo. & obseruandũ est Cic. opinionẽ à uoluntate distinguere, & rectè quidem, cum opinio sit in imaginandi facultate, quae sentiendi pars est, uoluntas autem appetitione contineatur, & opinio sit incerta scientia, uoluntas autem nihil habeat cum scientia aut intelligentia commune, ut Physica docet.

Pacem uult M. Lepidus. praeclare, si talem potest efficere, qualem nuper effecit, qua pace, Cn. Pompeij filium Resp. aspiciet, suoq; sinu cõplexuq; recipiet, neq; solum illum, sed cum illo seipsam sibi restitutã putabit. Haec causa fuit, cur decerneretis statuam in Rostris cum inscriptione praeclara, cur absenti triumphũ. quanq; enim magnas res bellicas gesserat, & triumpho dignas, non erat tamẽ ei tribuendum, quod nec L. Aemilio, nec Aemiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Põpeio, qui maiora bella gesserunt. sed quod silentio ciuile bellum confecerat: primum ut licuit, honores in eum maximos contulistis. existimas ne igitur M. Lepide qualẽ Pompeium Resp. habitura sit ciuem, tales futuros Antonios? in altero pudor, grauitas, mo D deratio, integritas. in illis (& cum hos compello, pretereo illius ex grege latrocinij neminem) libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia.

Pacem uult M. Lepidus.] Repetit propositionẽ, ut refellat. supra enim dixit, at enim nos M. Lepidus ad pacẽ adhortatur. Praeclarè.] Rectè & honeste uult. Si talẽ potest efficere.] Hoc est uerã & salutarẽ Reip. minimeq; insidiosam, minime turpem aut periculosam. Qualem nuper.] Caesare trucidato, cum & armis agendum non esse censuit, & Sex. Pompeiũ reuocandum. Qua pace Cn. Pompeij filiũ.] Quasi diceret, summi uiri, summã atq; optimam prolem. habet enim ἔμφασιν, quod dicit Cn. Pompeij filium. Suoq; sinu.] Beneuolentiã Reip. erga Pompeium declarat, quae tanti illum faciat, ut seipsam, cum illo restitutã putet, in quo dissimilitudinẽ ostendit Pompeij & Antonij, huius pacis, & illius. Haec causa fuit.] Amplificat hunc locũ ex honoribus decretis M. Lepido, de quibus uide Philip. 3. & 5. Quanquã enim.] Pacẽ à Lepido factã cum Pompeio amplificat honorũ comparatione, qui alijs imperatoribus tributi fuerunt. Quod nec L. Aemilio.] Id est L. Paulo Aemilio, de quo Plutarchus. Neq; Aemiliano Scipioni.] Minori scilicet (nam duo fuerunt) qui quoq; triumphũ gessit ex deleta Carthagine, ut alibi diximus. Nec superiori Africano.] Maiori, qui & ipse triumphauit de Carthaginensibus. Nec Mario.] Qui de Cymbris triumphauit. Nec Pompeio.] Magno scilicet, cuius res gestae, & maximae & innumerabiles fuerunt.

A *Sed quod silentio.] Id est quod antea dixit, sine armis, & sine ciuili sanguine. Existimas ne igitur M. Lepide.] Ἀποστροφὴ, id est auersio, siue conuersio ad absentē Lepidum, & institutu cōparationē Antoniorũ cum Pompeio, nam aduersarij exemplo Pompeij censebant & Antonium esse restituendum, quod Cicero ex dissimilitudine reprehendit. In altero pudor.] In Pompeio hæc esse dicit, primò pudorē, qui est metus dedecoris & infamiæ: deinde grauitatem, hoc est constantiā, quæ est in ratione bene considerata constans, & perpetua permansio. Moderationē, id est temperantiam, siue modestiā, quæ omniũ quæ fiunt, quæq; dicuntur ordo & modus dicitur, & cupiditatũ refrenatio: integritatē, ea est siue iustitia, siue innocentia, quæ ex nemine lædendo, & sua cuiq; dignitate tribuenda, laudem & beneuolentiam comparat. In illis.] In Antonijs & Antonianis sunt libidines, quas opponit pudori, scelera opponit integritati, audacia, hanc grauitati & moderationi opponit. sunt enim pauciora pluribus relata.*

Deinde obsecro uos P. C. quis hoc uestrũ non uidet, quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, uidit? saluis enim actis Cæsaris, quæ cōcordiæ causa defendimus, Pompeio sua domus patebit, eamq; non minoris, quàm emit Antonius, redimet. redimet inquam Cn. Pompeij domũ filius. O rem acerbā, sed hæc satis diu multũq; defleta sunt. decreuistis tantā pecuniā Pompeio, quantā ex bonis patris in prædæ dissipatione inimicus B uictor redegisset. sed hãc mihi dispensationē pro paterna necessitudine & cōiunctionē deposco. redimet hortos, ædes, urbana quædā, quæ possidet Antonius. nam argentum, uestē, supellectilē uniuersam amittet æquo animo, quæ ille helluo dissipauit. Albanũ, Firmanũ, à Dolabella recuperabit. etiā ab Antonio Tusculanũ. hiq, qui nunc Mutinā oppugnant, D. Brutũ obsident, de Falerno anseres depellentur. sunt alij plures fortasse. sed mea memoria dilabuntur. ego etiā eos dico, qui hostiũ numero non sunt, Pompeianas possessiones, quanti emerint, filio reddituros. satis incōsiderati fuit, ne dicā audacis, rem ullam ex illis attingere. retinere uero quis poterit, clarissimo domino restituto? An is non reddet? qui domini patrimoniũ circũplexus, quasi thesaurũ draco, Pompeij seruus, libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones occupauit? Atq; illud septies millies quod adolescenti P. C. spopondistis, ita describite, ut uideatur à uobis Cn. Pompeij filius in patrimonio suo collocatus. Hæc Senatus. reliqua populus Rom. in ea familia, quam uidit amplissimā, prosequetur. in primis paternũ Auguratus locum, in quo ego eum, ut quod à patre accepi filio reddam, mea nominatione co C optabo. utrũ igitur augurē Iouis optimi maximi, cuius interpretes internuncijq; constituti sumus, utrũ populus Rom. libentius sanciet? Pompeiũ, an Antoniũ? mihi quidem numine deorũ immortaliũ uidetur hoc fortuna uoluisse, ut actis Cęsaris firmis ac ratis, Cn. Pompeij filius posset & dignitatē & fortunas patrias recuperare. ac ne illud quidē silētio P. C. prætermittendũ puto, quod clarissimi uiri legati L. Paulus, Q. Thermus, C. Fannius, quorũ habetis cognitā uoluntatē in Remp. eamq; perpetuā atq; constantē, nunciant se Pompeij cōueniendi causa diuertisse Massiliā, eumq; cognouisse paratissimo animo, ut cum suis copijs iret ad Mutinam, ni uereretur ueteranorũ animos offendere. Est uero eius patris filius, qui sapienter faciebat non minus multa, quàm fortiter. Itaq; intelligitis & animum ei præsto fuisse, nec consilium defuisse.

Deinde obsecro uos.] Redit ad Patres, & cōmoditatē restituendi Pompeij copiosius exequitur. Quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, uidit.] Ex minore cōmoditatē & facultatē ostendit, idq; à fortuna, quæ acta Cæsaris cōseruauit, in quibus sua restituebat Pompeio. quod autem fortunā cæcam dicit, fabulosum est, idcirco dixit, quæ dicitur cæca: hoc ue- D *teres significare uoluerunt, rerũ fortuitarũ causas ignorari. nam & inter causas fortuna numeratur, sed occultas & latentes, ut est apud Aristotelē & Ciceronem in Topicis. Redimet inquam.] Prorumpit in cōmiserationē, & locum abrumpit, & prudenter quidem. nam breuis debet esse cōmiseratio. nihil enim citius arescit lachryma, præsertim in alienis malis. Decreuistis tantā pecuniā Pompeio.] Explanat & persequitur quod instituit. cōmemorat enim Senatus consultũ de restitutione bonorũ Pompeij, partim, ut ostendat Pompeiũ charũ esse Reip. Antoniũ odiosum: partim, ut sectores eius bonorum uiolet. In prædæ dissipatione.] Id est in auctione & uenditione. nam bona Pompeij Antonius uendiderat, idcirco utitur odioso uerbo dissipationis, ad rei indignitatē augendam. Sed hanc mihi dispensationē.] Procurationē et administrationē huius rei. Dispēsabo ego hãc pecuniā, et bona eius redimā, ne uos in eo laborare sit necesse. Nam argentũ, uestē, supellectilē, uinũ.] Sic Philip. 2. Maximus uini numerus fuit, permagnũ optimi pondus argenti, preciosa uestis, multa & lauta supellex. Est autem supellex domesticum patrisfamiliæ instrumentum, quod neq; argēto auroue facto, uel uesti adnumeratur. Sic Pomponius definit L. prima, Digest. de Supellect. leg. lib. 33. quam definitionē ibidem copiosius explicant iurisconsulti ueteres. Ex quo apparet cur Cicero argentum & uestem à supellectile seiunxerit. Albanũ, Formianũ.] Nomina uillarum Pompeij sunt, sunt qui legant Firmanum, à Firmo oppido, quod in Piceno est, in quinta Italiæ regione. sed Formianũ melius, nam non longo interuallo inter se distant Albanũ, Formianũ, Tusculanũ, in Latio. De Falerno anseres depellentur.] Intelligit ANSEREM poetā quempiā scriptorem laudem*

rem laudum Antonij, cui Antonius agrum ex Pompeij bonis in Falerno, quod in Campania est, dederat, quē existimo Ver A
giliū 9. Ecloga notasse illo uersu, Argutos inter strepere anser olores. quod autē anseres non anserē dixit, id per Synecdo
chen factū est, qua pro pluribus unū, & pro uno plures nominamus. Sunt alij plures.] *In suspicione plura relin-*
quit, quàm dixerit, amplificandi causa. Satis inconsiderati fuit.] *Reprehēdit & alios bonorū Pompeij emptores,*
ut quod male possident restituere non grauentur. An is non reddet.] *Demetriū intelligit Pompeij seruū, qui Pom-*
peio trucidato muneribus Cæsarem placauit, & inter eius libertos numerari obtinuit, de cuius insolentia quædam Plu-
tarchus scribit in Pompeij uita. Quasi thesaurū Draco.] *Odiosa cōparatio, planè poetica, dicuntur enim à poetis*
thesauris incubare Dracones, nota est fabula de malis Hesperidū, & aureo uellere. est enim draco animal oculatissimum
& uigilantissimū, quo symbolo ueteres Euclliones, & Midas, reliquūq; auarorū chorū significare uoluerunt. Atq;
illud septies millies.] *De hac summa, quam de bonis Pompeij contraxerat Cæsar, & ad Opis deposuerat, alibi dictum*
est. capit enim hæc summa septuagies quinquies centena millia coronatorum. Ita describite.] *Adhortatur leniter*
ad summam illam numerandam: & describite, dixit, id est certis locis assignate, & attribuite, ut in promptu sit, qua re
nobis obligabitis Cn. Pompeij filium. Cn. Pompeij filius.] *Sic eum describere maluit quàm nominare, quòd gratior*
esset patris memoria, & ex eo filius quoq; gratior. Hæc, Senatus.] *Distributio oratoria, qua singulis propria tri-*
buuntur officia. Senatus bona restituet, populus Romanus honores. In primis paternū auguratus locū.] *Erat Pom-* B
peius augur, in quod collegium præstantissimi quiq; ciues certo numero cooptabantur, erant enim sacerdotes Iouis Opt.
Max. In quē ego eum.] *Sic enim erat illius collegij ritus, ut augur augurē cooptaret, & in demortui locū nomina-*
ret, & Cicero à Cn. Pompeio patre huius fuerat cooptatus, nam cooptari proprie dicuntur, qui alicui collegio inserun-
tur. Vtrū igitur augurē.] *Concludit enthymemate, atq; ex iudicio populi longe aliam rationē habendam esse Pom*
peij, quàm Antonij. Mihi quidē minime deorū.] *Amplificat ex deorū uoluntate & prouidentia, quòd liceat saluis*
Cæsaris actis Pompeiū restituere, quæ res habet uim testimonij, ex deorū uoluntate & signis. Ac ne illud quidem si-
lentio.] *Digreditur ad locū Pompeij uoluntatis erga Remp, quam laudat & cōmendat ex testimonio legatorū, qui Pom*
peiū Massiliæ cōuenerant. Clarissimi uiri legati.] *Fuerunt hij Lepidi legati, quos tres nominat Cicero, quos etiam*
cōmendat, ut eorū testimoniū grauius sit. Est uero eius patris filius.] *Laudat Pompeij cōsiliū, quasi reliquias quas-*
dam paternæ prudentiæ, quo in meliorē accipiatur partem. Itaq; intelligitis.] *Concludit hunc locū, ut tandem post*
infinitas propè mitigationes ad infringendam Lepidi autoritatem & arrogantiam ueniat.

Atq; etiam hoc M. Lepido prouidendū est, ne quid arrogantius, quàm mores eius
ferunt, facere uideatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit illum exercitum Se-
natus populiq; Romani, atq; uniuersæ Reip. esse, non suū. At uti potest pro suo. quid C
tum? omnia ne uiris bonis, quæ facere possunt, facienda sunt? etiam si turpia, si perni-
ciosa erunt, si facere omnino non licebit? Quid autem turpius, aut fœdius? aut quod
minus deceat? quàm contra Senatū, contra ciues, contra patriam exercitum ducere?
quid uero magis uituperandū? quàm id facere, quod non liceat? licet autē nemini con
tra patriā ducere exercitū. siquidē licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorū
institutisq; conceditur. Neq; enim quod quisq; potest, id ei licet: nec, si non obstatur,
propterea etiā permittitur. tibi enim exercitū Lepide, tanq; maioribus tuis patria pro
se dedit. hoc tu arcebis hostē, fines imperij propagabis: Senatui populoq; Rom. pare
bis, si quam ad aliā rem te forte traduxerit. hæc si cogitas M. Lepide, M. Lepidi Ponti
ficis Maximi fueris pronepos. sin hominib. tantū licere iudicas, quantū possunt, uide
ne alienis exemplis, hisq; recentibus uti, quàm antiquis & domesticis malle uideare.

Atq; etiam hoc.] *Per occasionē Pompeij laudū disputat de Lepidi officio, quid illum facere deceat erga Remp. quia*
aduersarij dixerant timendū esse (nisi de pace illi assensum esset) ne se cum Antonio coniungeret. Si enim nos exer
citu terret.] *Lepidi arrogantiæ & potentiæ obijcit autoritatē & potentiā Senatus populiq; Rom. cuius est propria au* D
toritas potētia exercitus. At uti potest pro suo.] *Occupatio, qua facit aduersarios respōdentes de exercitu Lepidi.*
Omnia ne uiris bonis.] *Locus cōmunis de moderatione potentiæ, quo loco refellit aduersariorū dictū, tantū nimi-*
rum debere homines facere, quantū licet, nō quantū possunt, ut licere capias pro honestum esse. Etiāne si turpia.]
Incōmodo urget aduersarios, & ad absurdū impellit. nam si omnia facienda sunt, quæ possumus, possumus autē & tur-
pia & perniciosa, ergo etiā turpia & perniciosa erunt facienda. quod cum sit absurdum & iniquū, superest ut poten-
tiam æquitas atq; honestas moderetur. Quid autē turpius.] *Assumptio est argumentationis.* Licet autem ne-
mini.] *Conclusio est argumentationis.* Siquidem licere.] *Locus ex definitione, definit enim, quid sit id, quod licere*
dicimus. qui locus est diligenter obseruandus, propter eos qui licere putant idem esse, quod posse. quod quidem in ratione
loquendi idem est interdum, at non cum res subtiliter elimatur. Hoc uerbum etiam explicauit in oratione pro Cornelio
Balbo. Quod legibus.] *Idem iure scripto quod ab aliquo magistratu constitutū sit.* Quod more maiorū.] *Id*
est iure nō scripto, quod sine lege, æque ac si legitimū sit, usitatū est. hoc morē & cōsuetudinē uocant. Institutisq;.]
Non distant instituta à more, nisi forte quod mos & bonus & malus esse potest: instituta uero semper bona & honesta.
significant enim disciplinā quandā præter ipsas leges traditā. Sed ut dixi, non differunt à more instituta, quod uel ex Va
lerio Max. De institutis antiquis cognosci potest. Nec si non obstatur.] *Si nemo obstat. nam nec tyrannis sæpenu-*

A *mero obstatur, quia non potest, non tamen ob id tyrannũ esse licet. Vt enim honestũ quod est, laudabile est natura, etiãsi à nemine laudetur: sic quod turpe, uituperandũ, etiamsi à nullo uituperetur. Item si non obstatur, non propterea permittitur. permittere enim consensus est & uoluntatis: non obstare, sæpe imbecillitatis & necessitatis. non sunt igitur idem, non obstare, & permittere.* Tibi enim exercitũ.] *Altera conuersio ad Lepidũ absentẽ, quo maiorẽ uim habeat oratio, tanq̃ ad præsentem.* Tanquã maioribus tuis.] *Qui bene usi accepta potestate sunt. permouet exẽplo maiorum.*

Patria.] *Non hostis, aut externus aliquis.* Pro se.] *Non contra se. à contrarijs.* Hoc tu arcebis hostem.] *Ab imperatoris officio & munere.* Senatui P. Q. R. parebis.] *Ab autoritate Senatus P. Q. R.* Hæc si cogitas.] *Et hic officij admonet Lepidũ cõmemoratione dignitatis, & maiorũ exẽplis.* M. Lepidi Pontificis Max.] *Is est M. Lepidus, qui tertio punico bello fuit, & Senatus princeps à censoribus lectus. Hic moriturus iam, præcepit filijs lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquũ funus ne plus quàm æris denos consumerent: imaginũ specie, non sumptibus, nobilitari maximorũ uirorũ funera solere. Meminit huius Valerius Max. De fide publica: & Alexandriam, cum Ptolemæus filio suo populũ Rom. tutorẽ reliquisset, bis Consulẽ & Pontificẽ Max. dicit iusse, amplissimiq; uiri sanctitatẽ Reip. usibus & sacris cõparatã, externæ procurationi uacare uoluisse. Huius filius Prætor nonnullas urbes Carthagini circumpositas expugnauit. Proconsul aduersus Vacceos pugnans, cladem similem ei quam Mancinus ad Numantiam, passus est: & huius Marci, hic Lepidus ad quem loquitur Cicero, nepos, alterius uero superioris, pronepos*

B *fuit.* Sin hominibus.] *Quasi diceret, si hæc non cogitas: sed omnia ex tua potentia, non ex honestate metiris, neq; tu is es M. Lepidus Pontifex Max. neq; M. illius Pontificis Max. pronepos, sed degener, & spurius, & tyrannis adnumerandus.* Vide ne alienis.] *Id est abhorrentibus à tuis pristinis, uel maiorũ tuorum moribus.* Hisq; recentibus.] *Qualia fuere Iulij Cæsaris, & Antonij sunt. tacitè ea minatur, quæ illis acciderunt, si eos secutus fuerit.*

Quod si autoritatem interponis, sine armis, magis quidem laudo. sed uide ne hoc ipsum non sit necesse. quanq; enim est tanta in te autoritas, quanta debet in homine nobilissimo, tamen Senatus seipse non contemnit. nec uero fuit unquam grauior, constantior, fortior. incensi omnes rapimur ad libertatẽ recuperandam, non potest ullius autoritate tantus Senatus populiq; Romani ardor extingui, odimus, irati pugnamus, extorqueri de manibus arma non possunt, receptui signum, aut reuocationẽ à bello audire non possumus, speramus optima. pati uel difficillima malumus, quàm seruire. Cæsar confecit inuictum exercitum, duo fortissimi Consules adsunt cum copijs, L. Planci Cons. designati uaria, & magna auxilia non desunt, de D. Bruti salute certatur.

C unus furiosus gladiator cum teterrimorũ latronum manu, contra patriam, cõtra deos penates, contra aras & focos, contra quatuor Consules gerit bellum. huic cedamus? huius conditiones audiamus. cum hoc pacem fieri posse credamus?

Quod si autoritatem.] *Ex ipsa figura orationis, nascitur quædam diuisio, siue complexio: aut autoritatem interponis armatam, aut sine armis. Si armatam, turpe & periculosum tibi erit. sin sine armis, non est necesse: quoniam in Senatu populoq; Romano autoritatis & consilij abunde est, nec alienæ subijcitur autoritati, à quo omnes autoritatem accipiunt.* Quanquam enim.] *Mira est in hoc oratore admonendi moderatio: qua omnes, si fieri possit, & seruare, & retinere uelit. ita enim anteponit autoritatem Senatus, ut tamen non contemnat Lepidi autoritatem.*

Senatus seipse non contemnit.] *Id est, honoris sui non obliuiscitur. quod dicitur in sacris libris, gloriam meam alteri non dabo.* Nec uero fuit.] *Infringit à consensu omnium ordinum, & ab concepta aduersus Antonium indignatione.* Odimus.] *Explanat & amplificat ardorem quem nominauit.* Irati pugnamus.] *Et si hoc turpe est in sapiente, tamen in bello non ita uituperatur: quin etiam requiri ad uictoriam extorquendam putatur: quòd qui irati pugnant, & maiore ui animi & corporis incumbant. Idcirco Homerus Achillem suum iratum facit: de quo ita initio*

D *Iliados canit:* Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε.

Et Horatius de eodem: Honoratum si fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer.

Et uidemus ira inflãmatos homines, stupenda quædã summa facilitate facere, quæ quieti & sedati, nunquã possent.

Receptui signum.] *Adeo recepta est hæc forma, receptui canere, ut etiamsi canere non addatur, sed aliud uerbum, receptui tamen non mutetur. hinc est quod hoc loco dicit, receptui signum audire: pro, receptui canentis signum audire, quod quidem notandum est.* Aut reuocationem à bello.] *Id est quod dixit: receptui signum audire, se reuocare à pugna, uelut si ab opere se recipiant ad ocium.* Speramus optima.] *Quæ spes si nos fefellerit,* Pati uel difficillima.] *Id est, omnia extrema pati, ut Virgilius ait. ostendit autem animos ad omnia paratos & promptos.*

Cæsar confecit.] *Enumerat duces & copias Reipublicæ: atq; hæc confert cum Antonio, ad terrorem aduersarijs incutiendum.* Vnus furiosus.] *Vnum gladiatorem opponit multis consulibus, manum latronum, cum multitudine ciuium optimorum.* Contra patriam.] *Amplificat enumeratione, & dilatat ex uerbo. Patria enim, reliqua omnia in se complectitur.* Contra quatuor consules.] *Duos tum consulatum gerentes, Hircium & Pansam: duos item designatos, D. Brutum, & L. Plancum, qui & ipse erat in ulteriori Gallia.* Huic cedamus?] *Percunctationibus utitur ad indignitatem augendam, & animi indignationem ostendendam. concinniorem uero facit orationem casuum uarietate, quam traductionem uocant: Huic, Huius, Hoc.*

At periculum

At periculum est ne opprimamur. non metuo, ne is qui suis amplissimis fortunis, A nisi nobis saluis, frui non potest, prodat salutē suam. Bonos ciues primū natura efficit, adiuuat deinde fortuna. omnibus enim bonis expedit saluam esse remp. sed in his qui fortunati sunt, magis id apparet. quis fortunatior Lepido, ut ante dixi? quis eodem sanior? uidit eius mœstitiā, atq; lachrymas populus Ro. Lupercalibus: uidit q̃ abiectus esset, q̃ confectus, cum Cæsari diadema imponēs Antonius, seruū se illius q̃ collegā esse malebat. qui si reliquis flagitijs & scelerib. abstinere potuisset, tamē unū ob hoc factum dignū illum omni pœna putarem. nam si ipse seruire poterat, nobis dominū cur imponebat? & si eius pueritia pertulerat libidines eorū qui erant in eum tyrāni, etiam ne in nostros liberos dominum & tyrannū comparabat? Itaq; illo interfecto, qualem eum in nos esse uoluit, talis ipse in cæteros extitit. Qua enim in barbaria quisquā tam teter, tam crudelis tyrānus, q̃ in hac urbe armis barbarorū stipatus Antonius? Cæsare dominante ueniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto. hoc archipirata, quid enim dicam tyranno? hæc subsellia ab Ithyreis occupabantur.

At periculum est ne opprimamur.] Renouat occupatione aduersariorū oppositionē, & coniectura uoluntatis Lepidi refellit: quæ cōiectura à metu incōmodi ducitur. B *Non metuo.] Incipit coniecturis uoluntatē Lepidi ostendere: & simul uidetur mihi callidus orator Lepidum terrere, metu amittendorū bonorū. nam dum ei suas amplissimas quas Romæ haberet fortunas ante oculos ponit, & amplificat, simul innuit quid possit amittere, si quid contra remp. tentauerit. Atq; hæc mihi uidentur ex illis præceptis manare, quæ de augēdi ratione in Part. oratorijs tradit, quæq; in ijs quæ magna natura sunt, enumerat. Proprius, inquit, locus augendi in ijs rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil enim est tam miserabile, quàm ex beato miser. Et hoc totum quidem moueat, si bona ex fortuna quis cadat, & à quorum charitate diuellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurúsue sit, exprimatur breuiter. Prodat salutē suā.] Id est, ipse sibi accersat perniciē, & tantarū fortunarum iacturā. Alludit ad prouerbiū illud, Nemo sciens & uolens perforat nauim, in qua ipse nauigat. nam non potest ipse nisi salua naui euadere. Bonos ciues.] Sententia ducta ex causis. Homines duabus ex causis bonos esse, aut natura, aut fortuna. Disputat Aristoteles Ethicorū lib. 2. An morales uirtutes à natura sint, an institutione & usu: & negat eas à natura esse, non negat tamen eas in natura initia quædā et quasi semina habere, quæ usu augescant & perficiantur. Libro aūt sexto aperte fatetur omnibus quodammodo uirtutes omnes esse à natura tributas, quæ moribus proficiscuntur. Omnes enim, inquit, & natura iusti, & temperantes, & fortes gignimur, reliquarumq; uirtutū principia & semina, simul atq; in lucem editi sumus, continemus in nobis. Verum hic Cicero non intelligit omnes ciues esse aut natura bonos, aut fortuna: sed qui boni sunt, eos tales ex his esse causis. Et natura bonos* C *esse intelligit, qui capti honesti specie, neq; spe lucri, neq; damni metu ad bonum feruntur: ut naturam opponat fortunæ. Nam quos bonos efficiat fortuna, ij aut emolumenti spe, aut detrimenti metu in officio retinētur. Atq; hæc tota disputatio duobus his uersibus continetur:*

Oderunt peccare boni uirtutis amorē,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quid quod ne bonos quidem effici fortuna dicit, sed qui natura boni sunt, adiuuari etiam nōnihil à fortuna? qui enim aut spe, aut metu officiū facit, is bonus reuera non est: id quod ex eo apparet, quod remota spe, sublato metu, ad ingeniū redit, ut ille apud Terent. ait. Nec mirū si bonos etiam fortuna ad bonitatem adiuuat, qui ex quacunq; colligunt, unde meliores fiant. Vt enim sedulæ apes mel tantū ex omnibus & floribus & herbis legūt, uenena relinquūt, sic boni ex omnib. rebus etiam malis, utilitatē aliquam colligūt. Omnibus enim bonis.] Ratiocinationē orditur, cuius hæc est maior propositio, hoc modo: Omnibus bonis & fortunatis expedit saluam esse remp. Lepidus & fortunatus est et bonus. Igitur Lepido expedit saluam esse remp. Est enim in tertio primæ dispositionis modo. Conclusionē tamē relinquit orator tanquam notissimā. Quis fortunatior Lepido?] Assumptio oratorio more expolita. fortunati dicūtur, qui fortunæ circumfluunt bonis, diuitijs, & honoribus, & id genus alijs. Quis eodem sanior?] Id est melior, sapientior. Est enim ut corporis sic animi sanitas, quæ est, ut illa humorū, sic hæc affectionū æqualitas quædam atq; tranquillitas, ex qua boni et D *sapientes sumus. Vide Ciceronis Tuscul. quæst. Vidit eius mœstitiā.] Sanitatem & bonitatē Lepidi confirmat ex signis, & contrà Antonij nequitiam, insaniā, scelera exaggerat, quo minus cum eo pacem fieri posse doceat.*

Lupercalibus.] De his & de toto hoc Antonij facto abunde dictū est Philipp. 2. Vidit quàm abiectus.] Repetit & expolit eandem sententiā ad motū in animis ciendū: qui locus pertinet ad comparationē Lepidi et Antonij.

Seruū se illius quàm collegam.] O hominis nequitiā singularē. Qui si reliquis.] Exaggerat Antonij factum aliorū scelerū comparatione. Nobis.] Vere Romanis, qui seruire non possumus. amplificat ex aliorū persona.

Etsi eius pueritia.] Vituperat ab ætate, & à tyranni persona & turpitudine. Qui erant in eum tyrāni] Vt C. Curio filius, & Iulius Cæsar, quibus sese substrauerat ut puer nefarius. In nostros liberos.] Exaggerat à posteris & liberis. Itaq; illo interfecto.] Significat Antoniū iam tum cum Cæsari diadema imponeret ad tyrānidem spectasse, & illos ad tyrannidem patiendā assuefacere uoluisse. Qua enim in barbaria.] Rursus amplificat comparatione barbarorum atq; aliorum tyrannorum. Cæsare dominante.] Confert Antonium cum Cæsare, ut ex hac contentione Antonij augeatur insolentia. Hoc archipirata.] Latronum siue prædonum principe. hoc enim plus uult esse quàm tyrannum: ἀπὸ τοῦ ἀρχοῦ καὶ πειρατοῦ. Est ergo in nomine αὔξησις.

A Prorupit ſubito Brunduſium,ut inde agmine quadrato ad urbem accederet: lautiſſimũ oppidum,nunc municipiũ,honeſtiſſimorũ quondam colonorũ Sueſſam, fortiſſimorũ militũ ſanguine impleuit:Brunduſii in ſinu nõ modo auariſſimæ, ſed etiam crudeliſſimæ uxoris delectos Martiæ legionis centuriones trucidauit.inde ſe quo furore,quo ardore ad urbẽ,id eſt ad cædẽ optimi cuiuſq; rapiebat: quo tempore dij ipſi immortales præſidiũ improuiſum,nec opinantib.nobis obtulerũt.Cæſaris enim incredibilis ac diuina uirtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit. quẽ tamẽ ille demens lædere ſe putabat edictis,ignorãs quæcunq; falſo diceret in ſanctiſſimum adoleſcentẽ,ea uere recidere in memoriã pueritiæ ſuæ.Ingreſſus urbẽ eſt,quo comitatu,uel potius agmine: cũ dextra,ſiniſtra,gemẽte populo Ro.minareť dominis: notaret domos,diuiſurũ ſe urbem palàm ſuis polliceref.Redijt ad milites.ibi peſtifera illa Tyburi concio.inde ad urbem curſus:ſenatus in Capitolium:parata de circunſcribendo adoleſcente ſententia conſularis,cum repente(nam Martiam legionem Albæ con
B ſediſſe ſciebat)affertur ei de Quarta nuncius.quo perculſus abiecit conſilium referendi ad ſenatum de Cæſare:egreſſus eſt non uijs,ſed tramitibus paludatus: eoq; ipſo die innumerabilia S.C. fecit:quæ quidem omnia citius delata quàm ſcripta ſunt.

Prorupit ſubito Brunduſium.] De his & ſequentibus omnibus in Philippica quinta et alijs,& ab oratore,& à nobis ſatis dictum eſt. *Sueſſam.*] Quæ antè Pometia uocabatur,de qua in tertia Philippica dictum. Non eſt eadem quæ dicitur Sinueſſa,etiamſi inter ſe non multũ diſtent. Sed Sinueſſa propter ſerpentes deſerta & inculta iacet. *In ſinu.*] Philipp. 5. Ante pedes ſuos uxorisq; ſuæ iugulari coegit. *Non modo auariß.*] Philipp. 2. Tua iſta minime auara coniunx. *Ad urbem,id eſt ad cædem.*] Interpretatio criminoſa amplificandi cauſa. *Latronis impetus.*] Philip. 5. Incitatos latronis impetus retardauit. qui loci idcirco coniungendi & notandi ſunt, ut ad eandẽ uarie dicendã inſtituamur. quod etiam in diſsimilibus & contrarijs fieri proderit. *Quem tum ille demens.*] Hæc ſunt expoſita Philipp. 3. *In ſanctißimũ.*] Caſtißimum,pudicißimũ,integerrimum. *Ingreſſus urbem eſt.*] Amplificat illuſtri explanatione. *Minaretur dominis.*] Id eſt,ædium poſſeſſoribus. *Notaret domos.*] Deſignaret ſibi,& iam ſpe atq; animo capiebat. Hæc ad conflandam inuidiam & odium mirifice ualent. *Redit ad milites.*] Perſequitur & reliqua ordine,quæ ad criminandũ Antoniũ & in odium trahendũ ualent. *Peſtifera*]
C maledica,ſeditioſa,turbulenta. & attende admirandã narrationis uelocitatẽ & breuitatẽ. *Parata de circunſcribendo adoleſcente ſententia.*] Hoc eſt,de eijciendo magiſtratu Octauio,atq; imperio ei abrogando. Id eſt quod Græci dicũt προγράφω,id eſt deleo,oblitero,auffero è numero,expungo. Ad Att. lib. 7. Si forte tribunus plebis ſenatũ impediens, aut populũ incitans,notatus aut ſenatuſconſulto circunſcriptus,aut ſublatus,aut expulſus ſit. Sic intelligo illud eiuſdẽ in epiſtola poſtrema ad Octauiũ: Cur aut ingratus crudeliter,aut immemor beneficij ſui ſcelerate circunſcribis ſenatũ? Circunſcribere ſenatũ,eſt autoritatẽ ſtatuendi ſenatui auferre,& quaſi ſenatũ de medio tollere. Translatio eſt à fabris aut chirurgis,qui ea quæ ſerra amputaturi ſunt,prius circunſcribunt & præcidunt. Hoc idem circundare dicit Paulus in capite, Acta,De re iudicata. Item Vlpianus in capite Et poſt edictum,De iudicijs. Circunducto,inquit, edicto, uideamus an amplius conueniri poßit. hoc eſt inducto & interlito. *Egreſſus eſt non uijs,ſed tramitib.*] Semitis, limitibus deuijs, per ſentieri et trauerſi,ut noſtri homines dicunt: quæ res in Antonio magnũ terrorẽ ſignificabat. *Paludatus.*] Imperatoris more ornatus. hoc addidit ad ignominiã. nam paludatus imperator et conſul per uiam conſularẽ & militarẽ incedere debuiſſet. *Innumerabilia S.C.*] Omnia faciunt ad eius terrorẽ ex ſignis oſtendendũ, quæ conſcientiã ſceleratam arguant. *Citius delata.*] Recte delata. ſiquidem S.C. deferri dicebantur,cum facta ac ſcripta ad ærariũ deferebantur. Sic in ſuperiori oratione: S.C. falſa delata ab eo iudicauimus. ubi tamen non male relata legeretur. Et in epiſtola ad Cornificium: Omnia tum falſa S.C. deferebantur. Quod autem ad ærarium deferrentur, apparet in quinta Phi-
D lippica: Senatuſconſulta tanquam facta ad ærarium deferebantur.

Ex eo non iter,ſed curſus & fuga in Galliam. Cæſarem ſequi arbitrabatur cum legione Martia,cum Quarta,cum ueteranis: quorum ille nomen præ metu ferre nõ poterat. eiq; in Galliam penetranti D. ſe Brutus obiecit. qui ſe totius belli fluctibus circumiri, quàm illum aut regredi, aut progredi maluit: Mutinamq; illi exultanti, tanquam frenos furoris iniecit. Quam cum operibus munitionibusq; ſepſiſſet, nec eum florẽtiſſimæ coloniæ dignitas, neq; cõſulis deſignati maieſtas à parricidio deterreret: tum me(teſtor & uos,& populum Romanũ,& omnes deos qui huic urbi præſident) inuito,& repugnante, legati miſſi tres Conſulares ad latronem Marcum Antonium gladiatorum ducem. Quis tam barbarus unquam? tam immanis? tam ferus? non audiuit, non reſpondit: neque eos ſolum præſentes,ſed multo magis nos à quibus illi erant miſſi, ſpreuit, & pro nihilo putauit. Poſtea quod ſcelus, quod facinus parricida non edidit? Circumſedit colonos noſtros, exercitum populi Romani,imperatorem, conſulem

Consulem designatum: agros diuexat ciuium optimorũ: hostis teterrimus omnibus A
bonis cruces ac tormenta minitatur. Cum hoc M. Lepide pax esse quæ potest? cuius ne supplicio quidem ullo satiari posse uidetur populus Romanus.

Ex eo non iter.] Iter eius Mutinam, atq; ex celeritate metum indicat: quæ ex re in contemptionem trahit. In contemptionem, inquiũt rhetores, adducemus, si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriam aduersariorum proferemus: hic ignauiam, id est timiditatem profert Orator. Cum legione Martia.] Vituperatio est Antonij quæsita ex fortitudine & nomine legionum Cæsaris. Decimus se Brutus obiecit.] Obijcit illi currenti Brutum, tanquam rupem aliquam, aut numen cœleste, à quo sistere cursum coactus fuit Antonius. Quem illum aut regredi aut progredi.] Obsessus Brutus Antonium obsedit. Sic Philippica quinta: Alteri se Brutus obiecit, impetumq; furentis, atq; omnia diuexare ac diripere cupientis, uitæ suæ periculo colligauit: à progressu arcuit, à reditu refrenauit. Obsideri se passus, ex utraq; parte constrinxit Antonium. Tanquam frenos.] Translatio ab equis. sicut in quinta, refrenauit. sunt elegantes translationes. Quem cum operibus.] Quomodo Antonius Brutum Mutinæ obsederit, exponit. Sunt autem opera, & munitiones, quæ hostes faciunt ad urbes oppugnandas, cuiusmodi sunt uineæ, turres, aggeres.

Nec eum florentißimæ col.] Auget scelus Antonij à Mutinensium dignitate. Neq; consulis.] A persona & maiestate consulis Bruti. A parricidio.] Id est, ab oppugnatione & obsidione Mutinensi, sed auxit uerbo facinus. B *Tum me.] A suo de Antonio iudicio, quo innuit talem futurum, qualem initio indicauit, & post fuit.*

Testor & uos.] Grauitatem hæc testificatio addit causæ, & amplitudinem orationi. Deos qui huic urbi præsident.] Etsi Romani errabant in deorum cultu & scientia, tamen certum est regna, imperia, & ciuitates habere principes genios, custodes & præsides, quemadmodum Daniel uates testatur. Quin & Paulus uult omnia decenter in cœtu Christianorum fieri, uel propter geniorum qui præsunt præsentiam. Legati mißi tres.] De hac legatione uide Philippica quinta & sexta. Consulares ad latronem.] Ex legatorum & Antonij persona legationem uituperat, & auget crimen Antonij. Quis tam barbarus?] Exaggerat Antonij insolentiam & contumaciam comparatione, ut paulo ante: Quæ enim in barbaria quisquam tam teter. Addit etiam interpretationem, quam uocant rhetores, dum non idem iterat uerbum, sed id commutat quod positum est, alio uerbo quod idem ualeat. Quod cum fit, necesse est eius qui audit animum commoueri, cum grauitas prioris dicti renouatur, interpretatione uerborum, ut hoc loco barbarus, immanis, ferus. Non audiuit, non respondit.] Mira barbaries, contraq; ius gentium, & communem humanitatem, legatos præsertim ciues, & consulares contemnere. Sed multo magis nos.] Legati enim personam gerunt eorum à quibus mittuntur: ut qui eos contemnit, contemnat eos à quibus mißi sunt. Sic rex quoq; noster loquebatur: Qui uos accipit, & me is accipit: & qui me accipit, & eum accipit qui me misit. Spreuit, & pro nihilo putauit.] Sic etiam Philippica octaua de hac legatione: Qui intercurrerent, inquit, misimus tres principes ciuitatis: hos contempsit, reiecit, repudiauit Antonius. C *Postea quod scelus?] Tantum abest ut pœnituerit, ut post nostram admonitionem deteriora patrarit. Parricida.] Recte. nam paulo ante scelus, parricidium appellauit. Circumsedit colonos uestros.] Frequentatione in unum locum eius scelera & facinora congerit, quæ circa Mutinam designauit. In qua figura inest dinumeratio eorum quæ summa quadam continentur: ut hoc loco colonos uestros, exercitum populi Ro. imperatorẽ, consulẽ designatũ: quæ omnia Mutina in se continebat. Deinde imperator & cõsul designatus, unus erat D. Brutus: & qui imperatorem dicit, & exercitum intelligit obsessum. Hæc figura ex adiunctis negociorum & personarum oritur, magnamq; habet ad augendum & permouendum uim. Omnibus bonis.] Bonos politice interdum uocabant Romani, qui bene sentirent de republica, qui partes reipublicæ tuerentur, etiamsi alioqui uitia priuata haberent. Cruces ac tormenta.] Suspendium, & ante suspendium tormenta acerbosq; cruciatus. Plautus in Amphitryone dixit in hoc sensu: Ego te certò cruce & cruciatu mactabo. Cum hoc M. Lepide pax.] Concludit ut ante fecit, pacem cum Antonio esse nullo modo posse: & auget ab indignatione populi Romani.*

Quod si quis adhuc dubitare potuit: quin nulla societas huic ordini populoq;
Romano cum illa importunissima bellua possit esse, desinat profecto dubitare, his eo D
gnitis literis, quas mihi missas ab Hircio consule modo accepi. Eas dum recito, dumq; de singulis sententijs breuiter disputo Patres conscripti, ut adhuc fecistis, me attente audiatis. ANTONIVS HIRCIO ET CAESARI. neque se imperatorem, neq; Hircium Consulem, nec proprætorem Cæsarem. Satis quidem hæc scite: deponere alienum nomen ipse maluit, quàm illis suum reddere. COGNITA MORTE CAII TREBONII, NON PLVS GAVISVS SVM QVAM DOLVI. Videte quid se gauisum, quid se doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis. DEDISSE POENAS SCELERATVM CINERI ATQVE OSSIBVS CLARISSIMI VIRI: ET APPARVISSE NVMEN DEORVM INTRA FINEM ANNI VERTENTIS, AVT IAM SOLVTO SVPPLICIO PARRICIDAE, AVT IMPENDENTE LAETANDVM EST. O Spartace, quẽ enim te potius appellem? cuius propter nefanda scelera tolerabilis fuisse uidetur Catilina: lætandum esse ausus es scribere Treboniũ dedisse pœnas? sceleratũ Trebo-

A nium? quo scelere? nisi quòd te Idibus Martijs à debita tibi peste seduxit? Age hoc læ taris. uideamus quid moleste feras. HOSTEM IVDICATVM HOC TEMPORE DOLABELLAM, EO QVOD SICARIVM OCCIDERIT: ET VIDERI CHARIOREM POPVLO ROMANO FILIVM SCVRRAE, QVAM CAIVM CAESAREM PATRIAE PARENTEM, INGEMISCENDVM EST. Quid ingemiscis hostem Dolabellam iudicatum? quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, Consulibus missis, Cæsare ornato, sagis denique sumptis, hostem iudicatum? Quid est autem scelerate, quòd gemas hostem Dolabellam iudicatum à senatu? quem tu ordinē omnino esse nullum putas. Sed eam tibi causam belli gerendi proponis, ut senatum funditus deleas: reliqui boni, & locupletes omnes summum ordinem subsequantur. At scurræ filium appellat, quasi uero ignotus nobis fuerit splendidus eques Romanus Trebonij pater. Is autem humilitatē despicere audet cuiusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos?

B

Quod si quis adhuc.] *Persequitur insectationem Antonij, & literas eiusdem recitat, & satis criminose, acute tamen explicat, ut odium in eum senatus incendat, ostendatq; multis coniecturis & signis, pacem cum tali inimico nullam fieri posse, nisi turpem & periculosam.* *Eas dum recito.*] *Renouat attentionem, eamq; aperte postulat, præsertim cum se breuiter disputaturum esse pollicetur.* ANTONIVS HIRCIO ET CAESARI.] *Epistolæ hæc est inscriptio, quam Græci* ἐπιγραφὴν *uocant. Ex hoc etiam loco satis apparet, ueterum fuisse consuetudinem, ut nomen scribentis, & eius ad quem scriberentur literæ, non ad finem literarū subscriberent, ut hodie ferè fit, sed initio, ut statim apertis literis prima nomina eorum occurrerent. Nam Cicero hoc loco ita legit Antonij epistolam, ut erat perscripta. Quod si quis adhuc dubitat, consideret mihi locum illum in tertia Catilinaria, ubi Orator rem ipsam ordine exponit. At ne longum sit Quirites, inquit, tabellas proferri iussimus, quæ à quoq; dicebantur datæ. Primum, ostendimus Cethego. Signum cognouit. Nos linum incidimus, legimus: erat scriptum ipsius manu: Allobrogum senatui & populo. Hic enim aperte dicit, inscriptionem non ante lectam, quàm linum, id est filum esset incisum, quo literas tunc apertas significauit. Quod autem nomen suum non expreßit Cethegus, atq; alij coniurati, idcirco fecerunt, ut si literæ interciperentur, ipsi extra periculum essent. Poterant enim manum negare, etiam si capti non negarunt. Hinc Lentu-*
C *lus ad Catilinam: Qui sim, ex eo quem ad te misi cognosces. Omitto epistolas ipsas in Ciceronis libris omnibus, ubi ne una quidem legitur, cui adiectum sit ad finem scribentis nomen. Nulla enim fuit causa, cur is qui eas in ordinem redegit, potius in principio & capite, quàm in calce nomina collocasset, si secus ab autore scriptum reperisset. Verisimile est eum autoris morem conseruasse. Illud autem perabsurdum est, quod quidam salutem initio ponunt: nomen suum post finem, longa sanè parenthesi, ut inter salutationem, & eius qui salutem dicit, tota intersit epistola, cum nomen & uerbum in eadem esse periodo debeant. Sed quærat aliquis, tabellis complicatis & obsignatis, quid in tergo scriberetur. Equidem existimo nihil ueteres scripsisse: quòd perferendis literis, domesticis & notis hominibus uterentur: qui cui reddendæ essent ab eo qui dabat cognoscebant. Et fieri potest, ut interdum qui ferrent, notis quibusdam literas distinguerent, quibus inspectis, ipsi cui reddendæ essent, statim cognoscerent. Nam in tergo nomina eorum ad quos scriberent, ut nos hodie facimus, ueteres inscripsisse, exemplis probari non potest. Hunc tamen nostrum morem non reprehendo, qui & certus & expeditus est, præsertim cum hodie ferè cuiuis literæ committantur: sed tamen nostrum nomen debet in capite literarum cum salutatione coniungi, si apte & cum decoro scribere uolumus.* *Neq; se Imperatorē, neq; Hircium Consulem, nec Proprætorem Cæsarem.*] *Scilicet uocat, uel adscribit. Ex hoc quoq; loco discimus, nomen officij, honoris, & dignitatis eius qui literas dat, atq; eius ad quem scribit, adscribendum esse: hocq; & ueterum usum, & rationem postulare: uerum officiorum tantum nomina, non etiam assentationum: cuiusmodi sunt ea quibus hodie paßim utimur, Doctißimo, cla-*
D *rißimo, illustrißimo, serenißimo, & id genus sexcenta: in quibus omnes peccamus, etiam scientes, tanta est huius seculi corruptio, usq; eò creuit assentatio. Illa honesta & decora essent: Maximiliano Cæsari, uel Imperatori Rom. Eduardo Regi Angliæ: Cosmo Duci Florentinorum: Hermanno Pontifici Coloniensi: Paulo Consuli, Prætori, Aedili, Dictatori, Magistro equitum, Senatui populoq; Basiliensi: Senatui Mediolanensi. atq; eodem modo in reliquis: quibus antiqua illa simplicitas & grauitas conseruetur: pellatur hæc noua lenitas, & assentatio plusquam Gnatonica.* *Deponere alterum nomen.*] *Quoniam in latrocinio proprie imperator non dicitur. Neq; enim imperator est, nisi cui lege & more imperium est demandatum.* *Non plus gauisus sum quàm dolui.*] *Vtitur Antonius diuisione, cum se pariter gauisum fuisse & doluisse dicit.* *Dedisse pœnas.*] *Explicat prius diuisionis membrum, gaudere se dicit, Trebonium interfectum esse.* *Clarißimi uiri.*] *Iulij Cæsaris.* *Numen deorum.*] *Potestatem & ultionem.*

Intra finem anni uertentis.] *Id est, ante finem anni, antequam elaberetur annus uertēs, qui etiam naturalis & solstitialis appellatur. Quum enim omnes planetæ suum annum, perlustratis duodecim signis efficiant, alij longiorem, alij breuiorem: solis per omnes planetas cursum, annum uertentem proprie nominarunt, quem ita describit Vitruuius libro nono, capite quarto: Sol autem, inquit, signi spacium, quod est duodecima pars mundi, mense uertente uadens transit: ita duodecim mensibus duodecim signorum interualla peruagando, cum redit ad id signum unde cœperit, perficit spacium uertentis anni. Vertens quoq; annus uocatur perfectus omnium astrorum cursus: atq; idem magnus & mundanus annus, quasi totius mundi conuersione finiatur. De quo in Somnio Scipionis Cicero: Homines enim, inquit, populariter annum tantummodo solis, id est, unius astri reditum metiuntur: cum annus ad idem, unde semel profecta sunt cuncta*

astra

astra redierint, eandemq; totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint: tum ille uerè uertens annus appellari potest, in quo uix dicere audeo, quàm multa secula hominum teneantur. Qui plura desiderat, uideat Macrobij in Somnium Scipionis commentaria. A *Supplicio parricidij.] Parricidium appellat Iulij Cæsaris necem, ad id respiciēs, quòd à suis Pater patriæ fuit appellatus, ut & ipse mox eum appellabit. Idibus Martijs.] Quo die Cæsar fuit interfectus. A debita tibi peste.] Id est, à cæde & nece, quam meritus cum Cæsare fuisti. Seduxit.] Seuocauit, abduxit: ut Philippica secunda: Quanquam si interfici Cæsarem uoluisse crimen est, uide quæso Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbonæ hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, & ob eius cōsilij societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio uidimus seuocari. Hostem iudicatum.] Alteram declarat diuisionis partem: dolet enim Dolabellam hostem iudicatum. Hac diuisione paulo secus usus est Cicero ad Curionem Epistolarum libro secundo: Ego te abfuisse tam diu à nobis & doleo, quòd carui fructu iucundissimæ consuetudinis: & letor, quòd absens omnia cum maxima dignitate es consequutus. Antonius partes ambas primum nudas proposuit, post singulas explicauit. At Cicero singulas proposuit & explicauit. Hæc admonui, ut uarietatem hanc in tali figura notarent adolescentes, & imitarentur. Filium scurræ.] C. Trebonium. Qui salibus & facetijs modum quendam adhibent, hi urbani uocantur, quasi urbanis moribus præditi. Qui autem nec facetum quid dicunt ipsi, & tamen eos qui dicant moleste ferunt, agrestes & duri uidentur. At illi qui risu & iocis ultra modum prodeunt, scurræ ac importuni habendi sunt: præsertim cum omni ex parte ridiculorum cupiditate inflammati, dent operam potius ut risum moueant, quàm ut quæ honesta sunt, dicant, aut ne eum in quem dicunt, offendant.* B *Tantum refert, quid quoq; loco, & quomodo dicatur. Aristoteles Ethicorum libro quarto. Sed hoc loco Antonius insectandi studio nomen ex propinquo deflexit: & scurram appellauit, hominem urbanum. Delectu tota Italia habito.] Ex signis & adiunctis probat non minus Antonium, quàm Dolabellam hostem iudicatum. Vt senatum.] Coarguit ex fine. Humilitatem.] Generis obscuritatē, ignobilitatem. Ex Fadia sustulerit liberos.] Tantum refert ad laudem siue uituperationem, quam quisq; ducat uxorem: etsi Imperator in Codice fœminas clarorum uirorum connubio uelit nobilitari. Ex Fadia autem legendum, non ex eadem, ut quidam & legunt, & declarāt. Obijcit enim Antonio ignobilitatem uxoris: ut supra in tertia Philippica: Eum dicere aliquid, inquit, de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorē, ipse ex libertini filia susceperit liberos. Item in secunda: Cum te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos nepotes Q. Fadij libertini hominis fuisse. Mulieribus autem non fuisse prænomina docet Plutarchus. Appellabantur autem uel gentis nomine, ut Licinia, Cornelia: uel cognomine, ut Metella, Lepida. Hoc autem idcirco dixi, ut cum de nomine patris, nempe Q. Fadij Bambalionis inter omnes constaret, ex eo nata cur appellata sit Fadia, nemo requireret.*

ACERBISSIMVM VERO EST, TE AVLE HIRCI ORNATVM ESSE BENEFICIIS CAESARIS: ET TALEM AB EO RELICTVM, C QVALEM IPSE MIRARIS. Equidem negare non possum à Cæsare Hircium ornatum. sed illa ornamenta in uirtute & industria posita lucent. Tu uero qui te ab eodem Cæsare ornatum negare non potes, quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? Ecquo te tua uirtus prouexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, uino, tempus ætatis omne consumpsisses, ut faciebas, cum in gremijs mimarum, mentem mentumq; deponeres. ET TE O' PVER, puerum appellat, quem non modo uirum, sed etiam fortissimum uirum sentit, & sentiet. Est istud quidem nomen ætatis, sed ab eo minime usurpandum, qui suam amentiam huic præbet ad gloriam. QVI OMNIA EIVS NOMINI DEBES. debet uero, soluitq; præclare. si enim ille patriæ pater est, ut tu appellas: ego quid sentiam, uidero: cur non hic parens uerior? à quo certe uitam habemus è tuis facinorosissimis manibus ereptā? ID AGERE, VT IVRE DAMNATVS SIT DOLABELLA? Turpem uero actionem, qua defenditur amplissimi autoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam. D ET VT VENEFICVS HAC LIBERETVR OBSIDIONE: Veneficum audes appellare eum uirū, qui tuis ueneficijs remedia inuenit? quē ita obsides noue Annibal, aut si quis acutior imperator fuit: ut te ipse obsideas: neq; istinc, si cupias, possis explicare. Recesseris, undique omnes insequentur: manseris, hærebis. nimirum rectè ueneficum appellas, à quo tibi præsentem pestem uides comparatam. VT QVAM POTENTISSIMVS SIT CASSIVS ATQVE BRVTVS. Putes Censorinum dicere, aut Ventidium, aut etiam ipsos Antonios. Cur autem nolit potentes esse non modo optimos & nobilissimos uiros, sed secum etiam in reipublicæ defensione coniunctos?

Acerbissimum uero.] Conuertit se ad obiurgandum Hircium & Octauium Cæsarem Antonius, & ingrati animi in Cæsarem mortuum eos arguit. Equidem negare non possum.] Concedit ornatum à Cæsare Hircium: uerum ita diluit, ut debitum potius esse dicat, quàm beneficium. In uirtute & industria.] Id est, in uirtute & uirtutis

operibus

A *operibus & factis: quasi dicat, si eum Cęsar ornauit, nihil de suo dedit: sed quod ipse Hircius suis erga Cęsarem officijs meritus est. Deinde nunc etiam eadem uirtute ea tuetur, quę in te, qui magna quoq; beneficia accepisti, uitijs & flagitijs obscurantur.* Tu uero.] *Comparat Antonium cum Hircio, ut contrario exemplo uituperet.* Ecquo.] *En quo. Exprobrantis est ecquo, hoc in loco: quasi dicat, tua uirtus, tuumq; genus te ad lustra & popinas prouexisset.*

In lustris, popinis.] *In lupanaribus & ganeis, in ludo & potationibus. Ex his trahit illum in contemptionem. hęc enim omnia in luxu & nequitia continentur.* Cum in gremijs mimarum.] *Cum ebrius inter preclaras contubernales iacere inuentus est: qua de re diximus Philippica quinta.* Mentum mentemq; deponeres.] *Agnominatione festiua condit orationem, quo minus molestum sit toties Antonij nequitias flagitiaq; audire.* Et te o puer.] *Obiurgat Octauium, quem puerum contemptionis causa, & uituperationis uocat.* Puerum appellat.] *Distinctione dissoluit: & Octauium puerum quidem ętate & annis esse, uerum animi uirtute & preclaris factis uirum: idq; probat ipsius Antonij exemplo, quem puer hic affligit & terret magna cum gloria.* Est istud quidem nomen ętatis.] *Sic alibi suprà: Est enim nomen ętatis, facta immortalitatis. Paulus De rerum & uerborum significationibus: Pueri appellatio, inquit, tria significat: unum, cum omnes seruos pueros appellamus: alterum, cum puerum contrario nomine puellę dicimus: tertium, cum ętatem puerilem demonstramus.* Sed ab eo minime usurpandum.] *Quasi dicat, Si puer est Octauius, tanto ei gloriosius, tibi ignominiosius à puero affligi, & in fugam agi.* Qui omnia eius nomi-

B *ni debes.] Antonius hęc Octauio. alludit autem ad id quod testamento ei Cęsar nomen cum hęreditate reliquerat.*

Si enim ille.] *Dissoluit ex iusto Cicero, & ex pari. Ex iusto, cum dicit, debet, soluitq;: ex pari uero sic, si ille fuit parens patrię, ut tu appellas: & hic parens patrię: nam patriam defendit contra tuum impetum.* Id agere.] *Repete, acerbissimum est, quod paulo ante dixit.* Turpem uero actionem.] *Defendit à senatus persona, & Dolabellę: & utitur ironia suo more.* Et ut nenefica hęc.] *Venefica legunt quidam, & per contemptionem dictum intelligunt: ut illud ad Atticũ: Duce filiola Curionis. Item illud de Oratore libro secundo: Quid tu Egilia mea, quando uenis ad me cum tua colu & lana? Nam de uiris utrobiq; loquitur. Mihi uero placet illa lectio quę in uetustis exemplaribus, & consentientibus habetur, Et ut ueneficus hac liberetur obsidione. Item quę sequuntur,* Veneficum audes appellare eũ uirum.] *Id est, D. Brutum. Veneficus aũt siue uenefica duo significat, & eum qui uenena spargit ut homines tollat: & qui magicis artibus operam dat. Graue est hoc crimen quo hic ab Antonio notatur Brutus, quasi uenena miscere consueuerit. sed ab inimico obijciuntur, qui nulli contumelię uerborum parcit.* Qui tuis ueneficijs remedia.] *Dissoluit, idem obijciens, & ex ambiguo ueneficium pro maleficio capiens. Veneficia Antonij fuerunt, cum Galliam uoluit occupare, cui Brutus remedium inuenit, se passus obsideri, ut illum implicatum teneret, ne ulterius eius furor procederet.* Recesseris.] *ἀνυποτάκτως dixit, quo modo frequenter utuntur Latini autores, cum permittere se aliquid & concedere significant. Recesseris igitur, pro si recesseris: & item eodem modo reliqua. Vtitur uero dilemmate hoc loco, siue complexione oratoria. Ita enim te implicauit Brutus, ut siue recedas, siue maneas, nullum commo-*

C *dum, sed potius incommodum sis accepturus.* Nimirum.] *Scilicet, uel certe, uel sed.* Recte ueneficum appellas.] *Ex eodem ambiguo. Recte ueneficum appellas, qui tibi uenenum comparat: id est, cladem & exitium. Subest etiam coniugatum in illis uerbis, ueneficus, pestis, ut in uenefico & uenenum.* Vt quàm potentissimus sit Cassius atq; Brutus.] *Scilicet acerbissimum est te id agere, ut, &c. Inuidiam his uerbis Cassio & M. Bruto conflat Antonius.*

Putes Censorinum dicere.] *Dissoluit ironica comparatione, & à meritis Cassij & M. Bruti.*

NIMIRVM EODEM MODO HAEC ASPICITIS VT PRIORA. QVAE TANDEM CASTRA POMPEII SENATVM APPELLATIS? An uero tua castra potius senatum appellaremus? in quibus tu es uidelicet Consularis: cuius totus Consulatus est ex omni monumentorum memoria reuulsus: duo Prætores sine causa diffisi se aliquid habituros: nos enim Cæsaris beneficia defendimus: Prætorij, Philadelphus Annius, & innocens Gallius: Æ dilitij, C. Oricus laterum, & uocis meæ testis Bestia, & fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius, & homo diruptus dirutusq; Q. Celius, columenq; amicorum Antonij, Cotyla Varius, quem Antonius deliciarum causa loris in conuiuio cædi iubebat à suis publice: Septemuira

D les, Lento, Nucula, tum deliciæ atque amores populi Romani L. Antonius: Tribunitij primum duo designati, T. Hostilius, qui suo iure in porta nomen inscripsit, qui cum prodere Imperatorem suum non potuisset, reliquit. Alter est designatus, Viseius nescio quis, fortis ut aiunt latro: quem tamen temperantem fuisse ferunt Isauri balneatorem. Sequuntur alij Tribunitij, C. Plancus in primis, qui si senatum dilexisset: nunquam curiam incendisset. Quo scelere damnatus, in eam urbem rediit armis, à qua excesserat legibus. Sed hoc ei commune cum plurimis dissimillimis. Illud tamen uerum, quod in hoc Planco prouerbij loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. Fracta sunt, & uiuit. hoc tamen, ut alia multa, Aquilæ fertur acceptum. Est etiam tibi Decius ab illis, ut opinor, Muribus Decijs. Itaque Cæsaris munere Deciorum quidem multo interuallo per hunc præclarum uirum memoria renouata est. Saxam uero Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex ultimis gentibus?

bus: ut eum Tribunum plebis uideremus, quem ciuem nunquam uideramus. Est qui- A dem alter Saxa. omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, ut eorum in prænominibus errem. Nec uero Exitius Philadelphi frater Quæstor prætermittendus est: ne si de clarissimo adolescente siluero, inuidisse uidear Antonio. Est etiam Asinius quidam Senator uoluntarius, lectus ipse à se. Apertam curiam uidit post Cæsaris mortem. mutauit calceos: pater conscriptus repente factus est. Non noui Sextum Albidium, sed tamen neminem tam maledicum offendi, qui illum negaret dignum Antonij senatu. Arbitror me aliquos præterijsse, de his tamen qui occurrebant, tacere non potui.

Nimirum eodem modo.] *Sic nunc autores belli ciuilis estis, ut Cæsaris & Pompeij fuistis.* *Hæc aspicitis*] *Octauij & Hircij castra.* *Vt priora.*] *Vt Pompeij in bello ciuili appellastis.* *Castra Pompeij senatū.*] *Et ita reuera fuit, ut historici testantur, & dicet paulo post Cicero. nam magna pars senatus, & Consules ipsi, & Pretores urbani contra Cæsarem fuere.* *An uero tua castra potius.*] *Et hoc odiosa comparatione Antonianorum cum Pompeianis.* *Tu es uidelicet Consularis.*] *Hæc ironia negat Antonium Consularem esse: deinde causam affert,* B *quòd eius Consulatus fuerit ex tabulis in quibus magistratus & magistratuū acta notabātur, ablatus & euulsus. Et cum dicit reuulsus, referendum nō solū ad annales & tabulas æneas quæ figebantur, sed etiā clauos quibus fixis apud priscos Consules & Consulatus notabantur, cuius rei mentio fit apud Liuium libro septimo.* *Duo prætores.*] *Censorinus & C. Antonius, qui Prætores fuerunt Consule Antonio. Comitatum Antonij per honorum gradus distribuit.*

Sine causa diffisi] *Nam cum acta Cæsaris statueremus firma esse, beneficia quæ ille concessit, mutari noluimus. sed Cicero callide causam odiosam addidit.* *Prætorij.*] *Qui Præturam gesserunt, ut Consulares qui Consulatum.*

Et innocens Gallum.] *Ironia, qua nostri homines etiam uti solent, cum quempiam malitiosum & improbum significare uolunt.* *Laterum & uocis meæ testis Bestia.*] *Hoc exprobrandi causa dicit in Bestiam: nam hunc ambitus accusatum à Sestio defendit Cicero, ut alibi indicauimus. Et orationem suam ab instrumētis describit. Lateribus enim & pulmonib. quasi follibus per arterias excitatur & emittitur uox, principiū à mente ducēs. deinde in ore sita lingua est finita dentibus. Ea uocem immoderate profusam fingit & terminat: quæ sonos uocis distinctos & pressos efficit, cum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. Itaq; plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus ijs quæ ad neruos resonant in cantibus. Vsum enim orationis incredibile est, nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit.* *Et fidei patronus.*] *Fidei proditor, fraudator, perfidiosus, per ironiam enim illud dixit. Philippica sexta dicit: O fides. hinc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen, &c.* *Fraudator creditorū*] C *Aperit ironiam. Et creditores sunt, qui dant pecuniam: debitores, qui accipiunt & debent.* *Et homo diruptus dirutusq; Q. Cælius.*] *Agnominatione ludit in uerbis magna cum suauitate, quæ cum uoce non multum dissideant, significatione sunt dissimillima: cuiusmodi sunt diruptus & dirutus: quorū illud herniosum, hoc ignominia notatum & decoctorem significat. Quem enim ὀσχεὸν Græci, scrotū nostri uocāt: cutis est sinus testiculos ambiens. Sub hoc igitur plura uitia esse consueuerunt: quæ modo ruptis tunicis, quas ab inguinib. incipere proposui: modo his integris fiunt. Siquidem interdum, uel ex morbo primū inflammatur: deinde postea pondere abrumpitur, uel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit, tum pondere eo deuoluitur, aut omentum, aut etiam intestinum. Atq; ibi reperta uia paulatim ab inguinibus in inferiores quoq; partes demissum, subinde neruosas tunicas, & ob id eius rei patientes diducit, ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην Græci uocant: apud nos indecorum, sed commune his herniæ nomen est. Hæc de ruptis, siue ut Cicero diruptis. Reliqua uitia si quis nosse optat, legat Cornelium Celsum aut Galenum. Dirutum uero ære militem antiqui dixere, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum, quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Cicero in Verrina septima: Alcatoris Placentini castra memorabuntur, in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est. Hinc illud ab Ausonio eleganter translatum: Procedere mihi inter frequentes stipendium iubebis, inquit: sin aliter, ære dirutum facies, ut cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant uersus unde uenerant.* *Columenq; amicorum.*] *Princeps, & patronus, & decus, & ornamentum. hinc columnæ dictæ, &* D *columellæ apud ueteres dicti serui maiores domus. Est autem moralis αὔξησις ἐν εἰρωνείᾳ.* *Quos Antonius*] *Scilicet Q. Cælium, & Cotulam Varium. hosce nominaui propter eos quibus uidetur Cicero de uno urbane loqui tanquam de duobus.* *Deliciarum causa.*] *Oblectationis gratia.* *Cædi iubebat.*] *Hoc ad uituperationem dictum est, & Antonij, & eorum qui cædebantur. Coniunge illa, Columen amicorum, & In conuiuio cædi iubebantur, & oratoris festiuitatem agnosces.* *Septemuirales.*] *Qui septemuiri fuerant diuidendis agris cum L. Antonio præfecti.* *Tum deliciæ atq; amores populi Romani.*] *Ita Philippica sexta: Sed redeo ad amores deliciasq; uestras L. Antonium. Illudit enim suauiter hominem, & ea illusione delectat.* *Qui suo iure in porta nomen inscripsit.*] *Obscurus est iocus hic, in hunc Tullum Hostilium: nisi forte illud intelligat, eum abeuntem Roma nomen suum in urbis porta inscripsisse, quo se hostem esse reipublicæ testaretur: aut tale aliquid quale Aeneas inscriptum reliquit postibus aduersis in Græcia, cum ait:*

Aeneas hæc de Danais uictoribus arma.

Suo iure.] *Quia & nomine & re hostis erat: ac fortassis in hunc inscripsit modum:* HOSTILIVS, *ut eo nomine se hostem innueret. fit enim ab hoste hostilius: hinc hostilia arma dicuntur.* *Imperatorem suum.*] *Hircium opinor, cui nomen dederat.* *Alter est designatus.*] *Scilicet Tribunus: duos enim dixit Tribunos designatos.* *Fortis, ut aiunt, latro.*] *Significat notissimum esse latronem. eam enim hic habet uim quod dicit, ut aiūt.*

A Et attende quanta urbanitate nequinem nominat, sine aliqua contumelia, & oratoria cauillatione. Temperan-
tem.] Libidinosissimum, impudicissimum. est enim ironia. Isauri.] Vrbs est Lycaoniæ prope Ciliciam ad Tau-
rum montem, unde etiam regioni nomen, quam P. Seruilius subegit, adeptus inde Isaurici cognomen. Legendum fortassis
fuerit Pisauri, quæ urbs est Piceni ad Isaurum siue Pisaurum, ut Plinius uult, amnem, Accij poetæ patria: hodie Pesaro uo-
catur. non enim fit uerisimile obseruatum fuisse, quid is egisset in balneis Isauricis in Asia. Balneatorem.] Bal-
neator est qui balneis præest, & adeuntes balnea curat & tractat. Vile est ministerium, nec admodum castum. Pro Cæ-
lio: Nisi forte mulier potēs quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Festiue Martialis balneato-
rem elixum uocat. Sequuntur alij Tribunitij.] Persequitur & reliquum Antonij comitatum describere & nota-
re, ut ex altera parte cum Pompeiano conferatur. Tribunitij.] Qui Tribuni fuerant. Nunquam curiam
incendisset.] Post interfectum Cæsarem, cum plebs tumultuaretur, T. iste Plancus ducem se præbuit concitatæ multitudi-
ni, & una cum Cæsaris cadauere curiam incendit, in qua senatus haberi solet. Rediit armis.] Ergo & hic hostis
est reipublicæ. Sed hoc et commune.] Quod damnatus in urbem rediit. nam & boni interdum condemnantur,
qui aliquando tamen in urbem rursum redeunt. sed ille armis rediit, illi iisdem legibus quibus excesserant.

Perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent.] Criminose hominem cauillatur. latronem enim illum & cruce di-
gnum acute innuit. Crura enim latronibus in cruce frangebantur. Sic etiam ludit in Erucium pro Sexto Roscio Ameria-
B no: Crura quidem uobis, inquit, nemo suffringet, &c. Probatur enim idipsum exemplo. Hierosolymis enim iis qui
cum Domino nostro cruci affixi fuerāt, crura fracta sunt: quod quidem fiebat priusquam morerentur. huc ad Dominum
cum uenissent, eumq́; iam mortuum uidissent, eius crura non fregerunt. hoc faciebant quo citius morerentur. ad quod e-
tiam hoc loco alludens Cicero, dicit, perire eum non posse, nisi crura fracta essent. Fracta sunt & uiuit.] Sed
non à lictore siue carnifice, sed ab Aquila centurione fortissimo. nam si à lictore, non uiueret. De hoc Aquila & Planco
Philippica undecima: Quid de Planco? quem præstantissimus ciuis Aquila Potentia expulit, & quidem crure fracto.

Est etiam ibi Decius ab illis opinor Muribus Deciis.] Muribus recte, non maioribus, ut pleraq; omnia exemplaria
habent. Deciis enim Murium cognomen fuit, id quod Liuij testatur historia libro octauo & decimo Ab urbe condita, &
aliis. De hoc Philippica undecima: Videte etiam P. Decij auctionem, clarissimi uiri, qui maiorum suorum exempla perse-
quens, pro alieno se ære deuouit. Hominē deductum ex ultimis gentibus.] Ex Celtiberis, qui in Hispania sunt, quæ
ultima gens est ad oceanum occidentalem, ultra Gallias. Obiicit autem peregrinitatem, & ciuem esse Romanum negat.

Alter Saserna.] Duorum quidem fratrum qui Sasernæ uocarentur, meminit ipse ad Atticum scribens, quorum alte-
ri Caio, alteri Publio prænomen esset. Horum etiam duorum mentio fit ab Hircio Bellorum ciuilium libro quinto.

Tantam habet similitudinem.] locus ex ambiguo. nam similitudo & lineamentorum oris, & corporis est, & mo-
rum. Hic utrumq; improbum esse significare uoluit. Inuidisse uidear Antonio.] Hoc est, ex inuidia tacuisse cla-
rissimum adolescentem. ironia. Senator uoluntarius.] A se factus, non à senatu lectus. sed festiuum illud est, à se
C lectus. nemo enim à se legitur. Apertam curiam.] Desertam à bonis, propter Antonij dominatum, apertamq́;
improbis. Mutauit calceos.] Aut transmarinum & externum fuisse innuit, qui calceos haberet gypsatos. Nam
creta argentaria pedes uenalitiorum trans mare aductorum illinere maiores consueuerunt, quod Plinius tradit. Hinc
Tibullus ait:

Vera loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Item Iuuenalis de Crispino inquit:

Nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis.

Aut reuera illud est deposuisse calceos Asinium, quibus utebatur prius, & quos ignobiliores gestabat. Neq; enim omnes
eodem utebantur calceamento. Nam patritij & nobiliores nigros ferebant calceos lunæ imagine inscriptos, tanquam ab
Euandro & Arcadibus oriundi, qui Palatinum collem tenuerunt, & se ante lunam natos crediderunt, ut Plutarchus in
D Quæstionibus censet. Martialis lunatam appellat pellem id calcei genus. Et patritiorum quidem calcei mullei uocaban-
tur, qui prius regum Albanorum fuere, ut ait Festus Pompeius. Tam maledicum.] Tam maleficum quidam ha-
bent: sed non est magnum discrimen. Dignum Antonij senatu.] Salsum & hoc, ut alia. Significat turpem at-
que improbum senatum, turpem & improbum Antonium decere, ut scilicet similes habeant labra lactucas, ut dicitur.

Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit: in quo decem fuimus Consulares: qui si omnes uiuerent, bellum omnino hoc non fuisset: autoritati cessisset audacia. Sed quantum præsidij fuerit in cæteris, hinc intelligi potest, quòd ego unus relictus è multis, contudi, & fregi adiuuantibus uobis, exultantis prædonis audaciam. Quod si fortuna nobis modo non eripuisset Seruium Sulpitium, eiusq́ collegam Marcum Marcellum, quos ciues? quos uiros? si duos Consules amicissimos patriæ simul ex Italia eiectos, si Lucium Affranium summum ducem, si Publium Lentulum ciuem cum in cæteris rebus, tum in salute mea singularem, si Bibulum, cuius est in rempublicam merito semper laudata constantia: si Lucium Domitium præstantissimum ciuem, si Appium Claudium pari nobilitate, & uoluntate præditum: si Publium Scipionem clarissimum uirum, maiorumq́ suorum simillimum respublica tenere potuisset: certe his Consularibus non esset Pompeianus despiciendus senatus.

Vtrum

Vtrum igitur æquius, utrum melius reipublicæ fuerit, Cn. Pompeium, an sectorem A
Cn. Pompeij uiuere Antonium? Qui uero Prætorij? quorum princeps Marcus Cato, idemq; omnium gentiũ uirtute princeps quid reliquos præclarissimos uiros commemorem? nostis omnes. Magis uereor ne longum me in enumerando, quàm ne ingratum in prætereundo putetis. Qui Ædilitij? qui Tribunitij? qui Quæstorij? Quid multa? talis senatorum & dignitas & multitudo fuit, ut magna excusatione opus his sit, qui illa in castra non uenerunt.

Hoc igitur fretus senatu.] Summa cum festiuitate enumeratis Antonij senatoribus, nunc ad Pompeianum senatum accedit, ut collatus cum Antoniano, uter præstet eluceat. *In quo decem fumus consulares.*] Eos mox nominabit.

Qui si omnes uiuerent.] Sic etiam Philippica secunda de his ipsis loquens inquit: Qui si uiuerent, quamuis iniqua conditione pacis, rempublicam hodie teneremus. *Autoritati ceßisset audacia.*] Hoc clarius dicit in secunda Philippica: Quæ sententia si ualuisset, ac non ij maxime mihi, quorum ego uitæ consulebam, spe uictoriæ elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine, uel potius nunquam in hac urbe mansisses. Notandus est etiam hoc loco Dochimus ille pes, quo tantopere delectatus est Cicero. Constat enim breui, duabus longis, breui & longa: ut, Ceßisset audacia. hic enim quinq; postremæ syllabæ hunc pedem numerumq; conficiunt: ut etiam paulo post, prædonis audaciam. B
Item pro Cecinna, in ipso orationis principio: Quantum in ui facienda ceßit audaciæ. Hunc pedem ut teneat Orator, sæpe QVE coniunctionem adhibet, & quatuor syllabarum uocem collocat in extremo: atq; in numerum dirigit quadrumq; sententias. *Autoritati ceßisset audacia.*] Id est, senatui ceßissent audaces, & impij ciues: per metonymiã dictum est. *Sed quantum præsidij.*] Bona coniectura ex minori, ut apparet, sed re uera ex pari: propterea quòd se cum cæteris adiungit præsentibus. *Seruium Sulpitium.*] Qui in legatione ad Antonium mortuus est, ut Philippica nona uidimus. *Marcum Marcellum.*] Qui cum illa pulcherrima oratione quam pro eo habuit ad Cæsarem, esset restitutus, à Magio Chilone familiari suo interfictus Athenis fuit, ut eius collega in consulatu ad Ciceronem scripsit Sulpitius Famil. libro quarto. *Quos ciues!*] Admiratio ad eorum quos nominauit laudem spectans.

Si duos consules.] Caium Marcellum, & Lucium Lentulum, qui M. Marcello & Ser. Sulpitio successerant.

Si Lucium Affranium.] Hic & Petreius, & Scipio, & Cato in Africa periere, Cæsare Pompeianorum reliquias persequente. Marcus uero Bibulus, & Lucius Domitius, & Publius Lentulus, & Appius Claudius in Pharsalica pugna cecidere. *Vtrum igitur æquius.*] Comparat ut uituperet Antonium. *Virtute princeps.*] Id est, summa constantia, quam ad finem usq; tenuit. Et facit conduplicationem commiserationis causa *Magis uereor ne longum.*] Cur non omnes enumeret, ut uitet & amoliatur auditorum tædium. Videri, inquit, ingratus non possum: nimis autem prolixus possum. *Qui ædilitij!*] Citißima aliorum ex officijs & dignitatibus notatio. *Talis senatorum.*] Epiphonemate concludit hunc locum, cum reprehensione eorum qui castra Pompeij non fuerunt secuti.

C

Nunc reliqua attendite. VICTVM CICERONEM DVCEM HABVISTIS. Eo libentius ducem audio, quod certe ille dicit inuitus. nam de uicto nihil laboro. Fatum enim meum est sine republica nec uinci posse, nec uincere. MACEDONIAM MVNITIS EXERCITIBVS: eam quidem fratri tuo, qui à uobis nihil degenerat, extorsimus. AFRICAM COMMISISTIS VARO BIS CAPTO: hic cum Caio fratre putat se litigare. IN SYRIAM CASSIVM MISISTIS: Non igitur sentis huic causæ orbem terræ parere? te extra munitiones tuas, uestigium ubi imprimis non habere? CASCAM TRIBVNATVM GERERE PASSI ESTIS? Quid ergo? ut Marcum Arullum, ut Cæsarem etiam à republica remoueremus eum, per quem ut neq; idem posthac, neq; multa huiusmodi accidere possent, consequuti sumus? VECTIGALIA IVLIANA LVPERCIS ADEMISTIS: Lupercorum mentionem facere audet? neq; illius diei memoriam perhorrescit: quo ausus est obrutus uino, unguentis oblitus, nudus gemẽtem D
populum Romanum ad seruitutem cohortari? VETERANORVM COLONIAS DEDVCTAS LEGE, SENATVSCONSVLTO SVSTVLISTIS: Nos sustulimus? an contra legem comitijs centuriatis latam sanximus? Vide ne tu ueteranos, tamen eos qui erant perditi, perdideris, in eumq; locum deduxeris, ex quo iam ipsi sentiunt se nunquam exituros.

Nunc reliqua attendite.] Redit ad Antonij literas, & renouat attentionem. *Victum Ciceronem.*] Hoc tanquam ignominiosum obijcit Antonius Hircio & Cæsari, qui se à uicto Cicerone duci patiantur. Nam qui ducem sibi deligunt, ij debent uictorem & felicem, non uictum sequi: quando uincendi felicitas una in imperatoris partibus numeratur. *Eo libentius.*] Non negat, sed fatetur, ut illum urat. quod ad id quod eum uictum dicit, etiam id fatetur, sed ita ut unà rempublicam secum uictam fateatur: quod quidem turpe non est, cum meliore parte uinci à deteriore. Victum autem intelligit, cum partes Pompeij est secutus. *Macedoniã.*] Idcirco hoc queritur, quòd ea esset Caio decreta.

A *Varo bis capto.] Plures Vari fuere, sed duo Pompeij & senatus partes secuti sunt, Attilius Varus, & P. Varus, de*
quo nunc intelligit Cicero. Hic uir fuit consularis, à triumuiris postea proscriptus, & à liberto proditus, sese in montes
proripuit, & in palude latuit Minturnensi: à Minturnensibus captus, cum esse se latronem asseueraret, et ad supplicium
traheretur, fassus tandem qui esset, & à quodam milite agnitus, occisus est. Fuerat autem & antea captus, cum Pompeij
partes sequeretur, & dimissus est. Lege Appianum. Hic cum fratre putat se litigare.] Significat illum nulla ra
tione habita personarum, & sine decoro loqui. In Syriam Caßium.] De hac re Philippica undecima.
Non igitur sentis.] Quasi diceret, Tanto tu debilior es, & nostra causa firmior. Extra munitiones tuas]
Extra tua castra, quæ aggere, fossa, & uineis muniuisti. Cascam.] Hic Casca primus Cæsari uulnus infra iugu
lum inflixerat. Idcirco dolet Antonio eum tribunatum gessisse. Vt Marulum, ut Cæsetium.] Id est, ut Cæsar à tri
bunatu & republica Marulum & Cæsetium remouit: sic & nos remoueremus Cascam? tanquam diceret, id equidem es-
set iniquißimum. Nam cum sacrificio Latinarum reuertente eo inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam
è turba statuæ eius coronam lauream candida fascia prælıgatam imposuisset, & tribuni plebis Epidius Marullus, Cæse-
tiusq; Flauus coronæ fasciam detrahi, hominemq; duci in uincula iußissent, dolens seu parũ prospere motam regni men-
tionem: siue, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos grauiter increpitos potestate priuauit. Suetonius in Cæ
B *sare. Vectigalia Iuliana.] Id est, Lege Iulia Lupercorum collegio attributa. Scribit Dion, Senatum maximos*
atq; amplißimos honores Cæsari decreuisse, & in eis tertiam quandam Lupercorum sodalitatem, quam Iuliam nomina
runt, ut fortasse Iulianis pro Iuliana reponendum sit. Lupercorum mentionẽ.] Diluit, obiecto maiore crimine,
ut fit cum quid negare non possumus. Quanquam non peccarunt ipsi adimentes Lupercis, quæ fuerant reipublicæ, non
Cæsaris. A re igitur ad personam conuertitur: & breuiter describit hominem, ut in odium & contemptionem trahat.
De hoc facto satis Philippica secunda, & alijs. Vnguentis oblitus.] Id est, delibutus: à lino illud, ut alibi indica-
uimus. Veteranorum colonias.] Hoc obijcit Antonius, ut in eos odia concitet ueteranorum: tanquam contra le-
ges, & acta Cæsaris fieret. Hoc Cicero negando refellit. Sic præcipit Cicero in Part. oratorijs: Aut totum, inquit, est ne-
gandum, quod in argumentatione aduersarius sumpserit, si fictum aut falsum esse poßis dicere. Et alibi dicit, quod uerbo
obijcitur, satis esse si uerbo negetur. Quanquam Cicero non solum neget, sed contrarium potius factum dicat. Antonius
dicit sublatas colonias: Cicero contrà, dicit centuriatis comitijs lege lata confirmatas. Vide ne tu ueteranos.]
Loquitur de ijs qui Antonium secuti fuerant. sic in Antonium odium ueteranorum conuertit.

MASSILIENSIBVS IVRE BELLI ADEMPTA REDDITVROS VOS
C POLLICEMINI: Nihil disputo de iure belli. magis facilis disputatio est, quàm ne
cessaria. illud tamen aduertite patres conscripti, quàm sit huic reipublicę natus hostis
Antonius: qui tantopere eam ciuitatem oderit, quam scit huic reipublicæ semper fu-
isse amicissimam. AN NESCITIS NEMINEM POMPEIANVM, QVI
VIVAT, TENERE LEGE HIRCIA DIGNITATES. Quisquam iam le
gis Hirciæ mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum, quàm eos, de
quibus lata est, pœnitere. Omnino quidem mea sententia legem illam appellare fas
non est: & ut sit lex, nõ debemus illam Hircij legem putare. APVLEIANA PE
CVNIA BRVTVM SVBORNASTIS: Quid si omnibus suis copijs excel-
lentem uirum respublica armasset? quem tandem bonum pœniteret? nec enim sine
pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset. SECV
RI PERCVSSOS PETVM ET MENEDEMVM CIVITATE DONA-
TOS ET HOSPITES CAESARIS LAVDASTIS: Non laudamus, quod
D ne audiuimus quidem. Valde enim nobis in tanta perturbatione reipublicæ de duo-
bus nequissimis Græculis cogitandum fuit. THEOPOMPVM NVDVM EX
PVLSVM A TREBONIO CONFVGERE ALEXANDRIAM NEGLE-
XISTIS: Magnum crimen senatus. De Theopompo summo homine neglexi-
mus, qui ubi terrarum sit, quid agat, uiuat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut cu
rat? SERGIVM GALBAM EODEM PVGIONE SVCCINCTVM IN
CASTRIS VIDETIS: Nihil tibi de Galba respondebo fortissimo & constan-
tissimo ciue: coram aderit, præsens tibi ipse, & ille quẽ insimulas, pugio respondebit.

Maßiliensibus.] Dicit eos facere contra ius gentium, quo iure quæ bello ablata sunt, non recte restitui.
Nihil disputo de iure belli.] Respondet de Maßiliensibus Antonio. Quæstio erat: An Maßiliensibus ea quæ à Cæsa
re adempta erant, essentne iure belli adempta, non esse necessariam nunc eam disputationem dicit Cicero: sed tamen faci
lem. Vult dicere, neminem esse quin uideat non iure belli, sed per summam iniuriam Maßilienses afflictos fuisse. Nam
Cæsar nulla alia de causa eis ademit, quàm quòd ea ciuitas esset populo Romano amicißima & fidelißima, ut ipse in Phi
lippica secunda & octaua dixit. Quàm sit huic reipublicæ natus hostis Antonius.] Ex pari. Si enim Maßiliam
odit reipublicæ amicißimam, ergo etiam rempublicam. An nescitis, neminem Pomp. &c.] Hæc est sincera le-
ctio, quam etiam agnoscit Victorius. nam illa sine duobus illis uerbis, An nescitis, quid sibi uelit, non intelligo.

Qui quæso

A

Qui quæso iam legis Hirciæ, &c.] *Et hæc est uera lectio, quam Lutetiana exemplaria probant. Miratur enim quo consilio iam eius legis mentionem facit Antonius, cùm ea ab Hircio tum lata fuerit, ut Cæsari qui dominatum obtinebat, satisfaceret. Sed leges in tyrannide latæ non tenent mortuo tyranno, præsertim cum legislator ipse se ad rempublicam contulerit. Hanc legem tulerat Hircius, cum adhuc in partibus Cæsaris esset tribunus plebis.* *Omnino mea quidem sententia.*] *Dissoluit, primo negans esse legem quæ sit iniqua & tyrannica: deinde quod non Hircij fuerit lex, sed Cæsaris, ad cuius libidinem lata fuit.* *Brutum subornatis.*] *M. Brutum intelligit Antonius, quem M. Apuleius in Macedonia Quæstor ea pecunia quam in Quæstura collegerat, iuuit plurimum. De M. Apuleio dictum est Philippica 10.*

Subornatis.] *Ornatis, instruitis, sed clàm.* *Quid si omnibus.*] *Refellit ex meritis Bruti, & reipublicæ autoritate: id est, ex iure: quod iure id fiat.* *Nec enim sine pecunia.*] *Speciem facit gradationis ex efficientibus, ad ea quæ efficiuntur ex causis.* *Nec sine exercitu fratrem tuum capere.*] *Amara est irrisio, qua significat, idcirco subornari pecunia Marcum Brutum, ut bellum contra fratrem eius gereret.* *Securi percussos.*] *Iussu M. Bruti in Macedonia.* *Non laudamus.*] *Negat scire quicquam ea de re: & tamen factum non improbat, cum dicit fuisse nequissimos.* *Magnum crimen.*] *De Theopompo diluit quod ad senatum nihil pertineat, siue negligatur, siue curetur. hominem tanti precij non esse.* *Sergium Galbam.*] *Hic unus fuerat de percussoribus Cæsaris. idcirco reprehendit, quòd illum in suis castris esse patiantur.* *Nihil tibi de Galba.*] *Galbam laudat, & Antonium ad eum reijcit, qui cum sit in castris Hircij, illi respondebit, & eodem pugione quo Cæsarem percußit, eum fortasse in pugna etiam percutiet. Et scomma amarum est.* B

MILITES AVT MEOS, AVT VETERANOS CONTRAXISTIS, TANQVAM AD EXITIVM EORVM QVI CAESAREM OCCIDERANT: ET EOSDEM NEC OPINANTES AD QVAESTORIS SVI, AVT IMPERATORIS, AVT COMMILITONVM SVORVM PERICVLA IMPVLISTIS: Scilicet uerba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, Quarta: nesciebant ueterani quid ageretur. Non illi senatus autoritatem, nō libertatem populi Romani sequebantur: Cæsaris ulcisci mortem uolebant: quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur. te uidelicet saluum, beatum, florentem esse cupiebant? O miser cum re, tum hoc ipso quòd non sentis quàm miser sis. Sed maximum crimen audite. DENIQVE QVID NON AVT PROBAVISTIS, AVT FECISTIS? QVID FACIAT, SI REVIVISCAT? Quis? Credo enim afferet aliquod scelerati hominis exemplum CNEVS POMPEIVS IPSE. C O nos turpes, siquidem imitaturi sumus, AVT FILIVS EIVS SI DOMI POSSIT. Poterit, mihi crede. nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit. POSTREMO NEGATIS PACEM POSSE FIERI, NISI AVT EMISERO BRVTVM, AVT FRVMENTO IVVERO. Alij istuc negant; ego uero, ne si ista quidem feceris, unquam tecum pacem huic ciuitati futuram puto. QVID? HOC PLACET'NE VETERANIS ISTIS? QVIBVS ADHVC OMNIA INTEGRA SVNT. Nihil uidi tam integrum, quàm ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuq; defenderint. QVONIAM VOS ASSENTATIONIBVS ET VENENATIS MVNERIBVS VENISTIS. Deprauati aut corrupti sunt, quibus persuasum sit fœdissimum hostem iustissimo bello persequi. AT MILITIBVS INCLVSIS OPEM FERTIS. NIHIL MOROR EOS SALVOS ESSE, ET IRE QVO LVBET: SI TAMEN PATIVNTVR PERIRE EVM, D QVI MERVIT. Quàm benigne deniqueusi benignitate Antonij milites imperatorem reliquerunt, & se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si non stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, q̄ Antonius etiā collegæ parentasset.

Milites aut meos.] *Accusat illos Antonius maximæ fraudis, quòd milites in suos imperatores fraudulenter impulerint. Id negat Cicero uerum esse, & milites affirmat senatus autoritatem, & libertatem populi Romani sequutos esse. Id probat à iudicio eorum de Cæsaris nece, & à persona Antonij.* *Quam omnes fatalem fuisse.*] *A dijs immortalibus immissam. Id testatur Suetonius in eo capite, in quo prodigia præcedētia necem eius describit. Accedit etiam id quod idem Suetonius scribit, Suspicionem Cæsarem quibusdam suorum reliquisse, neq; uoluisse se diutius uiuere, neque curasse: quòd ualetudine minus prospera uteretur: ideoq; & quæ religiones monerent, & quæ renunciarent amici, neglexisse. Et præterea illud mortis genus commodissimum putasse, quod repentinum & inopinatum accideret.* *Te uidelicet saluum.*] *Ironia ex persona Antonij: quod non ita à militibus ueteranis diligeretur.* *O miser cum re.*] *Exclamat in Antonij miseriam, ut ad eam cogitandam excitet.* *Cum re.*] *Re miser est, qui ea agit quæ ad miseriam ducunt: qui impij sunt, & sceleribus implicati, qui cupiditati & libidini seruiunt: hi etiam si non sentiant nec agnoscant suā*

A *miseriam, miseri tamen re ipsa & calamitosi sunt: si ueram & non umbratilem spectemus miseriam. Nam si miseros dicimus, quibus aliqua magna calamitas, aut malum accidit, & nihil est uere calamitosum aut malum, præter scelera atque flagitia: igitur nulli sunt reuera miseri, nisi impij, scelesti, & flagitiosi.* Tum hoc ipso quod non sentis.] *Vt enim qui grauissimo quopiam morbo laborant, si se bene ualere opinentur, nec morbum sentire uideantur, signum est oppressæ ac uictæ naturæ & uirium, aut motæ mentis, quod in phrenitide euenire solet: Sic qui miseri sunt, miseriam autem non sentiunt, hoc ipso miseri sunt, quod non sentiunt miseriam, & fœditatem non agnoscunt: siquidem pars morbi est uel magna, morbum non sentire.* Quid faciat, si reuiuiscat?] *Suspendit interrogationem, ut eludat eius stultitiam ab eo genere salsi, quod* ἀπροσδόκητον *Græci, nos inexpectatum appellamus. Nam cum expectaretur exemplum scelerati hominis, facit illum Cn. Pompeium uirum summum & probatissimum afferre.* Reuiuiscat.] *In uitam redeat: quod dicunt nostri, si resuscitasse Pompeio.* O nos turpes.] *Exempli stultitiam ironia eludit.*

Poterit.] *Scilicet domi esse, & esse potens, sed tuo malo.* Et in domum, & in hortos.] *Molestum hoc Antonio, qui domum & hortos Pompeij habebat.* Alij istuc negant.] *Fatetur negare quosdam, & auget à suo iudicio.* Nihil uidi tam integrum.] *Ex ambiguo. nam integrum esse ad multa trahi potest. Hic Cicero in Antonium conuertit. Nihil ei tam integrum, inquit, id est tam liberum, quàm te oppugnare, quem tanto studio & consensu deserentes offenderunt.* Quoniam uos assentationibus.] *Re uera, assentationes & munera sunt uenena, quibus animi*
B *hominum corrumpuntur. Corruptos negat Cicero, quod nihil contra ius fiat ab ijs qui hostem iusto bello persequuntur.*

Venistis.] *Venditi & proditi estis.* Perire eum qui meruit.] *D. Brutum scilicet.* Quàm benigne?] *Irridet, & insultat, & exagitat non sine urbanitate & acumine aduersam fortunam Antonij, qui à Quarta legione & Martia desertus fuit: & sceleratum eius odium in Brutum ostendit.* Per quos si non stetisset.] *Qui si non prohibuissent. Per me non stat, id est, non impedio. Serio iam loquitur.* Non Dolabella prius imperatori suo, &c.] *Id est, non prius Dolabella Trebonium, quàm Brutum occidisset Antonius, ut Iulij Cæsaris manes placaret, necem eius ulciscendo. Parentare enim hoc loco per translationem capitur, ut etiam in Oratione pro Flacco: Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego. id est, necem eorum ulciscamur, & pœnas persequamur.* Imperatori suo.] *Cæsari, cuius in exercitu turmas duxerat.* Collegæ parentasset.] *Cæsaris necem ultus esset. Erat enim eius in consulatu collega, ut alibi diximus.*

CONCORDIAE FACTAM ESSE MENTIONEM SCRIBITIS IN SENATV: ET LEGATOS ESSE CONSVLARES QVINQVE. DIFFICILE EST CREDERE, EOS QVI ME PRAECIPITEM EGERINT, AEQVISSIMAS CONDITIONES FERENTEM, ET TAMEN EX HIS ALIQVID REMITTERE COGITANTEM: PVTARE ALIQVID MO-
C DERATE AVT HVMANE ESSE FACTVROS. VIX ETIAM VERISIMILE EST: QVI IVDICAVERINT DOLABELLAM HOSTEM OB RECTISSIMVM FACINVS: EOSDEM NOBIS PARCERE POSSE IDEM SENTIENTIBVS. Parum'ne uidetur omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? nónne cernitis ex uno fonte omnia scelera manare? ipse denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam iudicauerint ob rectissimum facinus, ita enim uidetur Antonio, sibi parcere idem sentienti. Quid huic facias? qui hæc literis memoriæq́; mandarit: ita sibi conuenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, & si posset, etiam Brutum, Cassiumq́, discruciatos necaret: eademq́; adhiberet supplicia nobis. Conseruandus ciuis cum tam pio iustoq́ fœdere. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas, æquas quidem & uerecundas: ut haberet Galliam ultimam aptissimam ad bellum renouandum, instruendumq́; prouinciam: ut Alaudæ in tertia decuria iudicarent: id est ut perfugium scelerum essent cum turpissimis reipublicæ sordibus: ut acta sua rata essent, cuius nullum remanet consulatus uestigium. Cauebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquissimus agri
D priuati & publici decempedator, Nucula & Lentone collega.

Difficile est credere.] *Ex minore & pari probat Antonius concordiæ conditiones senatum admissurum non esse. ex uerisimilibus coniecturas colligit.* Qui me præcipitem egerint.] *Qui me perdiderint, hostem patriæ iudicauerint, qui malorum meorum sunt autores.* Parúmne uidetur.] *Premit Cicero Antonij confessionem, & scelus exaggerat necis Trebonij.* Ex uno fonte.] *Translatum, ex uno Antonio.* Ipse deniq; fatetur.] *Omittit rem ipsam, & apprehendit alia quæ adiunxerat Antonius, ut eius audaciam redarguat & amplificet.* Hoc quidem satis acute.] *Irridet Antonij argumentum, ex quo ipse sceleris conuictus teneatur.* Ob rectissimum facinus.] *Propter interfectum Trebonium.* Quid huic facias?] *Audaciam amplificat Antonij, & eius confessionem mentemq́; declarat, ut intelligant cum tali homine nullum fœdus, nullam concordiam, nullas pacis conditiones esse posse.*

Quid huic facias?] *Comica est oratio, hominem deploratum & profligatum significans.* Et si posset etiam Brutum.] *Hoc elicit orator ex pari aut simili. Verisimile enim est, quod probat in Trebonio: idem etiam in ceteris probare, qui in eadem sunt causa.* Eademq́; adhiberet supplicia nobis?] *Sunt qui legant pro adhiberet, inhiberet ut*

eo modo

eo modo dicatur inhibere supplicia ut Liuius dixit inhibere imperium, id est multam & pœnam ueluti telum, intentam habere, & minari. Sed quod pace illorum dixerim, apud Liuium belle potest inhibere in sua usitata significatione capi, pro circumscribere, prohibere, & cohibere, ne illorum imperium nimia licentia procederet. Deinde, ut sint in Liuio, non sunt tamen in Cicerone ulla talis exempla. Prior igitur illa lectio, mihi maxime probatur: quam tum ueteres codices, tum Victorius agnoscit: quamq; Ciceronis perpetua loquendi consuetudo confirmat. Nisi inhiberet legere εἰρωνικῶς uelimus, ut contrario modo intelligatur, quod mihi non usq; adeo displiceret. A

Conseruandus ciuis.] Hæc per ironiam & dissimulantiam dicta, magis irrepunt in animos hominum, quàm si apertè dicerentur. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas.] Negat conditiones quas proponebat Antonius aut æquas, aut Reipublicæ utiles esse, idq; ostendit ex causis, quibus motus illas conditiones afferebat. Omnium enim earum conditionum finis, erat dominatus, & impunitas, & licentia. Decempedator.] Agrorum diuisor à decempeda, id est pertica, ut nostri uocant.

QVAMOBREM VOS POTIVS ANIMADVERTITE, VTRVM SIT ELEGANTIVS, ET PARTIBVS VTILIVS, TREBONII MORTEM PER SEQVI, AN CAESARIS: ET VTRVM SIT AEQVIVS, CONCVRRERE NOS, QVO FACILIVS REVIVISCAT POMPEIANORVM CAVSA, TOTIES IVGVLATA, AN CONSENTIRE, NE LVDIBRIO SIMVS INIMICIS. Si esset iugulata, nunquam exurgeret, quod tibi, tuisq; contingat. utrum inquit elegantius. atq; †hoc bello de elegantia quæritur. & partibus utilius. partes furiose dicuntur in foro, in curia. bellum cõtra patriam nefarium suscepisti, oppugnas Mutinam, circumsedes Cos. designatum, bellum contra te duo Coss. gerunt, cumq; his propr. Cæsar, cuncta contra te Italia armata est. istas tu partes potius quàm †populi Rom. defensionem uocas? Potius ne Trebonij mortem, quàm Cæsaris persequamur? Trebonij satis persecuti sumus, hoste iudicato Dolabella. Cæsaris mors facillime defenditur obliuione & silentio. Sed uidete quid moliatur. cum mortem Cæsaris ulciscendam putat, mortem proponit non his solum, qui illam rem gesserunt, sed his etiam, si qui non moleste tulerunt. QVIBVS VTRI NOSTRVM CECIDERINT, LVCRO FVTVRVM EST. QVOD SPECTACVLVM ADHVC IPSA FORTVNA VITAVIT, NE VIDERET VNIVS CORPORIS DVAS ACIES LANISTA CICERONE DIMICANTES, QVI VSQVEEO FELIX EST, VT EISDEM ORNAMENTIS DECEPERIT VOS, QVIBVS DECEPTVM CAESAREM GLORIATVS EST. pergit in mea maledicta. quasi uero ei pulchertime priora processerint, quem ego inustũ uerissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. Ego Lanista? equidem non insipiens. deteriores enim iugulare cupio, meliores uincere. Vtri ceciderint scribit lucro nobis futurum. ó præclarũ luctum, quo te uictore, quod dij omen auertant, beata mors eorum futura sit, qui è uita excesserint sine tormentis. A me deceptos ait, eisdem ornamentis Hircium, & Cæsarem. quod quæso adhuc à me est tributum Hircio ornamentum? nam Cæsari plura & maiora debentur. deceptum autem patrem à me Cæsarem dicere audes? tu, tu inquam illum occidisti Lupercalibus, cuius homo ingratissime flaminium cur reliquisti?

B

al. in hoc

al. Reip.

C

Vtrum sit elegantius.] Pulchrius, honestius, quod tamen Tullius post reprehendet. Locus est comparationis rerum honestarum & utilium, & turpium & inutilium: qui omnes in deliberationem cadunt, ad quam eos reuocat Antonius. D

Concurrere.] Armis decertare inter nos. Toties iugulata.] Victa, & prostrata. sed iugulata uisum est grauius. Sæpe enim pugnatum fuit, & uicti Pompeiani in Pharsalia, in Africa, in Hispania. Ne ludibrio simus inimicis.] Bonus locus ab inimicorum persona, & à turpi. Turpe enim est, nostros inimicos leticia afficere, & ex nostris malis illis ansam irridendi nobis præbere. Si esset iugulata.] Negat iugulatam esse, & illis imprecatur, ne in eo forte glorietur & efferatur. Atqui, hoc bello, de elegantia quæritur.] Reprehendit abusum uerbi, ELEGANTIVS, negatq; in eo bello de elegantia quæri. Elegantia in rebus alijs præter sermonem & orationem, significat mundiciam & lauticiam. Sic dicimus elegantem hominem, elegantem mulierem, & elegantem domum, ab amœno & læto quodam cultu & nitore. eaq; mihi uidetur opponi sordibus. In oratione autem elegantia, non ornatus est, sed puritas & dilucidit as, quibus sermo latinus est & planus, nondum tamen ornatus & insignis, ut Cicero in prooemio libri primi de Oratore testatur: Et Cornificius libro quarto ad Herennium. Et hoc est quod ad Atticum scribit, Terentij fabellas propter elegantiam sermonis, à C. Lælio scribi quosdam existimasse. Quæ cum ita sint, apparet Antonium eo nomine ineleganter, & non satis propriè abusum fuisse. Vsus enim uidetur pro honesto: nam cum utili contulit, cum dixit: & partibus utilius. Idcirco rectè negat Cicero in hac causa, de elegantia quæri, nimirum elegantiæ nomine nihil

x 4 aliud

A aliud intelligens, quam mundiciam, & uitæ nitorem quendam & cultum: aut latinitatem, dilucidit atemq; sermonis.
Proprietatis fuit obseruantissimus Cicero, quam etiam uirtutem in eligendis uerbis requirit. Idcirco improprietatem in
Tirone liberto suo, qui tamen κανὼν suorum scriptorum esse soleret, reprehendit Epist. Famil. lib. 16. quod dixisset,
ualetudini fideliter seruiendo, illud fideliter, non satis apposite usurpatum innuens. Ex quo admoneri debent adolescen-
tes, quanta diligentia in delectu uerborum, quanta puritas in oratione latina requiratur. Partes furiose dicuntur
in foro, & in Curia.] Furiose, est uocandi casus, & ad hominem, non ad partes, ut quædam habent codices, refertur. Di-
stinguit autem partes à bello, quod partes sint aut in foro litigantium, accusatoris, & rei: aut in curia, id est in Senatu,
cum alij unius, alij alterius partes in sententia dicenda sequuntur: hæ partes & factiones appellantur. Cum autem res a-
gitur castris & armis, ita ut alteri Reipublicæ bellum inferant, alij propugnent, hæ non iam partes, sed bellum proprie,
& à Rep. defectio appellatur. Differunt igitur locis & causa. Locis quod ille in foro & curia: hoc in acie castrisq; gera-
tur: Causa, quod in partibus nemo contra Remp. pugnat: in bello, altera pars causam Reipub. altera suam agit & tuetur.

Bellum contra patriam.] Signis & argumentis bellum geri, & Antonianos à Repub. defecisse confirmat.

Istas tu partes.] Conclusio argumenti. Trebonij satis.] Proposuerat Antonius tanquam Quæstionem:
Essetne elegantius & utilius, Trebonij mortem persequi an Cæsaris. Cicero alteram partem affirmat: nimirum, Trebo-
nij mortem persequi, honestum atq; æquum esse, quod iam Senatus facere coepisset. Cæsaris mors.] Non multa
B dicit de Cæsare, ut Octauij & aliorum uitet ad tempus offensionem. Itaq; obliuione censet ac silentio eius mortē obruen-
dam, quæ sit optima defensio. Sed uidete.] Antonij dictum & mentem criminose interpretatur, ad metum, &
ex metu odium excitandum in pluribus. Quibus.] Scilicet inimicis, ex superioribus petendum. Vtri no
strum ceciderint.] Ciceronem in odium adducere conatur, quasi utriusq; partis inimicum, qui ex ipsorum clade uolupta
tem & lucrum sit accepturus. Vnius corporis.] Vel unius Reipublicæ, & ciuitatis: uel, quod uerisimilius est,
duas acies unius Iulij Cæsaris, unius factionis & partis. Lanista Cicerone.] Maledictum est Antonij in Cicero-
nem: quo uocabulo significare uoluit, Ciceronem ita eos inter se cōmittere, ut se mutuo conficiant, ut lanistæ cōmittere so
lent gladiatores, ex qua re & lucrum & uoluptatem capiant. Est enim lanista, ut alibi quoq; diximus, magister gladia-
torum: qui gladiatorum familias comparat, pascit, docet, ut eas uendat munerarijs, & ludorum præfectis. Qui usq;
eo felix est.] Odium conflauit Ciceroni ex crudelitate: iam inuidiam conflat ex felicitate & potentia. Vt ijsdem
ornamentis.] Iisdem honoribus. De honoribus Cæsari decretis, uide Plutarchum & Suetonium. Vult autem Antonius
deceptum fuisse Cæsarem, quòd nimis fiderit Senatui propter delatos honores, nec à percussoribus cauerit. Quasi
uero ei pulch. priora process.] Priora dicit ea quibus Cicero prima & altera Philippica respondit. Quem ego
inustum.] Notatum, translatum uerbum à seruis quibus stigmata cauterio inurebantur, & hodie quoq; inuruntur.

Verissimis.] Non fictis & falsis, ut ipse me notat. Tradam.] Et tradidit. Nam dum erunt hæ Philippicæ,
C tamdiu uerissimis maledictorum notis inustus erit Antonius: Ciceronis uero laudes meritissimas nulla hominū ætas con-
ticescet. Et quidem non insipiens.] Maledictum Antonij ita repercutit Cicero, ut in laudem suam conuertat.

Deteriores.] Hoc est, te, cum tuis omnibus, qui Reip. bellum infertis. Meliores.] Qui Remp. defendunt.

O præclarum lucrum.] Exclamat in rei indignitatem, & lucrum tantum fore ait, non utri ceciderint, sed si ceciderint Antoniani. Quod dij omen auertant.] Execratur Antonij uictoriam, & ex anteactis indicat, quæ eius ui-
ctoriam secutura essent. Sine tormentis.] Respicit ad Trebonij tormenta. A me deceptos.] Quasi frau
de quadam ad hoc bellum impulsos. Quod quæso.] Ita dissoluit, ut partim neget, partim affirmet: & quod affir
mat, æquitate defendit. Hirtio nihil tribuisse, Octauio maiora deberi. Deceptum autem patrem.] Obiurgat a-
crius, & mendacium arguit. Tu, tu inquam.] Geminatione uocis, uim adiungit reprehensioni. Illum oc-
cidisti Lupercalibus.] Id est, causam occidendi præbuisti, imposito Cæsari diademate. is enim mortem attulit, qui causa
mortis fuit. Illa autem Lupercalia, & quæ in eis facta fuere, Brutum & Cassium cæterosq; compulisse, ad Cæsa-
ris trucidandi consilium, testis est Plutarchus in Antonio & in Bruto. Homo ingratissime.] Idcirco eum ingra-
tissimum uocat, quòd cum se Cæsaris tantum defensorem faciat, eius tamen Flaminium deseruerit. Neq; enim licebat Fla-
minem à sacris belli causa discedere, ut alibi indicatum est. Flaminium cur reliquisti?] Flaminium, dignitas est
& ministerium Flaminis sacerdotis: & singulare nomen est non multitudinis. Liuius: C. Claudius Flamen Dialis, quòd
D exta perperam dederat, flaminio abijt. Fabius Pictor apud Gellium lib. 10. Flamen uxorem si amisit, flaminio decedit.
Val. Max. Flaminio, inquit, abire iussi sunt. Item Trogus apud Priscianum, Propter mortem Flaminicæ, Flaminio abijt.
Flaminica, Flaminis est uxor. Flaminia uero domus Flaminis appellatur, ut Gellius testatur. In his nominibus explicandis
errauit noster Beroaldus. Cur autem hæc de Flaminio dicantur, ea est causa, quod diuini honores mortuo Cæsari, Antonij
lege decreti sunt, ut puluinar haberet, simulacrum, Flaminem. erat enim & ipse Cæsar Flamen, Antonius uero & ipse
Flamen cooptatus, sed neq; inauguratus est unquam, & honorem Cæsari datum Lege sua, deferri passus est, ut in Phi-
lippica secunda dictum est.

Sed iam uidete magni & clari uiri admirabilem grauitatem atq; constantiam. MIHI QVIDEM CONSTAT, NEC MEAM QVIDEM CONTVMELIAM, NEC MEORVM FERRE, NEC DESERERE PARTES QVAS
al. odiuerit POMPEIVS †ODIVIT, NEC VETERANOS SEDIBVS SVIS MOVERI PATI, NEC SINGVLOS AD CRVCIATVM TRAHI, NEC FALLERE FIDEM, QVAM DEDI DOLABELLAE: omitto alia, fidem Dolabellæ sanctissimi uiri deserere homo pius non potest. quam fidem? an optimi cu-

iusq;

ſuſque cædis, urbis, & Italiæ partitionis ſuis dandarum diripiendarumq; prouincia- A
rum? Nam quid erat aliud, quod inter Antonium & Dolabellam impuriſſimos parri-
cidas fœdere, ac fide ſanciretur? NEC LEPIDI SOCIETATEM VIO-
LARE PIISSIMI HOMINIS: Tibi cum Lepido ſocietas? aut cum ullo, non
dicam bono ciue, ſicut ille eſt: ſed homine ſano? Id agis, ut Lepidum aut impium,
aut inſanum exiſtimari uelis. Nihil agis. quanquam affirmare de aliquo difficile eſt.
de Lepido præſertim, quem ego metuam nunquam: bene ſperabo dum licebit. Reuo
care te à furore Lepidus uoluit, non adiutor eſſe dementię. Tu porrò ne pios quidem,
ſed piiſſimos quæris: & quod omnino nullũ in lingua latina eſt, id propter tuã diuinã
pietatem nouum inducis. NEC PLANCVM PRODERE PARTICI
PEM CONSILIORVM. Plancum participem? cuius memorabilis ac diuina uir-
tus lucem affert reipublicæ. niſi forte ſubſidio tibi uenire arbitraris cum fortiſſimis le
gionibus, magno equitatu peditatuq; Gallorum? quiq;, niſi ante aduentum eius rei-
publicæ pœnas dederis: ille huius belli feret principatum. Quanquam enim prima
præſidia utiliora reipublicæ ſint, tamen extrema ſunt gratiora. B

Mihi quidem conſtat.] Firmatum & decretum eſt, firmiter conſtitutum. Hæc Antonius ſcripſit, ad terrendos aduerſarios. *Nec ueteranos.*] Callide conciliat ſibi ueteranos Antonius. *Omitto alia.*] Omittit alia, ut accipiat id ex quo maxime ſuſpicionem mouere & criminari poſsit Antonium. *Sanctiſsimi uiri.*] Irridet cum indignatione. *Quam fidem?*] Declarat & amplificat ſcelus, ut odium conflet & accendat. *Impuriſsimos parricidas.*] Iam declarat quod dixerat, ſanctiſsimi uiri, & homo pius. *Sanciretur.*] Confirmaretur, conſtitueretur. *Id agis ut Lepidum.*] Callide hoc dicit, ut Antoniũ odioſum faciat Lepido: atq; ita cum ab eo alienet, quo minus inter ſe coniungantur: quod tamen poſtea fecerunt. *Nihil agis.*] Refutat, & tamen temperat: nequid temere de Lepido, cui non magnopere fidit, polliceatur. *Reuocare te.*] Ex contrarijs probat. nam ſi cui conuenit unum contrarium, non poteſt alterum contrarium eidem ſimul conuenire. *Et quod uerbum omnino nullum in lingua latina eſt.*] Negat Cicero PIISSIMVS eſſe latinũ uerbum, & uere negat: at Curtius & Auſonius uſi ſunt. Egregij uero autores, quos Ciceroni opponamus. Quanquam, cum ſemel tantum in Curtio legatur, ſuſpectum eſt mihi: & uereor ne, ut alia quædam, in eo autore, & alijs, ſit piiſsimi uox adiecta, quod fidiſsimi Curtius dixiſſet. De Auſonio uero id tantũ dico, quod elegantes omnes intelligunt, eum à latinæ latinæ puritate ſæpe defeciſſe, præſertim in ſoluta oratione. nam in carmine fuit aliquanto purior. Videant igitur adoleſcentes, hoc loco Ciceronis optimi magiſtri moniti, quo C modo comparatiuis & ſuperlatiuis & alijs deriuatis, quæ uocant, utantur. Neq; enim præcepta grammaticorum ſequuti, errores uitare omnes poterunt, niſi in ueteribus ſcriptoribus diu fuerint multumq; uolutati: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ut noſter Tullius ait, non poterunt loqui, niſi latine. *Plancum participem?*] Hæc admiratio continet negationem. negat enim Plancum participem eſſe conſiliorum Antonij: & ſimul laudat Plancum, ut ea re illum in officio retineat. *Niſi ante eius aduentum.*] Denunciat periculum Antonio, ut terreat.

Quanquam enim prima.] Cur prima præſidia utiliora ſunt? an quia initio occurrere malis tutius eſt? an potius quod initio facilius morbi tolluntur? an forſitan utiliora, quod nondum tot tantaq; mala accepta ſunt detrimenta, quæ, ni ſi occurras, ſequantur. *Extrema ſunt gratiora.*] An quia inſperata? an forte, quod nulla alia ſalutis erat uia? An quia maiora ſunt extrema pericula, idcirco etiam gratiora ſunt præſidia? An quia plerique mortales poſtrema melius meminere, prima obliuiſcuntur?

Sed iam ſe colligit, & ad extremum incipit philoſophari. SI ME RE-
CTIS SENSIBVS EVNTEM DII IMMORTALES, VT
SPERO, ADIVVERINT, VIVAM LIBENTER. SIN AVTEM
ALIVD FATVM ME MANET, PRAECIPIO GAVDIA SVPPLI- D
CIORVM VESTRORVM. NAM SI VICTI POMPEIANI TAM IN
SOLENTES, VICTORES QVALES FVTVRI SINT, VOS PO-
TIVS EXPERIEMINI. Præcipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompeianis,
ſed cum uniuerſa rep. bellum eſt. omnes te dij, homines, ſummi, medij, infimi, ciues,
peregrini, uiri, mulieres, liberi, ſerui oderunt. Senſimus hoc nuper falſo nuncio: uero
propediẽ ſentiemus. quæ ſi tecũ ipſe recolueris, æquiore animo & maiore conſolatio
ne moriere. DENIQVE SVMMA IVDICII MEI SPECTAT HVC,
VT MEORVM INIVRIAS FERRE POSSIM: SI AVT OBLIVISCI
VELINT IPSI FECISSE, AVT VLCISCI PARATI SVNT VNA
NOBISCVM CAESARIS MORTEM. Hac Antonij ſententia cognita, dubi
taturóſne A. Hircium, C. Panſam conſules putatis, quin ad Antonium tranſeant? Bru
tum obſideant? Mutinã expugnare cupiant? Quid de Panſa & Hircio loquar? Cæſar
ſingulari pietate adoleſcens, poteritne ſe tenere? quin Decimi Bruti ſanguine pœnas
patrias

A patrias persequatur? Itaque fecerunt uti his literis lectis, ad munitiones propius accederent. Quo maiore adolescens Cæsar deorum immortalium beneficio reipublicæ natus est: qui nulla specie paterni nominis, nec pietate unquam adductus est. intelligit maximam pietatem conseruatione patriæ contineri. Quod si partium certamen esset, quarum omnino nomen extinctum est, Antonius ne potius, & Ventidius partes Cæsaris defenderent? quàm Cæsar adolescens summa pietate & memoria parentis sui? deinde Pansa & Hircius? qui quasi cornua duo tenuerũt Cæsaris, tum cum illæ uere partes uocabantur. Hæ uero quæ sunt partes? cum alteris senatus autoritas, populi Romani libertas, reipublicæ salus proposita sit: alteris cædes bonorum, urbis, Italiæq; partitio.

Sed iam se colligit.] Id est, ad se redit, ut peroret. Philosophari, disputare.] Id est, de uita & morte.

Rectis sensibus euntem,] Ambulare: quod nostri dicunt, Caminare in buona conscientia. Rectis sensibus ire, locutio non spernenda. Namq; si uicti.] Bona ratio, ex minori. Præcipias licet.] Detorquet uerba in alium
B *sensum, denuncians Antonio breui esse pereundũ. Est enim præcipere, præripere, occupare, antecapere. Vt illud De officijs lib. 1. Ingenij magni est, præcipere cogitatione futura. Non enim tibi.] Probat ei pereundum esse, ab aduersariorũ potentia. Omnes te dij.] Amplificat enumeratione et frequẽtatione quadã eorũ qui Antonio sunt infensi. Diuidit enim primũ aduersarios in deos & homines. Deinde homines in plura genera. Primũ, hominũ alij sunt summi, medij alij, alij infimi: cuiusmodi sunt Patritij, equites, & plebeij. Rursum homines aut sunt ciues, aut peregrini. Item aut uiri, aut mulieres. Postremo ijdem aut sunt liberi, aut serui. Quæ distributio notanda est diligenter. nam prima diuisio à differentia constat, diuino & humano. secunda ab ordine: tertia à natione: quarta à sexu, uirili & muliebri: quinta à fortuna. Falso nuncio.] Nunciatum enim fuerat eum esse captum, aut occisum. Recolis.] Reputas, recordaris, cogitas. Aequiore animo.] Mori enim millies præstaret, quàm tot & tanta odia sustinere.*

Deniq; summa.] Epistolæ Antonianæ conclusio hæc est, qua colligit summam sententiæ suæ. Hæc Antonij] Totus hic locus perpetua quadam ironia & festiua dissimulatione constat. Nam non solum non sunt ea epistola commoti ad concordiam, sed potius ad munitiones Antonij propius accesserunt, ipsum oppugnaturi. Nulla specie.] Nullo respectu. Intelligit maximam pietatẽ.] Non intellexit: aut si intellexit, contempsit. Sed ita loquitur Cicero, ut illum in officio retineat: & quid sit honestum doceat. Quod si partium.] Iudicio Cæsaris iterum negat partes, sed bellum potius reipublicæ contra Antonium esse. Respicit ad locum supra positum de partibus. Hoc totum ad laudem Cæsaris adolescentis pertinet, in quo subest connexum, quam hypotheticam sententiam uocant.

C *Qui quasi cornua.] Comparatio ex re militari sumpta, ad Hircij & Pansæ cum Cæsare coniunctionem & amicitiam ostendendam. Cornua sunt dextra sinistraq; pars aciei: in quas partes acies à fronte per totam sui altitudinem secatur. Eadẽ caput & pes dicuntur. Hæ uero quæ sunt partes.] Confirmat à causa, non esse partes, ut ante ostẽdimus.*

Veniamus aliquando ad clausulam. LEGATOS VENIRE NON CREDO. Bene me nouit. BELLVM QVO VENIAT. Proposito præsertim exemplo Dolabellæ, sanctiores erunt credo iure legati: quàm duo consules, contra quos arma fert, quàm Cæsar, cuius patris flamen est: quàm Consul designatus, quem oppugnat: quàm Mutina, quam obsidet: quàm patria, cui igni ferroq; minitatur. CVM VENERINT, QVAE POSTVLANT, COGNOSCAM. Quin tu abis in malam pestem, malumq; cruciatum. Ad te quisquam ueniat nisi Ventidij similis? Oriens incendium qui restinguerent, summos uiros misimus. repudiasti. nunc in tantam flammam tamq; inueteratam mittamus? cum locum tibi reliquum non modo
D ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris. Hanc ego epistolam, patres conscripti, non quo illum dignum putarem, recitaui: sed ut confessionibus ipsius omnia patefacta eius parricidia uideretis. Cum hoc pacem M. Lepidus uir ornatissimus omnibus & fortunæ, & uirtutis bonis, si hæc uideret, denique aut uellet, aut fieri posse arbitraretur? Prius undas flammamq;, ut ait Poeta nescio quis, prius denique omnia, quàm aut cum Antonijs respublica, aut cum republica Antonij redeant in gratiam. Monstra quædam sunt, & portenta, & prodigia reipublicæ. Moueri sedibus huic urbi melius est: atque in alias, si fieri possit, terras demigrare: unde Antoniorum nec facta, nec nomẽ audiat: quàm illos Cæsaris uirtute eiectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia uidere. Optatissimum est uincere: secundum est nullum casum pro dignitate, & libertate patriæ non ferendum putare: quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omnium. maximam turpitudinem suscipere uitæ cupiditate.

Ad clausulam.] Clausula est perorationis extrema breuisq; conclusio & sententia. ponitur pro fine.

Legatos uenire.] Hæc est epistolæ clausula, nam ea claudit epistolam. *Bene me nouit.*] Quando ita bene di- A
uinat me non esse ad eum uenturum, & legatos non decreturum: nam Legatum quidam Ciceronem decernebant, ut antea
uisum est. *Bellum quo ueniat.*] Id est, legatos uenire non credo, ut bellum ueniat, hoc est ut geratur bellum.

Proposito præsertim.] Hoc exemplo docet, non esse uenturos legatos, quod illis tutum non esset. *Sanctio-*
res erunt, credo.] Exemplo confidum & Octauij probat tutos non fore legatos. nam sanctum est, quod tutum & muni-
tum est, & uiolare nefas. *Cognoscam.*] Id est, expendam & uidero. *Quin tu abis.*] Comica execratio,
ex animi uehementi indignatione expressa. Sunt enim huiusmodi in comicis poetis crebræ: quæ rariores, imò nullæ pror
sus debent esse in Christianorũ & scriptis & sermonibus. Quo enim ore, quibus εὐαγγέλιον, id est faustum & lætum
nuncium missum est: quiq; ad faustitatem & diuinam gratiam uocati sumus, cuiquam malum aut pestem malam impreca-
bimur? Qua fronte in malam crucem, in malam rem, & ad coruos abire iubebimus, qui nostris peccatis Iesum Christum
dei filium Opt. Max. in crucem egimus? Idcirco Paulus bene precari iubet nos insectantibus, & nemini precari aut omi
nari male ad Rom. 12. *Oriens incendium.*] Recte siquidem potuisset. Omne enim malum nascens, ut in quinta
dixit, facile opprimitur: inueteratum fit plerunq; robustius. *Incendium qui restinguerent.*] Bellum exoriens pa-
carent. translationibus exornat & illuminat orationem. *In tantam flammam.*] In tantum tamq; inueteratum
odium. *Sed ne ad deditionem quidem.*] Subest argumentum ex minore. *Hanc ego epistolam.*] Totam B
hanc de epistola declarationem ad finem suum dirigit, & causam affert cur recitauerit: nimirum, ut ea quasi proprio &
grauissimo testimonio & confessione conuinceretur. *Cum hoc, pacem M. Lepidus.*] A iudicio Lepi-
di καθ' ὑπόθεσιν, pacem fieri posse negat. *Prius undis flamma.*] Variè hic locus legitur, sed tamen eadem
semper est sententia. Est enim locus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, quod impossibile indiserti, elegantiores, absurdum, præpostε-
rum & contra naturam uocant. qualia sunt in poetis multa, ut illud Ouidij in Tristibus:

Terra dabit stellas, cœlum findetur aratro:
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas. Item Seneca in Thyeste:
Amat Thyestem frater? æthereas prius
Perfundet arctos Pontus, & Siculi rapax
Consistet æstus unda, & Ionis seges
Matura pelago surget, & lucem dabit
Nox atra terris, antè cum flammis aquæ,
Cum morte uita, cum mari uentus, fidem *Fœdusq; iungent.*

Prius undis flamma.] Scilicet rediret in gratiam, aut coniungeretur, aut aliquid tale. *Vt ait poeta nescio*
quis.] Solet Cicero dissimulare in orationibus, se lectitare poetas. Hinc illa sæpius in causis usurpata: apud poetam ne- C
scio quem, & à poeta nescio quo, & poeta nescio quis. Gratior enim & minus suspectus est orator, qui eruditionem do-
ctrinamq; dissimulat, & præsertim in poetarum sententijs proferendis. Hinc tanto apparatu, tot excusationibus fuit o-
pus in Archia poeta defendendo. Quanquã fieri etiam potest, ut tunc illi poetæ nomen non succurreret, quod sæpe solet
accidere, etiam eruditissimis & maximis ingenijs. Quod si Cicero poetæ huius nomen tunc ignorauit, difficile est nos id
posse proferre. *Prius deniq; omnia.*] Scilicet fieri possent, quæ à natura negata sunt. *Aut cum Antonijs*
Resp.] Cõmutatio est, de cuius natura & usu alibi diximus. *Monstra quædam sunt.*] Cur in gratiam redire non
possint, docet: Horũ autem uerborum uim uerba ipsa prudenter à maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, por
tendunt, monstrant, prædicunt: ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Cicero de Diu. lib. 1. *Vnde Anto-*
nianorũ nec facta nec nomen audiat.] Huiusmodi sententia, sed non sine figura & prouerbio usus est in Cæsarianos,
Epist. Fam. lib. 7. & alibi quoq;: Hinc euolare cupio, inquit, & aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta
audiam. Pelopidas Cæsarianos uocat, à Pelope rege crudelissimo. Huiusmodi sententia, magnum & terrorẽ, & fastidium
& odium significant. *Optatissimũ est uincere.*] Demosthenicũ est contra Philippũ: Longe optatissimũ esse in
bellis uincere: Magni & fortis animi, si uictoria non contingat, pro patria mortem oppetere. *Non est tertium.*]
Tertium tamen esse inter dedecora, & probra Demosthenes iudicauit: nimirũ in patriam redire: & si uincere non de-
tur, effugere. Itaq; cum ipse Demosthenes ex prælio apud Cheroneam facto, salutem fuga quæsiuisset, eiq; id probro uer-
teretur, uersiculo elusit illo notissimo. Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Vir qui fugit, iterum pugnabit. Illud D
indicans, interdum non usq; adeo turpe esse fugere, ut in cõmodius tempus, & Reip. utilius depugnetur.

Quę cum ita sint, de mandatis literisq; M. Lepidi uiri clarissimi, Seruilio assentior, & hoc amplius censeo, Magnum Pompeium Cn. F. pro patris, maiorumq; suorum animo, studioq; in Remp. suaq; pristina uirtute, industria, uolũtate, fecisse: quod suam, eorumq; quos secum haberet, operam Senatui populoq; Rom. pollicitus esset, eamq; rem, S.P.q.R. gratam acceptamq; esse, eiq; honori dignitatiq; eam rem fore. Hoc uel coniungi cum hoc senatus consulto licet, uel seiungi potest, separatimq; perscribi, ut proprio Senatus consulto Pompeius collaudatus esse uideatur.

Quæ cum ita sint.] Vsitata & crebra Ciceronis formula cum longã aliquã disputationẽ cõcludere uult. Est autem peroratio totius orationis, qua de tota re sententiam suam dicit. *Seruilio assentior.*] Is enim censuerat, ut de Lepidi mandatis & literis ad populum referretur, & literis Senatus Lepido responderetur. Lege Ciceronis ad Lepidum literas Famil. lib. 10. *Et hoc amplius censeo.*] Sententiam suam dicit, de Pompei filio, qui opem suam obtulerat Senatui, si modo per ueteranos ei liceret: de qua re, nihil Seruilius.

A *Virtute.] Fortitudine & magnanimitate. Industria.] Diligentia & scientia in re militari. Voluntate.] Id est animo erga Remp. prompto. Hoc.] Quod de Pompeio additum est. Cum hoc S.C.] De M. Lepido faciendo. Vel seiungi potest.] Maioris existimationis erat, seiungi ab alijs, & proprium S.C. facere de aliquo, quàm cum alijs coniungere. Esse uideatur.] Placuit uehementer Ciceroni hæc clausula, propter Tribrachyn, & spondæum, siue choreum: præsertim quòd Tribrachyn, longa syllaba antecedit.*

FINIS.

IN PHILIPPICAM XIIII. ARGVMENTVM.



*MISSI ad Antonium Legati fuerant, ut ad sanitatem si fieri posset, reduceretur: mandata Senatus contempserat Antonius, obsidere & oppugnare Mutinam non destiterat, nec se discessurum inde, palàm dixerat, scripserat, denunciarat, nisi quæ peteret (petebat autem iniquissima ut proxima superiore oratione auditum est) obtineret. Interea fame D. Brutus Mutinæ laborabat: quare non esse amplius differendam pugnā rati tres imperatores, Hirtius et Pansa Coss. & proprætor Cæsar Octauius, post aliquot triū men*B *sium leuia certamina, totis uiribus decertare cum Antonio constituerunt. Itaq; pugnatum tandem est, omnibus utriusque exercitus copijs: uictus & fugatus Antonius, sed non sine aliqua etiam eorum qui uicerant clade. Nam præter Martiæ legionis milites, & Tyronum cohortes, duo consules in ea pugna desiderati sunt. Verum illorum mors nondum erat Romam nunciata, cum hanc habuit orationem Cicero. De pugna igitur & uictoria, literæ à cōsulibus & à proprætore Cæsare missæ ad Senatum sunt: quibus lectis, de supplicatione ob rem bene gestam decernenda actum est in Senatu. Qua cum placuisset, quidam illud etiam addebant, ut saga in eum diem ponerētur, & postridie resumerentur retinerenturq́; donec bellum esset confectum: sed ita, ut neq; imperatores tres illos appellarent qui uicerant, nec hostes Antonios, sed improbos atq; audaces tantum ciues. Vtrunq; dissuadet Cicero, & illos imperatores, & hos hostes appellandos, aut si quod nomen grauius est, censet. Ita & uirtutem meritaq; defensorum Reip. amplificat, & Antoniorum nefaria scelera, atq; in Parmenses præsertim insignem crudelitatem cōmemorat. Deinde eos laudat qui in pugna ceciderant pro Reipub. defensione Brutoq; liberando, & propinquos cognatosq; de eorum gloriosa morte breuiter, sed sententiose consolatur. Postremo, quinquaginta dierum supplicationes ad omnia deorum puluinaria, & honores militibus, præmiaq; decernit.*

CAVSA.

Deliberatiui generis est, partimq́; in dissuadendo, partim in suadendo uersatur. Dissuadet mutationē uestitus, quam pleriq; suadebant: Et suadet imperatores appellandos qui cum Antonio conflixerant, & præmia militibus fortissimus C *esse reddenda.*

STATVS.

Summa causæ quæstio qualitate iureq; continetur: Hæc autem huiusmodi est: Rectene saga deponantur, nondum confecto bello, aut Bruto liberato? Itemq; an iure illi hostes, hi imperatores appellentur? Et quoniam hæc quæstio proprijs utitur locis, iure naturæ, lege, consuetudine, rebus iudicatis, æquo bonoq;, idcirco iuridicialis absoluta uocatur.


ELOCVTIO.

Elocutionis genus graue & exaggeratum est: præsertim ubi Antoniorū crudelitatem sceleraq; persequitur, & ubi imperatores militesq; fortissimos laudat, qui pro Rep. sanguinem fuderant & ceciderant.

DISPOSITIO.

Collocatio partium inuentionis, tota Oratoris arbitrio constituta est. Nam uix ullum principium habet, cum refutatio primum locum teneat, quam sequitur confirmatio quædam. Ante perorationem digreditur in pulcherrimum locum, quo laudes eorum qui pro libertate in prælio fortiter occubuerant, complectitur: ut animos auditorum ad commiserationem, & fortium uirorum imitationem flectat & hortetur: qui locus Demosthenis est, ex oratione Funebri, qua ciues Athenienses qui pro patria pugnantes ceciderant, laudat, ut suo demonstrabimus loco. Postremo sententia sua dicenda, D *concludit ultimam Philippicam.*

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMAQVARTA.



SI, ut ex literis, quæ recitatæ sunt P. C. sceleratissimorum hostium exercitum cæsum fusumq́; cognoui: sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea uictoria, quæ parta est, consecutum arbitramur: D. Brutū egressum iam Mutina esse cognouissem, propter cuius periculum ad saga issemus: propter eiusdem salutē redeundum ad pristinum uestitum sine ulla dubitatione censerem. ante uero quam ea res, quam auidissime ciuitas expectat, allata sit, †lætitiæ usus satis est maximæ præclarissimæq; pugnæ, reditum ad uestitum confectæ uictoriæ reseruate. confectio autem huius belli est D. Bruti salus. Quæ autem est ista sentētia? ut in hodiernū diem uestitus mutetur? deinde cras sagati prodeamus? nos uero cum semel ad eum, quem cupimus, optamusq́;, uestitum redierimus; id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. nam hoc quidem cum turpe est,

al. lætitia frui

tum

tum ne dijs quidem immortalibus gratū, ab eorundem aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere. Atq; animaduerto P. C. quosdam huic fauere sententiæ, quorum ea mens, idq; consilium est, ut cum uideant illum gloriosissimū D. Bruto futurum diem, quo die propter eius salutem redierimus ad uestitum, hunc tantum ei fructum eripere cupiant: ne memoriæ posteritatiq; prodatur, propter unius ciuis periculum populum Rom. ad saga iuisse, propter eiusdem salutem redisse ad togas. tollite hanc, nullam tam prauæ sententiæ causam reperietis. A

Si, ut ex literis quæ recitatæ sunt.] Statim ab ipsa re, id est ab aduersariorum sententia de ponendis in eum diem sagis, orditur: quæ negat ponenda esse, antequam constet, D. Brutū liberatū esse, & ante confectam uictoriam. Format autem argumenti conclusionē ex consequentibus connexam, quæ hypothetica & conditionalia uocant. Ex literis quæ recitatæ sunt.] Literæ à multis scriptæ fuerant, sed præsertim à Sergio Galba & consulibus, Nam post de literis consulum & proprætoris mentionem faciet. Recitatæ.] Lectæ in Senatu. Sceleratissimorū hostium.] Antonianorum, quos statim hostes appellat, ut eos uulneret, qui hostes appellandos negabant. Fusum cæsumq;.] Hæc duo uerba coniungi solent, cum de pugna fit mentio. fundere est prosternere, debellare, uincere, dispergere & dissipare. Sæpenumero etiam, fusi fugatiq; hostes dicuntur: significat, partim cæsos, partim fugatos, & profligatos, quæ foramulæ crebræ occurrunt in historicorum lectione. Sic id.] Altera pars comparationis, quæ non ad probandum, sed ad augendum corpus orationis facta est. Arbitrantur.] Nondum tamen compertum habemus. D. Brutum egressum.] Declarat quid omnes optent. nihil enim scriptū erat de liberato Bruto, sed de uictoria tantum. Propter eius periculum.] Ex causis effectum ostendit, ne uideatur contradicere sine causa. Ante uero quàm.] Antithesis est, qua proponit sententiā suam de mutatione uestitus. Et attende hic tria aduerbia sine interuallo coniuncta & usurpata, quod quidem sæpe in hac ratione fieri solet. Ea res.] Bruti liberatio. Confectæ uictoriæ.] Vt confectum bellum, sic & confecta uictoria dicitur, id est perfecta. Confectio autem.] Declarat quando sit confecta uictoria, quando, inquit, erit liberatus Brutus. Confectus & confectio sunt coniugata, quæ posuit tanquam gradatione quadam: in hunc modum: tunc saga deponemus, cum uictoria confecta erit: confecta autem erit uictoria, cum erit liberatus Brutus. Ergo tunc saga deponemus cum erit liberatus Brutus. Quæ autem est ista sent.] Reprehendit aduersariorum sententiam tanquam turpem, & parum religiosam: turpem, propter inconstantiam: parum religiosam, quòd dijs illudere uideantur, ad quorum aras cum adierint togati, tanquam gratias acturi de uictoria, tamen statim ad saga sumenda redeant, tanquam nihil sit effectum. Optamusq; uestitum.] Scilicet ocij & pacis. Adierimus.] Supplicandi, & gratias agendi causa. Atq; animaduerto.] Magis placet, Atqui. Arguit quorundam maleuolentiam & inuidiam erga Brutum, qui nondum eo liberato, tamen saga ponenda esse censebant, nempe ut non tam Bruti quàm Reip. causa sumpta fuisse uiderentur, & sic eum hac priuarent gloria. Quosdam.] Inuidos Bruti, qualis Calenus, & quidam alij. Ad uestitum.] Ad togas quæ pacis sunt. Prodatur.] Tradatur, mandetur. Est enim dictū eleganter, prodere memoriæ. male quidam interpretantur, prodatur, id est prorogetur. Tollite hanc.] Locus ex causis. Turpis & prauæ causæ, turpis prauaq; sententia. B C

Vos uero P. C. conseruate autoritatem uestram, manete in sententia, tenete uestra memoria quod sæpe ostendistis, huius totius belli in unius uiri fortissimi & maximi uita positum esse discrimen. ad D. Brutum liberandum Legati missi principes ciuitatis, qui illi hosti ac parricidæ denunciarent, ut à Mutina discederet: eiusdem D. Bruti conseruandi gratia consules sortiti, ad bellum profectus A. Hircius, cuius imbecillitatem ualitudinis animi uirtus & spes uictoriæ confirmauit: Cæsar, cum exercitu comparato à primis pestibus Remp. liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum, uicitq; dolorem aliquem domesticum patriæ caritate. quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecunijs cōparandis, senatus consultis faciendis grauissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Rom. ad causam libertatis uocando, nisi ut D. Brutum liberaret? à quo populus Rom. frequens ita salutem D. Bruti una uoce depoposcit, ut eam non solum cōmodis suis, sed etiam necessitati uictus anteferret. quod sperare nos quidem debemus P. C. aut† inibi esse, aut iam esse confectū, & spei fructū rei cōuenit, & euentui reseruari, ne aut deorū immortaliū beneficiū festinatione præripuisse, aut uim fortunæ stulticia contempsisse uideamur. D

† al. inceptum esse

Vos uero P. C.] Hortatur Senatum, ut maneat in sententia erga Brutum, cuius causa tot decreta facta sint. Locus pertinet ad inconstantiam & turpitudinem deuitandam, seruandamq; constantiam quæ Senatum decet maxime.

Ad D. Brutum liberandum.] Acta Senatus de Bruto, & propter Brutum cōmemorat, quæ uim habent præiudiciorum siue rerum iudicatarum. Legati missi principes ciuitatis.] De his legatis satis multa in quinta & sexta Philippica & alijs. Illi hosti ac parricidæ.] Vt intelligant, qui eum hostem negabant, hæc indignanter dicit.

Sortiti.] Scilicet prouincias more Romano, ut alter in Gallia esset cum exercitu, alter Romæ. Primis pestibus.] Primo Antonij impetu, qui Brundusio Romam ad cædem bonorum aduolabat. Ne quid postea sceleris.]

A Id est ne Brutum opprimeret. Vidit.] Scilicet Octauius Cesar. Dolorem aliquem domesticum.] Obscurat, & extenuat ue. bis, Cesaris necem. nam dolorem aliquem appellat, quo uix alius potest esse maior. Sic & Paulus horrendum Iudeorũ casum extenuat in epistola ad Romanos tertio capite. Quid enim, inquit, si aliqui inter eos non crediderunt? hoc dicit, cum tamen aliqui essent, id est, pauci, qui Christo adhesissent: reliquis omnibus in diffidentia permanentibus. Patriæ charitate.] Quæ una (dicam enim sæpius) reliquas omnes charitates uincit, etiam si hodie quoq; à paucis intelligatur, quod est ualde miserabile. A quo.] Scilicet Pansa, in concione. Necessitate uictus.] Fuit enim tunc magna annonæ difficultas & caritas, ut Dion & Apianus testantur. cumq; à consule res frumentaria procuranda esset, maluit populus Romanus Pansam ad Brutum liberandum proficisci, quàm necessitati uictus prospicere. Hoc autem idcirco dicit, ut populi iudicium & uoluntatem de Bruto indicaret. Quod sperare.] Id est, quam salutem & liberationem. Aut inibi esse.] Propè esse, in articulo ipso, τῷ καιρῷ. Inibi enim esse dicebatur id quod nondum quidem perfectum erat, sed ita parum aberat à perfectione, ut iam iamq; perficiendum esset, & ut loquitur Tullius, quod non cõfectum, sed affectum erat. Affranius, postquam se uidit inibi esse, gnatam paruulam sororibus cõmendat. Pacuuius: Profecto inibi est, iamiam potiuntur frugum. Hæc ex Nonio Marcello. Spei fructum.] Lætitiam & reditum ad togas & pacem. Rei conuenit & euentui.] Id est liberationi D. Bruti. Ne, ut deorum immortalium.] Concludit hunc locum expeditione. Festinatione præripuisse.] Quod ingratum dijs, &

B irreligiosum fuisset. Aut uim fortunæ.] Temeritatem & inconstantiam quæ adhuc posset Bruto obsesso inuidere & obesse. Stultitia.] Temeritate & inconstantia. alludit ad prouerbium, quod dicitur stultum esse canere encomium ante uictoriam.

Sed quoniam significatio uestra satis declarat, quid de hac re sentiatis, ad literas ueniam, quæ sunt à consule & à proprætore missæ, si pauca ante, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladij P. C. legionum, exercitusq; nostrorum, uel madefacti potius duorum consulum, tertio Cæsaris† præsidio. si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas. nefarium scelus, si ciuium, quousq; igitur is, qui omnes hostes scelere superauit, nomine hostis carebit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere uultis, & dubitare utrum in ciue, an in hoste figantur. Supplicationem decernitis, hostem non appellatis. gratæ uero nostræ dijs immortalibus gratulationes erunt, gratæ uictimæ, cum interfecta sit ciuiũ multitudo: de improbis, inquit, & audacibus. nam sic eos appellat clarissimus uir. quę sunt urbanarum maledicta litium, non inustę belli internecini notę. testamenta credo subijciunt, aut eijciunt uicinos, aut adolescentulos circumscribunt. his enim uicijs affectos, & talibus, malos & audaces appellare

(margin: † al. prelio)

C consuetudo solet. bellum inexpiabile infert quatuor consulibus unus omnium latronum teterrimus, gerit idem bellum cum Senatu populoq; Romano: omnibus, quanquam ruit ipse suis cladibus, pestem, uastitatem, cruciatum, tormenta denunciat. Dolabellæ ferum & immane facinus, quod nulla barbaria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur, quæq; esset facturus in hac urbe, nisi eum hinc ipse Iupiter ab his mœnibus repulisset, declarauit in Parmensiũ calamitate, quos optimos uiros, honestissimosq; homines maxima cum autoritate huius ordinis, populiq; Romani dignitate coniunctos, crudelissime interfecit propudium illud & portentum L. Antonius, insigne odium omnium hominũ, uel, si etiam dij oderint quos oportet, omnium deorum. refugit animus P. C. eaq; formidat dicere, quę L. Antonius in Parmensium liberis, & coniugibus effecerit. quas enim turpitudines Antonij libenter cum dedecore subierunt, easdem per uim lætantur alijs se intulisse. Sed uis calamitosa est, quam il-

D lis intulerunt: libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est uita.

Sed quoniam significatio.] Transit ad secundũ caput causæ, quo refellit eos qui dicerent, nec Antonios hostes, nec consules imperatores appellandos. Imbuti sanguine gladij.] Imbuere est instituere. ut de Officijs libro primo: Plerunq; parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremq; deducimur. Imbuere interdum, est à natura fieri & formari, ita ut opponatur institutioni et quæ ab hominibus traditur, ut cum Cicero dixit pro Milone de Lege naturæ: Ad hanc non docti sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Interdum & quidem propriè, imbuere est tingere, colore aliquo perfundere, ut imbutæ coloribus lanæ. Interdum leuiter respergere, ut hoc loco, in quo plus est madefacti, quam imbuti: nam correctione augendi causa addidit, uel madefacti potius. Virgilius in Bucolicis: Illius aram

Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Duorum consulum.] Scilicet pugnis & prælijs. Si hostium fuit ille sanguis.] Ex consequentibus argumentum connexum in primo Dialecticorum modo, in quo cum primum sumpseris, consequitur id quod annexum est, hoc modo: Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas: nefarium scelus, si ciuium. Sed hostium fuit: ergo summa militũ pietas. aut hoc modo: sumpto eo quod annexum est, ut sequatur primum: Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas: pietas autem. ergo hostium fuit ille sanguis. Eadem est ratio alterius connexi: cum ait, nefarium scelus, si ciuium. nam duo

connexa

connexa contrariis constituit orator, quibus idem concludatur. Quousq; igitur.] Argumentationis est complexio oratorio more formata. Vult enim ex ijs quæ dixit, fieri, Antonium esse hostem Reipublicæ. A Nisi mucrones.] Id est gladios, à parte totum. Est enim mucro propriè ferri acumen & cuspis. Dubitantes utrum in ciue.] Ducit ad absurdum, & incõmodo urget. nam hoc non dicet Senatus. Supplicationem decernitis.] Ex repugnantibus & dissentaneis. Repugnant enim hæc, supplicationem decernere pro uictoria, & eos qui uicti sunt non esse hostes. Illa autem sunt consentanea, supplicatio decreta est, ergo hostes sunt fusi cæsiq;. Grata uero.] εἰρωνικῶς ostendit absurda, quæ sequantur, si illi hostes non sunt. De improbis, inquit.] Refert uerba, ut opinor Fusii Caleni, aut Pisonis, ut magis magisq; absurditatem & indignitatem ostendat, quem etiam reprehendit, sed modestius quàm alios.

Quæ sunt urbanarum maledicta litium.] Ostendit non satis grauia esse uerba, quod rebus non coueniant. Improbos enim & audaces eos appellant in foro, qui furtis, flagitijs, & cædibus inquinati sunt, non eos, qui bellum contra patriam gerunt, qui propriè hostes & latrones appellantur. Non iustæ belli internecini notæ.] Hic locus uariè & corruptè legebatur, sed hæc est uera & sincera lectio. bellum autem internecinum dixerunt ueteres pestiferum, capitale, exitiosum, cum scilicet non de imperio ac dignitate, sed de fortunis omnibus, & capite dimicatur: nec uter imperet, sed uter sit decernitur. Liuius lib. 9. ab Vrbe condita: Deletaq; Ausonum gens uix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset. Item lib. 22. Non internecinũ sibi esse cum Romanis bellum, de dignitate atq; imperio certare. Internecinum, inquit Sextus Pompeius, testamentum est, propter quod dominus eius necatus est. à nece enim internecinum dicitur, quasi quod nece tantum agitur, & unum exitium quæritur. Vult igitur orator, improbus, & audax, B non esse iustas, id est expressas, nefarij & exitialis belli notas, sed litium potius conuicia & maledicta.

Testamenta, credo, subijciunt.] Ab effectis & notis ostendit qui nam improbi dicantur. qui testamenta subijciunt, à nostro Cicerone alibi subiectores testamentorum, & uno uerbo, testamentarij, uocantur. sed hæc ipsa de Antonijs εἰρωνικῶς dicit. Aut adolescentulos circumscribunt.] Circumueniunt, fallunt. sed de hoc uerbo alibi diximus.

His enim uicijs affectos.] Facit tanquam improbi definitionem, ut ostendat Antonio, non improbos, sed hostes iure nominari. nam in qualitate plerunq; incidit, ut coniectura & definitione utendũ sit, ut de Inuent. lib. 2. Cicero testatur.

Bellum inexpiabile.] Argumentis & certissimis signis probat Antonios hostes esse. Cõmemorat enim eorum scelera, & frequentatione, quam rhetores uocant, amplificat: ut non solum hostes, sed teterrimos latrones esse demonstret.

Pestem, uastitatem.] Vide copiam uerborum, interpretatione rhetorica quæsitam. Dolabellæ ferum, &c.] In Trebonio necando. Hic ipse Iupiter.] In templo enim Iouis capitolini tum Senatus erat congregatus.

Nulla Barbaria.] Familiaris Ciceroni comparatio augendi gratia. Declarauit in Parmensium calamitate.] Parma à fluuio qui eam præterlabitur appellata in togata Gallia est, in octaua Italiæ regione, colonia quondam Romanorum, hodie quoq; urbs clarissima, optimi casei parens: sed in magno discrimine posita, dum de ea decertare aliquot principes parant, nisi alicunde ei lux salutaris oriatur. Cum autoritate huius ordinis.] Parmenses Senatui fauebant, Bononienses Antonijs. Crudelissimis exemplis.] Id est modis & cruciatibus, quæ alijs esse exemplo possint. uerbum apud comicos frequens. C Propudium illud & portentum.] Propudium, inquit Sextus Pompeius, dicebant, cum maledicto nudare turpitudinem uolebant, quasi porrò pudendum. Quidam propudium putant dici, eum à quo pudor & pudicitia procul absint. Plautus in Curgulione: Quid ais propudium? tun' etiã cum noctuinis oculis odium me uocas? Item in Bacchid. Recede hinc dierectè. En ut pultat propudium. Item in Pœnulo: Tun' audes etiam seruos spernere propudium? arbitror illud esse quod nostri homines dicunt, Sfacciato, & poltrone. à propudio Plautus etiam propudiosum deriuauit. Alij præludium, seu proludium legunt, quod est reijciendum. Insigne odium.] Insignis est L. Antonij uituperatio, & paucis uerbis, longe omnium maxima. nam propudium, portentum, odium, per metonymiam appellat. Refugit animus.] Ab animi motu atq; formidine rei magnitudinem, indignitatem, atq; immanitatem ostendit. Sic Aeneas apud Didonem in secundo Aeneidos, res Troianas narraturus auget his uerbis:

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breuiter Troiæ supremum audire laborem:
Quanquam animus meminisse horret, luctuq; refugit,
Incipiam.

Quas enim turpitudines.] O impuros homines, ò nefarios, ò uerè propudia & portenta, ea commiserunt quæ castissimus & pudicissimus orator, & inimicus proferre formidat, queq; nec ipse nominabo. D Lætantur.] Quod signum est deploratissimorum & profligatissimorũ hominum, quod Dauid uates intuens ait: Lætantur, cum flagitiose fecerint, & exultant in rebus turpissimis. Sed uis calamitosa est.] Illos miseros excusat à flagitio quod uim passi sunt. nullum enim flagitium est, sine animi uoluntatisq; consensu, si uis corpori affertur. Oblita est uita.] Contaminata, polluta, conspurcata.

Est igitur quisquam qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatem constat Carthaginensiũ uictam esse? qua enim in urbe tam immanis Annibal †capta, quàm in Parma surrepta Antonius? nisi forte huius Coloniæ, & cæterarum, in quas eodem est animo, non est hostis putandus. Si uero coloniarũ & municipiorum sine ulla dubitatione hostis est: quid tandẽ huius censetis urbis? quam ille ad explendas egestates latrocinij sui concupiuit, quam iam peritus metator & callidus decempeda sua Saxa diuiserat. Recordamini per deos immortales P. C. quid hoc biduo timuerimus à domesticis hostibus, id est qui intra mœnia hostes sunt, rumoribus im-

† al. repta

A probissimis dissipatis: quis liberos, quis coniugem aspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Iam aut fœdissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. hæc à quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? grauius si quis attulerit nomen, libenter assentiar, hoc uulgari contentus uix sum, leuiore non utar.

Est igitur quisquam.] Expositis signis & sceleratissimis Antoniorum factis, quibus illos in odium contemptionemq; protraxit, infert conclusionem suo, hoc est oratorio more. Ea enim omnia, & multo sceleratiora Antonij contra Romanos, contraq; eorum socios, & amicos fecerunt, quæ hostes facerent, & non appellabuntur hostes? Crudelitatem Carthaginensium.] Comparatione amplificat nationis crudelissimæ. Quæ enim in urbe.] Declarat comparationem, ut una crudelitatem in illustri loco ponat. Et simul obserua elegantem agnominationem, in rapta & surrepta. In rapta urbe plura fieri possunt, in surrepta minora: contra fecit Antonius indigniora in surrepta, id est per dolum & proditionem occupata, quàm Annibal in rapta & expugnata fecit. Nisi forte huius coloniæ.] En Parmam coloniam, ut diximus. tanquam diceret, absurdum esset negare eum hostem esse Parmæ coloniæ, & cæterarũ in quas eodem est animo. nam quæ in eam designauit, satis hoc arguunt. Si uero coloniarũ & municipiorum.] Ex minori con- B *cludit argumentum hoc modo: si coloniarum hostis est, quæ tantis opibus non abundant, quantis hæc urbs, multo magis hostis huius est urbis, ex qua se putat egestatem suam explere posse. Nituntur tamen hæc omnia causis, qui locus ad coniecturam pertinet. nam cõmodorum spes, & cupiditas effrenata, eum ad hæc maleficia impellunt. Hoc quod dico significatur illis uerbis, quam ille ad explendas egestates latrocinij sui concupiuit. Sed expendamus horũ uim & pondus uerborum. primum non dixit, ad explendam egestatem, sed egestates, quasi explere multas, difficilius sit, quàm unam. deinde non dixit ad pellendam egestatem, sed explendas egestates. multis enim rebus opus, ad multas explendas & exaturandas. Ad hæc, non simpliciter egestates suas dixit, sed latrocinij sui, id est belli contra Remp. Si quis enim multum cupiat, ad res laudabiles & maxime utiles conficiendas: si quis etiam ad uictum & cultum, aut ad uitæ necessitates, uituperari omnino non potest, quod non sint uituperabiles causæ, non usus rerum: sed si quis ad latrocinandum, ad prædandum, ad uim patriæ inferendam, ad audaciam & scelus, ad flagitia cõcupiscat, quòd nec causæ, nec usus sit bonus, is homo perditus & profligatus est. Nunc quid municipia à colonijs differant, paucis aperiamus. Municipes erant ciues Romani ex municipijs, suo iure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Rom. honorarij participes, à quo munere capessendo, appellati uidentur, nullis alijs necessitatibus, neq; ulla populi Rom. lege astricti, cum nunquam populi Romani eorum fundus factus esset. Ex quo intelligitur municipia liberas fuisse ciuitates, siue cõmunitates, siue oppida, ius Romanæ ciuitatis adepta. Quæ autẽ municipem faciant, quiq; municipes dicantur, docet breuiter Vlpianus Digestorũ lib. 50. Ad municipalem, & de incolis L. prima. Municipem, inquit, aut natiuitas facit, aut manumissio, aut adoptio. Et proprie quidem municipes appellantur, muneris participes, recepti in ciuitatem, ut munera nobiscum facerent. Sed nunc abusiuè* C *municipes dicimus, suos cuiuscunq; ciuitatis ciues, ut campanos, puteolanos. Hæc ille. Sed coloniarum alia necessitudo est, ut Gellius ait. Non enim ueniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt, & iura institutaq; omnia populi Rom. non sui arbitrij habent. Quæ tamen conditio, cum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & præstabilior existimatur, propter amplitudinem maiestatemq; populi Romani, cuius istæ coloniæ quasi effigies paruæ simulacraq; esse quædam uidentur: & simul quia obscurata oblitterataq; sunt municipiorum iura, quibus uti iam per ignorantiam non queunt. Mirari subit, cur hac tempestate nullæ coloniæ deducantur, nullæ urbes aut oppida noua condantur, cum tamen ingens sit hominum multitudo, & quidem pauperum & egenorum. Hic in genere sicut in cæteris Reip. partibus, est operæprecium diligentiam maiorum recordari, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut non oppida; sed propugnacula imperij esse uiderentur. Fuit quoq; tempus cum propter hominum multitudinem agriq; inopiam Galli trans Rhenum in Germaniam, & Germani in Galliam colonias mitterent. Romæ uero, cum multos ex ueteribus nouisq; incolis paupertate premi intellectum erat, adeo ut censui soluendo non sufficerent, Triumuiri à Senatu creabantur, qui locis primum consideratis, in quibus Reipublicæ expediret nouum populum constitui, edicta proponebant, danda esse nomina ab illis qui in nouam coloniam deduci uellent.* D *sicq; urbs pauperibus exonerabatur: & rei familiaris pondere grauati, ad nouas, quibus indigerent diuitias gratis datas, cum familijs migrabant. Assignabatur enim illis agri tantum, quantũ singulæ possent colere familiæ: quantumq; æquum esse uidebatur. At hodie non deducuntur homines ad nouas opes, sed ex ueteribus eijciuntur: non conduntur nouæ urbes, sed ueteres euertuntur. Harum autem omniũ rerum causa est partim ingens & cæca cupiditas, partim ueræ politiæ ignorantia, recteq; imperandi inscitia. Sed nostri seculi calamitates deplorare, non est huius uelocissimæ commentationis.*

Peritus metator & callidus, decempeda sua.] De hoc Saxa Philippica undecima: Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia Tribunum plebis dedit: castrorum antea metator, nunc ut sperat urbis. Est autem metator proprie is, qui locum deligit castris atq; metatur, ut Vegetius libro secundo docet. Arbitror eum esse, qui hodie uocatur Il maestro di campo. Decempedam uero, hodie perticam nostri Itali uocant. Est enim linea siue instrumentum quo architecti, & fabri, & agrorum, & uiarum mensores uti solent. Dicta decempeda, quòd denos pedes capiat. Hinc decempedator, quo nomine usus est antea Cicero, qui & ab eodem pro lege agraria finitor appellatur. Mensor etiam à Columella & Plinio. Recordamini per deos.] Antonios esse hostes probat ex recenti periculo & trepidatione, tanquam ex signo. Nunciatum enim fuerat uictoriam esse assecutum Antonium. De hac trepidatione sic scripsit ad M. Brutum Cicero epistola quæ incipit: Nostræ res. Triduo aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculsa ciuitas tota ad te se cum coniugibus & liberis effundebat: eadem recreata ad duodecimũ Cal. Maij, te huc uenire, quam

se ad te

se ad te ire malebat. *Quis liberos?] Commiserationis locus, quo etiam metum præteritum ostendit, ut intelligant non amicum, sed hostem metuisse.* *Hæc à quibus metuebantur.] Conclusio. Ergo hostis est Antonius. Nemo metuit armatum, nisi hostem. armatum Antonium metuebatis, ergo hostis Antonius.* *Grauius si quis.] Ergo non leuiore utendum.* A

Itaq; cum supplicationes iustissimas ex his literis quæ recitatæ sunt decernere debeamus, Seruiliusq; decreuerit, augebo omnino numerũ dierum. præsertim cum non uni, sed tribus ducibus sint decernendæ. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum uirtute & consilijs felicitate maximis periculis seruitutis atq; interitus liberati sumus. Etenim cui uiginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerunq; nullis? Quamobrẽ aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit: aut usitatus honos, peruulgatusq; tribuendus his, quibus etiam noui & singulares debentur. An si quis Hispanorũ aut Gallorum aut Thracum mille, aut duo milia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret Senatus? tot legionibus cæsis, tanta multitudine hostium interfecta (dico inquam hostium, quamuis hoc isti hostes domestici non sint) clarissimis ducibus supplicationis honorem tribuemus? Imperatorum nomen adimemus? quanto enim honore, lætitia, gratulatione in hoc templũ ingredi debent illi ipsi huius urbis liberatores, cum hesterno die propter eorum res gestas me ouantem & prope triumphantem populus Rom. in Capitolium domo tulerit? domũ inde reduxerit? Is demum est mea quidem sententia iustus triumphus ac uerus, cum bene de Rep. meritis testimoniũ à consensu ciuitatis datur. nam siue in cõmuni gaudio populi Romani mihi gratulabantur, magnum iudicium, siue gratias agebant, eo maius, siue utrunq;, nihil magnificentius excogitari potest. tu igitur de te, dixerit quispiam. & quidem inuitus. sed iniuriæ dolor facit me præter consuetudinem gloriosum. nonne satis est ab hominibus uirtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiam ne eos, qui omnes suas curas in Reip. salute defigunt? B

Itaq; cum supplicationes.] Venit ad supplicationes, & ex his eos imperatores appellandos censet, quibus supplicationes decernantur. Atq; in eo reprehendit aliorum sententiam, qui hunc honorem illis non tribuebant. *Augebo omnino numerum.] Nam alij uiginti, Cicero quinquaginta decreuit.* *Præsertim cum.] Ratio, cur numerũ dierum augeat.* *Sed hoc primum faciam.] Vis quædam subest definitionis, qua ex meritis & rebus gestis imperatorem describit.* *Etenim cui.] Duplex argumentum facit, alterum ex minore, alterum ex relatis. Relata enim sunt supplicatio & imperator: ita ut si sit imperator, et supplicationes debeantur, & si supplicationes ei decernuntur, sit imperator. Est etiam ratio ducta ex more & cõsuetudine, aut rebus iudicatis. Semper enim à uiginti annis, cui supplicatio decernebatur, is imperator appellabatur.* *Aut minimis rebus gestis.] Ergo multo magis hoc nomine appellandi, qui magnas res gesserunt. Scribit Appianus nomen imperatoris maximæ fuisse apud milites autoritatis, quem honorem prætores, reiq; militaris præfecti in maximis belli operibus sibi antiquitus uendicabant. post autem is ita peruagatus atq; peruulgatus est, ut uel minimis rebus gestis, nomen hoc tribueretur. Primus apud Romanos, L. Lucullus imperator appellatus est, Armenis, Mesopotamiaq; subactis, & Nisibi cum fratre regis capta, ut Eusebius memoriæ prodidit. Hac appellatione decorabantur copiarum duces, aut militum acclamatione, aut, quod honorificentius erat, decreto Senatus. Atq; hanc quidem arbitror Eusebium intelligere uoluisse. nam illa altera uetustissima est, id quod ex Liuio & alijs intelligi potest. Nam is Scipionem illum superiorem à militibus suis appellatum fuisse imperatorem scribit.* C

Quamobrem, aut] Concludit ex relatis, ut dixi. *An si quis Hispanorum, &c.] Has tres gentes nominat, quod multa & magna bella cum his gesta erant.* *Mille aut duo millia.] Appianus quoq; tradit, cum dignum habitum imperatorio nomine, sub quo mille hostium concidissent. Atq; ita quo plures quis occidisset, eo maior erat imperator, melioreq; iure imperator appellatur: ut maior est lanius, qui plures boues ad lanienam ducit, & mactat: ut non male putarit is qui Cæsares imperatores appellatos dixit primum, à cædendo. Hæc enim esse uidetur, horũ nominum & titulorum origo. Postea AVGVSTI sunt appellati à Romanis, σεβαστοὶ à Græcis: quo nomine Octauius Cæsar, rerum potitus appellatus est, ut sanctitas quoq; & ueneratio adiungeretur: qua de re Dion libro 53.* *Tot legionibus cæsis.] Altera pars comparationis, quæ maior est, ex qua probat iure eos imperatores appellari qui tot legiones ceciderunt, tantam multitudinem interfecerunt.* *Hostes domestici.] Q. Fusius Calenus, & L. Piso.* *Quanto enim honore.] Et hoc ipsum ex maiore.* *Me ouantem.] Idem differt ouans à triumphante, quod ouatio à triumpho. Est autem ouatio minor triumphus, & minore apparatu & pompa ductus. Triumphus uero omnia insignia & ornamenta habet. de hoc triumpho siue gratulatione scribit ad M. Brutum epistola à me paulo ante notata, 12. die Calend. Maij, magnorum meorum laborum, multarumq; uigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida ueraq; gloria. Nam tantæ multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. Ea cum usq; in capitolium deductus, maximo clamore atq; plausu in rostris collocatus sum. nihil est in me inane, neq; enim debet. Sed tamen* D

A *omnium ordinum cõsensus, gratiarum actio gratulatioq; me cõmouet, propterea quòd popularem me esse in populi salute praeclarum est.* Is enim demũ est.] *Amplificat & exornat loco cõmuni & sententia, quae speciem quandam habet definitionis: Quinam sit uerus triumphus, siue honor & gloria. Est publicum ciuitatis, de alicuius uirtute & meritis testimonium.* Nam sine in communi gaudio.] *Partitione amplificat, & partes ducit per tres gradus, magnum, maius, maximum. Et est locus à testimonio & iudicio populi Romani.* Tu igitur ipse de te.] *Scilicet haec ais gloriabundus, ac si diceret: turpe est, de se iactantius praedicare.* Et quidem inuitus.] *De me dico. Occurrit reprehensioni, & excurrit in querelam contra improbos quosdam, qui de se inuidiosum rumorem sparserant, & consilium machinabantur, ad seditionem excitandam.* Sed iniuriae dolor.] *Translatione criminis utitur. transfert enim criminis causam in inuidos. Et hoc est quod dicit Cicero in Part. oratorijs, ubi partes iuridicialis siue qualitatis statuis enumerat. Aut iure factum inquit depellitur, aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiae, aut religionis, aut patriae nomine, aut deniq; necessitate, inscitia, casu. Significat ergo se coactum esse aliena iniuria de se quaedam praedicare, praeter suam consuetudinem. Et certe nunquam Cicero de se aliquid iactantius dixit, nisi coactus, aut iniuriae dolore, aut ut suo exemplo aliquos ad uirtutem extimularet. Quare miror quosdam etiam hodie, qui iactabundum & gloriabundum appellant Ciceronẽ. Deberent enim hi cogitare, quinam esset uir Cicero, in qua Republica, quot haberet aduersarios, inter quos uiueret: nõ è sua angustia, & animi infirmitate, nullis interea rebus gestis, exigua etiã pleruĩq; eru-*

B *ditione, summũ uirum metiri, & de eo iudicium tam humile facere. Si personas cum personis contenderint, uidebũt eum nihil indecorum, nihil à sua persona alienum in eo gloriandi genere dixisse.* Non enim satis est.] *Non sunt, inquit, uirtutis expertes, contenti bene merentibus nullam referri gratiam (quae non parua est iniuria) sed inuidia perciti, maiorem addunt iniuriam, dum falsos de ipsis rumores spergunt, crimina confingunt, ut eos inuidia & odio onerent, & in capitis discrimen adducant.*

O dirum exitium mortalibus, ò nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia, ut cum Sillio Italico exclamem.
Hoccine est credibile aut memorabile,
Tanta uecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeat, atq; ex incommodis
Alterius, sua ut comparet cõmoda? quod quidem iure ille apud Terentium & admiratur & indignatur.

Crimen inuidia queritur.] *Inuidia, id est per inuidiam. est enim auferendi casus. Est autem inuidia aegritudo suscepta propter alterius res secundas quae nihil noceant inuidenti.*

C

al. Apriles Scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per Idus† quintiles,
al. hodie qui dies† hodie est, cum fascibus descensurum. crimen inuidia quaeritur? Credo hoc in
octauus est gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum: non in eum, qui ne quid tale in Repub. fieri possit, effecerit. an ut ego qui Catilinam haec molientem sustulerim, euerterim, afflixerim, ipse existerem repente Catilina? quibus auspicijs istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? quenquã ne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? unde igitur ista suspicio? uel potius iste sermo? eum, ut scitis, hoc triduo uel quatriduo tristis a Mutina fama manaret, inflati laeticia atq; insolentia impij ciues unum se in locum, ad illam curiam uiribus potius suis, quàm Reipub. infelicem, congregabant. ibi cum consiliũ inirent de caede nostra, partirenturq; inter se, qui Capitolium, qui ostia, qui Vrbis portas occuparent, ad me concursum futurum ciuitatis putabant. quod, ut inuidia mea fieret, & cum uitae etiam periculo, famam istam fasciũ dissipauerunt, fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. quod cum

D esset quasi mea uoluntate factum, tum impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum parabatur. ex quo caedes esset uestrum omnium consecuta. Quae res patefiet patres conscripti, sed suo tempore totius huius sceleris fons aperietur. Itaq; P. Apuleius Tribunus pl. meorum omnium consiliorum periculorumq; iam inde à consulatu meo testis, conscius, & adiutor, dolorem ferre non potuit doloris mei. concionẽ habuit maximam populo Romano unum atq; idem sentiente. In qua concione cum me pro summa nostra coniunctione & familiaritate liberare suspicione fascium uellet, una uoce cuncta concio declarauit, nihil esse à me unquam de Repub. nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribusúe horis optatissimi nuncij & literae uenerunt, ut idem dies non modo me iniquissima inuidia liberarit, sed etiam celeberrima populi Rom. gratulatione auxerit.

Scitis enim, per] *Declarat criminis inuidia quaesiti modum, & totam rem diligenter exponit, ut maior aduersariorum inuidia, & testatior eius esset innocentia.*

Me per

Me per Idus Quintiles.] Hæc lectio prorsus historiæ repugnat. Galba enim ad Ciceronem scribens, decimosepti- A
mo Calend. Mai prælium hoc esse commissum ait: Cicero ad M. Brutum, ut ante diximus, huius uictoriæ nuncium ad duo
decimum Calend. Maias allatum fuisse testatur. Hæc autem oratio postridie eius diei est, id quod illa uerba declarant pau
lo ante recitata: Cum hesterno die propter eorum res gestas me ouantē & prope triumphantē populus Romanus in Ca
pitolium domo tulerit, &c. Hic nemo non uidet, Idus Quintiles nihil ad rem facere. Corrigere autem locum difficile est,
repugnantibus omnibus codicibus. Quidam putant se tenere ueram lectionem, cum postridie Palilia aut Vinalia repo-
suisset. Fuerunt autem Palilia, feriæ Romæ natali duodecimo Calend. Maij dicatæ, ut Varro testatur. Vinalia uero nono
uel ut Ouidius in quarto Fastorum scribit decimo Calend. Maij. Hæ feriæ ab Aenea Ioui & Veneri genitrici gustandis
uinis institutæ. Verum, ut dixi, quid simile habent pridie Vinalia aut Palilia, cum Idus Quintiles? Quamobrem cum om
nibus liceat diuinare, mihi quoq; idem permittetur hoc loco, præsertim non sine magna similitudine & ratione diuinan-
ti. Lego igitur, Per Idus Apriles (qui dies hodie octauus est) cum fascibus descensurū. Sic omnia recte quadrabunt, & cum
reliquis locis consentient. Octauo enim ab Idibus Aprilis hæc habita oratio est. Et facile numerum omittere, fortaßis no-
tis non literis notatum. Reliqua in ipsa quoq; oratione correximus. Credo hoc in gladiatorem.] Hanc suspicio-
nem ex repugnantibus & contrarijs falsam & uanam esse ostendit: uerum id facit per dißimulantiam quandam, & illu
sionem. Gladiatorem.] Qualis est C. Antonius. Aut latronem.] Cuiusmodi est M. Antonius.
Aut Catilinam.] Id est patriæ parricidam, à quo parum abest Antonius. An ego qui Catilinam.] Amplifi-
cat ex ijsdem repugnantibus, & mouet indignationem. Et simul attende interpretationem, uincidis liberam, ad maiorem B
uim orationis, cum ait, sustulerim, euerterim, afflixerim. Quibus auspicijs.] Refellit ab adiunctorum & faculta
tum remotione, ut τὸ ἀδύνατον ostendat. Primum, quòd cum sit augur, contra auspicia hoc non faceret, nec facere
posset. Deinde, quòd non diu retinere posset contra tantam potentiam ciuium: postremo, quòd cui traderet, non haberet.
Quemquámne fuisse tam sceleratum?] Reticentiæ genus, ad indignationem exprimendam aptum.
Vel potius iste sermo.] Corrigit, quòd neminem id suspicari posse de se credit. Cum, ut scitis.] Exponit oc
casionem sparsi rumoris, & insidiosum improborum consilium. Tristis à Mutina fama.] De Antonij uictoria,
quæ quidem uera initio fuit. In quodam enim conflictu, propter Gallicum quendam equitatū qui à Cæsare ad Antonium
defecerat, superior fuerat Antonius, ut scribit Dion libro quadragesimosexto. Et de hac ipsa fama & trepidatione supra
Ciceronis ex Epistolis uerba produximus. Impij ciues.] Qui Romæ relicti partes Antonij fouebant, quorū prin
cipes erant Q. Fusius Calenus, & L. Piso. Ad illam curiam.] Aut Pompeij curiam intelligit, in qua fuit interfe
ctus Cæsar: aut Iuliam curiam, quæ Iulij Cæsaris fuit. Sequentia indicant eum de Pompeij curia potius loqui: quam infeli-
cem uocat, propterea quòd cum esset summi uiri Pompeij, pòst fuit à Cæsarianis occupata. & à loco rem facit uerisimi-
lem. Ibi cum consilium.] Inuidiosam, ac potius criminosam facit narrationem. Partirenturq;.] Quasi
Catilinæ coniurationem describit. Qui Capitolium.] Arcem Romanam in colle Capitolino, qui & Saturnius,
& Tarpeius dictus est. Qui ostia.] Scilicet ædium, ciuium singulorum. Illa enim ostia proprie uocantur. Por- C
tæ autem sunt urbis, & publicorum ædificiorum, ut hic etiam locus indicat. Ostia etiam sunt fluminum patentia ora, qui-
bus in mare exonerantur. Quod ut cum inuidia.] Rem facit uerisimilem à rumore & fama & præcurrētibus.
Fasces.] Ab adiunctis. Sunt enim fasces insignia, quibus consulatus & imperij dignitas demonstratur. Erant autem
fasces duodecim uirgarum cum totidem securibus, quæ à totidem lictoribus cuiq; consulum præferebantur. Hæc insignia
à duodecim Tusciæ populis, quos subegerat Tarquinius Priscus acceperunt. Et præterea etiam reliqua magistratuum in
signia & ornamenta: trabeas, sellas curules, annulos, phaleras, paludamenta, prætextam, & morem in curru aureo cum
quatuor equis triumphandi, ut Liuius, Florus, Fenestella, & Cæsar apud Sallustium in ea oratione quam de supplicio con
iuratorum habuit, testantur. Quod cum esset quasi mea uoluntate factum.] Verisimile facit à tempore.
Conductorum hominum.] Mercenariorum, nebulonum, qui conducti essent ad me uosq; omnes trucidandos.
Cædes omnium uestrum.] Hoc addit, ut ab auditorum persona odium conflet in aduersarios. dicit enim quæ illi per
fidiose, crudeliter, & confidenter essent facturi. Quæ res patescit.] Aperiri & nudari incipit. Hoc testimonij
uice profert. Sceleris fons.] Autor & machinator huius proditionis. Itaq; P. Apuleius.] Ab Apuleij
testimonio suam tuetur innocentiam, & à præterita uita. Testis.] Qui omnia uidit & audiuit.
Conscius.] Cum quo omnia mea consilia communicaui. Adiutor.] In laboribus & periculis meis.
Dolorem.] Scilicet meum, quem ob rei indignitatem & falsum rumorem capiebam. Doloris mei.] De D
meo dolore. nimirum de mei doloris causa, & maleuolorum meorum iniquitate. Concionem habuit maximā.]
Id est amplißimam atq; grauißimam. In qua concione.] Concionis caput & scopum attingit, ad renouandam
suam purgationem. Vna uoce.] A totius de se populi iudicio & testimonio. Post hanc habitam concio-
nem.] Quomodo ea fascium suspicione fuerit repente ac præter spem diuino consilio, literis de uictoria Mutinensi alla
tis, liberatus. Nam tunc uerisimile est omnes illos machinatores concidisse.

Hæc interposui patres conscripti, non tam ut pro me dicerem (male enim mecum ageretur, si parum uobis essem sine defensione purgatus) quàm ut quosdam nimis ieiuno animo & angusto monerem: id quod ego semper fecissem, uti excellentium ciuium uirtutem imitatione dignam, non inuidia putarent. Magnus est in republica campus, ut sapienter dicere solebat Crassus: multis apertus cursus ad laudem. utinam quidem illi principes uiuerent, qui me post meum consulatum, cum ijs ipse cede

A rem, principem non inuiti uidebant. Hoc uero tempore in tanta inopia constantium & fortium consularium, quo me dolore affici creditis? cum alios male sentire, alios nihil omnino curare uideam, alios parum constanter in suscepta causa permanere, sententiamq; suam non semper utilitate reipublicæ, sed cum spe, tum timore moderari. Quod si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet: stultissime facit, si uitijs cum uirtute contendit. Vt enim cursu cursus, sic in uiris fortibus uirtus uirtute superatur. Tu, si ego de republica optime sentiam, ut me uincas, ipse pessime senties? aut si ad me bonorum concursum fieri uidebis, ad te improbos inuitabis? nollem, primum reipublicæ causa: deinde etiam dignitatis tuæ. Sed si principatus ageretur, quem nunquam expetiui, quid tandem mihi esset optatius? Ego enim malis sententijs uinci non possum: bonis forsitan possum, & libenter.

Hæc interposui.] Rationem reddit, quamobrem ab instituto digressus sit: & simul æmulos suos & inuidos repre-
B hendit, inter quos erant Fusius Calenus, & L. Piso, qui fauebant Antonio, & à Cicerone in dicenda sententia sæpe dissentiebant, ut antea uidimus. *Male enim mecum ageretur.*] L'andarebbe mal per me, ut Itali dicunt nostri. Quidam dicunt Ve mihi, Itali Guai a me: sed Cicero est imitandus. Hac parenthesi plus se purgat, quàm si longa & accurata uteretur purgatione. *Ieiuno animo.*] Vacuo, & idcirco detrahendi & mordendi cupido, ut qui ieiuni sunt, faciunt.

Quod semper ipse fecissem.] Qui semper excellentium ciuium uirtutē sum imitari conatus. *Vti excellentium ciuium uirtutem.*] Γνώμη erit, si hoc modo efferatur, EXCELLENTIVM CIVIVM VIRTVS IMITATIONB DIGNA, NON INVIDIA. Verissima sententia: sed malunt homines inuidere quàm imitari, ex quo plerunq; bonorum calumniæ & oppressiones, & nonnunquam seditiones in ciuitatibus oriuntur, & innumeræ calamitates. *Magnus est in republica campus.*] L. Crassi oratoris eloquentissimi (de quo multa in dialogis de Oratore) apophthegma profert, dictumq; sapiens, quo uehementer locus hic politicus ornatur. Hoc scito significabat Crassus, non uni tantum aut alteri patere aditum ad honores in republica, sed omnibus qui uirtute & laude ad eos uellent contendere. Alludit autem ad Circenses ludos, & Olympiacos, qui in amplissimo & patentissimo campo fierent, ubi cursu homines certarent. Campus autem per translationē significat materiam, ut De officijs libro primo: Hinc rhetorum campus de Marathone, &c. *Vtinam quidem.*] Optationem
C inserit ad animos permouendos. *Illi principes.*] Consulares & lumina reipublicæ, quos uiros antea sæpe nominauit. *Cum ijs ipse cederem.*] Conciliat sibi ex modestia fauorem. Hoc est orationem moratam efficere, quod Aristoteles in Rhetoricis præcipit, in qua mores eluceant oratoris. *Hoc uero tempore.*] Amplificat contentione, & flectit animos ad commiserationem, ob derelictam rempublicam, & diuersis partium studijs perturbatam.

Cum alios male sentire.] Id est, contra rempublicam dicere. Enumerat consularium studia, quibus perditur respublica, ut admoniti in uiam redeant. *Alios nihil omnino curare.*] Vt qui neutrius partis esse uellent.

Alios parum constanter.] Vt L. Piso, & P. Seruilius, & alij quidam. *Vtilitate reipublicæ.*] Eam utilitatem intelligit, quæ cum dignitate coniuncta sit, ut sæpe alibi testatus est. *Sed cum spe, tum timore moderari.*] Scilicet sententiam suam. Spes est opinio futuri boni, quod ex usu esse uideatur. Timor siue metus, opinio appropinquantis mali, quod intolerabile esse uideatur, ut noster orator in Tusculanis definiuit. Sunt hi duo affectus, mala specilla, quæ si quis animi oculis obiecerit, nihil sincerum, nihil uerum, sed omnia ex illorum colore iudicabit. Sapienter quoq; Cæsar apud Sallustium ait, Omnes homines qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atq; misericordia uacuos esse decet. Haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt: neq; quisquam omnium libedini simul & usui paruit.

Quod si quis de contentione principatus.] Locus communis, isq; præclarus de honorum contentione siue ambitione: nec omnem prorsus reijcit Cicero honorum contentionem, sed eam tantum, qua quis uitijs cum uirtute contendit.
D Quanquam mallet nullam esse, si fieri posset: quod si non potest, satius est uirtute cum uirtute contēdere. Idcirco ait:

Quæ nulla esse debet.] Huc facit quod De officijs libro primo ait: Miserrima est omnino ambitio honorumq; contentio. De qua præclare est apud Platonem: Similiter facere eos qui inter se contenderent, uter potius rempublicam administraret, ut si nautæ certarēt, quis eorum potissimum gubernaret. & alia ibidem. *Vt enim cursu cursus.*] Aptissima similitudine ostendit qualis debeat esse in republica contentio, & perstat in suscepta translatione cursus & cāpi.

Virtus uirtute.] Vt clauus clauo pellitur, sic minor uirtus à maiore superatur & uincitur. Omnia autem per metonymiam dicuntur, uitia & uirtutes, pro ijs in quibus ea insunt. *Tu, si ego de republica.*] Quicunq; es qui meis honoribus inuides. Fusium & Pisonem notat. Indignatur enim & insurgit in aduersarium, facitq; inuidiosam prosopopœiam. *Ipse pessime senties?*] Quasi diceret, inique facies. neq; enim hæc est recta contendendi uia aut ratio.

Aut si ad me bonorum concursum.] Contentione rem exaggerat, & peruersam contentionis æmulationem ostendit. *Nollem, primum, &c.*] Percunctatione obiurgauit: iam exponit sententiam, & grauissima lenitate & moderatione ostendit illum quisquis sit (Fusium intelligi non dubito) contra rempublicam facere, & dignitatem suam, quæ grauissima est reprehensio: sed lenitate sermonis mitigatur. Vide initiū Philippicæ duodecimæ. *Sed si principatus ageretur.*] Epanalepsis est oratoris, qua reuocat illa quæ cœperat: Quod si quis de contentione principatus laborat, sed alia dicendi figura, eaq; eleganti: pro, si de principatu contenderetur, ageretur. *Quem nunquam expetiui.*] Et hic, & in sequentibus modestiam suam ostendit orator. *Quid tandem.*] Tanquam diceret, Huius contentionis me pudere non posset, nec ut ab improbis uincerer, metuerem. Virtute enim contenderem cum uitijs.

Ego enim.] *Causam addit, & significat se bonorum suffragia habiturum, quae plura essent, quàm inuidorum.* A

Hæc populum Romanum uidere, animaduertere, iudicare, quidam moleste ferunt. Poteratne fieri, ut non perinde homines quoque, ut quisque mereretur, iudicarent? Vt enim de uniuerso senatu populus Romanus uerissime iudicat: nullis reipublicæ temporibus hunc ordinem firmiorem atque fortiorem fuisse: sic de unoquoque nostrum, & maxime qui hoc loco sententias dicimus: sciscitantur, omnes auent audire quid quisque senserit: ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, existimant. Memoria tenent, me ante diem decimumtertium Calend. Ianuar. principem reuocandæ libertatis fuisse: me ex Calendis Ianuarijs ad hanc horam uigilasse reipublicæ: meam domum, measq; aures dies & noctes omnium præceptis monitisq; patuisse: meis literis, meis nuncijs, meisq; cohortationibus omnes, qui ubique essent, ad patriæ præsidium excitatos: meis sententijs à Calendis Ianuarijs nunquam legatos ad Antonium: semper illum hostem, semper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore ueræ pacis autor fuissem, huic essem nomini pestiferæ pacis inimicus. Idem Ventidiū, cum alij tribunum plebis uoluissent, num ego semper hostem? In has sententias meas B si consules designati discessionem facere uoluissent, omnibus istis latronibus autoritate ipsa senatus iam pridem de manibus arma cecidissent.

Hæc populum Romanum.] *Scilicet me principem esse defendendæ reipublicæ, illos uero spe & metu omnes sententias suas moderari, quod paulo ante dixit.* *Videre, animaduertere, iudicare.*] *Locus à populi iudicio, quem amplificat familiari interpretatione. In quibus tamen uerbis ordo est naturalis quidam. Videmus enim rem prius, deinde animum aduertimus & consideramus, postremo iudicamus, quod si sit agendum sequimur.* *Poteratne fieri.*] *Era egli possibile, dicunt nostri. Increpatio est aduersariorum, qua conatur eos in uiam à diuerticulo reuocare. nam hic est orationis scopus.* *Vt enim de uniuerso senatu.* *A iudicio & diligenti cognitione populi Romani terret æmulos à sententiarum peruersitate: atq; utitur similitudine totius & partium. Iudicat populus Romanus de toto senatu, ergo etiā de partibus & singulis senatoribus, quid sentiant dicántur.* *Hoc loco.*] *Consulari, qui principes sumus.*

Ita de unoquoq; ut quemq; meritum arbitrantur, existimant.] *Cosi di ciascuno fanno quella stima, che gli pare hauer meritato. Ita bonos magni faciunt & suspiciunt, improbos contemnunt.* *Memoria tenent, me.*] *Quid egerit per illos tres menses, quibus cum Antonianis conflictatum est, breuiter exponit, ut aut aduersarios suis exemplis ad rempublicam reuocet, eiq; conciliet: aut eos qui longe à se diuersos & improbos hac quasi contentione esse declaret.*

Ante diem decimumtertium Calend. Ian.] *Hoc effecit in tertia Philippica.* *Meam domum, measq; aures*] C *Sic debent principes ciuitatis esse comparati, ut ad eos aditus omnibus ciuibus pateat: ut & ipsi alios admoneant, & se admoneri patiantur, quod etiam in De officijs hic noster præcipit, & quod præcipit, effecit ipse. Nunc quotusquisq; principum aut magistratuum se adiri sine summa difficultate patitur? Nam moneri ut se patiantur, nemo postulet, nisi de nouo aliquo pecuniariū aucupio. Quod si de illorum officio, si de aliquo errore, nō sine graui periculo id feceris. Sunt exempla in promptu, quæ taceri præstat, quàm literis mansuris consignari.* *A Calendis Ianuarijs.*] *A quinta Philippica ad hanc usq; hoc uerum esse uidimus.* *Nunquam legatos ad Antonium.*] *Scilicet decretos, & missos.*

Semper illum hostem.] *Scilicet meis sententijs iudicatum. sed omittuntur uerba propter summam narrationis celeritatem.* *Veræ pacis.*] *Honestæ & tutæ.* *Nomini pestiferæ pacis.*] *Antithesis. nomen opponitur rei. quasi nomine tantum pax esset, non re. Idcirco alibi dixit: Sub nomine pacis bellum latet. Deinde ueræ paci & salutari, pestifera pax, ut intelligamus eum non paci, sed tyrannidi, sed seruituti fuisse inimicum. de qua re satis in præcedentibus.* *Semper hostem.*] *Iudicaui & uolui.* *Has in sententias.*] *Ostendit suarum sententiarum utilitatem, si eas secuti essent, & simul seruit causæ. nam quæstio erat, Essentne Antoniani hostes appellandi.*

Consules designati.] *Hircius & Vibius Pansa.* *Discessionem facere noluissent.*] *Hoc dicit, quoniam eius sententia fuit exclusa, tanquam acerba & aspera. Cum ita excludebatur alicuius sententia, de ea nemo rogabatur, sed de* D *alijs: & Ciceroni consules designati tum non fuerunt assensi, qui si assensi essent, facile & reliquos in eam sententiam traxissent. Discessionem facere, erat cum propositis duabus pluribusue principum sententijs, unam earum cæteri suffragijs comprobarent, ut in eam fieret senatusconsultum. Et uidetur interdum ita factum fuisse, ut prout sententias comprobarent, in aliam atq; aliam partem senatus iussi discederent. Hinc etiam putant natas illas formulas, discedere, & pedibus ire in alicuius sententiam: & pedarij senatores, qui apud Venetos Sguizeri nominantur. Queritur ergo Marcus Tullius suas sententias ita reiectas fuisse à Consulibus designatis, ut in eas, quemadmodum in aliorum, discessio non fieret.*

De manibus arma cecidissent.] *Formula usitata Ciceroni, ut De officijs libro primo: Ita consilijs diligētiaq; nostra celeriter de manibus audacissimorum ciuium delapsa arma ceciderunt. Et quanquam sunt similia, inest tamē aliqua dissimilitudo, quæ à diligentibus propter dicendi uarietatem obseruanda est.*

Sed quod tum non licuit patres conscripti, id hoc tempore non solum licet, uerum etiam necesse est: eos qui rē sunt hostes, uerbis notari, sententijs nostris hostes iu-

A dicari. Antea cum hostem aut bellum nominassem, semel & sæpius sententiam meam
de numero sententiarum sustulerunt. quod in hac causa iam fieri non potest. Ex literis
enim C. Pansæ, A. Hircij Consulum, C. Cæsaris Proprætoris, de honore dijs immor
talibus habendo sententias diximus. Supplicationem modo qui decreuit, idem im-
prudens hostes iudicauit. Nunquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est. De-
cretam dico? ne uictoris quidem literis postulata est. Ciuile bellum Consul Sylla ges-
sit: legionibus in urbem adductis quos uoluit, expulit: quos potuit, occidit: suppli-
cationis mentio nulla. Graue bellum Octauij insequutum est: supplicatio Cinnæ nul-
la uictoris. Cinnæ uictoriam Imperator ultus est Sylla. nulla supplicatio decreta à se-
natu. Ad teipsum P. Seruili misit ullas collega literas de illa calamitosa pugna Pharsa
liæ? num te de supplicatione uoluit referre? profecto noluit. At misit postea de Ale-
xandria, de Pharnace: Pharsalicæ uero pugnæ ne triumphum quidem egit. Eos enim
ciues pugna illa sustulerat: quibus non modo uictoribus, sed etiam uiuis, & incolu-
mis, & florens ciuitas esse posset. quod idem contigerat superioribus bellis ciuilibus.
B nam mihi Consuli supplicatio nullis armis sumptis, non ob cædem hostiũ, sed ob con
seruationem ciuium, nouo, & inaudito genere decreta est.

Sed quod tum non licuit.] Mirifice delapsus est, & rediit ad propositam disputationem, An Antoniani essent hostes appellandi. *Verum etiam necesse est.] Inciditur omnis iam deliberatio, si necessitas affertur: & qui id docuit non uidentibus alijs, is plurimum uidit, ut ipsemet De oratore docet libro secundo.* *Qui re sunt hostes.] Ex maiore. nam si habent quod maius est, habeant etiam quod est minus. Vel ex pari, si quis mauult, ut par habeant rei nomẽ.*

Antea cum hostem.] Necessitatem ostensurus, proponit quid cum eo antea factum sit. *De numero sententiarum.] In quas uidelicet discessio fieret. Nam dictis pluribus sententijs, non in omnes, sed in duas tresue, quæ cæteris potiores uidebantur, pedibus ibatur: ex quibus quæ numero superasset, in eam senatusconsultum fiebat.*

Ex literis enim.] Confirmatio necessitatis ex literis consulum, & ex supplicationibus decretis. Sed hic subit scrupulus, qui fieri potuerit, ut illæ literæ ab Hircio & Pansa fuerint de uictoria scriptæ, cum Hircius in acie ipsa, Pansa paulo post ex uulnere in acie accepto interierint: id quod omnes historici scripserunt. Hic quid dicam non habeo, nisi Ciceronem mortem alterius consulis celare uoluisse. Nam eum hoc sciuisse apparet, cum paulo post dicat, Pansam duo periculosa uulnera accepisse. Verum hunc nodum soluit ipse Cicero, qui scribens ad M. Brutum, ait: Hircius quidem in ipsa uicto
C *ria occidit, cum paucis diebus magno prælio antè uicisset. Nam Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Ex quibus uerbis intelligimus Hircium antea uictorem fuisse: post paucos dies redintegrata pugna occubuisse. Literas in priore uictoria ad senatum dedisse. Etenim Galba in suis literis ad Ciceronem, quibus primam illam pugnam describit, neq; Hircium occisum, neq; uulneratum meminit Pansam. Semper tamen illud manet, Ciceronem mortem Hircij reticere tum aliqua de causa uoluisse.* *Supplicationem modo.] Vis huius loci ex relatorum natura pendet, ut ante dixi: in quibus altero concesso, alterum quoq; ei adiunctum concedere sit necesse. & hæc est tanquam propositio.*

Imprudens.] Id non cogitans, neq; aduertens, imprudenter. *Nunquam enim in ciuili bello.] Incipit propositum confirmare, idq; facit contrarijs exemplis. Si quis in ciuili bello res maximas gessisset, non appellabatur imperator, neq; ei supplicationes decernebantur, neq; aut ouationem, aut triumphum consequebatur: quoniam ut necessariæ interdum istæ, sic lugubres semper sunt existimatæ uictoriæ: utpote nõ externo sed domestico cruore partæ. Ideoq; lauream nec senatus cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desiderauit, ciuitatis parte lachrymante.* *Ne uictoris quidẽ.]. Amplificat à uictoris iudicio.* *Ciuile bellum consul Sylla gessit.] Primum exemplum. De Sylla & eius gestis contra Marium & Cinnam & alios ciues in superioribus diximus.* *Quos uoluit, expulit.] Recte. nam uictor proscriptione id potest efficere: occidere quos uult, non semper potest. fugiunt enim pleriq; uictoris ferrum.*
D *Graue bellum Octauianum.] Quod Octauius contra Cinnam collegam gessit, de quo etiam supra.*

Cinnæ uictoriam.] Tertium exemplum: & de hoc supra. *Ad te ipsum P. Seruili.] Apostrophe ad P. Seruilium, qui consul fuit cum Cæsare bello ciuili Pompeiano.* *At misit postea.] Antithesis. nam contraria prioribus affert exempla, quibus probat supplicationem nunquam, nisi de cæsis hostibus decerni.* *De Alexandria.] Expugnata & capta. de qua re, & de Pharnace rege uicto, uide Hircij commentariorum librum quartum.* *Pharsalicæ uero pugnæ ne triumphum quidem.] C. Iulius Cæsar Dictator, profligatis tandem aduersarijs, uictor ac uoti compos domum reuersus egit quinq; triumphos, primum Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, quintum Hispaniensem. Pharsalicæ uero pugnæ, & Pompeianæ cladis nullum egit triumphum: nec fas erat ciuem triumphare de ciue. Quin legimus populum Romanum dolenter grauiterq; tulisse cum in Cæsaris triumpho Africano imagines Scipionis, Petreij, & Catonis repræsentatæ fuissent eo habitu, quo illi mortem oppetierant: adeo omnis ciuilis uictoria perinde ac funesta damnabatur. Hinc Lucanus:* *Bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

Eos enim ciues.] Rationem reddit, & laudat eos ciues qui contra Cæsarem pugnantes in Pharsalica pugna occubuerant. *Superiorib. bellis.] Syllano, Mariano, Octauiano, Cinnano.* *Nam mihi.] Anteoccupatio, qua diluit siquis supplicationes ei cõsuli decretas in Catilinaria cõiuratione obijceret. nã nõ ob ciues cæsos, sed ob ciues cõseruatos, quod exemplum nouum erat, decretæ fuerunt. Atq; factum transfert in aliam causam.*

Quamobrem

Quamobrem aut ſupplicatio ob Remp. pulcherrime geſtam poſtulantibus ueſtris A
imperatoribus publice deneganda eſt, quod præter Gabinium contigit nemini: aut
ſupplicatione decreta, hoſtes eos, de quibus decernitis, iudicetis neceſſe eſt. quod er-
go illi re, ego etiam uerbo, cum imperatores eos appello: hoc ipſo nomine qui etiam
deuicti ſunt, & eos qui ſuperſunt, hoſtes iudico, cum uictores appello imperatores.
Quomodo enim potius Panſam appellem? & ſi habet honoris nomen ampliſſimi.
quo Hircium? eſt ille quidem conſul, ſed alterum nomen beneficij eſt populi Roma-
ni, alterum uirtutis atq; uictoriæ. quid Cæſarem deorum beneficio Reip. procreatum,
dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonij immanem & fœdam crude-
litatem non ſolum à iugulis noſtris, ſed etiam à membris & uiſceribus auertit. Vnius
autem diei quot & quantæ uirtutes dij immortales fuerunt? princeps enim omnium
Panſa prælij faciendi, & cũ Antonio confligendi fuit, dignus imperator legione Mar
tia, digna legio imperatore, cuius ſi acerrimũ impetum cohibere Panſa potuiſſet, uno B
prælio confecta res eſſet. Sed cum libertatis auida legio effrenatius in aciem hoſtium
irrupiſſet, ipſeq; in primis Panſa pugnaret, duobus periculoſis uulnerib. acceptis ſub-
latus è prælio Reip. uitam reſeruauit. Ego uero hunc non ſolum imperatorem, ſed e-
tiam clariſſimum imperatorem iudico, qui cum aut morte, aut uictoria ſe ſatisfactu-
rum Reipub. ſpopondiſſet, alterũ fecit, alterius dij immortales omen auertant. Quid
dicã de Hircio? qui re audita è caſtris duas legiones eduxit incredibili ſtudio atq; uir-
tute, quartam illam, quæ relicto Antonio ſe olim cum Martia legione coniunxit, &
ſeptimam, quæ conſtituta ex ueteranis docuit hoc prælio militibus, his, qui Cæſaris
beneficia ſeruaſſent, Senatus populiq; Rom. charum nomen eſſe. bis uiginti cohorti-
bus nullo equitatu Hircius ipſe aquilam quartæ legionis cum inferret, qua nullius
pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonij legionibus equita
tuq; conflixit: hoſteſq; nefarios, huic Ioui Maximo, cæteriſq; deorum immortalium
templis, urbis tectis, libertati populi Rom. noſtræ uitæ, ſanguiniq; imminentes pro-
ſtrauit, fudit, occidit, ut cum admodũ paucis nocte tectus metu perterritus princeps C
latronum, duxq; fugerit. O ſolem ipſum beatiſſimũ, qui anteq; ſe abderet, ſtratis cada
ueribus parricidarum, cum paucis fugientem uidit Antonium.

Quamobrem.] *Concludit ex relatis per diſiunctionem, atq; ex iudicio imperatorũ ſupplicationem poſtulantium:
non poſtulaturi, niſi quos uicerunt, hoſtes iudicarent.* *Quod, præter Gabinium.*] *Cicero in oratione in Piſonem.
Gabinium, inquit, cum nihil aliud in prouincia Syria egiſſet, niſi ut urbes depopularetur, agros uaſtaret, exhauriret do-
mos, poſtulaſſe à Senatu per literas ſupplicationem. Senatum literis Gabinij non credidiſſe, poſtulantibus denegaſſe: id-
circo ibidem ſubiungit: His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quòd de Piſone & Gabinio Senatus opinatur
non ſecus, ac de teterrimis hoſtibus. Hic eſt Gabinius qui conſul cum Piſone Ciceroni fuit infeſtiſſimus, quo tempore Clo-
diana ſeditione in exilium ire coactus eſt.* *Quod ergo illi re.*] *Cõmode repetit concluſionem, inferens ex iis quæ
dicta ſunt, imperatores duces Reip. appellandos eſſe, cum hoſtis ſit Antonius.* *Quomodo enim potius Panſam ap-
pellem?*] *Subiungit argumentationem ex rebus geſtis, & meritis perſonarum, quæ ordine, & eleganter cõmemorat.*
Honoris ampliſſimi.] *Id eſt conſulatus, à quo conſul.* *Sed alterum nomẽ.*] *Conſulis nomen: quoniã populi
ſuffragiis conferebatur.* *Alterum.*] *Imperatoris nomen, quod non tribuebatur, niſi fortibus & uictoribus ho-
ſtium.* *A iugulis noſtris.*] *A ceruicibus dicit alibi, quibus Brundiſio rediens imminebat.* *A membris & ui-* D
ſceribus.] *Id eſt ab urbe, ſed utitur uerbis atrocibus, ad beneficium Octauij Cæſaris exaggerandum.* *Vnius autem
diei.*] *Delabitur in cõmemorationem earum rerum quæ ſinguli Reip. duces & legiones in pugna mutinenſi fortiter fe-
cerunt, ut ex his iure eos imperatores appellari confirmet. Proponit autem rem ipſam cum admiratione & exclamatio
ne, ad animorum attentionem excitandam.* *Quot & quantæ uirtutes.*] *A multitudine & magnitudine excitat
admirationem.* *Princeps enim omnium Panſa.*] *Occaſionem huius pugnæ, & ordinem, & progreſſum, & fi-
nem qui breuiter noſſe uelit, legat Galbæ ad Ciceronẽ epiſtolã libro decimo. Copioſius rem deſcribũt Dion & Apianus.*
Dignus imperator leg. Mar.] *Exornat commutatione, non quidem contrariorum uerborum, ſed ordinis tantum.*
Cuius.] *Scilicet legionis Martiæ quæ fortiſſima erat ex ueteranis militibus.* *Libertatis auida.*] *Honeſtam
addit cauſam.* *Effrenatius.*] *Vehementius & impotentius ira feruescens, non expectata meliore occaſione, nec
expectatis ſubſidiis, ne imperatoris ſui iuſſu. Sic enim ſcribit Galba: Cum equites Antonij apparuiſſent, contineri ne-
que legio Martia, neq; cohortes prætoriæ potuerunt: quas ſequi cœpimus coacti, quum eas retinere non poteramus.
Item, poſteaquam uidit ſe inuito legionem ire Panſa, ſequi ſe duas legiones iuſſit tyronum.*
Duobus periculoſis uulneribus.] *Verè dicit Cicero, periculoſis: nam ex illis paulo poſt mortuus, cum Bononiam
eſſet, ut curaretur delatus. Hircius quoq; aut hoc prælio, aut paulo poſt, in acie occubuit, ut ante dixi. Referre hic operæ-
precium eſt, quæ de horum morte in Octauio memoriæ tradidit Suetonius, ut quibus gradibus quibusq; initiis ad princi-
patum*

A *patum ascenderit Augustus, appareat. Hoc bello, inquit, cum Hircius in acie, Pansaq́; post ex uulnere perissent, rumor in*
crebuit, ambos opera eius occisos, ut Antonio fugato, republica cõsulibus orbata, solus uictores exercitus occuparet. Pan
se quidem adeo suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custoditus sit, quasi uenenum uulneri indidisset. Adijcit his Aquilius
Niger, alterum è consulibus Hircium in pugnæ tumultu ab ipso Octauio interemptum. Quæ si uera sunt (nam non Sueto
nius solus, sed alij quoq; id scribunt) sed si sunt, quæ maior proditio, quod unquam scelus magis nefarium & immane ex-
titit? Hæc fuerunt illius imperij auspicia, à quibus nihil insequentes, paucis exceptis, degenerarunt. Aut morte,
aut uictoria.] Alludere uidetur ad Lacænæ mulieris dictum, quæ cum clypeum, ut mos erat matribus Lacænis, in filij hu
meros imponeret, Fili, inquit, aut hunc, aut super hunc: quo Laconica breuitate significauit, sic rem ab eo in bello geren-
dam, ut aut uictor domum rediret, aut fortiter occumberet. Alterum fecit.] Victoria reipublicæ satisfecit.
Alterius dij immortales omen auertant.] Frustra, ut diximus, hoc optat M. Tullius: sed puto illum infaustum nun-
cium suppreßisse tum, ne ciuitas perturbaretur, aut etiam fortaßis, ut facilius obtineret, ut illis imperatoribus appellatis,
hostis iudicaretur Antonius, quod & factum est, ut ipse ad Brutum testatur Cicero: Hostes, inquit, omnes iudicati, qui M.
Antonij sectam sequuti sunt. Qui Cæsaris beneficia seruassent.] Non comedissent aut dilapidassent. His
uiginti cohortibus.] Sic Galba: Audita re Hircius cum cohortibus uiginti ueteranis, redeunti Antonio in sua castra oc-
B *currit, copiasq́; eius omnes deleuit, fugauitq́; eodem loco ubi erat pugnatum ad forum Gallorũ. Hircius ipse aqui*
lam.] Aut Octauius & Hircius hoc ambo fecerũt, aut alteri falso attribuitur. Nam Suetonius scribit Octauiũ in media
dimicatione aquilifero legionis suæ grauiter saucio aquilam humeris subijsse, diuq́; portasse. Et mirũ est Ciceronẽ, si hoc
fecit Octauius, in tantis eius laudibus nõ id ei attribuisse: quod quidem nõ minus memorabile fuisset in penè puero, ac po
tius magis quàm in uiro. Qua nullius pulchriorẽ.] Amplificat Hircij factum. Nocte tectus.] Et hæc causa
fuit quo minus eo die eum fuerint persecuti, quòd nox prælium diremerit. De qua re Galba: Antonius, inquit, cum equiti-
bus hora noctis quarta se in castra sua ad Mutinã recepit. O solem ipsum beatiß.] Exclamatio poetica, ad rem
augendã, & animos in admirationẽ rei permouendos & impellendos. Fugientẽ uidit Antoniũ.] Solem anima
tum fecerunt Platonici: quidam etiã ipsam animã mundi esse putarũt. Homerus eum cuncta uidere canit: Sol qui cuncta
uides. Item Virgilius: Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras. Item alibi: Esto nunc testis sol.

An uero quisquã dubitabit appellare Cæsarẽ imperatorẽ? ętas eius certe ab hac sen
tẽtia neminẽ deterrebit: quandoquidẽ uirtute superauit ætatẽ. Ac mihi semper eo ma
iora beneficia Cæsaris uisa sunt: quo minus erant ab ætate illa postulanda. cui cum im-
periũ dabamus, eodẽ tẽpore & spẽ eius nominis deferebamus: quod cũ est cõsecutus,
C autoritatẽ nostri decreti rebus gestis suis cõprobauit. Hic ergo adolescẽs maximi ani
mi, ut uerissime scribit Hircius, castra multarũ legionũ paucis cohortib. tutatus est, se-
cũdumq́; præliũ fecit. Ita triũ imperatorũ populi Ro. uirtute, cõsilio, felicitate, uno die
locis pluribus resp. est cõseruata. Decerno igit̃ eorũ triũ nomine L. dierũ supplicatio-
nes, quas ut honorificentissimis uerbis ipse consequi potero, cõplectar ipsa sententia.

An uero quisquã.] Transit ad Cæsaris Octauij merita & animi magnitudinẽ cõmemorandam, quæ amplificat ab
ætate. Cum imperiũ dabamus.] Cum fasces & exercitũ, & proprætoris nomen. Spem nominis eius.]
A coniugatis hoc colligi potest. nam imperiũ & imperator coniugata sunt. Quod cũ est cõsecutus.] Quod nomẽ,
nempe imperatoris, rebus gestis suis comprobauit. Sic ferè locutus est in sexta in Verrẽ: Nimirũ, inquit, ut hic nomẽ suũ
comprobauit, sic ille cognomẽ. Castra multarũ legionũ.] Hoc breuiter etiã Galba: In ipsa Aemilia, inquit, ubi co
hors Cæsaris prætoria erat, diu pugnatũ est. Ita trium imperatorũ uirtute.] Concludit locũ de meritis ducũ, &
tria enumerat quæ in imperatore requiruntur, uirtutẽ, consiliũ, id est rei militaris scientiã, & felicitatẽ. Autoritas uero
quæ quarta in deligendo imperatore requiritur, ea in imperatoris nomine continetur. De his in oratione pro lege Mani
lia: Ego enim, inquit, sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiã rei militaris, uirtutẽ, au
toritatẽ, felicitatẽ. Decerno igitur.] Sententia de supplicationibus. Qua de re & alijs Appianus lib. 3. Bell. ciui
D *lium sic refert: Supplicationes ob res in Antoniũ gestas, quinquaginta dierũ anniuersarias senatus habendas censuit: quot*
nunquã bello Celtico, aut alijs in bellis decreuere Romani. Confirmata duabus legionibus præmia, quæ ab Antonio profu
gerant, singulis scilicet militibus drachmæ quinq; millia, quasi uictoribus, quæ olim promiserat senatus: concessitq́; so
lennibus diebus corona florida uti posse. Complectar ipsa sententia.] Quæ in extrema oratione ponetur.

Est autẽ fidei pietatisq́; nostræ, declarare fortissimis militibus, quàm memores simus,
quamq́; grati. quamobrẽ promissa nostra, atq; ea quæ legionib. bello confecto tributu
ros nos spopondimus, hodierno S.C. renouãda censeo. æquũ est enim militũ, talium
præsertim, honorẽ cõiungi. Atq; utinã P.C. ciuibus omnib. soluere nobis præmia lice-
ret. quanq̃ ea quæ nos promisimus, studiose cumulata reddemus. sed id quidẽ restat,
ut spero, uictoribus, quibus senatus fides præstat̃: quã cũ difficillimo reip. tẽpore secu
ti sint, eos nunq̃ oportebit cõsilij sui pœnitere. sed facile est bene agere cũ his, à qui-
bus etiã tacentib. flagitari uideamur. illud admirabilius et maius, maximeq́; proprium
senatus sapiẽtis est, grata eorũ uirtutẽ memoria prosequi, qui pro patria uitã profude-

runt

runt.quorũ de honore utinã plura mihi in mentẽ uenirent. Duo certe non prætereibo, quæ maxime occurrunt:quorũ alterum pertinet ad uirorũ fortissimorũ gloriam sempiternã:alterum ad leniendũ mœrorẽ & luctum proximorũ. Placet igitur mihi P. C. legionis Martiæ militibus, & eis qui unà pugnãtes occiderũt, monumentũ fieri q̃ amplissimũ. Magna atq; incredibilia sunt in remp. huius merita legionis. hæc se prima latrocinio abrupit Antonij, hæc tenuit Albam, hæc se ad Cæsarem contulit: hanc imitata quarta legio, parem uirtutis gloriam cõsecuta est. quarta uictrix desiderat neminẽ. ex Martia nonnulli in ipsa uictoria ceciderunt. A

Est autem fidei.] Hactenus de imperatoribus, nunc de militibus agit, quibus merita & debita præmia confirmãda statuit: qui locus est qualitatis & iuris. *Aequũ est.*] Confirmat ab æquo & iusto, & à militũ uirtute. *Atq; utinã.*] Optat ut omnibus militibus liceat reddi præmia, etiã mortuis, qua re conciliat sibi animos militum uiuorum. *Quandoquam nos.*] Tanquã diceret, quæ promisimus, si minus ipsis omnibus, saltem posteris ipsorũ reddemus. *Sed id quidem restat.*] Restat ut uictorib. reddantur ipsis, quib. id se facturũ senatus hodie spõdet, nec frustrabitur. *Sed facile est.*] Transit ad laudandos eos qui occisi fuerant. *Etiã tacentib.*] Tritũ est sermone apud nostrates prouerbiũ: Satis eum flagitare, qui bene officiũ facit, & tacet. Assai dimanda, chi ben serue & tace. *Illud admirabilius.*] Hic incipit laudatio eorũ qui in pugna ceciderant. Sed cur admirabilius? an quia ab ipsis nihil in posterum nec speratur, nec timetur? & nihil ipsi exigere iam à nobis possunt? An quia pauci talibus debitũ redderẽt, idcirco pulchrius & admirabilius? *Vitã profuderunt.*] Translatio sumpta à uasis è quibus liquores profunduntur. Respicit tamẽ ad eorum opinionẽ qui aut sanguinẽ ipsum, aut in ipso sanguine animũ & uitam esse putarunt, quod sensum animi proprium maxime existimarent: hũc autem sanguinis naturæ conuenire: in qua sententia fuisse Empedoclem scribit in Tusc. Cicero: & Critiam Aristoteles De animo lib. 1. Hinc illud poetæ de Euryalo in 9. Purpuream uomit ille animã. id est sanguinem. Item de Polyte Priami filio lib. 2. Concidit, ac multo uitam cum sanguine fudit. B *Quorum de honore.*] Partitur totam orationẽ in duo capita, in laudem mortuorũ, & in consolationẽ proximorũ: quæ duo etiam tenuit Demosthenes in oratione funebri, præsertim ad finem. nam in principio orationis solas sibi eorũ laudes proponit. Ex ea igitur oratione aliquot locos imitatus est Cicero, quod infra ostendã. Plato quoq; in eo libro cui titulus est Menexenus, siue Epitaphium, magnifica oratione funebri ornat eos qui in prælio pro patria ceciderunt: illorũ filios & fratres ad uirtutis ipsorum imitationem hortatur: parentes uero & alios maiores, siqui supersunt, consolatur. Ex hac quoq; officina nõnulla fortassis etiam fila deduxit, ex quibus hanc breuẽ, sed summo artificio contextã telam conficeret. *Placet igitur*] Primũ partitionis caput, de honore militũ persequitur, cuius duæ sunt partes: in altera monumentũ publicũ eis decernit, in altera factum eorũ amplificat, & mortẽ laudat tanquã pulcherrime obitã. *Monumentũ fieri.*] Iurisconsulti titulo De religiosis &c. monumentũ esse aiunt, quod memoriæ causa existat: in quod si corpus uel reliquiæ inferãtur, fiet sepulchrum: si uero nihil eorũ inferatur, erit monumentũ, memoriæ causa factũ, quod Græci κενοτάφιον appellant, quod honorarium tumulum Suet. uocat. C *Magna atq; incredibilia.*] Martiæ & quartæ legionis merita commemorat, ut honoris extet causa.

O fortunata mors, quæ naturæ debita prò patria est potissimũ reddita. Vos uero patriç natos iudico, quorũ etiã nomẽ à Marte est, ut idem deus urbem hanc gentibus, uos huic urbi genuisse uideat. In fuga fœda mors, in uictoria gloriosa. Etenĩ Mars ipse ex acie fortissimũ quenq; pignerari solet. Illi igitur impij, quos cecidistis, etiã ad inferos pœnas parricidij luent. Vos uero, qui extremũ spiritũ in uictoria effudistis, piorũ estis sedẽ & locũ cõsecuti. Breuis aũt uobis uita data est: at memoria bene redditç uitç sempiterna. quæ si nõ esset longior q̃ hæc uita, quis esset tã amẽs, qui maximis laboribus & periculis ad summã laudẽ gloriãq; contẽderet? actum igit̃ præclare uobiscũ fortissimi dũ uixistis, nũc uero etiã sanctissimi milites, quod uestra uirtus nec obliuione eorũ qui sunt, nec reticẽtia posterorũ insepulta esse poterit: cum uobis immortale monumentũ suis pene manibus senatus populusq; Ro. extruxerit. Multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari & magni fuerunt: nec tamẽ ullis tale genus honoris tributũ est. atq; utinam maiora possemus: quandoquidem à uobis maxima accepimus. Vos ab urbe furentẽ Antonium auertistis, uos redire molientẽ repulistis. erit igitur extructa moles opere magnifico, incisæq; literæ diuinæ uirtutis testes sempiternæ: nunquamq; de uobis eorũ qui aut uidebunt uestrum monumentũ, aut audiẽt gratissimus sermo cõticescet. ita pro mortali cõditione uitæ immortalitatẽ estis consecuti. D

O fortunata mors.] Exclamatio plena suaui cõmiseratione, quæ ualet ad accendendos animos ad similis mortis imitationem. Hic incipit amplificare pulcherrimæ mortis genus à felicitate: quod cum omnibus sit moriendum, his contigerit, ut pro patria morerentur. Itaq; in decima Philip. sic ad hoc pulchrũ mortis genus adhortabatur: Cum uero dies & noctes omnia nos fata circumstent, nõ est uestri nominisq; Romani dubitare, eum spiritũ quẽ naturæ quis debeat, patriæ reddere. *Vos uero patriæ natos iudico.*] Alloquitur ipsos milites, quo ad animos permouendos maiorẽ uim habeat oratio. Laus est à militũ pietate, quam ostendit in eo quod et patriæ quodã fato nati sint, & mortui. Probat etiã à nomine legionis quæ Martia à Marte urbis autore, et belli præside: in quo inest notatio, qua significat eam iure Martiam

appellatam

A appellatã: quandò, & uirtutẽ Martis in pugna ostendit, & urbẽ à Marte genitam conseruauit. Demosthenes eos qui ad Chæroneã occiderant, à suarũ tribuũ autoribus laudat: Cicero ad unum Romanorũ genitorẽ Martẽ laudem refert, ut non à diuersis & minutis dijs sati, sed ab uno eoq; summo esse uideantur. De origine Romanorũ & Romanæ urbis legendus est T. Liuius, & Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Hanc legionem supra oratione 12. cœlestem & diuinam appellauit.

In fuga fœda mors est.] Sententia præclara, contentione exornata, quæ pertinet ad fortitudinẽ cõmendandam, & ignauiã uituperandam. Idcirco enim in fuga turpis mors est, quòd timoris fuga signũ est: timor uero ignauos animos declarat, quemadmodũ poeta dicit: Degeneres animos timor arguit. Et quando etiam fugientes cæduntur, præstaret pugnantes mori. Itaq; præclare Horatius: Dulce & decorum est pro patria mori. Mors & fugacẽ persequitur uirum: Nec parcit imbellis iuuentæ poplitibus, Timidoq; tergo. Etenim Mars ipse.] Hoc est, Fortissimi quiq; in acie fortiter pugnantes pereunt: ignaui in fuga & extra ordinẽ & aciem. Idcirco & Demosthenes eos laudat, qui ordinem seruantes, in acie occubuerunt, eosq; uictores, etiamsi uictoriam superstites non obtinuerunt, esse confirmat.

Pignerari.] Pignori accipere, nempe ad obligandũ cæteros, ut uictoriã uirtute obtineat, cuius Mars ipse sit index.

Illi igitur impij.] Collatione aduersariorũ laudem horũ militũ amplificat, & ex præmijs quæ utriq; cõsequentur.

Etiam ad inferos.] A pœnis impios ciues terret, & piè quidem Cicero, & uerè supplicia apud inferos minatur impijs ciuibus: quæ qui contemnent, sentient tandem. Sic etiam in prima oratione in Catilinam deum alloquens Cicero, sic B inter cætera, Et omnes, inquit, inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerũ fœdere inter se, ac nefaria societate coniunctos, æternis supplicijs, uiuos mortuosq; mactabis. Et Cato apud Sallustiũ Cæsaris sententiã reprehendit his uerbis: Bene & composite C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de uita & morte disseruit, credo falsa existimans ea quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis, loca tetra, inculta, fœda, atq; formidolosa habere. Pœnas parricidij.] Id est impietatis suæ, qua bellum inferunt patriæ. Luent.] Persoluent, pendent, dabunt. Vos uero qui extremũ spiritũ.] Id est, qui fortissime dimicantes uictores concidistis, & uictoriam nobis reliquistis. Piorum estis sedem.] A beatæ uitæ præmijs allicit ciues ad tuendam Rempublicam, ut etiam Scipio ille maior apud Ciceronem iuniorem adhortans inquit. Sed quò sis Africane alacrior ad tuendam Remp. sic habeto: Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certũ esse in cœlo, ac definitũ locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Talem etiam sedem attribuit Demosthenes Atheniensibus qui in bello ceciderant. Nónne, inquit, hi beati sunt iudicandi, qui eandem cum dijs immortalibus sedem & locum adepti sunt, eandemq; cum illis priscis bonis & præstantibus uiris, in fortunatis insulis conditionem? Breuis autem nobis uita data est.] Significat eos iuuenes adhuc fuisse, aut omnino uitam hanc totam breuem esse, quemadmodũ Horatius dixit. Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam. Sic Demosthenes: At illi iure in beatis habendi sunt, qui breue tempus in immortalem gloriam cõmutarunt. Quæ si non esset longior.] A spe immortalitatis ad præclara facta, atq; ardua obeunda hortatur. In hunc quoq; ferè modum in Thusculanis: Nemo unquam, inquit, nisi spe magna immortalitatis, se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse ocioso Themistocli, C licuit Epaminondæ, licuit (ne uetera & externa quæram) mihi: sed nescio quomodo inhæret mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum, idq; in maximis ingenijs altissimisq;, & existit maxime, & apparet facillime: quo quidem dempto, quis esset tam amens, qui semper in laboribus & periculis uiueret? Actum igitur præclare.] Significat eos & uiuos & mortuos fuisse beatos, quod uiui uirtute præstantissimi fuerint, & mortui uirtutis monumento ornati. Insepulta.] Id est, erit publico sepulchro & monumento testata, atq; ita non erit insepulta, hoc est inhonorata, & neglecta. sunt qui legant, sepulta, id est ignorata, & alta obliuione obruta, sed clara, & celebris apud omnem posteritatem. eadem est sententia, sed insepulta probo, propter sequentia uerba: cõtentione enim auget, non erit insepulta, sed immortali monumento testificata, ut dixi. Cum uobis immortale monumentũ.] Eodem modo Demosthenes mortuos milites beatos prædicat, quòd ab uniuersa patria publicè sepeliantur. Nam qui & ab uniuersa patria sepeliuntur, publicè, inquit, & non modo à cognatis & ciuibus, sed etiam à tota, quæ quidem ita nominanda sit, Græcia desiderantur, & à maxima terræ habitabilis parte lugentur, nonne hi beati sunt iudicãdi? breuior est hæc pars in Cicerone: sed uerborum & personarum maiestate amplior. Cum uobis, inquit, immortale monumentum suis penè manibus Senatus populusq; Rom. extruxerit. Multi sæpe exercitus.] Amplificat hunc monumenti honorem exemplis clarorum uirorũ, quibus talis honos habitus non est, idq; facit ex illo comparationis loco cõmuni: RARA VVLGARI- D BVS ANTEPONVNTVR. Atq; utinam maiora.] Iustum & debitũ esse honorẽ probat ex meritis.

Erit igitur.] Concludit priorem laudationis partem de honore occisorum: & bonorem amplificat, ut & uirtutem amplificet. Incisaeq; literæ.] Significat epitaphium, quo & uirtus eorum, & Senatus fides, & belli memoria declaretur breuiter, in hunc modum: MARTIAE ET QVARTAE LEGIONIS MILITIBVS FORTISSIMIS, ET EIS QVI VNA CONTRA M. ANTONIVM ALIOSQVE IMPIOS CIVES AD MVTINAM PVGNANTES OCCIDERVNT, OB SINGVLAREM ERGA REMP. PIETATEM DIVINAEQVE VIRTVTIS TESTIMONIVM SEMPITERNVM, ET CRVDELISSIMI BELLI MEMORIAM, SENATVS POPVLVSQVE ROM. HOC MONVMENTVM ATQVE ARAM VIRTVTIS PVBLICE EXTRVI VOLVIT.

Sed quoniã P. C. gloriæ munus optimis & fortissimis ciuib. monumẽti honore persoluit, cõsolemur eorũ proximos, quibus optima est hęc quidẽ cõsolatio: parẽtibus, quòd tanta reip. præsidia genuerũt: liberis, quòd habebunt domestica exempla uirtutis: cõiugibus, quòd his uiris carebũt, quos laudare quàm lugere præstabit: fratribus, quòd in se, ut corporũ, sic uirtutũ esse similitudinẽ confidẽt. Atq; utinã his omnib. abstergere fletũ sententijs

noſtris cõſultisq́ poſſemus: uel aliqua talis his adhiberi publice poſſet oratio, qua de- A
ponerẽt mœrorẽ atq; luctũ: gauderẽtq́ potius, cũ multa et uaria impẽderẽt hominib.
genera mortis: id genus, qđ eſt pulcherrimũ, ſuis obtigiſſe: eosq́ nec inhumatos eſſe,
nec deſertos: qđ tñ ipſum pro patria nõ miſerandũ putaſ, nec diſperſis buſtis humili ſe
pultura crematos: ſed cõtectos publicis operib. atq; muneribus, eaq́ extructione quæ
ſit ad memoriã æternitatis ara uirtutis. Quamobrẽ quidẽ maximũ ſolatiũ erit propin-
quorũ, eodẽ monumẽto declarari & uirtutẽ ſuorũ, & ętatẽ, & ſenatus fidẽ, & crudeliſ-
ſimi memoriã belli. in quo niſi tanta militũ uirtus extitiſſet, parricidio M. Antonij no
mẽ populi Ro occidiſſet. Atq; etiam cenſeo P. C. quæ præmia militibus promiſimus
nos rep. liberata tributuros, ea uiuis uictoribusq́ cumulate, cum tempus uenerit, per-
ſoluenda. Qui autem ex his, quibus illa promiſſa ſunt, pro patria occiderunt: eorum
parentibus, liberis, coniugibus, fratribus, tribuenda cenſeo.

*Sed quoniã.] Tranſit ad ſecundã funebris orationis partẽ, quæ pertinet ad leniendũ mœrorẽ & luctũ proximorũ.
In qua quidẽ parte Demoſthenis conſolationẽ illam quam in peroratione funebris orationis habuit, imitatus eſt: ſed ita B
ut Demoſthenẽ longe hic noſter ſuperarit. Atq; ut conferri inter ſe ſine inquiſitione poſsint, Græci oratoris locum inte-
grum coniungam: qui ita habet. Ac præſentem oratione lenire mœrorẽ, difficile forſitan fuerit: faciendum tamen pericu-
lum eſt, & animus ad iucundiora traducendus. Tales enim uiros qui genuerunt, quiq́; e talibus alijs ipſi ſunt orti, eos præ
clarum eſt aduerſas res pulchrius quàm cæteri poſſe perferre, & in utraq; fortuna uultu eodem poſſe conſpici. Quæ cum
illis maximo & honori fuerint & ornamento, tum toti ciuitati, & uiuentibus magnã attulerint celebritatẽ. Graue eſt
matri patriq́; orbari liberis, & coniunctiſsimis ſuæ ſenectutis priuari altoribus: ſed præclarum eſt honores præcipuos,
& monimentũ uirtutis eoſdem publicè adeptos conſpicere, ſacrisq́; & certaminibus dignatos immortalibus. Moleſtum
eſt liberis amiſiſſe parentes: ſed præclarum eſt, paternæ conſequi gloriæ hæreditatẽ. Ac triſtitiæ quidem huius fortunam
eſſe cauſam reperiemus, cui mortales cedere ac parere, neceſſe eſt: at honoris & decoris, eorum qui honeſtè oppetere uo
luerunt inſtitutum. Hæc Demoſthenes. Parentibus.] Hanc conſolationẽ in quatuor perſonas diſtribuit, parentes,
liberos, coniuges, & fratres: nam hos uere proximos appellamus, quanquã in his alij quoq; intelliguntur. Conſolandi ra-
tio uenuſtiſsima eſt, per ἀντεισαγωγὴν tractata, qua ſingulis ſingula remedia opponit, & incõmoda doloremq́; quæ
ex ſuorũ deſiderio capere poſſunt, gloria & dignitate ac maioribus cõmodis cõpenſat. præſtat enim reliquis rebus omni
bus dignitas & gloria. Atq; utinã his omnibus.] Optatio hæc pertinet ad augendam cõmiſerationẽ Senatus, &
propinquorũ dolorẽ leniendũ. Gauderentq́; potius.] Conſolatur eos, à mortis honeſtiſsimo genere, & ab hono C
re ſingulari, quo mortuorũ uirtutẽ Senatus proſequitur: quæ ratio multũ ualet ad mœrorẽ minuendum: præſertim apud
eos qui rerũ dignitate potius quàm uulgari iſta utilitate ducuntur, cuiuſmodi fuere Romani. Cum multa & ua-
ria.] Mille modis leti miſeros mors una fatigat, ut Statius inquit. Id genus quod eſſet pulcherrimũ.] Si in cun-
ctis humanis rebus nihil charius, nihil pulchrius eſſe nobis debet, ſequitur nullũ mortis genus homines pulchrius & lau-
dabilius obire poſſe, quàm ſi uitam pro patria profundant, ſi et ſint profuturi. Dulce & decorũ eſt pro patria mori, quod
ſæpe decantare ſoleo. Epaminondas Thebanorũ dux dicere ſolebat: ἐν πολέμῳ θάνατον εἶν κάλλιστον. hoc eſt, in
bello mortẽ eſſe pulcherrimã: q. hæc mors cum fortitudinis laude coniuncta ſit, ſi modo pro patria bellum geratur: dein-
de q. genus illud mortis momento accidat, & abſumit, ſine ullo ferè cruciatu. Eosq́; nec inhumatos eſſe.] En cur
dixerit paulo ante, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit. Magna ſemper fuit cura ſepulchri & humationis,
quod quidẽ reprehẽdit Cicero in Thuſc. 1. ſed in ijs qui ipſi moriuntur: non in ſuperſtitibus, ad quos pertinet pietatis mu
nere erga defunctos fungi. Et hoc loco Cicero uiuos cõſolatur ab eo quod Senatus non patitur ſuos inhumatos eſſe. & ta
men parentheſi docet nihil mali accidere ijs qui inhumati ſint. Hinc illa Cyrenæi Theodori philoſophi uox, cui
cum Lyſimachus rex crucẽ minaretur: Iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidẽ nihil
intereſt, humi ne an ſublime putreſcam. & Anchiſes apud Virgil. Facilis iactura ſepulchri eſt. Nec diſperſis bu- D
ſtis.] Alia conſolatio à magnitudine & magnificentia ſepulturæ, & mortuorũ coniunctione. Sed cõtectos publi-
cis operibus.] πολυάνδριον ſignificat, id eſt, unũ cõmune multorũ uirorũ ſepulchrũ & tumulũ, cuiuſmodi fuit tre-
centorũ Lacedæmoniorũ, qui Thermopylis fortiter occiderunt, in quos Simonides diſtichon ſcripſit, quod in columella
inciſum legebatur, & à Cicerone in 1. Thuſc. latinũ refertur: Dic hoſpes Spartæ, nos te hic uidiſſe iacentes, Dum ſan-
ctis patriæ legibus obſequimur. Ara uirtutis.] Tanquã ara uirtutis quædam, quã omnes intuentes uenerentur.
nam aram appellauit augendi honoris gratia. Quamobrẽ maximũ quidẽ ſolatiũ erit propinquorũ.] Concludit
cõſolationẽ per enumerationẽ. Hunc locũ ex Demoſthene expreſſit: Sic enim habet ille: Graue eſt parẽtibus orbari libe
ris, et neceſſarijs ſenectutis adminiculis: ſed præclarũ eſt, honores præcipuos, et monumentũ uirtutis eoſdẽ publicè adep-
tos cõſpicere, ſacrisq́; et certaminib. dignatos immortalib. In quo, niſi tanta.] Summa uirtutis militũ amplificatio.*

Sed ut aliquãdo ſentẽtia cõplectar, ita cenſeo. Cum C. Panſa Cons. Imp. initiũ cum
hoſtib. confligẽdi fecerit, quo prælio legio Martia admirabili incredibiliq́ uirtute li-
bertatẽ populi Ro. defenderit: quod idẽ legiones tironũ fecerint, ipſeq́ C. Pãſa Cons.
Imp. cũ inter media hoſtiũ tela uerſaretur, uulnera acceperit: cumq́ A. Hircius Cons.
Imperator prælio audito & cognito, fortiſſimo præſtantiſſimoq́ animo exercitum
caſtris

A castris eduxerit, impetumq; in Marcum Antonium exercitumq; hostium fecerit, eiusq; copias occidione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desideraverit: cumq; C. Cæsar Imperator consilio diligentiaq; sua castra feliciter defenderit, copiasq; hostium, quæ ad castra accesserant, profligarit, occiderit: ob eas res senatũ existimare & iudicare, eorũ trium imperatorũ uirtute, imperio, cõsilio, grauitate, cõstantia, magnitudine animi, felicitate, populum Ro. fœdissima crudelissimaq; seruitute liberatũ: cũq; remp. urbẽ, tẽpla deorũ immortaliũ, bona fortunasq; omniũ, liberosq; cõseruarint dimicatione & periculo uitę suę: ut ob eas res bene, fortiter, feliciterq; gestas, C. Pãsa, A. Hircius Coss. Impp. alter ambóue, aut si aberunt, M. Cornutus Pr. urbanus supplicationes per dies L. ad omnia puluinaria cõstituant: cũq; uirtus legionũ digna clarissimis Impp. extiterit, senatũ quæ sit antea pollicitus legionib. exercitibusq; nostris, ea summo studio rep. recuperata persoluturũ: cũq; legio Martia princeps cũ hostib. cõflixerit, atq; ita cũ maiore numero hostiũ cõtẽderit, cõplurimos cæderet, caperet nõnullos: cũq; sine ulla retractatione ꝓ patria uitã profuderint: cũq; B simili uirtute reliquarũ legionũ milites pro salute & libertate po. Ro. mortẽ oppetiuerint, senatui placere ut C. Pansa, A. Hircius Coss. Impp. alter ambóue, si his uideatur, his qui sanguinẽ pro uita, libertate, fortunisq; populi Ro. pro urbe tẽplisq; deorũ immortaliũ profudissent, monumentũ q̃ amplissimũ locandũ faciendũq;, urbẽ ad eã rẽ pecuniã dare, attribuere, soluere iubeat: ut extet ad memoriã posteritatis sempiternã, ad scelus crudelissimorũ hostiũ, militũq; diuinã uirtutẽ: utq; quæ præmia senatus militib. ante constituit, ea soluantur eorũ qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus: eaq; superstitibus tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi uixissent, qui morte uicerunt.

Sed ut aliquãdo] *Format suã sententiã q̃ ornatissimis uerbis, in quã fiat S. C. ut factũ fuit: atq; in ea ultimã Philip. concludit. Obseruãda est antiqua senatuscõsulti forma, unico ambitu cõprehensa & cõclusa, quod etiã in alijs orationib. obseruare potuimus.* *Occidione occ.*] *Et occidio, & occisio legitur apud idoneos scriptores in eadẽ significatione, etiã si quidã distinguant, quod faciendũ nõ est. quanq̃ malim occidione in Cicerone & similib. legere. Est aũt occidione occidere, magnã cædẽ siue stragẽ facere. Dicũt etiã autores, ad occidionẽ interimere, quasi dicas ad internecionem.*

C *Virtute, imp.*] *Virtutes boni imperatoris cõmemorat, quæ etsi uideãtur plures, ad quatuor tamen illas reuocãtur. nã cõstantia & magnitudo animi, ad uirtutẽ: imperiũ & grauitas ad autoritatẽ: consiliũ pro rei militaris prudẽtia ponitur: postremo felicitas ipsa proprio nomine appellatur. sed copiæ & explicationis gratia species quasdã & paria uocabula adiecit.* *Cumq; remp.*] *Magnifica est formula, & Ciceroni admodũ in amplificãdo familiaris: ea fit cũ ex uerbo dilatatur oratio, aut per distributionẽ, aut per ea quæ personis aut negocijs adiuncta sunt. Talis est illa, nisi q, longe q̃ hæc amplior & magnificentior est, in Catil. Remp. Quirites, uitamq; omniũ uestrũ, bona, fortunas, cõiuges, liberosq; uestros, atq; hoc domiciliũ clarissimi imperij, fortunatissimã pulcherrimamq; urbem, hodierno die deorũ immortaliũ erga uos summo amore: laboribus, consilijs, periculisq; meis, ex flãma atq; ferro, ac penè ex faucib. fati ereptã, & uobis cõseruatam ac restitutã uidetis.* *Sine ulla retract.*] *Sine tergiuersatione. Tuscul. 5. Vt sine retractatione libere dicere auderent, sapientes semper esse beatissimos. Liuius lib. 6. Iuniores ad edictũ sine retractatione conuenerũt.* *Pecuniam dare, attribuere, sol.*] *Recte attribuere, nõ contribuere, ut in quibusdã legitur. Ita locutus est in nona, cũ sepulchrũ et statuã Sulpitio decerneret. nã pecuniã contribuere nõ dicitur: quod uerbũ proprie usurpãt, cũ aliquẽ liberũ populũ sub alterius ditionẽ subiungũt. Liuius lib. 8. Epirotis Ambraciã placebat aggredi, quæ tũ cõtribuerat se Aetolis. Item alibi: Phocenses, Locrẽses contribuerũt Aetolis. hi populi postea contributi dicebantur. Cæsar: Oscenses & Calaguritani, qui erãt tum Oscensibus contributi. Quo modo nostri homines adhuc loquuntur in eadẽ significatione & usu.* *Parentibus, liberis*] *Mortuorũ militũ præmia proximis tribuenda censet: quod etiã genus est quoddã consolationis: sed Cicero pru*D*denter à consolatione separauit, in qua dignitatis solius rationẽ habendã censuit. Lex quidẽ Atheniensiũ iure laudatur, quæ parentes & liberos eorũ qui in bello interierãt, ali iubebat, summoq; magistratui parentũ curam mandabat: liberos aũt educabat ipsa ciuitas, studebatq; ita efficere ut illis ignota orbitas esset. Nam ipsa parẽtis gerebat uicẽ: & dum pueri essent, instituendos curabat: & ubi ad maturã ætatẽ peruenissent, ad munera idonea uocabat, omni armatura ornabat, parentũ studia ostendebat et cõmemorabat, & ad paternã uirtutẽ inflãmabat. Atheniensiũ uestigia Veneti sequũtur, apud quos omnes honestæ & sanctæ leges locũ habent. Hunc eundẽ morẽ erga liberos suorũ episcoporũ & ministrorũ principes & ciuitates cum publicæ utilitati & ecclesiæ saluti aliquanto melius prospicerent, seruarunt. Qui sanctus & præclarus mos si hodie quoq; renouaretur, & de eo lex rogaretur, & qui patriã intrepide defenderẽt, & qui ecclesijs ministrarent, plures & meliores fortassis inuenirẽtur. nam nõ esset illis tantopere cogitandũ, & multis modis interdũ parũ honestis, curandũ qua ratione, quibúsue adiumẽtis liberi ipsorũ alerẽtur: neq; enim possunt aliter facere, cũ uidẽt eorum qui sunt in ecclesiæ ministerijs, liberos contẽni, esurire, mendicare. Sed spero deum bonos aliquot principes & rerump. & ciuitatum rectores ad optimam disciplinam sanctasq; leges renouandas excitaturum.*


PHILIPPICARVM FINIS

ORATIONES QVATVOR EX DIONE AD PHILIPPICARVM ARGVMENTVM PERTINENTES

VIDELICET,

CAELIO SECVNDO CVRIONE INTERPRETE.

CAELII SECVNDI CVRIONIS IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM DE PACE, EX DIONE translatam, Argumentum, & in eandem Commentarij. A



OSTRIDIE quàm erat interfectus Cæsar, cum uideret Antonium, qui tum
Consul erat, percussores Cæsaris in Capitolio esse, & Lepidum forum armatis (fue-
rat enim magister equitum Cæsaris) occupasse, ueritus fortasis, ne aliquis se maior
fieret, &, quod ipse uehementer cupiebat, principatum in urbe inuaderet, Senatu in
ædem deæ Telluris conuocato, de præsentibus rebus ad eum retulit: & pro tempore
ad concordiam breui oratione hortatus est, ex qua non paruam est laudem consequu- B
tus. Hic alij alia, prout cuique uidebatur, dixerunt. Sed Cicero, cui assensum est, hanc
utilissimam & grauissimam habuit orationem: in qua, quantum in eo fuit, ut & ip-
se in primæ statim Philippicæ initio dicit, iecit fundamenta pacis, Atheniensiumq;
renouauit uetus exemplum: Græcum etiam uerbum usurpauit, quod tum in sedandis
discordijs usurpauerat ciuitas illa: atque omnem memoriam discordiarum obliuione
sempiterna delendam censuit. Pax igitur & concordia per Antonium & Ciceronem tum cum præstantissimis ciuibus
Bruto & Cassio confirmata fuit, quam si perpetuam in Republica tenere potuissent, & libertatem conseruassent, &
nullum post malum ciuile ac domesticum ad ullam Reipublicæ partem erat uenturum. Sed cito Antonium de sententia de
iecit principatus cupiditas, unde rursum perturbata Respublica, breui incidit in seruitutem, & ea mala omnia sustinuit,
quæ post sunt consequuta: quæ si quis nosse cupit, legat Appianum Alexandrinum, aut Dionem, ex quo nos hanc oratio-
nem conuertimus. Habuisse autem Ciceronem talem aliquam orationem, nullo modo est dubitandum, cum ipsemet id di-
cat in prima Philippica: & præterea idem Plutarchus in Cicerone testetur. An autem hæc ipsa fuerit, an forsitan ab hi-
storico ad eius similitudinem conficta, dubitari potest. Mihi tamen non usqueadeo absurdum uidetur, si dixerimus eam
ipsam esse, à Dione in Græcum translatam. Is enim in suarum Historiarum libro quinquagesimooctauo, se Romæ consu-
lari dignitate functum fuisse testatur. Floruit autem Alexandro Seuero Mamæa imperante: ex quo satis constat, eum fa- C
cile potuisse huiusmodi orationes, aut in publicis monumentis, aut apud priuatum aliquem inuenire.

CAVSAE GENVS

Suasoria est oratio. Suadet enim pacem & concordiam, & ab ulciscendis iniurijs dehortatur, quæ in deliberationes cadunt.

STATVS

Iuris est status siue qualitatis. Nam de utilitate & honestate & æquitate differitur: sed cum comparatione. Sitne utilius aut honestius iniurias persequi, an obliuisci: bello ciuili decertare: an pacem & concordiam confirmare. Loci in ea sunt præclari & illustres, sententiæ graues, exempla in utramq; partem efficacissima ad id quod uult persuadendum.

FORMA ORATIONIS


Forma & genus dicendi in hac oratione melius fortasis in ipso Dione cognoscetur. Sed cum Latine non Græce dixerit Cicero, & tam necesse fuerit Dioni illam conuertere quàm nobis, nō minus fortasis in his quàm in illis aliqua eius forma cognoscetur. Sit igitur forma eius mediocris & suauis, utpote ad pacandos animos & sedandos accommodata.

DISPOSITIO PARTIVM D

Collocatio partium & numerus arbitrio oratoris, non artis necessitate constituta sunt. Principium, confirmatio, & conclusio: quanquam in dissuasione belli, refutatio aliqua intelligi potest. Habet enim omnis dissuasio, refutationis speciem quandam, ut suasio confirmationis.

A M. TVLLII CICERONIS ORATIO ΠΕΡΙ ΑΜΝΗΣΙΚΑΚΙΑΣ, SIVE DE PACE IN AEDE TELLVRIS, QVO Antonius Consul senatum conuocauerat, postridie Cæsaris necis habita: ex Dionis libro quadragesimoquarto.

CAELIO SECVNDO CVRIONE INTERPRETE.



EMPER existimaui, Patres conscripti, rectum esse ut nemo gratiæ aut æmulationis causa quicquam dicat, sed quod quisq; optimum iudicat, id alijs indicare debeat. Quod si ab Imperatoribus & Consulibus optimo cõsilio omnia gerenda esse ducimus: atq; eosdem si quid commiserint, iudicijs et
B pœnis, etiã in ijs quæ casus aut fortuna affert, subiectos esse putamus: indignum esset si in deliberando, in quo animum mentemq; nostrã in nostra potestate habemus, priuata commoda publicis anteponeremus. Quamobrem patres conscripti semper operæpreciũ duxi, ut uobis recta atq; æqua consilia darem: hoc præsertim tempore, in quo si concordiam abiecta morositate & fastidio inter nos confirmabimus, & ipsi incolumes erimus, & alios uel inuitos conseruare poterimus. Et metuo ne male, sed nolo initio orationis meæ male quicquam ominari: nam non dudum est, cum qui arma in manibus habebant, sæpenumero dominatum reipublicæ tenebant: ita ut uobis quæ facienda erant, ut deliberaretis imperaret: uos autem nihil statuebatis eorum quæ ab ipsis erant agenda. Nunc uero res eo loco sunt, ut eas in uestro arbitrio habeatis, & liceat uobis constituere quid placeat: in utraq; potestate est, aut concordiã unà cum libertate eligere, aut seditionem bellumq;
C ciuile: quibus fiet ut postea tyranno seruiatis, atq; in eo quod hodie à uobis decretum fuerit, reliqui omnes mortales consentient.

EXORDIVM



EMPER existimaui.] Exordium est ab honesto, & officio eius qui consilium dat, & sententiam dicit: qui locus ad attentionem pertinet, propter honestatem: & ad beneuolentiam, propter rei utilitatem, & oratoris animum de alijs bene merendi. Cæsar apud Sallustium in Catilina à simili ferè loco communi, sed apertiore & illustriore exorsus est. Omnes homines, inquit, P. C. qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atq; misericordia uacuos esse decet. Significat autem sententiam esse dicendam, & consilium dandum, non ex aliquo priuato affectu, sed ex rei & negocij ueritate. Aut æmulationis causa.] Φιλονεικίαν, æmulationem conuertimus: non ignoramus contentionem significare, sed in æmulatione inest etiam contentionis studium, & inuidia quædam. Opponitur enim hoc loco gratiæ φιλονεικία, et propè significat odium, maleuolentiã: quemadmodum apud Cæsarem odium amicitiæ opponitur. Quod si ab Imperat. & Coss.] Exordij propositionem confirmat, & amplificat si-
D *militudine à belli ducibus sumpta, idq; ex minore in hunc modum: Si belli ducibus uitio dantur etiam ea quæ casu aut fortuna male ceciderunt, quòd non recto consilio usi uideantur, quanto magis nobis uitio uertendum erit, si optimo consilio usi non fuerimus, cum in consilio dando fortuna aut temeritas nullum habeat locum? Exempla Imperatorum qui ob rem male gestam temeritatis pœnas dederunt, multa sunt in historijs: uelut Cæpionis Cimbrico bello, cuius damnati bona publicata sunt. Liuius in Flori Epitome libro 67. & Cicero De oratore libro secundo. Etiam in ijs quæ casus & fortuna affert.] Vt in Cæpionis causa Sulpitius in fortunam cladis illius à Romanis acceptæ, causam reijciebat: quæ potissimum in bello dominatur. Est enim fortuna locus unus qui concessione continetur, & ad iuridicialem assumptiuam refertur. In re uero militari Scipio ille Maior, turpe esse aiebat dicere, Non putaram: uidelicet quia explorato & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere arbitrabãtur summa ratione. Inemendabilis enim est error, qui uiolentia Martis committitur. Val. Max. lib. 7. cap. 2 Quam ob rem P.C.] Locus est beneuolentiæ à persona oratoris, sine arrogantia officium commendantis. Hoc præsertim tempore: quod unum est ex negociorum attributis siue adiunctis. Nam cum aliàs semper, tum maxime in summis periculis recta atq; salutaria consilia danda sunt.*

Si concordiã] Iacit semina futuræ consultationis, quod in exordijs faciendum est. Et ipsi incolumes erimus] Spargit semina utilitatis. Et metuo ne male.] Ἀποσιώπησις, cuius cum multæ sint formæ, hæc à Cicerone de Oratore libro tertio interruptum uidetur appellari, à Græcis etiam ἔλλειψις dicitur. Sed de reticentia quædam etiam in Philippicis notauimus. In hac autem reticentia ad Antonium respexit orator: Cuius ingenium semper metuit, semper

suspectum

suspectum habuit, ut in Philippicis sæpe testatur. Sed nolo initio.] *Initijs semper bene precandum, beneq; omi-* A
nandum est: nec ullum uerbum fundendum, quod mali ominis esse uideatur, ne in limine quod dicitur impingamus. Cicero
de Diuinat. libro primo: Neq; solum deorum uoces Pythagorei obseruarunt, sed etiam hominum, quæ uocant omina: quæ
maiores nostri quia ualere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonũ, faustum, felix, fortunatumq; esset, præ
fabantur, &c. Nam non dudum est.] *Iulio Cæsare dominante, cuius unius imperio omnia gerebantur, senatus*
autoritate circumscripta. Nunc uero.] *Significat mortuo tyranno, habere eos facultatem recuperandæ reipu-*
blicæ, si uelint. Est igitur facultatis locus, nimirum fieri aliquid posse, qui in suadendo plurimum ualet. Aut cõcor
diam.] Proponit consultationem bipartitam, cuius prior pars ad suasionem, altera ad dissuasionem refertur.

Quæ cum ita sint, necessariũ arbitror ut discordias & inimicitias omnes quæ inter
uos fuerunt deponatis, & ad illã antiquã pacẽ, amicitiã concordiãq; redeatis: illud sal-
tem; si nihil aliud reputãtes, quod quàm diu illæ in hac ciuitate uiguerũt, gloriam, opes, ur
bes, socios cõparauimus. Postea uero quàm certamẽ inter nos ortũ est, nõ modo non po-
tentiores, sed longe debiliores facti sumus: atq; adeo nulla alia ratione hoc rerũ statu
posse cõseruari ciuitatẽ iudico, ut nisi hodierno die statim bonũ cœperimus consiliũ,
eã post releuare nõ possimus. Cogitate quàm uerũ sit quod dico, tũ præsentia respiciẽtes, B
tũ uetera memoria repetẽtes. Quid fiat uos ipsi uidetis. Populus Romanus iterum di-
uidit atq; discerpit: hi unã, illi aliã partẽ sequunt, in duas partes abiere: duoq; exercitus
in urbe sunt, pars Capitoliũ cœpere, tanquàm urbe à Gallis capta, pars in foro obsidionẽ
parãt, tanquàm sint Carthaginienses, nõ etiã Romani. An nõ audiuistis seditionem in hac
urbe sæpenumero fuisse, adeo ut pars Auentinũ, pars Capitoliũ, pars montẽ Sacrum
occuparit? Quoties in concordiã aut æquis cõditionib. aut alij alijs de suo iure non-
nihil remittẽtes rediẽrũt, statimq; odia deposuerũt, reliquũ tempus in tanta pace tan-
taq; cõcordia permanserũt, ut multas & magnas uictorias cõmuniter consequerẽtur.
Quoties uero in se conuersis armis mutuã cladẽ atq; perniciẽ procurauerunt, alteri ut
eos qui priores arma cœpissent, ulciscerentur: alteri ne quo modo inferiores esse uide
rentur, ex eo nullum commodum est consequutum.

Quæ cum ita sint.] *Finito exordio iam & in ipsam causam ingreditur, et totius suasionis summũ caput proponit,*
ad quod omnia inuentionis argumenta & adiumenta referuntur. Illud saltem.] *Finem suasionis coniungit cum*
propositione, id est utilitatem cum gloria & dignitate coniunctã. Addit etiam contraria, quo magis ad concordiam ma- C
lorum commemoratione impellat, quæ mala ex discordia oriuntur. Nam ut concordia effectrix est opum, & rerumpu-
blicarum conseruatrix, sic discordia omnium pernecies est & calamitas. Præclare enim Sallustius: Concordia paruæ res
crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Vt nisi hodierno die.] *Locus ab occasione siue opportunitate, quæ est*
pars temporis in se alicuius rei faciendæ aut non faciendæ idoneam opportunitatem habens, ut à Cicerone definitur. Re-
spicit ad tritum ueteribus sermone prouerbium, quo dicebant: occasionem esse rapiendam, atq; premẽdam: quæ ubi semel
frontem auerteri, teneri non posit. Cogitate.] *Reuocat eos ad exemplorum considerationem.* Quid
fiat.] Demonstrat præsentia mala & incommoda ciuitatis, ut remedia facilius admittant. Duoq; exercitus.]
Coniuratorum in Capitolio, & Lepidi in foro, ut scribit Dion. Tanquam urbe à Gallis capta.] *Innuit historiã,*
quam plenissime describit Liuius libro quinto ab Vrbe condita. Nam duce Brenno Senones Romam cœpere: Capitolium
quo pleriq; Romanorum se receperãt, sex menses obsedere: tandem à Camillo occidione cæsi, adeo ut ne nuncius quidem
cladis relictus fuerit. Tanquam sint Carthaginenses.] *Nusquam legitur Carthaginenses Romam cœpisse, & in*
foro obsidionem ad Capitolium oppugnandum parasse. Quare de Annibale hoc intelligendum est, qui secundo bello Pu-
nico ante urbem castra posuit, ut Liuius scribit. De hac re Cicero in prima Philippica: Annibal, inquit, credo erat ad por
tas. Et attende oratoris callidam comparationem. Lepidum & qui contra Brutum atq; alios coniuratos, Gallis & Car-
thaginensibus Romanorum hostibus comparat: Brutum uero & alios Romanis ciuibus, qui se metu hostiũ in Capitolium D
receperant. Non etiam Romani.] *Tanquam diceret, turpissimum esse Romanos à Romanis obsideri. Nam Le-*
pidus noctu forũ cœperat, & armatis munierat, & mane statim ubi diluxit contra percussores Cæsaris locutus est, quod
Dion scribit libro 44. An non audiuistis.] *Exemplis domesticis discordiarũ mala, & concordiæ bona demon-*
strat. Pars Auentinũ.] *De hac seditione uide Liuium lib. 3. Dionysium lib. 10. Val. Max. lib. 6. cap. 1. Ea enim*
fuit, cùm Virginius filiam Appij Claudij decemuiri stupro destinatã occidit. Pars Capitoliũ.] *Cum duce Herdo*
nio exules & serui Capitolium occuparunt, de qua re Liuius lib. tertio. Pars montem sacrum.] *Prima hæc sedi-*
tio Romæ fuit, cum ob impotentiam fœneratorum, in terga quoq; seruiliter sæuientium, in Sacrum montem plebs arma-
ta secessit, ægreq; nec nisi Tribunos impetrasset Menenij Agrippæ facundi & sapientis uiri autoritate reuocata est. Ex-
tat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula, qua dissensisse inter se quondã humanos artus dicitur, quod om
nibus opere fungentibus solus uenter immunis ageret: deinde moribundos à seiunctione redisse in gratiam, quando sen-
sissent, se eius opera redactis in sanguinem cibis, irrigari. De qua Liuius lib. 2. Halicarnasseus lib. 6. & Pomponius Di-
gestorum lib. primo De origine iuris. Sacer autem mons, non ut Auentinus, intra Romanæ urbis muros fuit: sed trans A-
nienem fluuium ultra tertium miliarium. Sacer autem dictus, quód Ioui fuerat consecratus, ut Sex. Pomp. & alij tradũt.
De suo iure nonnihil remittentes.] *Temperamentũ hoc aptissimũ est ad dissidentiũ concordiã, sine quo nulla con-*

A *cordia fieri potest. Dum enim ambæ partes summo iure agunt, nec de suo iure quicquã uolunt remittere, nunquã res componetur: ac sæpius male cedit ei qui nihil remittit. Idcirco monet etiam Christus, ut componamus cum aduersario, ut remittamus, si nobis remitti uolumus.*

Quid enim apud uos P. C. qui optime nostis plura dicã, de Valerio, de Oratio, de Saturnino, & Glaucia, & de Gracchis: quorũ exempla & ea nõ externa, sed domestica cũ habeatis, partim imitari, partim fugere omni cõtentione debetis: & tanquã qui ante re ipsa finẽ earum rerũ de quib. deliberatis perspectũ habeatis, ne mea hac oratione me uerba modo fundere putetis, uerum tantum interesse, ut iam ad rem ipsam collata esse uideatis: quo fiet ut nõ ex aliqua incerta opinione spẽ sequamini, sed firmitatem rationum pro tutissima fide eorũ quę dixi capiatis. Etenim potestis utile consiliũ capere à uestris maiorib. exemplũ sumẽtes. Idcirco nec ipse exemplis externis uti uolui, quãuis infinitis uti potuissem. Vnũ tamẽ illius optimę atque antiquissimę ciuitatis commemorabo, è qua maiores nostri leges nõnullas petere nõ dubitarunt. Turpe namque fuerit, si cũ & potẽtia & sapientia multo superiores Atheniensib. simus, deteriora illis
B cõsilia ceperimus. Itaque hi cũ inter se ualde dissiderẽt, cum intestinis malis, tũ Lacedæmoniorũ armis subacti, ab his miserijs se ante liberare nõ potuerũt, quã in concordiã redierũt, & decretũ fecerũt, ut quãuis inter eos multæ res indignæ intercessissent, obliuione tamẽ sempiterna delerentur: nec ullo modo quisquã uindictã aduersus alterũ moliretur. Et hac moderatione lenissimoque decreto, nõ modo se à seditione & tyrãnide asseruerunt, uerum etiam cæteris rebus omnibus floruerũt, ciuitatem recuperarũt: Græciæ imperium obtinuerũt: ac denique Lacedæmonios Thebanosque ut uel conseruarent uel euerterent, sæpe in sua potestate habuerunt.

Quid enim apud uos P. C.] Alijs exemplis idẽ confirmat, idque facit præteritione quadam. De Valerio.] Hic est P. Valerius cognomento Publicola, qui cum L. Iunio Bruto aduersus Tarquinios cõspirauit, & alia multa pro patriæ libertate præclare gessit: de quo Liu. lib. 1. 2. & 3. & Halicarnasseus lib. 6. De Oratio.] De Trigemino Oratio, an de Coclite intelligat, dubiũ. Equidẽ puto eũ de Coclite intelligere, cuius etiã diserte mentionẽ facit in oratione contra Antoniũ extra ordinẽ quinta, quã in sequẽtibus post Funebrẽ sequentẽ ponemus. Sed de Oratijs uide Liu. 1. et 2. Dionysium lib. 6. De Saturnino & Glaucia.] Apuleius Saturninus trib. pleb. & Glaucia prætor, Saturnini sa-
C *telles, dum leges Gracchorũ pertinaciter ferre uellent, & alia superbe molirẽtur, in seditione interfecti fuerũt. Vide Florum lib. 3. & Liuij Epitomen lib. 69. & Ciceronis orationẽ pro C. Rabirio. Glauciã hunc Cicero de Orat. lib. 3. stercus curiæ [illegible]minauit, quod senator esset sordidissimus & turpissimus. De Gracchis.] Tiberio Sempronio, & Caio fratribus, qui & ipsi ambo interfecti sunt propter seditiosas conciones, & leges agrarias. Vide Plutarchum in illorũ uita.*

Non externa, sed domestica.] Magis enim mouẽt domestica quã externa. Partim imitari.] Vt Valerij Publicolæ, & Oratij, qui remp. defenderũt. Partim fugere.] Vt Saturnini, Glauciæ, & Gracchorũ, qui rẽp. perturbarũt.

Vnum tamẽ, &c.] De Atheniensium ciuitate loquitur, ad quã Romani legatos ad leges accipiẽdas miserũt. qua de re uide Fenest. cap. 14. & Liu. lib. 3. itemque Digest. lib. 1. De origine iuris. De Athenarũ uero antiquitate & laudibus nullũ meliorẽ testẽ producere possumus, quã ipsum Ciceronẽ. is enim pro Flacco breuissime et elegantissime in hunc modũ dicit: Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur: de quorũ urbis possessione propter pulchritudinẽ etiã inter deos certamẽ fuisse proditũ est: quæ uetustate ea est, ut ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur: & eorũ eadẽ terra parẽs, altrix, patria dicatur: autoritate autẽ tanta est, ut iam fractum propè ac debilitatũ Græciæ nomẽ, huius urbis laude nitatur. Vide Iustinũ, itẽ Augustinũ de Ciuit. dei lib. 18. ca. 8. et 9. qui putat primũ Athenarũ regẽ Cecropẽ fuisse, Mose Israelitis imperãte. Turpe namque fuerit.] Ab honesto ad
D *concordiã hortatur, & ducit exemplũ ex minori. Cũ dico ab honesto, intelligi puto etiã eius contrariũ turpe. nã ab honesto suademus, dissuademus à turpi. Semper enim Cicero Romanos Atheniẽsib. sapiẽtia anteponit. uide etiã pro Sex. Rosc.*

Itaque hi.] Explicat Atheniensium concordiæ exemplũ, atque ipsum decretũ: de quo nos quędã in prima Philip. diximus. Totã uero historiã cõplexus est Xenophon Rerũ Græc. lib. 2. inde eã qui uolet petat. Et hac moderatione.] Ostendit decreti & pacis utilitatẽ ex consequentibus siue effectis: qui locus est diligenter notandus: & simul obserua similiter desinentibus suauitatem conciliatam orationi.

Quod si qui Phylen occupauerãt, & è Piræo in urbẽ ab exilio redierãt, ulcisci eos propter iniurias acceptas, qui in urbe remanserant uoluissent, nõ temere fortassis fecisse uiderentur, multorũ tamen malorũ causas & dedissent & accepissent. Vt enim aduersarijs superiores præter spem fuerãt, sic forsitan pòst inferiores extitissent. Nihil in huiusmodi rebus stabile, nihil firmũ est, ne tũ quidẽ, cũ maxime fortuna blandit: multique qui ea consisi sunt post ceciderũt: multi quoque uindictã de suis aduersarijs sumere uolentes, tantũ abest ut ulti sint, ut etiã ipsi perierint. Neque enim si cui facta iniuria est, idcirco superior est: nec qui potẽtia superior est, idẽ statim uictoria potitur: sed uterque humanæ

humanæ instabilitati inconstantiæq; fortunæ subiectus est, ac sæpenumero non eum A exitum habent res, quem homines sperant, sed quem fortunæ temeritas gubernauit. Itaq; cum his de causis tũ æmulatione quadã homines fiunt audaces (qui enim iniuria affectus est, aut qui se affectũ existimat, in furorẽ agitur) sæpeq; supra uires res periculosas aggrediuntur, sperantes se aut superiores fore, aut nõ sine inimici sanguine inferiores euasuros. Iidem quoq; nunc uictores, nunc uicti, nunc uiribus superiores, nunc inferiores, hi funditus pereũt, illi Cadmea uictoria potiũtur: & progressu temporis, cũ mala quæ cõsecuta sunt, corrigi nequeũt, se tũ demũ malo usos cõsilio uidẽt: q̃d quidẽ uos reipsa discere potuistis: & nunc idipsum in nostrorũ hominũ exẽplis cõsiderate.

Quod si qui Phylen occupauerant.] Hoc loco emendandus est Dion, qui habet: φυλακὴν καταλαβόντες, id est, custodiam siue arcem occuparunt. At Xenophon φυλὴν habet, apud quem ita legitur lib. 2. ἐκ δὲ τούτου θρασύβουλος ὁρμηθεὶς ἐκ θηβῶν ὡς σὺν ἑβδομήκοντα φυλὴν χωρίον καταλαμβάνει. Itaq;, inquit, Thrasybulus ex Thebis impetu facto cum septuaginta ferè socijs, Phylen locum occupauit munitissimum: quem locum post sæpe nominat Xenophon. *Et è Piræo in urbem.*] Scribit Xenophon Thrasybulum cum ad mille armatos collegisset, ex Phyla noctu Piræum occupasse, qui est Athenarum portus, ab urbe ipsa duo millia passus distans, sed continuis B tamen duobus muris cum urbe coniunctus, ut Strabo meminit. *Nihil in huiusmodi rebus stabile.*] Locus communis, de fortunæ uarietate, in bello præsertim, & de rerum humanarum inconstantia. Cicero quidem in epistola quadam ad A. Torquatum scribit, omnis belli Martem esse cõmunem, & incertos semper exitus præliorum esse. *Neq; enim si cui facta iniuria est.*] Verissimum est quod dicit. Nam si semper qui bonam causam defendunt, uictores essent, nunquam mali bonos opprimerent diu. & si potentiores semper uincerent, nullus esset in orbe terrarum debilioribus locus. Huc facit quod Solomo in Ecclesiaste dicit: eadem euenire in hac uita probis & improbis, siue ea sint bona siue mala, prospera & aduersa. *Sed quem fortunæ temeritas.*] Sic loquuntur homines de euentu quorum ignorant causas: & fortunæ nomine, causas obscuras, & latentes intelligunt, cum tamen deus sit qui omnia hæc inferiora gubernat, sicut ille dicit: Ludit in humanis diuina potentia rebus. *Qui enim iniuria affectus est, &c. in furorẽ agitur.*] Hoc est illud quod dicitur: Furor fit, sæpius læsa patientia. *Illi Cadmea uictoria potiuntur.*] Cum parum cõmodi affert uictoria, & haud magno discrimine à uicto uictor abest, Cadmea uictoria dicitur. à Græcis aliud quoq; prouerbium huic simile dicitur ἀδάκρυς πόλεμος, hoc est, Sine lacrymis bellum. Fortassis etiam his adiungi potest, quod Cicero ad Atticum de Bibulo scripsit qui infeliciter uicerat, In eodem, inquit, Amano cœpit laureolam in mustaceo quærere, De Cadmea autem uictoria, uide plura in Erasmi adagijs: qui tamen hunc Ciceronis siue Dionis locũ non notauit.

Marium in seditione ad tẽpus potentẽ uidimus, qui cum urbe eiectus succubuisset, alterumq; exercitũ conflasset, quantas clades dederit uos optime meministis: & ut C Cinnã, Stràbonẽ, atq; alios taceã, qui intermedio tẽpore extiterũt, Sylla cũ initio potens fuisset, nõnne post & ipse inferior fuit? qui cum iterũ creuisset, nullũ genus crudelitatis sibi reliquũ fecit. Quid de altero Mario, deq; eodem Cinna, de Carbone, de Lepido, qui nouos primũ motus excitauit, ac totã ferè Italiã perturbauit? Postea uero q̃ ab hoc tandem liberati fuimus, quis uestrũ ignorat quot & quãta mala à Sertorio atq; ab alijs qui cum eo eiusdem fugæ socij fuerunt, sustinuerimus? Quid de Pompeio & hoc ipso Cæsare dicã (ut omittã Catilinã et Clodiũ) nõne cũ affinitate cõiuncti essent, infestis signis in pugnã descenderũt? Post non modo ciuitatẽ nostrã, & reliquã Italiã, uerũ etiã terrarũ orbẽ uniuersum ferè infinitis miserijs & calamitatibus impleuerunt,

Marium in seditione.] Exemplis ijsq; domesticis fortunæ in contentionibus uarietatem demonstrat: quorum exemplorum historias uide apud Plutarchum in uita Marij & Syllæ: & Florum lib. 3. *Quid de altero Mario?*] Marius iunior senioris Marij filius tantum crudelitatis ostendit, primores atq; optimates trucidando, ut intra paucos dies D reuiuiscentem senis tyrannidem Romani sentirent. Qui cum audacia insignis esset, & pericula intrepide adiret, principio filius Martis uocitabatur: mox ex rebus gestis deprehensus, filius Veneris dicebatur. Tandem cum in Prænestina urbe à Sylla obsideretur, extremis omnibus tẽtatis ut euaderet, cum nihil proficeret, se ipse necauit. Plutarchus in Mario, & Sylla. Vide etiam Florum lib. 3. De bello Mariano. *De Lepido.*] Non ille triumuir fuit, qui cum Antonio & Octauio Cæsare conspirauit, sed alius, qui mortuo Sylla ciuile bellum renouauit: & paulo post in Sardinia, morbo & pœnitentia interijt. De hoc Plutarchus in Pompeio, & Florus lib. 3. cap. 23. *Quot & quanta mala à Sertorio.*] Bellum Sertorianum nihil aliud quàm Syllanæ proscriptionis hæreditas fuit: hostile potius an ciuile dixerim nescio: quippe quod Lusitani Celtiberiq; Romano gesserunt duce. Post multas clades, tandem à suis amicis proditione interfectus est. Sertorij bellum scribit Florus: uitam eiusdem Plutarchus. *Quid de Pompeio, & hoc ipso Cæsare.*] Multis exemplis ostendit fortunæ inconstantiam, & seditionum, bellorumq; ciuilium infinita mala. Bellum Cæsaris & Pompeij scripsit ipse Cæsar suorum cõmentariorum lib. 3. bellorum ciuilium, Florus item lib. 4. Plutarchus in amborum uitis, Lucanus in sua Pharsalia. *Vt omittam Catilinam & Clodium.*] De Catilina uide Sallustium, Plutarchum in uita Ciceronis, & Ciceronis in Catilinam orationes. de Clodio in uita Ciceronis apud eundem Plutarchum.

A Sed dicat aliquis,poſt Pompeij necem & tantam ciuiũ cladem, requies quædam
ac tranquillitas ſecuta eſt. Quonam modo? Longe enim à pace abfuimus. Teſtis eſt
Africa,teſtis eſt Hiſpania,quot in ambabus partibus ceciderint. At poſt has clades pa
cati fuimus. Quonam pacto? Poſtquam Cæſar trucidatus,credo, hoc modo iacet: &
Capitolium occupatum eſt:& forum armatis eſt plenum : & tota fermè ciuitas trepi
dat. Atq; ita fit,ut cum diſcordiæ inter aliquos oriuntur: hiq; ſemper uiolentiam uio-
lentiæ opponere conantur,ignari uindicationem omnis æquitatis & humanitatis ex
pertem eſſe,ſed omnia ex libidine & licentia,quã armis obtinuerunt,gerere:neceſſa-
rio fit infinitorum malorũ orbis quidam,& continua crudelitatis uiciſſitudo. Nam &
is qui uictor eſt & iniurijs uictum onerat, nec finẽ ullũ facit nocendi, & qui uictus eſt
niſi forte ſtatim perierit,propter ſuæ miſeriæ indignationẽ in cõtinua eſt ulciſcendi li
bidine eum à quo læſus eſt,donec animus eius expleat. Quo fit ut reliqua multitudo
B quamuis expers fuerit earũ partiũ, tamen ex miſericordia erga eum qui uictus eſt,&
ex inuidia aduerſus uictorem,ſibi eadẽ timens, ſimul ſperans ſe poſſe eadem in alium
facere,ad opem ferendam ueniat:atq; ita neutrarum partium ciues ad nouam ſeditio
nem excitantur:& alius alij in eadem calamitate ſuccedit: quæ tanquam res in orbem
legitima ducitur,dum ſe hac ratione tuentur:ſe uelle eos qui oppreſſi fuerunt ulciſci:
qui quanquam ut ſors tulerit diſcedunt,remp.tamen prorſus euertunt.

*Sed dicat aliquis.] Occupationibus crebris amplificat bellorum ciuilium mala : oſtendens ea neq; modum,neq; fi
nem inuenire. Teſtis eſt Africa,teſtis eſt Hiſpania.] Haſce pugnas deſcripſit Hircius cõmentariorum, de bellis
ciuilibus,libro quinto & ſexto:Item Appianus bellorum ciuilium lib. 2. Plut. in Cæſare. Quonam modo?] He
interrogationes,habent ſpeciem ratiocinationis,ut Cornificius ad Herennium uocat:aut ſi mauis,ſubiectionis. nam in ra
tiocinatione,noſmetipſos,in ſubiectione aduerſarios,interrogamus. Figura hæc habet uim excitandi & augendi.*

*Poſtquam Cæſar trucidatus,credo.] Per ironiam hæc dicuntur,nam ex factis & ex præſenti rerum ſtatu oſtendit,
poſt tot clades,nondum eſſe pacatos. Violentiam,uiolentiæ opponere.] Locus eſt cõmunis illuſtris, de uindica-
tionis moderatione:ſiue de animi moderatione,de qua uide Val. Max.lib. 4. Saluberrima eſt hæc animi moderatio,quæ
C mentes noſtras impotentiæ & temeritatis incurſu tranſuerſas ferri non patitur. Et hoc illud eſt quod diuina præcepta
monent:non eſſe malum malo penſandum : ſed potius malum bono uincendum. Idcirco Cicero ab infinitis malis quæ ò
hac ulciſcendi libidine oriuntur,tanquam hydræ capita, ab huiuſmodi animi impotentia deterret. Vltio enim ubi ſemel
cœperis,modum ſeruare neſcit. Infinitorum malorum orbis.] Prouerbium eſſe uidetur, κύκλος κακῶν, or-
bis ſiue circulus malorum,de immenſis & infinitis malis,cuiuſmodi ſunt & illa,Ilias,lerna, mare, theſaurus malorum.*

*Nam & is.] Declarat quomodo ea mala finem non inueniant. Neutrarum partium ciues.] τὲ μέσα
τῶν πολιτῶν. aduerbium eſt,medij ciues:ſed non dicunt latini, quod ſciam. Cicero Philippica undecima cum milı-
tum ueteranorum tres partes feciſſet,quarum una defenderet remp. altera oppugnaret : qui medij eſſent & neutri parti
adhæſiſſent,quieſcere dixit. Qui autem quieſcunt,inquit,ut VII & VIII legio,in magna gloria & laude ponendos
puto. Et contra Ruſlum tales,integros,quietos,& ocioſos appellat.*

Quid? nónne uidetis ipſi quot annos ciuilibus bellis attriti ſimus,quot & quæ ma-
la interea & ſuſtinuerimus ipſi & alios pati fecerimus? Et quid hoc grauius dici poſ-
D ſet? quis magnitudinem pecuniarum,quibus ſocios noſtros exhauſimus,& quibus fa
na ſacra ſpoliauimus enumerare poſſit? quam pecuniam in eos contulimus, in quos
non debebamus,& ad mutuam cædem exitiumq; conſumpſimus. Et quis multitudi-
nem eorum qui ceciderunt,non dico aliorum quorum numerus reperiri non poteſt,
ſed equitum & ſenatorum,quorum ſinguli tum uiuendo,tum moriendo hanc ciuita-
tem in externis bellis conſeruare potuiſſent? Quot quæſo Curtij,quot Decij,quot Fa
bij,quot Marcelli,quot Scipiones occiſi fuerunt, non ad propulſandos Samnites aut
Latinos,aut Hiſpanos,ſed contra ſuos ciues, cõtra patriam,ut & ipſi unà perirent. Ac
de ijs qui in acie oppetiuerunt etſi queri poſſumus, non tamen tantum quantum de
alijs,qui extra pugnam interfecti ſunt:quod hi uolentes in pugnam uenerunt (ſi uo-
lentes dici poſſunt, qui metu cõpulſi ſunt) & quanq; non merita morte affecti ſunt,ta
men fortiter & in cõmuni Marte occubuerunt : ac dum Martis euentum expectant,
ut uel uincerent,uel uincerẽtur,ſine metu ceciderunt. Sed quis pro merito eos deplo
rare poſſit,qui tam miſerabiliter,in uijs,in foro,in Senatu, in Capitolio,non modo ui
ri,ſed etiam mulieres : nec iuuenes tantũ,uerũ etiã ſenes & pueri necati ſunt? Tantis
enim nos mutuo affecimus malis, quanta ab hoſtibus noſtris nunquam paſſi ſumus:
quantaq; illi à nobis nunquã ſuſtinuerũt. Et adhuc tamẽ non ob ea dolemus, nec dum
nos

nos fortiter ab illis liberare uolumus: uerum potius lætamur, & dies festos agitamus, A eosq; qui horum autores malorum extiterunt, beneficos appellamus. Equidem hanc barbariem belluarũ potius, quæ se mutuo conficiunt esse existimo, quàm hominum.

Quid? Nonne uidetis ipsi, quot annos ciuilibus bellis attriti.] Delabitur in uehementem querelam bellorum ciuilium primum à tempore & bellorum multitudine: deinde à pecuniarum iactura & abusu: post, à multitudine & à præstantia eorum qui in pugna occisi sunt: postremo à crudelitate. Ac de tempore primum. A Gracchorum seditione usq; ad Iulij Cæsaris necem interfuerunt CXX. anni: per quos innumerabiles seditiones, & bella ciuilia fuerunt. Bella ciuilia diligenter persecutus est Appianus. *Quibus socios nostros exhausimus.*] Mala quæ socijs intulerunt Romani ingenue fatetur, & incontinentiam notat imperatorum & prouincialium magistratuũ, ut pudore à contentionibus retrahantur. Bellum Sociale, quod & Italicum dictum fuit, lege apud Florum: Item apud Appianum libro primo: Orosium libro 5. & Augustinum de Ciuitate dei lib. 3. *Quam pecuniam.*] A pecuniarum iactura. *Et quis multitudinem.*] Multitudinem occisorum exaggerat, qui in bellis ciuilibus ciciderunt, ut reip. calamitatem ostendat.

Quot quæso Curtij?] Iam à personarũ dignitate exaggerat, bellorũ ciuiliũ detrimẽta, quæ maxima iactura est. Et μετωνυμικῶς, nomina pro nominibus submutat. Curtios enim & Decios, & alios, pro præstantissimis ducibus, & ciuibus ponit. Ac de Curtio & Decijs Val. Max. lib. 5. de pietate erga patriã: & de Curtio Liuius lib. 1. & 7. de Decijs lib. 8. & 10. *Quot Fabij.*] De trecentis & sex Fabijs intelligit qui omnes aduersus Veientes fortiter pro patria pugnantes cæsi fuerunt: quorum facinora describit Liuius lib. 2. quanquam alij quoq; Fabij præstantissimi duces fuere. B

Quot Marcelli.] M. Claudiũ Marcellũ intelligit, cuius uitã descripsit diligenter Plutarchus: Res quoq; eius præclare gestas Liuius per totã ferè tertiã decadem. De quo etiam Virg. lib. 6. Aspice ut insignis spolijs Marcellus opimis Ingreditur: uictorq; uiros supereminet omnes. Hic rem Romanã magno turbante tumultu Sistet eques: sternet Pœnos, Galluũq; rebellẽ: Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino. *Quot Scipiones.*] Et noti sunt ex Liuio, Plutarcho, & Valerio Maximo, & alijs: quorum alter subegit Carthaginem, alter euertit, uterq; Africanus appellatus.

Nõ ad propulsandos Samn.] Rem amplificat cõparatione. Bella cõtra Sãnites, Latinos & Hispanos diu gesta, describunt Liuius & Florus. Contra Samnites Fabij, contra Latinos Decius cognomento Mus, contra Hispanos Scipio, duces depugnarunt. De Samnitibus prouerbiũ natũ est, Samniũ in Samnio requiri, quod à Floro de bello Samnitico refertur. Hos tamẽ, inquit, 50. annis per Fabios & Papirios patres eorũq; liberos ita subegit ac domuit: ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samniũ in ipso Samnio requiratur: nec facile appareat materia quatuor & uiginti triumphorum. Erit huius adagij usus, quoties uel extremã alicuius ruinã notare uoluerimus: uel cum qui aliquid quærit, quod nullo modo inueniri potest. Fuerunt autẽ Samnites Campaniæ populi, quorũ descriptionẽ pulcherrimã uide apud Florum lib. 1. cap. 16. *Sed quis pro merito eos deplorare possit.*] Crudelitatẽ bellorũ ciuilium multis modis exaggerat: à loco, non in pugna, sed extra pugnã: in uijs, in foro, in Senatu, in Capitolio. à sexu: non modo uiri, sed etiã mulieres. & ab ætate: nec iuuenes tantũ, uerumetiã senes, & pueri necati sunt. *Tantis enim nos.*] Epiphonemate summã malorũ complectitur, ad miserias bellorũ ciuiliũ in immensum cumulandas. C *Et adhuc tamẽ.*] Addit Epiphonemati reprehẽsionem, ut excitet senatũ ad concordiã, & ad tuendã ostentatã libertatem. *Eosq; qui horũ autores.*] Cæsarẽ intelligit, quẽ quidã interfectũ indigne ferebant, dictantes non licuisse hominẽ beneficũ, liberalẽ, & de rep. bene meritum occidi.

Equidẽ hanc barbariẽ.] Hanc crudelitatẽ. nam Barbaræ gentes solent crudelitate præstare. Atq; ut belluarum est propria feritas & immanitas, sic hominum esse debet lenitas & humanitas. Qui igitur crudelitate inter se utuntur, hi belluæ potius sunt quàm homines. Sæpe enim hoc queruntur boni & sapientes uiri, & tamẽ parũ proficiunt. Sic Cicero de Offic. lib. 2. de pernicie quam homo homini affert loquitur: Atq; ut magnas utilitates adipiscimur cõspiratione hominum, atq; cõsensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ nõ homini ab homine nascatur. Est Dicæarchi liber de Interitu hominũ, Peripatetici magni & copiosi: qui collectis cæteris causis, eluuionis, pestilentiæ, uastitatis, belluarũ, etiã repentinæ multitudinis, quarũ impetu docet quędam hominum genera esse consumpta: deinde comparat quanto plures deleti sunt homines hominum impetu, id est bellis, aut seditionibus, quàm omni reliqua calamitate.

Sed quoniã præterita mutare non possumus: de ijs quæ facta sunt, iam queri desinamus, & ad ea potius quæ futura sunt, animũ intendamus. Idcirco enim præteritorum mentionẽ feci, ut ex illis futura prouideremus, non ut cõmunes nostras miserias enumerarẽ (quæ utinã nunq; accidissent) sed ut eorũ cõmemoratione exemplorũ, efficerẽ ut quæ restant, possetis cõseruare. Hic etenim solus ex malorũ cõmemoratione fructus percipi potest, ut caueamus in posterũ ne in ea rursum incidamus. Ac nos P. C. id hoc tempore facere optime possumus dum recens est malum: necdum multi conuenere. Et qui cõmoti sunt partim spe uictoriæ, partim subijci indignantes, etiam contra priuatæ utilitatis rationem inconsiderate, in discrimen sese conijciunt. D

Sed quoniã pr.] Trãsitio est Rhetorica, qua animos à præteritorũ malorũ cogitatione, ad futuri temporis cautionẽ prouisionẽq; traducit. Facta infecta, ut dicitur, esse nõ possunt, et de præteritis nulla est deliberatio. *Idcirco enim*] Ostẽdit utilitatẽ exẽplorũ: qui locus cõmunis est obseruandus: Exẽplis enim tanq; uaticinationib. de rebus futuris admonemur, ut & mala in quæ alij inciderunt, uitemus: & bona atq; utilia sequamur. Hanc utilitatẽ uimq; exemplorũ indicat etiã Liuius in primi libri præfatione: Hoc illud est, inquit, præcipue in cognitione rerũ salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæq; reipub. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod uites. *Quæ utinam.*] Optatio ad suum dolorem declarandum.

Hic etenim

A *Hic etenim solus.] Loco cõmuni ac sententia exornat, & illustrat orationem. Præstaret quidem alieno periculo sapere: Nam, quemadmodum ait Plautus in Mercatore: Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit: tamen utile etiam est, non iterum, & sæpius in eadem mala incidere: & piscatorem illum imitari, qui ut dicitur, ictus saltem sapit, & cautius periculum uitat in posterum. Ac nos P. C.] Ostendit facilitatem efficiendi, maliq; uitandi. nam in suadendo non solum uidendum est quid fieri possit, sed quàm facile possit: quæ enim difficillime fiunt, perinde est ferè, ac si fieri non possent, ut & Aristoteles & Cicero recte monent. duas autem affert facilitatis causas: una est, quod malum recens est: altera quod pauci conuenerunt ad motum faciendum. Nam & omne malum nascens, ut ipse dixit in Philippica quinta, facile opprimitur: inueteratum fit plerunq; robustius: & pauci facilius in ordinem rediguntur quàm multi. Et qui commoti sunt.] Addit aliam facilitatis causam: & qui cõmoti sunt, alijs ablata spe uictoriæ, alijs amoto subiectionis metu, omnibus uero utilitate proposita, eos quieturos, & ad concordiam descensuros.*

Vos igitur hæc omnia ad optimũ exitum sine labore, sine ullo periculo, sine sumptu, sine hominum cædibus deducetis, si modo decretum feceritis, ut mutuæ iniuriæ, perpetua obliuione deleantur. Quod si à quibusdam peccatum est, nunc tamen tempus non est uel curiosius indagandi, uel coarguendi, uel ulciscendi. neq; enim nũc uobis propositum est iudicia seuera facere, aut diligentius inquirere. illud potius deliberandum est, qua ratione res præsentes in tutum collocari possint: quod quidem efficere non poteritis, nisi in aliqua parte cesseritis feceritisq; quod patres erga filios solet, quorum non omnia delicta castigant, in multis uel necessariò conniuentes. Nam mediocria peccata non sunt acriore pœna animaduertenda, sed potius moderatè corrigenda. Iam igitur nos qui uerè & re ipsa, non sola appellatione populi Rom. totius cõmunes patres sumus: omnia exquisitius inquirere haud decet, ne simul conficiamur. Possent Cæsari multa objici quibus iure cæsus uideri posset: multa quoq; ijs qui eum occiderunt, quibus pœna digni uiderentur. uerum id esset eorum qui dénuo in certamen uenire uellent. Itaq; qui bonum & utile consilium uolunt capere, eos summo iure agere non oportet, quod eis incõmodare possit, sed potius æquitate retinenda, studere debent se ipsi conseruare.

C *Vos igitur hæc omnia.] Sententiam suam dicit de tota re, & simul etiam facilitatem magnam ostẽdit: si modo decretum illud fecerint, de obliuione iniuriarum quam Græci ἀμνησικακίαν uocant, quæ fuit causa, cur nos hanc orationem περὶ ἀμνησικακίας inscripserimus, quæ pacis est fundamentum. Vt mutuæ iniuriæ perpetua obliuione deleantur.] Apud Dionem ita est: μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις. ad uerbum, Ne quis recordetur iniurias mutuas. Sed ego breuitatem illam, latina consuetudine illustraui, ut etiam in plerisq; alijs locis feci, & in hac, & in sequentibus orationibus. Neq; enim putaui me errare si in hoc Ciceronis ipsius & præcepta & consuetudinem imitarer, qui de Finibus, interpretes indisertos uocat, qui uerbum è uerbo exprimunt. à quo non recedens Horatius, inquit, Nec uerbum uerbo curabit reddere fidus Interpres. Et tametsi in prima Philippica Valerij Max. & quorundam aliorum sententiam secutus, ἀμνηστίαν dixerim esse uerbum, quod Cicero se dicit usurpasse, arbitror tamen potius illud ipsum esse, quod à Dione usurpatum est. Nam Xenophon, à quo non est dubium Ciceronem exemplum hoc sumpsisse, illud ipsum uerbum usurpauit. Sic enim secundo libro extremo rerum Græcarum: καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν. id est, Et simul sacramento se astrinxerunt, ne quis iniuriarum meminisset. Quod si à quibusdam peccatum est.] Occupat, & à tempore refellit quod objici posset, de puniendis ijs qui deliquerant. Et est locus cõmunis de opportunitate puniendi: non semper esse tempus, præsertim cum ex uenia maior utilitas consequitur, quàm ex castigatione. Preclare*

D *enim Solomo inquit: Suam cuiq; rei opportunitatem esse, habereq; tempus quicquid sub cœlo patet: Esseq; & interficiendi tempus, & sanandi. Quod quidẽ efficere non poteritis, nisi] Modum & uiam docet, qua res præsentes constitui, & in tutum collocari possint: nimirum si non summo iure agant, æquitate potius omnia moderentur. Nam summum ius, summa sæpe iniuria est. Quod patres erga filios solent.] Nullam poterat magis aptam similitudinem inuenire. Hunc parentum affectum expressit Terentianus Mitio in Adelphis: Do, inquit, prætermitto: non necesse habeo omnia pro meo iure agere. quibus uerbis ostendit ius suum, nisi necessitate, non esse seruandum. Iam igitur nos.] Applicatio similitudinis, qua ostendit principes, & magistratus re uera patres ciuium suorum esse debere. Nam & idcirco Romulus senatores & optimates quos sibi ad gubernandam remp. adiunxerat, Patres appellari uoluit, ut scirent se paterno officio & indulgentia præesse debere: non tyrannica acerbitate dominari: & simul cæteros doceret, eos tanquam patres & amandos esse, & honorandos: non ut dominos quosdam seueros pertimescendos. Principis & magistratus officia enumerauit Seneca Neronem alloquens in Octauia, paucis hisce Iambicis:*

Pulcrum eminere est inter illustres uiros:
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa uirtus, petitur hac cœlum uia.
Item Ouidius lib. 1. de Ponto.
Est piger ad pœnas princeps, ad præmia uelox:

Cuiq; dolet, quoties cogitur esse ferox.

Qui tales sunt, ad dei naturã accedunt, qui de se in hunc modum apud Mosen pronunciat: IOVA IOVA DEVS MISERICORS ET EXORABILIS, AD IRAM TARDVS, AD CLEMENTIAM ET AVXILIVM PROPENSVS. *Hoc patrium est: hoc pater ac dominus interest: hoc qui nescit, fateatur se nescire imperare.* A *Possent Cæsari multa.*] *Optimo utitur temperamento, ad partes conciliandas. Concedit enim utrosq; deliquisse, ut neutra pars queri posset. Sic Paulus & Iudæos & alias gentes peccasse dicit, ut ambos in una Christi gratia conciliet atq; coniungat. Hic locus ualet apud eos magistratus & principes, qui æquitate potius & clementia, quàm summa seueritate rempublicam moderantur: apud eos autem qui ab apicibus iuris & legum pendent, non ualet.*

Itaq; qui bonum.] *Concludit occupationem, & hunc locum de non persequendis iniurijs & pœnis: idq; facit ab utili, qui locus in suadendo plurimum ualet.*

Quamobrem P. C. præterita obliuione obruite, quasi tempestate, aut eluuione aliqua acciderint, atq; inter nos sit summa consensio, utpote inter proximos, ut inter ciues, ut inter propinquos. Ac ne quis existimet, me ijs qui Cæsarem interfecerunt gratificari uelle, quominus puniantur, quod partes Pompeij sequutus fuerim, unum modò uerbum dicam. Nam omnino uos omnes ita de me persuasos arbitror, ut me nunquam mea causa quenquam uel amasse uel odisse, sed uestra tantum ac cõmunis concordiæ & libertatis, sentiatis. Quæ cum ita sint, aliud nihil dicam, nisi hoc unum: à me tantum abesse, ut in alium finem hæc uerba faciam quàm ad cõmunem salutẽ, ut censeam uos reliquis Cæsaris amicis non solum ea condonare debere, quæ præter consuetudinem Cæsare freti fecerunt, uerumetiam honores, beneficia, magistratus, quæ ab illo acceperunt conseruare, quanquam eorum quędam mihi non probentur. Neq; enim autor uobis essem ut huiusmodi nunc decerneretis: uerum quando ea sic ceciderunt, utilius uidetur si non nimium seueri earum rerum iudices esse uelitis. Detrimenta enim quæ ab hoc uel illo accipietis, qui plus quàm æquum est habent, quamq; merita eorum postulant, non erunt tanta, quanta erunt cõmoda quę ex concordia consequentur, si neq; metum neq; perturbationem inter eos excitabitis qui aliquando potentes extiterunt. Hæc pro præsentis temporis necessitate, mihi quæ dicerem in mentem uenerunt. Cum uero res compositæ fuerint, tunc de reliquis deliberabimus. B

Quamobrem P.C.] *Peroratio est, pars tertia & ultima huius suasionis, quæ duos habet locos. primum, necessitatem, alterũ æquitatẽ. Necessitas in eo est quod dicit, quasi tempestate aut eluuione ea mala accidisse: habẽt igitur aliquam excusationem, ut Rhetores in iuridiciali assumptiua docent. æquitas uero in eo cernitur, quod eos inter se cognatos & propinquos esse dicit, inter quos summa debet esse consensio iure naturæ: qui locus ad iuridicialem absolutam refertur. Hunc autem locum imitatus est Cicero ex Cleocriti oratione ad Athenienses apud Xenophontem lib. 2.* C *Ac ne quis existimet.*] *Remouet à se suspicionem gratiæ & partium, quod etiam in exordio fecit: quo eius de concordia sententia facilius admittatur. Non enim facile eius consilio acquiescimus, nec magnam fidem habemus, quem studere alicui parti suspicamur. Oportet nanq; pacificatorem, nullius partis esse suspectum, alioqui nullam eius apud auditores fidem inueniet oratio. Et erant certe causæ cur Cicero esset suspectus, quòd aliquando Pompeij partes secutus esset. sed hoc facile diluit prudens orator, causam reijciens in senatum & libertatem.* *Quæ cum ita sint.*] *Testatur se quæ suaserit, propter cõmunem salutem suasisse: idq; confirmat à signo, quòd censet Cæsarianis ea esse condonanda quæ per insolentiam uiuo Cæsare contra Remp. fecerunt, & præterea, Cæsaris acta esse confirmanda, quanquam pleraq; minus ei probentur.* *Detrimenta enim.*] *Comparat incõmoda quæ ex confirmatione actorum Cæsaris proueniunt, cum pacis & concordiæ cõmodis, & illa præ his contemnenda esse dicit, quod his illa compensabuntur.* *Qui aliquando potentes extiterunt.*] *Vt Antonius, Lepidus, Dolabella, ueterani milites, & alij fuerunt.* *Hæc pro præsentis.*] *Clausula qua excusat orationis breuitatem à temporis necessitate, & alia quæ de Republica dicenda fuerant, in aliam reijcit consultationem.*

A **CAELII SECVNDI CVRIONIS IN CAESARIS LAVDATIONEM ARGVMENTVM, & in eandem Commentarij.**



Ersuaserat Cicero proxima oratione, ut mutuæ omnium iniuriæ decreto senatus delerētur: paxq; per Antoniū, & per liberos eius, cum Bruto & Cassio confirmata erat: Sed cito Antonius principatus cupiditate omnia perturbauit, quem se post cognitam plebis mentem haud dubie putauit adepturum, si Brutus & quidam alij è medio tollerentur. Nam cum postulante L. Pisone socero, Cæsaris testamentum apertum esset, & populus Romanus sibi ampla uiritim legata esse intelligeret, necem eius indignè ferre cœpit, cuius dolorem hac oratione magis inflammauit Antonius. Cum enim Cæsarem, ut mos erat in funere clarorum uirorum, pro rostris laudaret: animaduertens multitudinem oratione sua uehementer permoueri, admiscuit laudibus cōmiserationem, & in perorando uestem Cæsaris explicuit, eamq; & corpus multis uulneribus & sanguine fœdata omnibus ostentauit: quare tantum furorem multitudini iniecit, ut corpus Cæsaris in foro raptis undiq; ad pyram subsellijs, gradibus, & mensis cremaret: correptisq; ex rogo torribus inflammatis, & facibus accensis ad percussorum domos concurreret: & quosdam quos putabat ex coniu-
B *ratis esse, errore tamen occideret: quod etiam fuit in causa ut Brutus cæteriq; eius consilij socij, urbe cederent. Hinc Antonij uires, hinc regnum & dominatus incrementa cœpere. Sed hæc ab historicis petenda sunt, nos ad propositam orationem reuertamur, quam tanquam seditiosam Cicero in hunc modum in secunda Philippica obiecit Antonio. Tu cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni illius sceleratissime præfuisti: tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: tu tu illas faces incendisti: & eas quibus semiustum latus illius est: & eas quibus L. Bellieni domus deflagrauit: tu illos impetus perditorum hominum, & ex maxima parte seruorum, quos nos ui manuq; repulimus, in nostras domos immisisti. Dion quoq;, & si Cæsaris & Antonij partibus nonnihil fauere iudicatur, Antonium scribit orationem ornatam & eloquentem, sed illis temporibus inutilem & perniciosam habuisse.*

DE CAVSAE GENERE.

Exornationis & laudationis à meliori parte hoc genus appellat Cicero, & interdum etiam demonstratiuum. Fiunt eres enim orationes omnes hoc genere continentur. Genus nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus esse possit: aut in quo magis orator in cognitione uirtutum uitiorumq; uersetur. Et quanquam laū genus hoc esse potest, saneq; uarium, illud tamen illustre & maxime proprium quod in laude clarorum uirorum, & improborum uituperatione cernitur. Itaq; duo quoq; fines propositi sunt, honesta atq; inhonesta: quorum illa laudat, hæc uituperat orator: quæ cum rectè fiunt, delectant, & uoluptate afficiunt auditorē, ad quem causarum fines sunt referendi. Quærunt autem quidam cur Aristoteles hoc genus à cæteris duobus præsenti tempore distinxerit. nam cum de præteri-
C *tis in iudicijs quæratur, & de futuris in senatu, exornationi præsens tempus potissimū assignauit. ad quod tria dici possunt: primum quod qui laudant quempiam aut uituperant, eum qualis est, non qualis fuerit, aut futurus sit, considerant. Deinde cum in reliquis generibus, motus & fines sint futuri temporis, huic solo generi præsentis temporis motus est propositus, uoluptas nimirum: & si quis contrarium uelit, molestia. Postremo præsens quod certum est, aut pro certo ponitur, significat. Nam neq; præterita certa sunt, neq; futura. idcirco ad ea ostendenda confirmationes adhibentur: in hoc autem genere nulla est confirmatio, sed factorum tantum expositio. Atq; hoc uoluit Cicero cum in partitionibus oratorijs dixit: Non enim dubia firmantur, sed ea quæ certa aut pro certis posita sunt, augentur. Ita rectè dictum est præsentis propriā esse exornationem. præsentis enim est, aut uitæ, (nam de ea potissimum intellexit Aristoteles) aut finis & motus. aut quia, præsens, pro certo, & non dubio intelligitur.*

DE STATV.

Neq; minus sunt status in laudationibus quàm in alijs causis. Nā aut negari potest id factū esse quod laudetur, quod est coniecturæ: aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, quod definitione explicandū erit: aut omnino non esse laudabile, quòd non rectè non iure factum sit, in quo est status iuris siue qualitatis: cuiusmodi status ex hac oratione existit. nam Cicero in Philippicis & alibi iure cæsum dicit, quod tyrannus esset. nihil autem iurè facit tyrannus. ex quo
D *sequitur non iure laudari. Loci autem huius generis sunt, tria genera bonorum & totidem malorum, externa, corporis, & animi, & ea quæ his generibus continentur, quæ suis locis indicabimus. Videre autem in laudando & in uituperando oportebit, nō tam quæ in corpore, aut in externis rebus habuerit is de quo agatur, quàm quo pacto his rebus usus sit. nam si fortiter, si iuste, si moderate, si prudenter usus fuerit, laudandus: si contrà, uituperandus.*

DE ELOCVTIONE SIVE FORMA ORATIONIS.

Quoniam in his causis omnis ratio ferè ad uoluptatem auditorum & delectationem refertur, ijs uerborum insignibus utuntur in oratione oratores, quæ habent plurimum suauitatis, id est aut factis uerbis, aut uetustis, aut translatis, & in ipsa constructione uerborum paria paribus sæpe referunt, & contraria contrarijs: adhibent quoq; geminata & circumscripta numerose, non ad similitudinem uersuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quasi quodam uerborum modo. Fit etiam suauis oratio, cum aliquid aut inuisum, aut inauditum, aut nouum dicunt. Sed hæc omnia non plenum illud dicendi genus, sed mediocre constituunt: in quo genere elocutionis hæc Antonij uersatur oratio.

DE DISPOSITIONE.

Dispositio duobus modis primum intelligitur, aut partium orationis ordo & collocatio: aut locorum, quibus tota causa tractatur œconomia. De utraq; loquemur. Partes orationis non omnes in hoc genus cadunt: & quæ cadunt, non ordine ferè naturali collocantur, sed pro dicentis arbitrio constituuntur. Primum enim conficitur hoc genus dictionis

narrandi

narrandis exponendisq; factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quàm ad fidem A
faciendam aut confirmandam accõmodatè. Non enim dubia firmantur, sed ea quæ certa, aut pro certis posita sunt, augen
tur. Deinde narratio ipsa in exornationem non ordine cadit, quo in reliqua genera, sed incertis locis ac partibus, prout
cuiusq; rei gestæ expositio postulabit, in huiusmodi ferè omnis consistit & uersatur oratio. Quod si quædam facta, quod
nimis magna uideantur confirmanda sint, id fit non uno aliquo certo loco, sed narratio ipsa distincta erit locis, interpun
cta rationibus, ad fidem incredibilibus faciendam. In hac igitur laudatione sunt partes tres, Exordium, narratio distin-
cta & sparsa, non continuata, & peroratio. Reliqua uero dispositio in hunc modum habet. Primum comparatis ad
audiendum animis, laudat Cæsarem, à genere, quod sit à dijs ortus & regibus, & quod affinitate cum tota ciuitate con-
iunctus sit: Deinde ab educatione liberali: post uenit ad corporis & animi bona, in quibus summa laus est: hæc animi bo-
na diuidit in ea quæ sunt ingenij atq; prudentiæ, & in uirtutes morales, iustitiam, animi magnitudinem & modera-
tionem. Ex his transit ad ipsius res gestas, & egregia facta, & potentiam & felicitatẽ, quibus admiscet honores & ma
gistratus ei decretos, & reip. administrationem. Dehinc ad uirtutes eius amplificandas redit, animi præsertim modera-
tionem atq; clementiam. Postremo omnes bonorum titulos cum amplificatione enumerat, & ab his orationem flectit ad
grauissimam conquestionem siue cõmiserationem. Omnia autem hæc quæ enumeraui, duabus summis partibus continen
tur, laudatione, & miseratione. nam cohortatio, cuius Cicero mentionem facit, quæ fortassis multitudinẽ ad ulciscendam
Cæsaris necem cohortata, post cõmiserationẽ fuerat, hic nulla est: ut nec quod Plutarchus in Antonio scribit, illum per- B
cussores Cæsaris, impios & sceleftos appellasse: & fieri potest ut talia in oratione extare Antonius ipse noluerit. Quod
ad totam orationem attinet, ea est pulcherrima, summo artificio facta, & dignissima quæ legatur: siue illam confecit An-
tonius: siue Sex. Clodius Rhetor, eius magister. Neq; enim Antonius dicendi imperitus fuit, utpote qui & ipse in Græ-
cis, & corpus ad militaria certamina, & linguam ad dicendum exercuit. Genere autem dicendi utebatur, quod Asiati-
cum appellant, maxime temporibus illis florente: plurimumq; cum Antonij moribus & ingenio congruente. erat enim
inflatum, lasciuũ, & inani quadam iactantia atq; exultatione plenum. Hoc genus dicendi etiam illi tribuit Octauius Au
gustus, ut est apud Suetonium in Octauio.

M· ANTONII CONSVLIS
IN C· IVLII CAESARIS FVNERE
LAVDATIO. EX DIONIS LIB. XLIIII.
Cælio Secundo Curione interprete.



I QVIDEM hic priuatus cæsus esset, & ego sine potestate C
essem, non multis, Quirites, esset opus uerbis, neq; omnia
eius facta mihi exponenda sumerem: sed pauca tantum de
eius genere, moribus, & studijs attingerem, contentusq; es-
sem de ijs modo uerba facere, quæ in ipsa republica gessis-
set, ne molestus essem ijs, qui ei nullo sunt necessitudinis
uinculo coniuncti. Verum cum hic in summo nostræ rei-
publicæ imperio mortem occubuerit: ipse autem secũdum
sim adeptus imperij gradum, mihi duplicanda erit oratio:
partim ut ab eo scriptus hæres: partim, ut in potestate con-
stitutus: nec quicquam prætereundum, ac potius ea omnia exponenda quæ popu-
lus Romanus, si quidem daretur, ut una uteretur lingua, uno ore in cælum laudibus
efferret. Etenim cum animis uestris satisfacere difficillimũ esse iudico, tum factis hu- D
ius maximis orationem exæquare, nullo modo me posse confido: tantum abest ut ea
augeri posse dicendo putem. Vos igitur Quirites, qui audiendi insatiabili cupiditate,
ex ijs quæ uobis ignota nõ sunt, estis accẽsi, meæ orationis morosi iudices eritis. Nam
si apud homines harũ rerum ignaros uerba facerẽ, non tantopere mihi esset laboran-
dum: ad tantarum enim rerum cõmemorationẽ stupefacti penderent. Vobis autem
quibus hæc omnia peruulgata & contrita sunt, quæ hic exponam rebus ipsis longe
minora uideantur. Homines uero peregrini & alieni, & si propter inuidiam minus fi-
dei forsitan oratori essent habituri, eum tamen suo muneri satisfecisse, seq; quantum
ab eo dicendum fuerat, audiuisse arbitrarentur: uos ob magnam quandam beneuolen
tiam, infinita audiendi cupiditate ardetis, qui cum à Cæsaris uirtute magnum cœpe-
ritis fructum, eius requiritis laudes: non inuidia aliqua quasi ad uos nihil pertineant,
sed beneuolentia, tanquam uestras ipsorum laudes audituri. Dabo igitur operã quàm
maxime potero Quirites, ut uestræ satisfaciam uoluntati, illud pro certo habens, uos

non ex orationis facultate de meo animo iudicaturos, sed contra potius ob animi mei A sensum & alacritatem, linguæ atq; orationis uitia excusaturos.

Siquidem hic priuatus cæsus esset.] Pulcherrimum est hoc exordium, & omnibus oratorijs numeris absolutũ atq; perfectum. Nam quoniam initio auditores aut alliciendi conciliandiq; sunt, aut incitandi, aut utrunq;: hæc omnia præclare præstat Antonius. Conciliat enim, & sibi facit audientiam, à Cæsaris, à sua, & à Quiritum persona. Cæsaris dignitatem atq; amplitudinem indicat, suum officium cõmendat: Quiritium uero erga Cæsarem uoluntatem, & auscultandi desiderium amplificat. In eo uero quod magnitudinem rerum à Cæsare gestarum profert, excitat attentionẽ. Quod autem quæ dicturus de Cæsare est, ea omnia eos dicit nosse atq; tenere, fidem facit orationi. De motu uero, illa nota sunt, duo esse genera motus, quorum alterum est, quod Græci ἠθικὸν uocant, alterum παθητικόν. Illud prius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc uehemens, incensum, incitatum, in quo uno regnat oratio. Illo in exordijs, hoc in perorationibus potissimum utimur. nõ quo in alijs quoq; partibus si res poscit, uti non liceat, sed quod in his magis eminant. Hanc incitandi rationem, & temperamẽtum, optime tenuit in hac oratione Antonius, qui non statim totos hos motus in principio explicauit, sed tantum impellit primo auditorem leuiter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio. Quare in exordio igniculi tantum & scintillæ sparguntur, non accenduntur faces: quas totas in perorando inflammatas B iaculatur. Quid, quod statim inuidia interfectoribus conflatur illis uerbis: Εἰ μὲν οὗτος ἰδιωτεύων ἐτεθνήκει. in singulis enim uerbis inest πάθος. primum οὗτος demonstrat iacentem coram ipsis Cæsarem. deinde ἰδιωτεύων, quo significat eum non esse de uulgo aliquem, aut priuatam uitam agentem, sed principem, quem uiolasse piaculum fit. postremo ἐτεθνήκει, non simpliciter mortuum, sed ui oppressum & necatum: quibus omnibus quanta iaciantur motuum & perturbationum semina, quæ post sese in peroratione explicabunt, nemo non uidet. *Et ego sine potestate essem.*] πορίφρασις, id est priuatus. sunt autem elegantes formulæ, cum potestate, cum imperio aliquẽ esse: & contrà, sine potestate & imperio: pro eo qui publico munere fungitur in rep. aut qui priuatus agit. Græce est: καὶ γὰρ ἐν ἰδιωτείᾳ ἂν ἐτύγχανον. *Ne molestus essem.*] Oblique perstringit eos qui laudes Cæsaris non libenter audiunt. *Verum cum hic.*] Nimirum Cæsar, quem corã iacentem cernitis. Conciliat animos à Cæsaris persona.

In summo nostræ reipublicæ imperio.] In Dictatura: ea enim fuit summa potestas, summumq; apud Romanos imperium. Nam Dictatore, dicto, prodito, & nuncupato, omnium reliquorum magistratuum cessabat imperium, omnisq; iurisdictio, præter Tribunos plebis: quorum tamen potestas, Dictatore inferior erat. Nihil uero prorsus à regia (legitima tamen) potestate differebat, nisi nomine & tempore. Nomine differre propter Tarquiniorum regum odium uoluere. tempore uero, ne tanta potestas in tyrannidem diuturnitate uerteretur: idcirco semestris erat: nisi denuo confirmaretur à populo. Illud quoq; animaduertendum est, eum Dictatorem post dictum, qui apud priscos Magister populi dicebaC tur: Hinc perspicuum fit, quos per totam ferè Germaniam, Burgermeister, appellant, eos potius latine Magistros populi, uel ciuitatis, aut Dictatores appellandos esse, quàm Consules. Nam & in Italia, non Romæ solum, uerumetiam in omnibus ferè Latij Municipijs, proprij Dictatores creabantur. Atq; etiam cum Romæ tantũ in summis reip. periculis creari soleret, in Municipijs autem singulis annis creabatur. Sed de Dictatore & Dictatura, diligenter scripsit Fenestella libro 2. cap. 8. Diligentissime uero, Alexander Genialium dierum lib. 4. cap. 23. *Ipse autem secundum.*] Id est, Consulatum: nam is secundus à Dictatura erat gradus: utpote non pari per omnia cum Dictatore potestate. Neq; enim Consuli in ciuis Romani caput, sine senatu, sine populo ius erat: De plerisq; etiam alijs sine senatus aut populi autoritate, soli decernere non licebat. Soli enim Dictatori omnium absoluta & libera potestas erat. Cum uero in reliquis omnibus Consules regia planè potestate essent, apparet Dictatoris plus quàm regiam potestatem fuisse. Sic enim habet lex de Consulari potestate, apud Ciceronem de Leg. lib. 3. Regio imperio duo sunto. Verum de Consulari quoq; potestate, legendi sunt Fenestella, & Alexander Genialium dierum lib. 3. cap. 3. *Duplicanda erit oratio.*] Maior & copiosior, siue longior habenda. & cur hoc faciendum sit, rationem affert: tum quod sit scriptus hæres Cæsaris: tum quod cum imperio esset. Quod autem se à Cæsare scriptum dicit Antonius, neminem legi qui aperte id scriptum reliquerit: non Sue D tonius, non Plutarchus, non Dion: nisi quod hic scribit Antonium & Brutum tutores relictos, & quosdam alios ex ijs qui eum occiderant. Quod si Octauius non succederet, eos hæredes constituebat. Sed potuit Antonius se quoq; reliquis addidisse, ut multa quoq; in Cæsaris cõmentarijs & chirographis addidit & mutauit. *Etenim, cum animis uestris.*] Amplificat à populi Romani desiderio, & à rerum gestarum magnitudine: & simul extenuat modeste suam in dicendo facultatem, ut ex altera parte laus factorum Cæsaris augeatur. Locus est attentionis. *Morosi iudices.*] οὐ δυσχερεῖς κριταὶ, non faciles iudices. tales sunt morosi, quibus difficile satisfieri potest: cuiusmodi sunt qui multa desiderant, & perfecta. Cicero in Oratore: Vsq; eo difficiles & morosi sumus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. *Nam si apud homines.*] Comparatione auget difficultatem: & eundem locum sæpe uersat. Alijs satisfacerem, qui non tanta expectant: uobis non item, qui plura & maiora nostis, quàm à me narrari possint. *Vos ob magnam quandam beneuolentiam.*] Inuidi, & maleuoli non libenter aliorum audiunt laudes: qui uero amant, audiendo nunquam saturãtur. Conciliationis est locus insignis, ab auditorum persona. *Tanquam uestras ipsorum laudes audituri.*] Attentio ab eo quod laus Cæsaris sit cum illorum laude coniuncta. Cicero in Partitionibus: Vt attente autem audiamur, inquit, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis apud quos res agetur. *Dabo igitur operam.*] Exordij epilogus ad attentionem & beneuolentiam comparatus. Nam & conatus ille magnus, rei magnitudinem & difficultatem arguit: & oratoris modestia ualde conciliat animos auditorum. Nihil est enim quod tantopere conciliet animos eorum qui audiunt, quàm modestiæ, bonorumq; morum in oratore significatio. Cum oratorem nomino, quemuis politicum uirum dicendi peritum intelligo, siue is dicat, siue scribat. Hactenus exordium: sequitur narratio.

Dicam uero de huius genere primũ nõ quidẽ esse illud nobilissimũ & clarissimũ, A quanq̃ & hoc quoq; ad uirtutis indolẽ plurimũ ualet: aliquẽ scilicet bono atq; excelso animo esse, naturæ quodã habitu potius & generis anticipatione ueteri, q̃ fortuito & casu: cum qui generosa stirpe orti non sunt, simulare uirtutẽ possint, eamq; constantem & perpetuã non habere: qui autẽ antiquo à semine fortium uirorũ genus ducunt, uirtute eos naturali atq; perpetua pollere necesse est: tamẽ non hoc mihi nunc potissimũ proposui: Cæsarẽ si proxima tẽpora spectent multis fortibus uiris ortũ esse: sin primordia generis repetant, à regibus & à dijs immortalibus prognatũ laudare: uerũ ex eo primũ quod cõmunione sanguinis cũ tota nostra ciuitate cõiunctus esset. Hi nãq; à quibus hic propagatus est, nostræ urbis cõditores extiterũt. Deinde quod cũ huius maiores propter excellentẽ uirtutẽ in deos relati sint, hic non modo hanc opinionem non minuit, sed incredibili diuinaq; uirtute uehemẽter adauxit. Quamobrẽ si quis antea num Veneris filius Aeneas esset, dubitabat, iam non est quod dubitet: cum pleriq; tanq̃ deorũ filij decantati sint, qui eo nomine indigni fuerũt: huius autẽ maiores deos fuisse negabit nemo. Nã Aeneas eiusq; nepotes reges quidẽ fuerũt: hic uero illis hac B re maior extitit, q̃ illi Lauinij tantũ Albæq; regnũ tenuerũt: hic quãuis in eius manu fuerit, Romanorũ rex esse recusauit: illi nostræ urbis fundamenta posuerunt: hic tantum illam extulit, ut ab eo cum alia, tum coloniæ constitutæ sint maiores, quàm urbes fuerint, quibus illi imperauerunt. Ac de eius genere hæc dicta sint.

Dicã uero de huius genere primũ.] Propositio est laudationis: Est autẽ laudatio magnitudinẽ uirtutis, rerũq; præclare gestarũ demonstrans oratio. non est igitur simplex narratio quædam, laudatio: sed amplificationibus exaggerata. Vt enim in suadẽdo cõsilioq; dando exẽplorũ usus: in forensib. causis, Enthymematũ uis, plurimũ ualet, sic laudationum maxime propria amplificatio iudicatur. Incipit autẽ Cæsarẽ à genere laudare, hoc est ab externis bonis: quæ quanquam non habent in se uerã laudẽ, quæ deberi uni uirtuti putatur: tamen quod ipsa uirtus in earũ rerũ usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiã in laudationibus sunt hæc naturæ & fortunæ bona. Cicero inchoandã esse laudationẽ à genere testatur in partitionib. Prima sunt externa, inquit, quæ ducuntur à genere: quo breuiter modiceq; laudato, aut si erit infame prætermisso: si humile, uel præterito, uel ad augendã eius quẽ laudas, gloriã, tacto, deinceps si res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendũ: postea de corporis bonis, in quibus quidẽ quæ uirtutẽ maxime significat, facillime forma laudatur. Hunc ordinẽ hic ab Antonio seruari perspicuũ est. C *Quanq̃ & hoc quoq; ad uirtutis ind.*] Locũ communẽ tractat de quo in utranq; partẽ disputari solet, boni ne ex bonis, & ex improbis improbi generentur? bonos à bonis creari uoluit Horatius carminum lib. 4. Fortes creantur fortibus & bonis. Est in iuuencis, est in equis, patrum Virtus: nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam. Contra autẽ est prouerbiũ à ueteribus iactatũ: Heroum filij noxæ: cui etiam astipulari Homerus 2. Odys. uidetur, cum ait: Raro quidẽ nati similes uirtute parenti: Sæpeq; peiores, meliores raro uidebis. Vtcunq; res habeat, consentaneũ est, nasci bonos ex bonis, ut Aristoteles in Rhetoricis ait: talemq; unumquenq; esse, ut institutus atq; educatus est. Principiũ quidẽ habere naturã reor: uerũ perfectionẽ educationi esse tribuendã: quæ tantũ potest, ut multa etiã contra naturã faciat, ipsamq; sæpenumero uincat trahentẽ in diuersa. Est hoc generi hominũ propè natura datũ, uti qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc ferè qui sunt eius stirpis, quòd sermo hominũ ad memoriã patrũ uirtute celebretur, cupidissime persequantur. Siquidẽ non modo in gloria rei militaris Paulũ Aemiliũ Scipio, aut Fabiũ Maximũ filius: sed etiam in deuotione uitæ, & in ipso genere mortis P. Decium filius imitatus est, alijq; permulti generis sui laudes sunt persecuti. Est tamẽ ut annonæ cæterarũq; rerũ ex agro nascentiũ, messis quædã copiosa atq; feracitas: sic & clarorũ uirorũ ex aliqua illustri familia fœcundus quidã restibilisq; prouentus. Interdũ uero cum certo temporis spacio celebres, & excellentes uiri ex bono aliquo genere processissent, post secuta penuria est. Degenerant enim familiæ nobiles sæpe, ut post hunc Cæsarẽ, & alterũ eius nepotẽ Octauianũ Augustum, & Tyberius & alij eorũ cognati degenerarunt. D *Cum qui generosa stirpe orti non sunt.*] Cõparat uirtutem quæ natura in aliquo sit, cum ea quæ non natura sed fortuito inest, & eam dicit esse magis constantẽ. hoc autẽ confirmatur illis cõmunibus locis: Innata atq; insita, assumptis & aduentitijs: Item, naturalia, non naturalibus anteponenda esse. Virtutẽ autẽ fortuitã intelligit, quæ cum non fuerit in parentibus & familia, est tamen in filijs: quod in eam fortuito & casu uideantur incidisse, non propagatione, & quasi hæreditate eam obtinuisse. *Tamẽ non hoc mihi.*] Præteritione Rhetorica Cæsarẽ primũ à fortibus uiris, deinde à regibus & à dijs ortũ & propagatũ esse dicit. Gentẽ Iuliã ab Iulo Aeneæ filio deducunt: Aeneas autẽ Veneris filius prædicatur à poetis, & ab Iulo per reges Albanos Romulus Martis filius originẽ ducit. Ex quo liquet cur ab regibus & dijs Cæsaris genus deducat Antonius. Sed de his Virgilius, & Messala Coruinus in libello De progenie Augusti multa & miranda canũt, sed quàm credenda, nescio. Antonius certe uix hoc credidit, qui hoc tanq̃ fabulosum, nõ directò, sed obliquè, tanq̃ præteriẽs attigit. *Verũ ex eo primũ quod cõmunione sang.*] Hoc maius censet Antonius, quàm à dijs aut regibus ortũ esse. Nam etsi sunt illa admirabilia, tamẽ suspecta possint esse & inuidiosa, in libera ciuitate, propter dominationis suspicionẽ: deinde non tantopere ualent ad fauorẽ conciliandũ, uetera illa & remota, quàm recentia & proxima: cuiusmodi illud est, eum cõmunione sanguinis cum tota penè ciuitate coniunctũ esse. Est enim ad permouendos animos ad ulciscendã eius necẽ efficacius, cum cogitant eum qui interfectus est, sibi cognatũ atq; propinquũ fuisse. *Hi nanq; à quibus hic propagatus est.*] Confirmat à gentis Romanæ

A *autoribus, quæ de eius progenie dixit, & genus à capite arcessit.* Deinde quod cum huius maiores.] *Ab effectis ostendit illũ à dijs prognatũ esse: qui enim deorũ uirtutẽ & facta imitatur, à dijs est prognatus. Et simul admonet quæ fuerit causa, maiores eius in deos referendi: eam dicit, excellentẽ fuisse uirtutẽ. Nam ueteres illi, ut homines ad magnas uirtutes, & ad beneficia mortalib. cõferẽda incitarent, principes & reges qui ea fecissent, in deos referebãt: post corruptis moribus per assentationẽ, quos maxime metuebant, deos nuncuparũt, & turpissime etiã uiuos coluerũt: ut Vitelliũ, & alij Caligulã terræ portentũ ut deũ summũ uenerabantur. Hinc est illud Statij, In orbe deos fecit timor.* Nam Aeneas eiusq; nepotes.] *Cõparatione ueterũ regũ amplificat Cæsaris laudes, ostendens illũ etsi rex non fuerit, magnitudine tamen rerũ gestarũ, reges ipsos superasse: ex quo effici uult, eam opinionẽ conceptã, de eorũ diuinitate, non imminuisse, sed confirmasse. Aristoteles scripsit, cõparationẽ unã in amplificatione laudũ dominari: sed cõferri quos laudamus cũ præstantibus uiris dicit oportere: quòd amplificatur uehementer & ornatur uita eorum, qui claris hominibus, clariores ipsi & præstantiores esse monstrantur.* Quod illi Lauinij tantũ, Albæq;.] *De regno Aeneæ atq; eius posteris legendus est Liuius lib. 1. & Dionysius Halicarnasseus De Antiq. Rom.* Hic quamuis in eius manu fuerit, rex esse Romanorum recusauit.] *Magna certe hæc laus, siquidẽ uerũ est ipsum recusasse. Nam seipsum uincere ea demũ præclara, sed rara uictoria est. Et hoc est quod Horatius lib. 2. carminum canebat ad lyram:*

B *Latius regnes auidum domando*
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & uterq; Pœnus
Seruiat uni

Quod etiam Seneca uelocissimis Glyconicis in Thyeste monet:

Quis uos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere adgredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo iaceat loco.
Regem non faciunt opes:
Non uestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex est qui posuit metus,
C *Et diri mala pectoris:*
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.

Intelligit autem Antonius illũ diem Lupercaliũ, quo die diadema obtulit Cæsari Senatus & pop. Romani nomine: & regem salutauit: qua de re dictũ Philip. 2. & dicetur in sequentibus orationibus. Ac de eius genere hæc dicta sint.] *A genere transit ad educationem, quæ & ipsa generi adiuncta est. Hæc etiam ad laudem pertinet, si recta & honesta fuerit, atq; ea est, quæ uim illam uirtutis à parentibus insitam, educit & roborat. Idcirco Horatius, cum dixisset: Fortes creari fortibus & bonis, addidit:*

Doctrina sed uim promouet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant.
Vtcunq; defecere mores
Dedecorant bene nata culpæ

D Fuisse autẽ eum prout generis ipsius nobilitas posceret informatũ & institutũ, ex qua nam re perspici clarius testimoniũ possit, q̃ ex ijs quæ gessit? Nam qui & animũ & corpus ad bellũ pacẽq; tum aptissimũ, tum patientissimũ habuit, qui potest nisi ingenue & liberaliter educatus & institutus esse? Difficile factu est, ut forma excellenti uir, idem sit, & laborũ patientissimus: difficilius etiã, ut idẽ robustus sit corpore, simul & sapientissimus: omniũ autẽ difficillimũ, ut idẽ dictis pariter & factis absolutus perfectusq; esse uideatur. In hoc autẽ hæc omnia cõiuncta reperiuntur: quę ego apud eos dico, qui ea cõperta habent, adeo ut nec mentiri, quin statim deprehendar: nec res augere supra ueritatẽ ullo modo possim: propterea quod cõtra quàm mihi proposui, eueniret. Etenim si id facerẽ, in superbiæ suspicionẽ optimo iure uenirem, uidererq; eò rem adducere, ut huius uirtus opinione uestra longe minor æstimaretur: quod qui de huiuscemodi rebus uerba facit, si quid uel pusillum falsi admisceat, non modo id non laudi datur, sed reprehensionem habet: ubi auditorũ cõscientia, figmentis haudquaq; adquiescens, ad ueritatẽ sese recipit: qua contenta qualis quispiam esse debuit intelligit, & facta utriusq; partis contentione, quid ei defuerit, animaduertit.

Fuisse autẽ eum prout generis ipsius nobilitas posceret informatũ.] *Nobilitas, maiorũ est splendor quidã & claritas. Idcirco autẽ cõstantior est uirtus in claris familijs & honestis, quod institutio & educatio honesta in illis sit quoq;*

constantior

constantior: donec aliqui cœperint degenerare à maioribus suis. Neq; enim bonis uoluntas deest, neq; amplis facultas: ita A
fit ut generosæ & opulentæ familiæ in nulla institutionis parte desint suis. Is enim generosus dicitur, qui à natura sua maiorumq; probitate & uirtute non degenerat, ut Aristoteles de natura animantium, & in Rhetoricis testatur.

Ex qua nam re perspici.] A signis generosam & honestam educationem ostendit, ut etiam ostendit genus. Sic Horatius laudans Drusi Augusti nepotis educationem, eius res gestas cōmemorat, libro carminum quarto.

Videre Rhæti bella sub alpibus
Drusum gerentem, & Vindelici: quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli.
Nec scire fas est omnia: sed diu,
Lateq; uictrices cateruæ
Consilijs iuuenis reuictæ
Sensere, quid mens ritè; quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus B
Posset: quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Difficile factu est.] Educationē, ut dixi, ostendit à signis, ex quibus ad corporis bona transit: per quæ ad animi bona, quæ uerè laudantur, gradū facit, tanquā ad rem cōiunctā & proximā. Notanda est hic amplificatio gradatim facta, quod Cicero in Part. orat. in amplificando præcipit esse faciendū. Augent etiā, inquit, quæ gradatim ascendunt. & si non ignoro alijs quoq; modis fieri: tamen hoc exemplū est illustre. Primū laudat eum à forma, quæ, quod uirtutē maxime significat, facillime laudatur, ut Aristoteles & Cicero testantur. Forma siue pulchritudo est quædam apta figura membrorum, cum coloris quadā suauitate. Sed cū pulchritudinis duo genera sint, quorū in altero uenustas sit, in altero dignitas: uenustatē muliebrē dicere debemus, dignitatē uirilē, ut Cic. de Offic. ait: à quo non dissentit Aristoteles qui Rhetoricorum lib. 1. Laus, inquit, formæ non solū uenustate ipsa cōstat & specie, uerumetiā dignitate & ueneratione, cum quadā etiam seueritatis nota. De forma autē Cæsaris scribit in hunc modū Suetonius. Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris uegetisq; oculis, ualetudine prospera: nisi quod tempore extremo repentē animo linqui, atq; etiam per somnium exterreri solebat. Comitiali quoq; morbo bis inter res gerendas correptus est.

Laborū patientissimus.] Laborū, non est in Dione, sed facile intelligitur. Laudat Cæsarē à uiribus. nam laborū patientes esse non possunt, nisi robusto & ualenti corpore præditi. quanquā ad patientiā istā & tolerantiā multū facit animus præsens atq; alacris. Nam Plutarchus scribit Cæsarē non admodū robusto corpore fuisse, & si laborū patiētissimū C
fuisse affirmet. Tam magna uero, inquit, in tolerandis supra corporis uires laboribus fuit patientia, ut cunctos stupore afficeret. Idem Suetonius scribit. Et quidem candidus in Cæsare color, non multū fuisse roboris in corpore arguit. Nam signū est non multū inesse ignei caloris ad excoquendū & constipandū corpus, unde robur: multū uero humidi, ex quo imbecillitas existit. *Et sapientissimus.*] φρονιμώτατον dixit Dion, id est prudentissimū, sed latini autores etiam φρόνησιν, sapientiā uocant, & φρόνιμον sapientē, ut Cic. de Offic. & alibi. Et rectè facit Antonius qui cum corporis bonis statim adiungit prudentiam, ut ex ea innuat, Cæsarē corporis bonis abusum non fuisse. Nam in huiusmodi rerū usu uirtus maxime cernitur. *Omniū aūt difficillimū, ut idem dictis pariter & factis.*] Et re uera difficillimū, & unū de humanis operib. maximū. Hoc illud est, ad quod ille apud Homerū Phœnix, se à Peleo patre Achillis iuueni comitē esse datū dicit ad bellū, ut illū efficeret oratorē uerborū, actoremq; rerū. Nam ut Horatius ad Tibullum scribit: *Quid uoueat dulci nutricula maius alumno? Qui sapere, & fari possit, quæ sentiat: & cui Gratia, forma, ualetudo contingat habunde, Et mundus uictus non deficiente crumena?* Factis & rebus gestis illū præstitisse omnibus imperatoribus, notius est quàm probari debeat: quanquā id post dicet Antonius. De oratione autem eius & eloquentia; ita scribit Suetonius: Eloquentia militari, aut æquauit præstantissimorū gloriā, aut excessit. post accusationē Dolabellæ, haud dubiè principibus patronis annumeratus est. Certe Cicero ad Brutū Oratores enumerans, negat se uidere cui Cæsar debeat cedere, aitq; eum elegantē, splendidā quoq;, atq; etiā magnificā ac generosam quodammodo rationē dicendi tenere. Et ad Corneliū Nepotē de eodem ita scripsit: Quid? Oratorū quem huic antepones eorū qui nihil aliud egerūt? Quis sententijs aut acutior, aut crebrior? Quis uerbis aut ornatior, aut elegantior? Plutarchus tamen ei secundas in eloquentia tribuit. *Quæ ego apud eos dico, qui ea cōperta habent.*] Hæc idcirco interserit, ut probabilē faciat orationem: quoniā dixit, in Cæsare omnia esse, quæ incredibilia uideri possint. Est igitur breuis à proposito declinatio ad fidem pertinens. *Contrà quàm mihi proposui.*] Proposuit enim sibi ita dicere, ut maiora omnia existimentur, quàm ipse dicat: quod si falsi aliquid misceret, fidem toti abrogaret orationi: atq; ita opinione, res minores uiderentur.

Si qui uel pusillum falsi admisceat.] Locus est cōmunis, de ueritate narrationis, in qua si quid mendacij deprehenditur, tota reijcitur. Est enim uel prima narrationis uirtus, ueritas, aut saltē, ut Rhetores loquuntur, uerisimilitas: ut iure falsi aut mendacij argui non possit.

Itaq; ego ueritatē sequutus dico, hūc Cæsarē animi & corporis bonis quantū alius quispiam, ornatū fuisse: utpote qui admirabili quodam naturæ robore præditus esset, magnaq; diligentia in uarijs & diuersis doctrinis perpolitus & exercitatus: quamobrem non sine causa omnia acutissime peruidere poterat: alijs facile persuadere: singulari quadam prudentia alios moderari & gubernare; nunq; ab improuisa occasione

A aliqua temporis ante occupatus fuit, q̃ non antè prospexerit: nec arcana cunctatio
mora sua eũ fefellit. Nam quæ futura erant, longe antè cogitatione præcipiebat, nego-
tiorũ exitus anteq̃ apparerent, sentiebat: ad omnia quæ homini euenire possint, præ-
paratus erat: res abditas & occultas inuestigare sciebat: quod sibi notũ esset dissimu-
lare: quod occultũ tanq̃ notũ esset, præ se ferre: quod apertũ celare, occasionemq́; his
rebus captare, ac de huiusmodi rationes explicare poterat, & præterea ad exitũ quæ
uellet perducere. Huius autẽ rei certissimũ argumentũ est, quod optimus paterfami-
lias, simul & liberalissimus fuit, diligens in stabilibus fortunis conseruandis: uerum in
honore sumptuosus atq̃ magnificus. erga propinquos omnes bene affectus erat, ijs
exceptis qui erant iniquissimi. nullius unq̃ propinquorũ aut miseriã contempsit, aut
inuidit felicitati: quin potius eorum opes & dignitates augere studebat, res aduersas
subleuare, alijs pecuniã largiendo, alijs agros & uillas: alios ad magistratus, alios ad sa-
cerdotia promouendo. Præterea humanissima erat eius cum amicis & familiarib. con
B suetudo. non erat superbus, non iniuriosus, nõ molestus, sed affabilis omnibus benig
nus & comis. Cæteros beneficijs sibi deuincire, nemini unq̃ propter splẽdorẽ & mag
nificentiam inuidere, nullũ qui nimiũ creuisse uideretur, de gradu deijcere: uerũ ma-
gis gaudere multos sibi pares esse, tanq̃ per illos ipse honore afficeretũ, maiorq́; eius
potestas atq̃ ornamenta uiderentur.

Itaq; ego ueritatẽ secutus, dico.] Redit ad narrationẽ propositã, de animi & corporis bonis quæ in Cæsare fuerũt.
Bonum est, quod uel sua ui, & propter se expetendũ est, uel propter aliud. Quod propter se expetitur honestũ appella-
tur: utile, quod propter aliud. Honesta ad animũ, utilia ad corpus & res externas referũtur. Bona animi sunt uirtus, scien
tia, ueritas. Corporis, ualetudo, dignitas siue forma, uires, uelocitas: Externa, honos, pecunia, genus, affinitas, amici, pa-
tria, potentia, & cætera quæ simili esse in genere intelligentur. Sed de corporis bonis hactenus dixit: deinceps de animi
& fortunæ cõmodis permiste dicet. *Quamobrẽ non sine causa.*] Enumerat ingenij & prudentiæ effectus. quæ hic
Cæsari tribuit Antonius, ea etiã tribuit Cicero in secunda Philippica extrema. Fuit, inquit, in illo ingeniũ, ratio, memo-
ria, literatura, cogitatio, diligentia. *Acutissime peruidere.*] Quod erat perspicacis ingenij. *Alijs facile persua-*
C *dere.*] Quod eloquentis fuit. *Alios moderari & gubernare.*] Quod erat Politici uiri munus. *Nam quæ futu-*
ra erant.] Hoc prouidi, sagacis, & solertis naturæ fuit. *Ad omnia quæ euenire homini possunt.*] Sapiẽtis hoc pro
prium esse ait Cic. in Tusc. *Dissimulare.*] Dissimulatio, & simulatio, nemini nocens, nec earũ rerũ quæ ante ocu-
los positæ sunt, uitiosa non est, sed potius cuiusdã humanitatis esse uidetur. *Occasionẽ captare.*] Alludit ad prouer-
bium γνῶθι καιρὸν, de quo Erasmus in diuino Chiliadũ opere. Hæc & alia quæ hic tribuũtur Cæsari, Cicero munera
esse hominis per principia operis de Officijs ostendit. Homo autẽ, inquit, quoniã rationis est particeps, cõsequentia cer-
nit, principia, & causas rerũ uidet, earũq; progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines cõparat, & re-
bus præsentibus adiungit, atq; annectit futuras: facile totius uitæ cursum uidet, ad eamq; regendũ præparat res necessa-
rias. Item paulo post: Vt enim quisq; maxime perspicit, quid in re quaq; uerissimũ sit, quiq; acutissime & celerrime po-
test & uidere, & explicare rationẽ, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet. *Huius autẽ rei, certissi-*
mũ argumentũ est.] Ex signis & factis, uirtutes Cæsaris demonstrat. Diuidit autẽ uitam eius in duo tempora siue gene
ra: ut primũ dicat quomodo se gesserit in uita priuata & domestica: deinde in publica atq; ciuili. Sunt enim aliæ uirtutes
domesticæ, aliæ politicæ. Itaq; primũ de domesticis, post de politicis. In his enim constabit quomodo sit usus corporis &
fortunæ bonis: in quibus est summa laus, non fuisse insolentẽ in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam for-
D tunæ: nõ extulisse se in potestate, ut opes & copiæ non superbiæ uideantur, ac libidini, sed bonitati ac moderationi facul-
tatẽ & materiã dedisse: quæ omnia ad unguẽ tractat, & ostendit Antonius: adeo ut nulla Rhetorũ præcepta ea neq; me-
lius, neq; clarius docere possint. *Quod optimus paterfamil.*] Patrisfamiliâs quatuor sunt munera, ut sit industrius
in acquirendo, diligens in cõseruando, prudens in administrando, & in sumptu faciendo liberalis. Hæc in Cæsare laudat
Antonius: sed immutat rebus nomina. Nam rapere & retinere aliena uocat, conseruandi diligentiam: aliena largiri, li-
beralitatem: & cum hæc omnia faceret gloriæ & ambitionis causa, utpote qui regni cupiditate flagraret, Antonius ea
magnificentiæ, humanitati, clementiæq; tribuit. In quibus optime seruauit Aristotelis præcepta, de mutandis, de flecten-
dis uocabulis in laude & uituperatione, Rhetoricorum libro primo. *Nullum qui nimium creuisse uideretur.*] Hoc
dicit propter Pompeium, ne uideatur eum euertisse quod eius felicitati inuideret.

Talis erat Cæsar erga amicos & familiares: sed nec aduersus inimicos inexorabi-
lis aut crudelis unquam extitit. multis enim cum quibus priuatæ sibi inimicitiæ erãt,
remisit: multos in bello captos hostes incolumes dimisit: quosdam etiam dignitate &
magistratibus ornauit. adeo ad omnem uirtutem propensus fuit natura, ut non modo
in se uitium non haberet, sed ne in alijs quidem putaret esse posse.

Talis erat Cæsar erga amicos.] Separat officia Cæsaris in amicos ab inimicis, & eo à reliquis domesticis & priua
tis laudato, laudat à clementia & bonitate. *Nec aduersus inimicos inexorabilis.*] Hoc prædicant omnes histori
ci, Suetonius, Plutarchus, Dion, Appianus: hoc Cicero in oratione pro M. Marcello, & pro Ligario laudibus immensis

extulit

extulit, tempori scilicet seruiens. Multis enim cum quibus priuatæ sibi inimicitiæ erant, remisit.] Idem testatur Suetonius. Simultates, inquit, contra nullos tam graues excepit unquam, ut non occasione oblata, libens deponeret. C. Memmij cuius asperrimis orationibus, non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Caluo post famosa epigrãmata, de reconciliatione per amicos agẽti, ultro ac prior scripsit. Valeriũ Catullum, à quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita nõ dissimulauerat, satisfacientẽ eadem die adhibuit cœnæ, hospitioq́; patris eius, sicut consueuerat, uti perseuerauit. Pudeat iam tandem Christianos, Christi domini clementia seruatos, lenitatis & clementiæ operibus à Iulio Cæsare uinci. Is enim contra nos stabit in iudicio. Multos captos in bello hostes, incolumes dimisit.] Velut L. Domitium, & Lentulum Spintherem, & alios Corfinij: & multos etiam in Pharsalica pugna, & alijs. Quosdam etiam honoribus & magistratibus ornauit.] Vt Brutũ, Cassium, & alios multos, ut est apud Dionem, & Plutarchum, & Suetonium. Vt non modo in se uitiũ non haberet.] Multa erant in Cæsare uitia, multæ rursus uirtutes, & certe admirabiles: quæ cum sint in magnis uiris, tum à meliore parte eos laudamus, & uitia reticemus. Sed ne in alijs quidem putaret esse posse.] Homines antiqui & boni solent ex sua natura cæteros fingere, & tales alios existimare, quales ipsi sunt. quod magnæ simplicitatis est signũ. Atq; huiusmodi homines iniurijs obnoxij sæpenumero sunt: propterea quòd neminem existimant, quod ipsi non facerent, esse facturum.

Et quando in istum sermonẽ delapsi sumus, incipiã de eius in administranda rep. diligẽtia dicere. Etenim si in ocio uixisset, forsitan de uirtute eius nullũ fieri iudicium potuisset: nunc cum multũ creuerit, omniumq́; qui post homines natos unquã fuere, potẽtissimus, & maximus euaserit, uirtutẽ suã longe clarius & illustrius demõstrauit: propterea φ cæteri homines oẽs ferè in magistratib. improbati fuerũt: hic aũt multo illustrior euasit: cumq́; negocia suæ uirtuti paria suscepisset, tandẽ ad ea maxime idoneus est inuentus: cui uni inter omnes mortales cũ ad tantã fortunæ amplitudinẽ sua uirtute peruenisset, nunq́; fortuna calumniã adhibuit, nunq́; fecit iniuriã. Ego huius uiri in militia facta præclara, in peruulgatis munerib. publicis animi magnitudinẽ tacebo: quanquam tanta sunt illa, ut ad alterius hominis laudem satis superq́; esse uiderentur, uerum si à me exquisitius narrarẽtur, leuia & minuta uideri sectari possim: tanta est rerum ab eo gestarum gloria, tantusq́; splendor.

Et quando in hunc sermonẽ.] Transit ad alterã Cæsaris uitæ partẽ, quæ in rep. uersata est, ut eius politicas uirtutes exornet, & præclare facta amplificet. In quibus exornandis sequitur temporũ ordinẽ. Etenim si in ocio uixisset.] In uita priuata atq; à muneribus publicis seiuncta, hominũ naturæ & mores non ita perspici possunt, q̃ in aliqua publici muneris administratione. Idcirco scite Bias ille Prieneus, septẽ sapientũ unus dicere solebat, ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν. Magistratus uirũ arguit. Hoc prouerbiũ atq; dictum præclarũ his & sequentibus uerbis nõ usurpat quidẽ, sed illustrat Antonius. Cæsar enim in rep. gerenda & publicis munerib. obeundis, indies illustrior & clarior euasit: cũ pleriq; alij in ipsis magistratib. infamiã potius q̃ gloriã contraherẽt. Est igitur magistratus quasi Lydius lapis, quo hominũ ingenia moresq́; explorantur. Potentissimus & max.] Tanta fuit eius potentia & magnitudo, quanta Ro. imperij, quæ tunc maxima erat, & cunctis mortalib. tremenda. Cæsar Augustus eo maior fuit, sed ante eum nemo. Longe maior fuit eius potentia, q̃ sit hodie Turcarũ imperatoris, quẽ potentissimũ omniũ mortaliũ putãt. Cæsari paruerũt reges, tetrarchæ, dynastæ, populi, nationes, legiones omnes quæ ubiq; essent: paruit & ipse senatus populusq; Ro. tum terrarũ orbis domitor & dominus. Non est igitur supra fidẽ quod Antonius dicit, Cæsarẽ omniũ mortalium potentissimũ fuisse.

Nunquã fortuna calumniã adhibuit.] Laudat à felicitate, quæ una res est, ex ijs quæ in imperatore requiruntur. Est aũt felicitas, ut hic intelligitur, prosperitas cum uirtute coniuncta: uel fortunata rerũ cum uirtute administratio. Aristot. Rhet. lib. 1. Ego huius uiri in militia facta præclara.] Seiunctione rhetorica utitur, cum quadam præteritione, ad ea exaggeranda quæ se nolle dicere significat. Seiungit aũt ea quæ in bello & pace egit, antequã ei prouincia ulla, aut imperiũ datũ esset, ab ijs quæ cum imperio gessit. Nam antè militauerat in Asia sub M. Thermo prætore, à quo ciuica corona in expugnatione Mitylenarũ donatus fuit. Meruerat etiã sub Seruilio Isaurico in Cilicia, sed breui tẽpore: post quadam contra prædones, & nõnulla contra Mithridatẽ gessit. Trib. militũ, Quæstor quoq; in Hispania fuit: deinde Aedilis Romæ, & Pont. Max. & Prætor. Sed quoniã priora illa fuerunt cum aliqua infamia coniuncta, & duarũ coniurationũ suspicione fœdata, ea maluit quasi præteriens laudare, quàm narrare: quo maturius ad res magnas & magna cum gloria gestas ueniret. Tanta est rerum ab eo gestarum gloria.] ὑπερφάνημα ad facta Cæsaris amplificanda.

Itaq; ea tantũ cõmemorabo, quæ gessit dũ noster imperator esset: nec ad unũ quidem omnia, φ nullũ finẽ inueniret oratio, & præterea uobis molestus essem, ea cõmemorãdo quæ uos optime tenetis. Hic uir cũ primũ à uobis in Hispaniã cum imperio missus esset, atq; eam superbã atq; imperiũ detrectantẽ inuenisset, nõ cõmisit ut Hispanorũ uires sub nomine pacis confirmarent, fierentq́; insuperabiles: nec maluit in ocio ac tranquillitate in demãdata sibi prouincia agere, q̃ rebus cõmunibus prouidere: sed cũ uideret hostes uestros ad sanitatẽ sua spõte haud redire, eos renitẽtes & inuitos castigauit: adeo ut cæteros imperatores, qui ante hunc laudem ex bellis quæ cõtra illos gesserãt, retulerũt, tantũ gloria superauerit, quo difficilius est parta cõseruare q̃ acquirere

A rere noua, quantoq; utilius est efficere ne quis in posterũ nouas res agitare queat: q̃ à principio statim eos subiecisse: potentia eorũ integra persistente. Hanc ob rẽ uos ei cũ uictoriæ ornamẽta decreuistis, tũ consulatũ ilico dedistis. Itaq; ille per se nõ cupiditate aliqua, sed ut ea ratiõe sibi pararet gloriã, bellũ illud cõfecit, & ad alia se cõparauit. Cognita igit̃ de uictoriæ honorib. querela, q̃niã res morã ferre non poterat, uobis gratias de honore habito egit, eoq; solo cõtentus, cõsulatũ gloriosissime administrauit. Possem hic innumera referre, quę ab hoc uiro dũ in magistratu esset, & in urbe acta fuere.

Itaq; ea tantũ cõmemorabo.] Propositio sequentis expositionis, qua attentionem comparat à multitudine & magnitudine rerũ, & à breuitate. nam se nõ omnia expositurũ significat: tum quod nõ posset, tum q. ea ipsi norunt. Idcirco se maxima tantũ, & quæ maiorẽ habent admirationẽ dicturũ. Ergo & à re ipsa, & à personis auditorũ sibi facit audientiam. *Hic uir cum primũ, &c.] Ordine deinceps qui honores Cæsari habiti, quæ decreta uirtutis præmia, quæ res gestæ iudicijs hominũ cõprobatæ fuerint, amplificando & augẽdo persequitur. Primus honos post præturã fuit ulterior Hispania: in qua quid gesserit demonstrat. Hic cõmemorare libet Cæsaris dictũ quoddã ambitionis plenũ. Dum enim in Hispaniã proficisceretur, & circa Alpes quoddã oppidulũ Barbarorũ paucis admodũ ac mœstis habitatũ incolis præterueheretur, comites eũ per iocũ ita percũctati tradũtur: Nũ hic aliquas esse putas principatus ambitiones, dignitatũq;* B *certamina, & mutuã inter se potentũ inuidiã? Quibus Cæsar, et serio quidem: Mallem, inquit, equidẽ inter ipsos primus esse, q̃ inter Romanos secũdus. Plutar. in eius uita.* *Quo difficilius] In hãc sententiã Ouid. de Arte am. lib. 2. Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri: Casus inest illic, hic erit artis opus.*

Cognita igitur de uictoriæ honoribus querela.] νικητήρια sunt præmia & honores quæ imperatoribus ob uictoriam decernuntur & dantur: ut triumphus, sacrificiũ, epulum, & quæ paulo ante τὰ νικητήρια nominauit Dion, id est omnia quæ uictoribus uictoriæ gratia exhibentur. Hæc pendent ex historia, quã sic Suetonius paucis persequitur: Ex prætura, inquit, ulteriorẽ sortitus Hispaniã, retinentes creditores interuentu sponsorũ remouit: ac neq; more, neq; iure, anteq̃ prouinciæ ordinarentur, profectus est: incertũ metúne iudicij, quod priuato parabatur, an quo maturius socijs implorantibus subueniret: pacataq; prouincia, pari festinatione, nõ expectato successore, ad triumphũ simul consulatũq; decessit. Sed cum editis iam comitijs ratio eius haberi nõ posset, nisi priuatus introisset urbem, & ambiẽti, ut legibus solueretur, multi contradicerent, coactus est triumphũ, ne consulatu excluderetur, dimittere. Ex quibus uerbis constat Antoniũ id uoluntati Cæsaris tribuere ad laudem, quod fuit necessitatis, ne non omnia trahat ad laudem. Vide etiam Plutarchum.

Possem hic innumera referre.] Callide Antonius acta consulatus Cæsaris, tanquã scopulum præteruehitur. Adeptus enim consulatũ cum M. Bibulo, solus gessit, contempto collega: ac non consulatum, sed regnum plane gessit, omnia per C *se, nihil per senatum: M. etiam Catone per lictorem è curia in carcerem trahi iusso. quæ omnia si quis plene nosse uelit, legat Dionem, Plutarchum, & Suetonium.*

Verũ quoniã nõ ita multo post in Galliã ad bellũ cõficiendũ missus est, quanta in ea prouincia gesserit cogitate. nã nõ modo nõ grauis nostris socijs, sed potius auxilio fuit, ubi illorũ fidẽ cognouit, atq; iniurijs affectos uidit. at hostes nõ uicinos modo, uerũ etiã alios oẽs qui sibi Galliã uendicabãt, uobis subiecit, amplissimã regionẽ, urbes innumerabiles imperio Ro. adiecit, quorũ ne nomina quidẽ audiueramus. Atq; hæc omnia cũ haud sane magnas à uobis copias, sed nec pecuniã ad tãtas res idoneã accepisset, tanta celeritate confecit, ut anteq̃ ex uobis quisq; Cæsarẽ bellũ gerere audiuisset, is uictoria iã potitus esset: & ilico omnia ita pacauit, atq; ad tantã reduxit securitatẽ, ut per totã & Galliã & Britanniã libere uagari possimus. Itaq; nunc Gallia subacta est, quæ & Abronas, & Cimbros cõtra uos misit, totaq; instar Italiæ colit: neq; Rhoda D nus modo Ararisq; fluuius, uerum etiam Mosa, & Ligeris, & Rhenus, atq; Oceanus ipse nauigatur. Nam quæ loca cum nominari audiremus, in rerum natura esse nõ credebamus, ea nostro imperio adiecit: & quæ ante incognita fuerant, modo nauigabilia huius magnificentia animiq; magnitudine sunt.

Verum quoniam.] Transit ad eas res ornandas, quas in Gallia prouincia & Britãnia gessit, quã prouinciã sic obtinuit. Quo enim anno consul fuit, Calphurniã L. Pisonis filiã duxit uxorẽ, suamq; filiã Iuliã Cn. Pompeio collocauit. Socero igitur generoq; suffragantibus, ex omni prouinciarũ copia Gallias potissimũ delegit, cuius emolumento & opportunitate idonea sit materia triumphorũ: & initio quidẽ Galliã cisalpinã, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per senatũ Comatã quoq;: ueritis patribus, ne si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperauit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret, inuitis & gemẽtibus aduersarijs adeptũ se quæ cõcupisset: proinde ex eo insultaturũ omniũ capitibus: ac negante quodã per contumeliã, facile hoc ulli fœminæ fore, respõderit, quasi alludens: In Assyria quoq; regnasse Semiramin, magnamq; Asiæ partẽ Amazonas tenuisse quondã. Profectus in Galliã nouẽ annis, quibus in imperio fuit, hæc ferè gessit: Omnẽ Galliã quæ à saltu Pyrenæo, alpibusq; & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur: patetq; circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac benemeritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit: eiq; in singulos annos stipendij nomen imposuit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus & Britannos, ignotos antea, superatis pecunias & obsides imperauit. Sed de reb. à Cæsare in Gallia gestis, legendi sunt eius elegãtissimi Cõmentarij.

Atq; hæc omnia, cum haud ſanè magnas à uobis copias.] Scribit Suetonius Cæſarem ad legiones quas à republica A acceperat, alias publico, alias priuato ſumptu addidiſſe: unam etiam ex tranſalpinis conſcriptam, uocabulo quoq; Gallico (Alauda enim appellabatur) quam diſciplina cultuq; Romano inſtitutam & ornatam, poſtea uniuerſam ciuitate donauit. *Quæ & Abronas & Cimbros contra nos miſit.*] Qui ſint Abronæ populi, nondum inuenire potui. ſuſpicor igitur Abronas pro Eburonibus apud Dionem ſcriptum eſſe. ſunt enim pleraq; in eo autore hoc pacto corrupta: uelut Biturigas appellat, quos Cæſar Bituriges: & Gorgothyam, quam Cæſar & alij Gergouiam. Qui autem & ubi ſint Eburones, itemq; Cimbri, geographi conſulendi ſunt, & Marliani Indices ad Cæſaris Commẽtarios. Sed rurſus ſcrupulũ inijcit, quod Abronas ſiue Eburones cum Cimbris coniungit. Nam Teutones Cimbriq; fuerunt, qui cum omnem Galliam occupaſſent, & in prouinciam exiſſent, inde in Italiam contenderunt: quos uix tandem Marius ſuperauit. Hos dicit à Gallia miſſos Antonius, quod ex Gallia in Italiam ueniſſent. Quare uidendum eſt, an fortaßis Teutonas & Cimbros in Dione ſit legendum. nihil tamen affirmo. De Rhodano quoq; flumine, & Arari, & Moſa, & Ligeri, & Rheno, ad cuius amœnißimũ tractum (Baſileæ nimirum) hæc ſcribimus, idem geographi, & Marlianus ijs qui hæc ignorãt, legendi ſunt.

Totaq; inſtar Italiæ colitur.] Optima comparatio. Eſt enim Italia terrarum omnium alumna & parens, diuino numine electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſq; molliret: & tot populorum diſcordes ferasq; linguas, ſermonis commercio, contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breuiterq; una cunctarũ gentium in toto orbe patria fieret. Adde uero tantam uitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperiem, tam fertiles campos, tam apricos colles, tam innoxios ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot montiũ afflatus, tan- B tam frugum & uitiũ olearumq; fertilitatẽ, tantam omnium metallorũ copiam, tam nobilia pecori uellera, tot opima tauris colla, tot bellatores equos, tot lacus, tot amniũ fontiumq; ubertatem totam eam perfundentem, tot maria, portus, gremiumq; terrarũ cõmercio patens undiq;, & tanquã ad iuuandos mortales ipſam auide in maria procurrentem. Laudatur & citrijs Media: aurũ gemmasq; iactant Hermus & Ganges: ſola India nigrũ fert ebenũ: eſt ſuo thure felix Arabia:

Sed neq; Medorum ſyluæ, ditiſsima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neq; Indi,
Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Neq; dum ingenia, ritus, leges, arteſq; cõmemoro. Taceo tot egregias urbes, oppida, caſtella, & arces natura et arte munitas atq; inuictas: tot populos, tã bellicoſos, tot duces belli et pacis artib. inſignes. hæc eſt illa Italia, quæ aliquãdo nũciato Gallico tumultu, ſola ſine externis ullis auxilijs, atq; tũc ſine trãſpadanis, equitũ lxxx. m. peditũ dcc. m. armauit. Licuerit mihi in ea nato, hæc pauca de parente mea inſerere, quæ uerißima eſſe oẽs mortales ſciũt, omniũ teſtãtur hiſtoriæ.

Quod niſi æmuli quidam inuidiq; turbas ei, ac potius uobis concitaſſent, coegiſſentq; ante idoneum tempus reuerti, totam Britanniã unà cum adiacentibus inſulis, omnemq; ad oceanũ uſq; ſeptẽtrionalem Galliã ſubegiſſet, ueſtramq; feciſſet, adeo ut C nunc non populos & terras, ſed cœlum atq; oceanũ ipſum ueſtri imperij terminos haberetis. Quare uos huius animi excellentia, factis immẽſis felicitateq; perſpecta, diutius eum cum imperio eſſe uoluiſtis, q̃ quantum alicui unquã, ex quo hic reip. ſtatus cępit, permiſſum fuit. Annos enim octo perpetuos imperatorem ueſtri exercitus eſſe uoluiſtis: ut quem uobis omnia acquirere exiſtimaretis, cuius nunquã uobis nec potentia ſuſpecta, nec magnitudo timori fuit. ideoq; in eis locis longiſſimo tẽpore eum eſſe cupiuiſtis. Verum qui rempublicam non communem, ſed propriam ſibi fore putabant, eum reliquas oras uincere, uoſq; rerum omnium dominos eſſe noluerunt. atq; eius occupationibus abuſi, indigniſſima agitare et moliri auſi ſunt: adeo ut eius opem poſcere coacti fueritis. Quamobrem relictis omnibus quæ & præclariſſime per eum affecta & propè perfecta erant, ad uos tuendos accurrit: Italiam ab imminentibus periculis liberauit: Hiſpaniam, quæ à uobis defecerat, reſtituit. D

Quod niſi æmuli eius quidã.] Pompeius, Cato, M. Marcellus, & alij. *Totã Britanniã, &c.*] Britãnia ea eſt, quæ hodie Anglia & Angliterra uocatur: ueteribus Albion quoq; dicta: felix nunc, ſi unquã antea pace, opibus, literis, religione, uiris: & quod primũ eſt, Eduardo rege, cuius ea indoles eſt, ut ſi eum diuina bonitas conſeruauerit, omnia ſunt ab eo expectanda, quæ ab optimo & ſanctiſsimo rege ſperantur. *Septentrionalem Galliam.*] Belgicã intelligit: ea enim ſeptentrionalis eſt. Cæſar initio libri 1. ſuorũ De bello Gall. Com. Belgæ, inquit, ab extremis Galliæ finib. oriũtur, pertinent ad inferiorẽ partẽ fluminis Rheni: ſpectant in ſeptẽtriones, & ſolem orientẽ. Hos nunquã prorſus ſubegit Cæſar, ut nec Britannos, eorũ uicinos, nec Germanos, nec Heluetios, quos Cæſar uirtute bellandi cum Belgis coniungit.

Sed cœlum atq; oceanum ipſum, &c.] Iouis igitur apud Virgilium mendax oraculum fuit:

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,
Imperium oceano, famam qui terminet aſtris,
Iulius, à magno demiſſum nomen Iulo.

Quare uos, &c. diutius eum eſſe cum imperio uoluiſtis.] Laus à iudicio populi, & à tempore quo ei imperium permiſſum fuit. Sed hic Antonius quod armis, & ui, et largitionibus obtinuit Cæſar, id iudicio populi tribuit ad laudem.

Annos enim octo perpetuos.] Suetonius, ſi modo numerus incorruptus eſt, nouem annos ait, ut antè diximus.

Vt quem

A *Vt quem uobis.*] Remouet suspicionem cupiditatis & tyrannidis, ob quam male apud quosdam audiebat Cesar. *Ideoq; in eis.*] A signo probat eius potentiam suspectam non fuisse: quò eum tam diu in Gallia imperatorē esse uoluerunt. Voluit quidem senatus ei imperium abrogare, & ante tempus successorem dare, sed impeditus ab eius factione fuit. Vide Suetonium. *Verum qui remp. non cōmunem.*] Pompeiū tacite perstringit: & sensim eo delabitur, ut aperte Pompeiū causam ciuilis belli dedisse dicat, ne fortaßis hoc quoq; Cesaris laudibus obstaret. *Vosq; rerum dominos esse noluerūt.*] Hæc omnia ad conflandā inuidiā Pompeianis, & Cesarē purgandū pertinent. *Atq; eius occupationibus abusi.*] Facit uerisimile quod dicit à facultate & occasione. *Adeo ut eius opem poscere coacti fueritis.*] Illud tēpus intelligit quo tribuni pleb. Caßius Longinus & M. Antonius ad Cesarē profugerunt, multa de statu ciuitatis conquesti: quæ res effecit ut Cesar in Italiā citius rediret. *Affecta, & propè perfecta erant.*] Affecta, id est, incohoata, nondū plane perfecta. Cic. de Pro. Cons. de his ipsis rebus Cesaris loquens: Nam ipse Cesar, inquit, quid est cur in prouincia cōmorari uelit? nisi ut ea quæ per eū affecta sunt, perfecta reip. tradantur. Item ibidē paulo ante: Bellū affectū uidemus, & uere ut dicā penè confectū: sed ita, ut si idē extrema persequitur qui inchoauit, iā omnia perfecta uideamus. *Ad uos tuendos accurrit.*] Verbo quidē ad eos tuendos, sed reuera ad Pompeiū deijciendū, & dominatū occupandū, ut etiā historici tradūt. sed hæc ab Antonio populariter dicūtur. *Hispaniā.*] Hispaniā & Africam per legatos obtinebat Pompeius, sed Antonius inuidiose à populo defecisse Hispaniam dicit. B

Interea cum uideret Pompeium patriam deseruisse, nouum constituere in Macedonia regnum: eò omnes fortunas uestras bonaq; transferre: subiectos uestros contra uosipsos armare: initio missis ad eum tum nuncijs priuatis, tum publicis legatis, conatus illum est à proposito atque ab inceptis auertere: data ei firmissima fide, se pari iure eum eo esse uicturum: quod obtineri nullo modo potuit. Pompeius enim cum alijs rebus, tum Cæsaris affinitate contempta, bello uobis resistere maluit. quam ob causam Cæsarem necesse fuit ad ciuile bellum descendere. Quo tempore quid opus est dicere, quanta ui contra hostem hyeme sæuiēte in Græciam copias traiecerit? qua magnitudine animi cum eo, licet is omnem eum tractum teneret, sit congressus? quàm fortiter eum, quanquam copias longe maiores haberet, superauerit? quæ si uellemus diligenter conferre, Pompeium illum antè usqueadeò magnum et admirabilem, puerum fuisse constaret: adeò omni ex parte uirtute militari Cæsare inferior fuit. Verum enim C uero hæc ego nunc omitto, quòd ne Cæsar quidem ipse hisce de rebus unquam gloriari uoluit, utpote qui eius pugnæ necessitatem semper odit.

Interea cū uideret.] Hoc factū Cicero semper reprehēdit ad Att. multis epistolis libro præsertim 7. & 8. cuius hæc sunt uerba: Mihi enim nihil ulla in gēte unquā ab ullo autore reip. ac duce turpius factū esse uidetur, quàm à nostro amico factum est. Cuius ego uicem doleo: qui urbem reliquit, id est patriā, pro qua & in qua mori præclarū fuit. *Nouū constituere in Macedonia regnū.*] Hæc, ut dixi, eo omnia dicūtur, ut eius belli causa in Pompeiū reijciatur. Sunt aūt ualde inuidiosa quæ hoc loco dicit Antonius de nouo regno Pompeij, & alijs. Appellat aūt nouū regnū Macedoniæ, uel quòd cum antea fuisset regnū, post à Romanis subacta, & capto rege, in formā prouinciæ redacta fuerat: in qua rursus Pompeius regnū restaurare uellet: uel nouū regnū, quasi Romæ Pompeius regnare uoluerit. *Subiectos uestros.*] Macedonas atq; alios prouinciales. *Initio missis.*] Id Cesar quidem ipse in Com. de Bell. ciu. affirmat: ex alijs uero historicis Plutarchus in uita Pompeij. Omnia faciunt ad purgandū Cesarē. *Se pari iure cum eo esse uicturū.*] Hæc omnia ficta & simulata erant, ut ex Suet. & Plut. licet discere. Quin & Dion lib. 41. Cupiebat Pompeius, inquit, nulli mortalium secundus esse: Cesar primus esse uolebat. Pompeius honorari à uolentib. gaudebat, eisq; nō inuitis imperare: Cesar nihil horum curabat, modo imperaret. *Cum alijs rebus.*] Vt existimatione sua, & patriæ salute. *Tum Cesaris* D *affinitate contempta.*] Nihil intactum relinquit, ex quo Cesar excusari, & Pompeio conflari posit inuidia. Erat enim Pompeius Cesaris gener: sed Iuliæ morte ruptum amicitiæ uinculum fuit, ut canit Lucanus:

Diuiditur ferro regnum, populiq; potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum poßidet orbem,
Non cepit fortuna duos. nam pignora iuncti
Sanguinis, & diro ferales omine tædas
Abstulit ad manes Parcarum Iulia sæua
Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent
Maiores in luce moras, tu sola furentem
Inde uirum poteras, atq; hinc retinere parentem:
Armatasq; manus excusso iungere ferro:
Vt generos soceris mediæ iunxere Sabinæ.
Morte tua discussa fides, bellumq; mouere
Permissum ducibus. stimulos dedit æmula uirtus.

Quam ob causam necesse fuit.] Tandem peruenit ad tanti apparatus caput. Nihil enim aliud uoluit, quàm ostendere Cesarem à Pompeio ad bellum ciuile pertractum, Cesarem summa neceßitate coactum & compulsum ad eam pugnam descendisse. Est igitur necessitatis locus, cui ne dij quidem, ut dicitur, restiterint. *Hyeme sæuiente in Græ-*

ciam

ciam.] Amplificat à tempore. Pridie Non. Ian. ut ipse lib. 3. Comment. de Bello ciuili testatur. Sed tamen ubi ad Ceraunios montes adnauigasset, re ipsa animaduertit, se potius secunda fortuna, quàm bono consilio usum fuisse, ut Dion scribit A *libro 41. Hanc fortunam & ipse agnoscens, se denuo præsenti periculo commisit. Nam cessantibus copijs quas sub sequi iusserat, cum ad accersendas sæpe frustra misisset, tandem ipse clam noctu paruulum nauigium solus obuoluto capitè, ne agnosceretur, conscendit. Sed cum frustra remiges obruti fluctibus contenderent: & iussi à nauta retrocederent, uetuit Cæsar, seq; detexit: & apprehensa gubernatoris dextera, Perge, inquit, generose, perge, aude. Cæsarem uehis, ac Cæsaris fortunam, nauigationis comitē. Licet is omnem eum tractum teneret.] Virtutem Cæsaris auget à locis.*

Quanquam copias longe maiores haberet.] Omnia in hoste facit maiora & meliora, quo Cæsaris uirtus, qui omnes eas difficultates superauit, maior esse uideatur. Sic enim faciendum esse & Aristoteles & Cicero præcipiunt, in hunc modum: Est etiam cum cæteris præstantibus uiris comparatio in laudatione præclara. Amplificantur enim & uehementer ornantur res gestæ eorum, qui claris uiris ipsi clariores & præstantiores esse dicuntur. Laus enim omnis in uirtutis exuperantia uersatur. Pompeium illum antea usqueadeo magnū.] Pompeius, inquit, fuit magnus & præstantissimus uir, uerum cum Cæsare collatus, fuit penè puer. Et alludit ad Cn. Pompeij cognomē, qui ex uirtute & rebus magnis quas gesserat, Magnus fuit appellatus. Certatur adhuc inter doctos & fortes uiros, uter melior & præstantior belli dux, Cæsarne an Pompeius: & extant de his scriptæ comparationes & disputationes, præsertim à Florido Sabino in dialogo De Iulij Cæsaris præstantia: in quo tres doctissimos & elegantissimos iuuenes, Bassianū Landum Placentinū, B *Richardum Scelcium Britannū, cuius nobis suauissima familiaritate in Italia frui contigit, & Arnoldum Arlenium Peraxylum, quem Basileæ uidimus, inducit secum de imperatorū præstantia colloquētes. Sed tandem Floridus Iulio Cæsari inter omnes imperatores tribuit principatum: quod antè etiam fecerat Plutarchus. Mihi quidem, si fas est inter tot eruditos uiros aliquid de meo sensu dicere, Pompeio præstare Cæsar uidetur, propter ea quæ post Pompeij miserandum casum gessit: ita ut Pōpeius ad id usq; tēpus Cæsare omni imperatoria uirtute maior extiterit. Id quod etiā Lucan. in 1. Phar. testatur cū ait: Sed nō in Cæsare tantū Nomē erat, nec fama ducis. Quod ne Cæsar, &c.] Plutarchus hoc idē affirmat. Nam cum calamitosas & miserandas stirpis Pompeij clades enarrasset: una tamen, inquit, ad deos hominesq; sit excusatio, quod id ex necessitate gestum est: & eo magis, quod partis antea de ciuili bello uictorijs, non nuncios, non ullas publicè literas miserit: quin pudore quodam eam semper gloriam repudiasse constat.*

Postea uero quàm dij finem bello æquissimum dederant, quem eorum qui tum primum capti erant occidit? quem non ex senatoribus, equitibus & ciuibus Ro. solū, uerumetiā socijs & subiectis nostris nō honoribus affecit? Nam neq; cuiquā uis allata, nec quisquam in crimen uocatus fuit, siue priuatus, siue rex, siue gens, siue ciuitas fuerit, sed quidam ei adhæserunt, alij honestam missionem habuerūt: adeo ut tunc eo- C rum casum qui in prælio ceciderant omnes deplorarent. tantaq; huius humanitas extitit, ut Pompeij amicos comprobaret: eisq; & cōseruaret & permitteret omnia quæ ab eo accepissent: quin & Pharnacē & Orodem odit, quòd ei auxilio nō fuissent, cū eius essent amici: atq; ob eam rem non multo post alterum est bello persequutus, alterum persequi cogitabat. Præterea Pompeiū, etiamsi facta sibi eius potestas foret, nullo modo interemisset: id quod ex eo facile perspici potest, quod eum fugientē nō est acrius persequutus, quo euadere cōmode posset: cuius etiam necem magno cum animi dolore audiuit: nec eos qui eū occiderāt probauit, sed eos potius simili nece haud multo post sustulit. Ptolomæū uero quāuis puerū, qui hominē de se bene meritū necari passus fuerat, fortunis omnib. euertit, & ipsum de medio sustulit. His rebus gestis, qua ratione Ægypti res ordinarit, quantā pecuniæ uim inde uobis apportarit, exponere & longū esset, & nō necessariū. Itaq; cū in Pharnacē, qui loca non pauca Ponti & Armeniæ tenebat, copias duceret, ipseq; nunciaret accedere, & uisus est corā eodē die & pu- D gnauit & uicit. quo facto se nihilo deteriorē Alexādriæ factū, nec in ea urbe propter delicias diutius cōmoratū fuisse declarauit. Quomodo enim tāta facilitate bellū illud cōficere potuisset, nisi & maturo consilio, & magno animi robore fuisset instructus?

Postea uero quàm dij finem bello æquissimum dederant.] Et de hac causa belloq; uaria fuere hominum iudicia: de qua sic breuiter Lucanus Pharsaliæ libro primo:

Tu noua ne ueteres obscurent acta triumphos,
Et uictis cedat piratica laurea Gallis
Magne times: te iam series usuq; laborum
Erigit, impatiensq; loci fortuna secundi.
Nec quenquam iam ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem. quis iustius induit arma
Scire nefas: magno se iudice quisq; tuetur.
Victrix causa deis placuit, sed uicta Catoni.

A Qui tum primum capti erant.] Qui iterũ capti essent, occidi iubebat: cur autem id faceret, infra reddet rationem
Antonius. Hic incipit clementiam Cæsaris in hostes amplificare: nec certe ultra meritum, ut ex historijs intelligi potest.
Legatur tantum uel Ciceronis oratio pro M. Marcello conseruato: in qua præter alia innumera & magna, hoc dicit: Et
cæteros quidem omnes uictores bellorum ciuilium iam antè æquitate & misericordia uiceras, hodierno uero die te ip-
sum uicisti. Vereor ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse cogitãs sentio. Ipsam uictoriam
uicisse uideris, cum ea ipsa quæ illa erat adepta, uictis remisisti. Nam cum ipsius uictoriæ conditione iure omnes uicti oc
cidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. Rectè igitur unus inuictus es, à quo etiã ipsius uictoriæ conditio uisq;
deuicta est. Nec quisquam in crimen uocatus.] Græce est, ὅτι αἰτίας ἔλαβεν, nec causam præbuit, scilicet si
bi necis consciscendæ, ut ad Catonis interitum alludat. Potest tamen etiam ut uertimus intelligi, ut generaliter intelliga-
tur. Quin & Pharnacem & Orodem odit.] Pharnaces Magni illius Mithridatis filius fuit, qui cum patri mor
tem procurasset, ob tantum scelus à Pompeio inter amicos sociosq; Romanorum adscriptus fuit, & regni paterni hæres
constitutus, ut est apud Dionem libro quadragesimoseptimo. Orodes uero Parthorum rex, à quo exercitus Romanorum
duce Crasso in Asia deletus est, & Crassi caput abscissum, auroq;, quod tantopere sitiuit, saturatum. Alterum est
bello persequutus.] Scilicet Pharnacem, de quo mox dicam. Alterum persequi cogitabat.] Scilicet Orodem.
nam paulo ante mortem suam bellum in Parthos comparabat, & iam præmiserat copias. Præterea Pompeiũ]
B Difficile hoc creditu est, & tamen signis id probare contendit, quod eum non est acrius persequutus fugiẽtem: quod eius
necem moleste tulerit, quod eius necis autores est ultus. Sed hæc facile diluuntur. Primum, non omnes posse assequi, quos
fugientes persequuntur. Deinde falsum esse quod dicit Antonius. nam Dion ait eum persequutum fuisse Pompeium in A-
siam usque, sed eius itinera indagare nunquam potuisse. Reseruabatur enim Magnus ad illam miserabilem in Aegypto ca
lamitatem. Quod autem dicit grauiter eius necem tulisse, hoc fictum fuisse, omnes penè scripserunt. Referam ut potero
Dionis uerba. Cæsar igitur conspecto Pompeij capite, lachrymatus & lamẽtatus est, Pompeium ciuem & generũ suum
appellans: eaq; quæ quondam inter se cõmunicauerant, commemorans. ijs uero qui eum occiderant, tantum abest ut se de
bere diceret, ut potius eos ob eam causam reprehenderet. Mandauitq; eius caput sepeliri. qua ex re laudatus fuit. Verum
ridicula erat eiusmodi simulatio. nam cum principatum uehementer cuperet, odissetq; semper Pompeium tanquam eius
æmulum & parem: cumq; reliqua omnia fecisset, ut illum perderet, quo deinde ipse principatum occuparet: & cum nulla
alia de causa ex Gallia in Italiam prouolasset, quàm ut Pompeium euerteret, simulabat tunc se uiuum Pompeium optare,
& mortem eius dolenter ferre. Quod ad tertium attinet, responderi posset, non propter Pompeij necem bellum Ptolo-
mæo & Aegyptijs intulisse, sed eius regni cupiditate. Itaq; nihil aliud tum egit contra Ptolomæum, nisi quod eum cum so
rore Cleopatra coniunxit & reconciliauit. Quod si Cæsaris percussores occidit, proprias iniurias ultus est, nõ Pompeij
necem, ut ex histor.js liquet. Quin & bellum ipsum Alexandrinum, ut Plutarchus ait, sunt qui nulla necessitate, sed a-
more Cleopatræ, cum magno suo discrimine & dedecore gestum asserant. Sed rectè tamen Antonius, qui cum Cæsarem
laudandum suscepisset, ad eius laudem omnia trahit. Ipsiq; nunciaretur.] Scilicet Pharnaci Cæsarem aduenta-
C re. Accedit.] Nimirum Cæsar. Eademq; die pugnauit, & uicit.] De hac re sic Plutarchus: Huius, in-
quit, belli celeritatem cum Romam ad suum familiarem Amintium nunciaret, tribus perscripsit uerbis, Veni, uidi, uici.
Suetonius uero in hunc modum: Pontico triumpho inter pompæ fercula, trium uerborum pertulit titulum, Veni, uidi, ui-
ci, non acta belli significantem, sicut cæteris, sed celeriter confecti notam. Addamus etiam uerba Dionis ex libro quadra
gesimosecundo: Cæsar, inquit, quanquam hæc uictoria non ita magna fuisset, nihilo minus tantum ea gloriatus est, quan-
tum alia quæuis, quòd eodem die, eademq; hora contra hostem uenit, hostem uidit, & uicit. Quo facto se nihilo
deteriorem Alexandriæ factum.] Conatur Antonius ex repugnantibus Cæsarem à libidinis suspicione liberare: sed frus
stra. Nam pronum & sumptuosum in libidines fuisse, inquit Suetonius, constans opinio est: plurimasq; & illustres fœ-
minas corrupisse. Dilexit enim & reginas, inter quas Eunoen Mauram Bogudis uxorem, cui, maritoq; eius plurima &
immensa tribuit: sed maxime Cleopatram, cum qua & conuiuia in primã lucem sæpe protraxit, & eadem naue Thala-
mego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit, nisi exercitus sequi recusasset. Quam deniq; accitam in urbem, non
nisi maximis honoribus præmijsq; auctam remisit: filiumq; natum appellare nomine suo passus est. Eadem habet Dion:
qui etiam addit, fuisse Cæsarem Cleopatram secum Romam ob amorem ducturum, nisi uel inuitum Pharnacis arma ab
D Alexandria traxissent. Quomodo enim.] A repugnantibus, ut dixi, probat Cæsarem Alexandrinis delicijs &
illecebris corruptum & eneruatum non fuisse. Repugnant enim ista, Aliquem delicijs emollitum, et eundem res magnas
atq; arduas gerere: quod neq; consilium, neq; uires suppeditent. Sed hoc non est necessarium, neq; perpetuum. felicitas e-
nim hoc nobis interdum conficit, sine magno nostro consilio & uiribus.

Posteaquam igitur Pharnacem fusum in fugam se coniecisse accepit, extemplo bellum in Parthos constituit: uerum quum in hac urbe altera seditio rursum esset exorta, in patriam contendere compulsus fuit, ubi denuo ita res composuit & sedauit, ut ne uestigium quidem turbæ & seditionis ullum appareret. nemo enim morte, nemo ignominia fuit affectus: non quod de quibusdam pœnæ iustissimæ sumi non potuerint, sed quia existimabat hostes occidi sine clementia dignum esse: ciues autem, etiam si mali essent, seruari debere: qua ductus ratione, hostium copias fortitudine debellabat: uerum ciues seditiosos, quamuis sæpenumero clementia (quæ ipsorum facinora fuerant) indignos lenitate clemẽtiaq; seruabat. Idem fecit in Africa & Hispania: quot-

quot

quot enim antea ab eo capti nõ fuerant & dimissi, ipsius clemẽtia liberati fuerũt. exi- A
stimabat enim stultitiæ potius q̃ clemẽtię esse, eos conseruare, qui perpetuo illi essent
inimici. Rursum magni & fortis uiri iudicabat, quibusdã prima peccata condonare,
nec iracundiã seruare implacabilẽ: præterea eis dignitatẽ tribuere, qui si in eadẽ perfi-
dia permanerẽt, operæpreciũ existimabat se ab illis liberare. Et quanquã id dico, ple-
rosq; tamẽ huiusmodi homines cõseruauit, facta potestate singulis socijs & ijs qui cũ
eo uictores essent, unius captiui conseruãdi. Quod aũt hæc omnia naturæ quadã boni
tate, nõ simulatione aliqua, aut spe maiores opes consequẽdi faceret, grauissimũ illud
testimoniũ habemus, q̃ is semper sui similis fuit, nec ira crudelis, nec felicitate super-
bus, nec potẽtia insolẽs, nec licẽtia deterior. hoc uero difficillimũ fuit, q̃ cum is in tot,
talibus, tamq; uarijs et cõtinuis negocijs uersatus esset, alia in manib. haberet, ad alia
se accingeret, perpetuo sibi in eadẽ bonitate cõstaret, nec aliqua unquã uel asperitate
uel crudelitate uteret̃, si minus ut præteritas ulcisceret̃ iniurias, saltẽ ad futuri tẽporis
securitatẽ. Hæc satis superq; sunt ad huius bonitatẽ declarandã. Hac demũ ratione se
dijs ortũ esse (q̃d pleriq; impossibile putãt) cõprobabat: qui hoc unũ nosset atq; tene B
ret, uidelicet qui cõseruari possent conseruare. Præterea effecerat ne quis ex ijs qui ei
aduersarij fuissent ab alio quoquã affici supplicio posset, & eos qui superiore tẽpore
offenderãt, in integrũ restituit. Nam ut ijs qui Lepidũ Sertoriũq; secuti fuerãt, impuni
tas daret̃ effecit. Et qui supererãt ex proscriptiõe Syllana, autor eis incolumitatis fuit:
ac postea ab exilio reuocauit. filijs aũt eorũ qui à Sylla interẽpti fuerãt, honores & ma
gistratus decreuit. At deum immortalẽ, q̃ admirandũ illud fuit, q̃ literas arcanas, quę
apud Pompeiũ & Scipionẽ repertæ fuerãt, legere noluit, sed eas omnes ne una quidẽ
reseruata cremari fecit: ne quis per eas aliquod maleficiũ patrare posset. eum aũt non
solũ talia dixisse, uerũetiã re ipsa perfecisse ex ipsius factis comprobatũ est. Itaq; nemo
propter eas literas nõ modo nõ molestiã aliquã sustinuit, sed ne timuit quidẽ. Nemo
igitur eorum res præter ipsos cognouit. Quo in facto illud magnum & inusitatũ fuit,
q̃ ij qui in illis literis fuerãt implicati, antè fuerũt absoluti q̃ accusati: antè liberati q̃ in
discrimẽ uocati: nec ipse liberator eos, in quos clemẽtia utebatur, cognoscere uoluit.

Posteaquam igitur Pharnacem.] Transit ad alia Cæsaris facta, ut eius in omnibus moderationẽ clemẽtiamq; com- C
mendet. *Extemplo bellum in Parthos constituit.*] Non solum ea quæ præclare gessit, exponit, sed etiã quæ gere
re uoluit: qui locus etiam laudem habet, ut inquit ille: Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas. *Verum cum
in hac urbe altera seditio.*] Prima fuit illa quam ipse pacauit, ut uult, suo ex Gallia aduentu. Altera hæc, quam maxime
excitarat P. Cornelius Dolabella: quam mira prudentia & lenitate Cæsar sedauit. Totum negociũ describit Dion rerum
Romanarum lib. 42. *Sed quia existimabat.*] Tractat locum cõmunem de officio principis erga ciues, & ani-
mi moderatione erga delinquentes. Aliter hostes, aliter ciues improbos esse tractandos. Hostes armis esse coercendos, ci
ues, si fieri possit, clementia & lenitate ad sanitatem esse reuocandos. Recte Ouidius:

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia uelox:
Cuiq; dolet, quoties cogitur esse ferox.

Atq; ut Seneca ait: Magnum timoris remedium, clementia. *Idem fecit in Hispania & Africa.*] Vide Hircij Com
mentarios De bello Africano & Hispaniensi: quibus bellis Cæsar reliquias Pompeij est persequutus, & deleuit.
Existimabat enim stultitiæ.] Rationem reddit, cur primum captos ignosceret: cur iterum captos male mulctaret.
Et quanquã id dico.] Correctio, ut ostendat Cæsarem propensiorẽ semper ad clementiã fuisse: quod quidem omniũ D
principum esse debet. Hæc enim dei natura est, ut alibi ostendi. *Facta potestate singulis socijs.*] Hoc testantur hi
storici, inter quos Suetonius. In acie Pharsalica, inquit, proclamauit, ut ciuibus parceretur: deincepsq; nemini non suorũ
quem uellet unum partis aduersæ seruare concessit. nec ulli perisse nisi in prælio reperiũtur, exceptis duntaxat Afranio,
& Fausto, & L. Cæsare iuuene: ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putãt. quorũ tamen Afranius & Faustus
priores post impetratã ueniam rebellarunt: & Cæsaris libertis seruisq; ferro & igne crudelem in modũ enectis, bestias
quoq; ad munus populi cõparatas contrucidauerant. *Quod aũt hæc omnia.*] Probat has uirtutes in Cæsare neq;
adumbratas, neq; simulatas fuisse, ne quis forte calumniari posset. Probat aũt à diuturnitate, imò perpetuitate, siue stabi-
litate. Vera gloria radices agit, atq; etiã propagatur. ficta omnia, celeriter tanquã flosculi decidunt, nec simulatũ potest
quicquã esse diuturnũ. Quàm, inquit Cicero, non est facilis uirtus, quàm uero difficilis eius simulatio. *Nec ira cru
delis.*] Cum ira sit ulciscendi libido, difficile est iratũ à crudelitate temperare. quod cum posset Cæsar, magnã laudẽ ex
clementia iræ contraria est consequutus. Verberarẽ te, inquit ille, nisi iratus essem. *Nec felicitate superbus.*] Se
cundæ res solent homines elatos inflatosq; reddere. Difficilius est enim prosperã q̃ aduersam ferre fortunã. Vere ille ait:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

A *Nec potētia insolens.*] Omnia difficillima sunt, idcirco preclara & magna laude digna, quæ hic Cæsari tribuit Antonius. quas uirtutes utinam imitarentur potentes, scirentq́; & se habere potentissimum dominum in cœlo, cui sint breui rationem suæ administrationis reddituri. Piè igitur admonet Seneca in Thyeste:

> Vos quibus rector maris atq; terræ
> Ius dedit magnum necis atq; uitæ,
> Ponite inflatos tumidosq́; uultus.
> Quicquid à uobis minor extimescit,
> Maior hoc uobis dominus minatur.
> Omne sub regno grauiore regnum est.
> Quem dies uidit ueniens superbum,
> Hunc dies uidit fugiens iacentem.

Nec licentia deterior.] Cur igitur dixit ille diligens paterfamiliâs in Terētij Heaut. Deteriores omnes sumus licentiæ? quia modus in rebus, res omnium difficillima, ut Cleobulus ait. Et uerum est quod ait Iuuenalis: Nemo satis credit tantum delinquere, quantū permittas: adeo indulget sibi latius ipsi. Id comprobat multorū potentū & principū uita, studia, B mores. Cui enim plus licet q̃ par est, plus uult q̃ licet, ut Publianus mimus uere dixit. *Hoc uero difficillimū fuit*] Amplificat hanc Cæsaris moderationem à uarietate negociorū, personarū, rerum, & à facultate: potuit, licuit, debuit interdum mutari, pro negociorū personarumq́; naturis. nunquā tamen in deterius mutatus, sed perpetuā seruauit in bonitate constantiā: quod signum est optime constitutæ naturæ. *Hæc satis superq́; sunt.*] Acclamatione auget et concludit hunc locum. *Hac deniq; ratione se à dijs ortum.*] Altera acclamatio, qua indicat Cæsaris uirtutes, nō humanas, sed heroicas & diuinas fuisse: quare eum collocat in cœlo. Dei enim proprium est iuuare & cōseruare. Deus est, inquit Plinius, mortali iuuare mortalem: & hæc ad æternam gloriam uia. Ex hac ipsa animi moderatione Cæsarē in oratione pro Marcello simillimum deo facit Cicero. Domuisti, inquit, gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea uicisti, quæ & naturam & conditionē ut uinci possent, habebant. Nulla est enim tanta uis, quæ non ferro ac uiribus debilitari frangiq́; possit: uerum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriā temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute præstantem, nō modo extollere iacentē, sed etiam amplificare eius pristinā dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum summis uiris comparo, sed simillimum deo iudico. *Præterea effecerat.*] Alia clementiæ & moderationis signa colligit ex omnibus suæ ætatis ciuilibus bellis. qua de re generatim sic Suetonius: Deniq;, inquit, tempore extremo cunctis in Italiam redire permisit, magistratuq́; & imperia capere. Sed & statuas L. Syllæ atq; Pompeij à plebe disiectas reposuit. *Autor eis incolumitatis* C *fuit.*] Scilicet ante dictaturam suam. *At postea.*] Scilicet dictator, dominus. *At deum immortalem.*] Narrat quoddam summæ Cæsaris moderationis factum, de literis post Pharsalicā pugnā in Pompeij scrinijs repertis, & à Cæsare statim combustis. Hoc Cæsaris factum cōmemorat Dion lib. 41. extremo. Omnes literas, inquit, quæ in Pōpeij scrinijs repertæ fuerunt, quibus Cæsar & Pompeij amicos & suos inimicos cognoscere potuisset, neq; ipse legit, neq; describendas curauit, sed ilico flammis absumpsit, ne cui propter eas nocere cogeretur. Quod quidem, ut dixi, animi moderatissimi fuit: uerum nō unius Cæsaris hæc laus, sed etiam Magni Pompeij hominis continentissimi. Nam cum in Hispania Perpennā Sertorij successorē bello superatū cepisset, isq́; in sua potestate literas omnes cæteraq́; Sertorij munimēta haberet, epistolas quorundā clarissimorū ciuiū Romanorū patefecit: qui ad res urbis innouandas clanculum studentes, in Italiam Sertoriū uocabant. Pompeius timens ne ex his mala maiora exorirentur, Perpennā ipsum occidit, atq; epistolas omnes minime inspectas incendio tradidit. *Quo in facto illud magnum.*] Exaggerat factum, & Cæsaris in hostes beneficiū à rei nouitate, dum ostendit ea facta esse, quæ natura & ordine rerū fieri nō possunt. Nemo enim absoluitur nō prius accusatus: nemo liberatur, nisi in periculo constitutus: nemo deniq; in ignotum clementia utitur. scire enim uolunt omnes in quos clementiæ conferant beneficium. Combustis autem illis literis, hæc omnia eadem opera sunt facta.

Quamobrē cum ob hæc, tum propter alia, uelut leges latas, & emendatū reip. sta- D tum (quæ tametsi per se magna, parui tamē momenti essent collata cū ijs quæ nūc accurate nō sunt cōmemoranda) hunc uos Quirites ut patrē colebatis, amabatis ut beneficum: huic tantos honores quantos alteri nunq̃ homini detulistis: hunc unum uestræ ciuitatis cum omni potestate & imperio principē optastis: nullū in nominib. eius discrimen ponentes: omnes honorū titulos in eius arbitriū & potestatē, quasi meritis ipsius inferiores essent, permittētes, ut quantū in singulis propter consuetudinē dignitatis potestatis'ue deesset, tantū aliorū adiūctione suppleret. Nam & ob eam causam Pontifex dijs primū creatus fuit, uobis Consul, militibus Imperator, Dictator contra hostes: & ne longū faciā Quirites, uos eū (ut ne quid de alijs titulis dicā) Parentem patriæ nominastis. At hic qui & Pater, & Pontifex Maximus, & sacrosanctus, & Heros, & Deus erat, mortuus est. Sed hei mihi, quonā modo? nō morbi ui, nō senectute consumptus, nō uulnere aliquo in externa pugna accepto, nō ultro à deo aliquo raptus, uerū hic in ipsa urbe insidijs appetitus. Hic qui exercitū sine offensione in Britāniam usq; duxerat, in urbe, cuius pomeriū amplificauerat, proditione oppressus est: in curia quam peculiarē struxerat est trucidatus: inermis, qui in acie omnes superabat: nudus, qui

qui pacis studiosus fuit: in loco iudiciorum, qui iudex erat: coram magistratu, qui magistratibus præsidebat: à ciuibus suis, quem nemo occidere ex hostib. suis potuit, ne tum quidem cum cecidit in mare: à socijs suis, quorum sæpe misertus fuerat. Vbi nũc tua clemẽtia Cæsar? ubi tua maiestas sacrosancta? ubi leges? Tu quondã decreto sanxisti, ne quis occideret ab inimicis: te amici tui tã crudeliter interfecerũt: & nũc in foro iaces iugulatus, per quod forũ sæpe coronatus magna cũ pompa transiuisti: tu in tribunal saucius proiectus es, è quo sæpenumero conciones habuisti. Heu crines canos sanguine concretos. Heu uestem laceram, quam, ut apparet, non in alium finem sumpsisti, quàm ut in ea trucidareris. A

Quamobrem cum ob hæc, tum propter alia.] Hæc est illa pulchra cõmiseratio siue conquestio, qua Antonius multitudinem ad insaniã adegit, effecitq; ut correptis facibus ad percussorũ ædes accurrerent. Quare & eadem opera misericordiam simul captauit, & ad indignationẽ auditores concitauit: quæ duo amplificatione continẽtur. Est autẽ amplificatio, grauior quedã affirmatio, quæ motu animorũ cõciliet in dicẽdo fidẽ. Et hic nõ tanquã placidus imber raris cõspergit guttis, sed quasi niuib. ruit: nec ut riuus aliquis leniter fluit, sed tanquã rapidissimus torrẽs, etiã ingẽtia saxa secũ rapit & uoluit. nã iã inclinatis tota perturbationũ mole incũbit. Sumũtur amplificationes rerum à Cæsaris & percussorũ persona, à genere mortis, & à loco in quo fuit occisus. B *Vt & leges*] De legib. à Iulio Cæsare latis, et emẽdato reip. statu, legẽdus est Suetonius. In Pandectis lib. 48. leges octo enumerãtur, ab hoc Iulio Iuliæ appellatæ, his titulis, Lex Iulia Maiestatis, de Adulterijs & stupro, de Vi publica, de Vi priuata, Repetundarum, de Annona, Peculatus, de Ambitu.

Huic tot hon.] De honorib. infinitis Cæsari tributis uidẽdi sunt historici, inter quos Plutarchus hæc scripsit: Postquã Cicero de cõferẽdis illi primarijs pro humano fastigio honorib. rogationẽ in senatu tulisset, cæteri etiã immẽsos certatim addidere: ut ex rerum ei decretarũ amplitudine ac fastu, inuisum ipsum & molestũ uel modestissimis uiris efficerẽt. Quibus decernendis nõ minus fauoris inimici quàm assentatores tribuebãt, ut quãplurimis in eum causis, & uehemẽtissimis inniti criminibus uiderentur. Sed Antonius omnes Cæsaris honores populo acceptos refert, quòd Cæsar esset popularis: & reuera omnes ferè largitionibus à populo, & prouincias, & dignitates, & imperia, inuito interdum senatu, sed dissimulante: interdum etiã aperte repugnante, fuerat consecutus. Vide etiã Dionẽ lib. 44. *Nam & ob eã causam,*] Enumeratione honorum amplificat Cæsaris dignitatem, ut ex altera parte indignior eius interitus esse uideatur.

Pontifex dijs primum.] De Cæsaris pontificatu in hunc Suetonius modum: Deposita prouinciæ Aegypti spe, pontificatum maximũ petijt, nõ sine profusissima largitione: in qua reputans magnitudinẽ æris alieni, cum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domũ se nisi pontificẽ non reuersurũ: atq; ita potentissimos duos competitores, multumq; ætate ac dignitate antecedentes, superauit, ut plura ipse in eorũ tribubus suffragia, q̃ uterq; in omnib. tulerit. Attende aũt quàm cõcinne singula uerba singulis addita, distributione quadã ad proprietates honorũ notandas: Pontifex ad deos, Consul ad ciues, Imperator ad milites, Dictator ad hostes refertur. sunt enim hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur. C Fuit ergo Cæsar, & Imperator & Pontifex maximus. uidetur enim altera alteri nescio quo fato, magno adiumento esse. Idcirco etiã Solymãnus magnus hodie orientis imperator, pontifex maximus Aegypti fieri uoluit, ut fastigiũ honorũ omnium assequeretur. Romæ Cæsar largitione pontificatũ obtinuit: Solymãnus ui & armis, ut omnia, occupauit. De pontificis apud Romanos officio scripsit Fenestella in libro De sacerdotijs Romanorũ. De imperatoris titulo Cæsari decreto sic Dion lib. 43. Et dederunt ei imperatoris titulum, nõ eum quidem usitatũ, quem tum ipse, tum alij propter uictorias erant consecuti, nec quasi eo nomine integrã dominationẽ, siue aliã quamuis potestatẽ, sed eum tantum qui nostri temporis imperatorib. dari solet. Hic primus fuit, qui id nomẽ quasi rem propriã & singularẽ accepit. Ab eo & in reliquos imperatores tanquã propriũ dimanauit, uelut etiã Cæsaris appellatio. *Parentẽ patriæ.*] Ita eos solebant appellare, à quibus maxima aliqua publica beneficia accepissent: quo titulo nullum ampliorẽ & amabiliorẽ esse iudico. Atq; utinã ea facerent principes, ut uno hoc nomine iure possent appellari, in quo multum & honoris est & reuerẽtiæ, minimũ uero inuidiæ & terroris. & idcirco Antonius tanquã summum postremo loco numerauit. *At hic qui & pater.*] Delabitur paulatim, & per gradus in cõmiserationem. Colligit autẽ frequentatione omnes honorũ augustiores titulos, ut ea quasi cõtentione eius necis indignitate ad indignationẽ inflammandã exaggeret. D *Et sacrosanctus*] Ἄσυλος est in Dione. Sic enim à Græcis dicũtur homines à uiolentia tuti, quos attingere aut prehẽdere sine piaculo nõ licet, quales erant Tribuni plebis apud Romanos, qui ob id sacrosancti dicebãtur. Et hoc est quod idem Dion ait lib. 44. concessum fuisse, ut particeps esset tribunitiæ potestatis: ut si quis eum aut uerbo aut facto læsisset, sacrilegus & execrabilis esset. *Et Heros, & Deus erat.*] Heroem appellat propter res maximas ab eo gestas, & propter heroicas eius uirtutes: quasi semideum. Nam & Dion scribit lib. 43. primũ in Capitolio eius imaginem collocatã cum hac inscriptione: Hic semideus est. Item lib. 44. Deinde, inquit, tanquã heroi & sacerdoti quinquennalem ei celebritatẽ ludorum Lupercalibus concesserunt. ac deniq; eum deum inuictum Iouem Iulium palàm nominarunt, eiq; templum consecrarũt: eius flaminẽ Dialem, tanquã Iouis sacerdotẽ Antoniũ adlegerunt. Sed qui omnes diuinos honores Cæsari tributos uult uidere, legat statim ab initio Dionis lib. 44. & mirabitur. *Mortuus est.*] Hoc adiecit tanquã rem indignissimã, quasi indignissimũ fuerit, eum qui etiã deus fuerat, mori. Verum ex eo sumit amplissimũ eius mortis amplificandæ campum, à genere mortis, ab eis qui eum occiderunt, & à loco, & alijs. *Sed hei mihi, quonã modo?*] Genera mortis siue causas, quæ hoc loco idem sunt, enumerat: ut eorum collatione Cæsaris necem amplificet. Nam aut morbo, aut senectute, aut ui aliqua externa homines ad mortem impelluntur, quibus addit Antonius, cum à dæmonio, aut deo aliquis rapitur, ut Romulum raptum in cœlum dixerunt. Ex quibus unum assumit, nimirũ uim, eamq; domesticã, atq; hanc miris

A *modis uersat & amplificat.* In urbe.] *Obserua & hic gradatim ascendentia uerba:in urbe,in curia, in ipso tri*
bunali:quæ ad locum pertinent,ex quo & misericordia captatur,& excitatur indignatio.Deinde illa quæ ad eius perso
nam attinent,inermis,nudus,iudex,princeps senatus:quæ item personam aduersariorum attingunt,à ciuibus, à socijs,ab
amicis:quæ etiam ad modum & rem ipsam spectant,insidijs appetitus, proditione oppressus, trucidatus ,dilaniatus,&
id genus alia,quæ in adiunctis attributisq; cernuntur.Sunt etiam illa ornata,quæ singula singulis quasi cõtraria & diffe
rentia & repugnantia adduntur:ut illa,in urbe,cuius pomeria amplificauit:in curia,qui altam extruxerat:inermis, qui
omnes armatus superabat,atq; eiusdem generis cætera:quæ & ornatum habent,& ad animos permouendos sunt uiolen
tissima. Cuius pomeriũ.] *Dion lib. 43.muros urbis extendisse scribit.* Qui altam peculiarem strux.]
Dion lib. 44.curiam nouam uocat. Ne tum quidem cum cecidit in mare.] *Neq; Hircius de bello Alexandrino,*
neq; Suetonius eum cecidisse,sed sponte se eiecisse scribunt.Verba Suetonij proferam:Alexandriæ,inquit,circa oppugna
tionem pontis eruptione hostium subita compulsus in scapham,pluribus eodem præcipitantibus , cùm desilijsset in mare
nando per ducentos passus euasit ad proximã nauem,elata læua,ne libelli,quos tenebat,madefierent,paludamentũ mor
dicus trahens,ne spolio potiretur hostis. Vbi nunc tua clementia Cæsar ?] *Conuertit conquestionẽ ad ipsum co*
ram iacentem Cæsarem,quo magis animos auditorum permoueat & afficiat,& utitur uerbis atrocibus,& contentione
contrariorũ ad crudelitatem percussorũ,& rei indignitatem exaggerandam. Heu crines canos.] *Hic flebat An*
tonius,& caput Cæsaris attrectabat,uulnera sæua ostentabat,uestem explicabat ictibus gladiorũ perforatã,conscissam,
B *dilaniatam.Et quoniã,ut ait Cicero,cõmotis animis diutius in conquestione morari non oportet, quod lachryma nihil ci*
tius arescat,præsertim in alienis malis,abrumpit orationem,& auditores in medio dolore relinquit.

IN M. TVLLII CICERONIS CONTRA M. ANTONIVM ORATIONEM ~~CAELII Secundi Curionis~~ Commentarij.

ARGVMENTVM



CALENDIS *Ianuarijs cum noui Coss. A.Hircius & C.Vibius Pansa senatũ conuocassent,quintam*
Philippicam habuit Cicero,ut ibi etiam indicauimus.Verum eo die cum nihil effectum esset,postridie
eius diei rursum congregati patres de eadem re egerunt,itemq; tertio,quo die Cicero hanc orationem
habuisse uidetur.Nam & Cicero ipse in sexta Philippica testatur,ex Calen.Ian.usq; in pridie Nonas
C *nihil confici potuisse.quod & Dion lib. 45.confirmat. Verisimile quidem est altercationibus Anto*
nianorum illos tres dies fuisse consumptos:& quarto tandem die senatusconsultũ factum, cuius mentionem ipse facit Phi
lippica sexta.His igitur atq; alijs coniecturis,quas ex hac oratione & illis Philippicis colligo,hanc orationẽ inter quin
tam & sextam Philippicam collocandam esse arbitror,ut sit ipsa Philippicarum ordine sexta:quam nobis Dionis histo
rici clarissimi,ut etiam illam De pace conseruauit diligentia:sed in suam,hoc est Græcam linguam cõuersam, & à nobis
postliminij iure in ciuitatem restitutam. Habet multa cum secunda,cum tertia,& quinta Philippica cõmunia,atq; simi
lia:id quod alijs etiam Philippicis inter se accidit:propterea quòd omnia consilia, omnes cogitationes & sentẽtiæ in unũ
Antonium conferantur.Reprehendit eos qui Antoniũ bellum contra remp.gerere negabant:& bellũ esse ostẽdit, ut eum
uicissim persequantur,hostemq; declarent:utq; Cæsaris Octauij & Bruti acta confirment:eisq; imperiũ dent. Pacẽ cum
Antonio nullam esse posse dicit,quare legatorum mentionem non censet esse faciendam.Calenũ atq; alios Antonij fauto
res porrò quiescant hortatur. Animum suum in remp.ostendit,& quædam Antonij in suos crudelia facta cõmemorans,
claudit orationem.In hac oratione multa imitatur quæ Demosthenes habet in tertia in Philippum oratione (quanquam
nonnulla quoq; ex alijs Demosthenis Philippicis)id quod utrumq; conferenti perspicuum erit.

DE CAVSAE GENERE

D *Consultatio est.Dicit enim sententiam suam in senatu de Antonij,Bruti,& Cæsaris actis:illius condemnanda, horum confirmanda:& de legatione ad Antonium non mittenda,sed bellum potius in eum esse quamprimum suscipiendum.*

STATVS

Status est proculdubio qualitatis & iuris.Iure Antonium condemnari posse,qui iure nihil fecerit:iure Bruti & Cæsaris Octauij acta confirmari.Loci adhibentur iuris,consuetudinis,rerum iudicatarum,utilitatis, honestatis, pactorũ & conuentorum:qui loci omnes iuridiciali absoluta continentur.

FORMA DICTIONIS


Temperata est hæc oratio,ut par est,nisi quòd ubi factum Antonij Lupercalibus reprehendit,assurgit aliquanto amplior,& figuris ornatior,& exemplorum copia uehementior.

DISPOSITIO SIVE COLLOCATIO

Dispositionem & numerum partium ôrationis orator suo arbitrio constituit.Itaq; exordio utitur ad beneuolentiam & fauorem sibi conciliandum;quòd in ea causa aduersarios haberet.Deinde adhibet criminosam actorũ Antonij expositionem,ad eos refellendos qui negabant eum bellum cõtra remp.gerere. Tertio loco confirmat quod suscepit,nimirum Antonium tanquam hostem esse bello persequendum,& Brutum & Octauium imperio ornandos esse.Peroratione postremo utitur ad animos permouendos.

M. TVLLII CICERONIS ORATIO IN M. ANTONIVM. EX DIONIS LIBRO XLV. A

Cælio Secundo Curione interprete.



PROFECTIONIS meæ causas Patres conscripti, quam eo animo susceperam, ut diutius abessem: & quamobrem pôst mutato consilio tanta celeritate redierim, ut qui me uobis aliquam utilitatem afferre posse cogitarem, antè audiuistis, cum de ijsdem rebus in hoc ordine uerba facerem. Neque enim fieri posset, ut sub alterius potentia & tyrannide uiuerem: in qua nec Rempublicam gerere, nec libere loqui mihi tutum esset: nec pro uobis honeste mori liceret. Quanquam si quid prodesse possem, nullius periculi metu ab officio retardarer. Boni namq; uiri utrumq; esse existimo, & se Reipublicæ reseruare, ne uitam sine aliquo fructu profundat: & nullum aut dictum aut factũ pro patriæ salute omittere, etiã si nulla alia ratione posset, quàm proprij sanguinis effusione conseruari. Quæ cum ita sint, ego & uos pariter magnam facultatem per Cæsaris amicitiam habemus, in senatu bonum consilium capiendi. Quoniam igitur decreuistis, ut etiam hodierno die cum præsidio & custodia conueniremus, nos sic omnia & dicere & agere oportet, ut cum præsentibus rebus consulamus, tum uel maxime, ne sæpius de ijsdem rebus nobis deliberandũ sit, prospiciamus. Res nostras graues ac difficiles esse, magnaq; diligentia ac uigilantia opus habere, uos ipsi patres conscripti, si nulla alia re, at certe hoc ipso declarastis: quod nunquam de præsidio senatus solliciti fuissetis, si sententias solita cum dignitate, sine metu & pacate uobis dicere licuisset. Itaq; rem aliquam memorabilem agamus necesse est: uel propter armatorum præsentiam, ne apud eos in aliquam incurramus infamiam, si rem præsentem parui fecerimus, ac si nullum periculum impendeat: cum eos tamen aduocauerimus, tãquam aliquos metuamus.

(In the outer margin beside this text: B at "uiuerem: in qua nec Rempublicam gerere"; C at "cuisset. Itaq; rem aliquam memorabilem".)

EXORDIVM



ROFECTIONIS meæ causas patres conscripti.] Totum hoc exordium, ut dixi, comparatum est ad conciliandos animos: quoniam ea causa quam agebat multis erat inuisa, & non sine altercatione pridie eius diei tractata. Id autem facit à sua & aduersariorum persona: à sua quidem, dum suum erga senatum animum & sollicitudinem sine arrogantia commendat: ab aduersariorum uero persona, dum eos in inuidiam & odium trahit, eorum potentiæ & tyrannidis commemoratione. Causas uero profectionis & reuersionis suæ exposuit copiose Philippica prima. quædam tamen etiã uidenda sunt ad Atticũ libro decimoquarto, Epistola quæ incipit, O mi Attice, uereor ne nobis Idus Martiæ nihil dederint præter lætitiam, & odij pœnam, ac doloris, &c. quod quidem fuit præsagium eorum quæ acciderunt. Item libro decimosexto, Epistola cuius initium est, Octauo Idus Sext. cum à Leucopetra profectus, &c. Cur autem profectionis & reuersionis suæ etiam hac oratione mentionem fecerit, causam esse reor nouas aduersariorum calumnias: idcirco reuocat eos ad eas causas quas prima oratione ante aliquot menses attulerat: neq; tanti eos facit, ut denuo eas causas uelit omnes exponere: & tamen aliquas breuiter commemorat. Quam eo animo susceperam, ut diutius abessem.] Nimirum usq; ad Calendas Ianuarias: quo tempore Hircius & Pansa inituri erãt consulatum: quibus consulibus sperabat se posse aliquid pro republica posse facere. Tanta celeritate redierim.] Philippica prima: Tum uero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neq; remi, neq; uenti satisfacerent. Vt qui me uobis aliquam utilitatem.] Locus beneuolentiæ. Redij non mea causa, sed uestra, ut uobis & reipublicæ in tam graui tempore non deessem. Hæc igitur est reuersionis causa. Neq; enim fieri posset.] Nunc causam reddit cur discesserit, nimirũ ut Antonij tyrannidem & gladios uitaret, in quo conciliat sibi auditores ab aduersariorum persona, ut antè indicauimus. Quanquam si quid prodesse possem.] Correctione auget fauorem. Non uitabam simpliciter mortem pro republica, sed mortẽ sine ullo reipublicæ commodo. nam, quemadmodum ipse de officijs ait, Vna patria omnes omnium charitates complectitur: pro qua quis dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Boni namq; uiri utrunq; esse existimo.] Locus communis de boni uiri & ciuis officio: quod idem etiam uel maxime imperatoris & ducis in bello, & principis in ciuitate officiũ est. Neq; enim hi se in pericula temere debent conijcere: quod illorum pericula communia omnium sunt: priuatorum autem non item. Et capite uel amisso, uel affecto, necesse est magnam fieri membrorum perturbationem & dissipationem. Vide

(In the outer margin beside this text: D at "stola cuius initium est, Octauo Idus Sext.")

A *in hanc sententiam quedam Philippica duodecima extrema.* *Quae cum ita sint.] Paulatim ad rem accedit: & ostendit libertatem & facultatem, per Caesaris Octauij praesidia. Ergo locus est à facultatibus & opportunitate.*

Res nostras graues ac difficiles esse.] Excitat à magnitudine negociorum, quae magnam quoq; diligentiam requirunt, ex coniugatis: magnae & difficiles res magnum conatum & magnam diligentiam requirunt. Grauitatem autem negociorum ostendit ex signo. Praesidium habere in curia uoluistis, quo liberius sentẽtias dicere possetis. Ergo de rebus grauissimis agitur & deliberatur. *Itaq; rem aliquam memorabilem.] Ab honesto ad fortiter statuendum impellit, & aliquid grauius decernendũ, ne uideantur sine causa praesidiũ aduocasse. Ergo locus est à senatus & militũ dignitate.*

Videmus quidem uerbo, hosce ad ciuitatis contra Antonium defensionem à nobis aduocatos esse, re autem uera eos contra nosmet ipsos eidem tradimus: quasi debeat ipse praeter alias copias, quas contra patriam comparat, etiam hos ipsos assumere, ut nihil, ne hodie quidem, contra ipsum decernatis. Et sunt tamen quidam tam impudentes & temerarij, ut negare audeant, eum bellum contra patriam gerere: atque ijdem adeo uos stupidos ducunt, ut existiment uos ipsorum potius uerba, quàm facta illius attendere. Ecquis est qui cum uideat eius actiones & exercitum, quem & senaB tus & populi iniussũ confecit, & regiones quas depopulatur, & urbes quas obsidet, & minas quas nobis omnibus proponit, & spes quibus fretus haec omnia facit: horum uerbis & mendacijs quibus uos ducunt & frustrantur, & simulationibus & fucis uelit credere, atq; ita perire? Equidem tantum abest ut eum aliquid rectè, iure atq; ordine facere existimem, ut iam pridem ex ijs quae perspicua sunt, hostem uestrum iudicauerim. Primum quoniam Macedoniam, quae illi sorte obuenerat, reliquit. Deinde Galliam inuasit, quae nihil ad eum attinebat: & quia legiones quas Caesar contra Parthos miserat auertit, idq; quum nullum immineret periculum Italiae: praeterea dum consulatum gereret, urbem reliquit: & nunc lustrando regionem, omnia uastat. Quod si nonstatim haec aduertebatis, nec ad singula eorum commouebamini, non propter ea minore dignus est odio: qui quum tales sitis, uos iniurijs afficere non desinit: & quamuis uenia primis peccatis dari potuisset, tamen consuetudine improbitatum eò peruenit, ut priorum quoque poenas dare mereatur. Vos autem patres conscripti rerum praesentium habere rationem maximè decet: illud cogitantes fieri non posse, ut is qui uos in tantis negocijs contempsit, nunc ista uestra lenitate & humanitate uolẽs C corrigatur: sed necesse est ut uel inuitus nunc tandem armis refrenetur. Nec existimare debetis, illum minus iniustum fuisse, aut minorem castigationem meritum, quod partim persuasit ut quaedam ei decreto uestro concederetis, partim tum à uobis extorsit: sed contra potius maiore poena est afficiendus, quod quum multa indigna & iniqua uellet facere, quaedam per uos effecit, & in uos ea arma conuertit, quę per uim & fraudem à uobis impetrauit. Nam quis unquam crederet, uos qui prouincias omnes quae aut à Caesare datae essent, aut sorte obtigissent, abrogastis, huic concessisse, ut alia praeterea multa amicis & compotoribus suis condonaret? ut Caium fratrem in Macedoniam mitteret? ut in Galliam inuaderet cum eiusmodi copijs, quibus ad uestrum beneficium uti nullo modo posset? An non meministis, quum in Caesaris morte uos omnes perturbatos reperisset, eum omnia quae sibi libitum esset egisse, partim uobiscum callide & intempestiue communicando, partim per se multa mala perpeD trando: per uim autem omnia? Itaq; militibus hisq; Barbaris contra uos usus est Antonius: & quid mirum si tunc ea decreta fuerunt, quae non oporteret: quum ne nunc quidem libere aut dicere aut agere liceat, nisi praesidium habeamus? quo si nunc septi fuissemus, nihil eorum consequutus esset Antonius, quae quidam eum consequutum esse dicũt: nec post illis auctus & confirmatus ea fecisse, quae nunc eũ fecisse uidemus.

Videmus quidem uerbo.] Reprehendit eos qui excusabant Antonium, & negabant eum bellum contra rempublicam comparare, & ueteranorum potestate abuti. Et hic est refutationis, & criminosae factorum Antonij expositionis initium. *Vt nihil, ne hodie quidem, contra ipsum decernatis.] Significat pridie eius diei propter fautorum Antonij altercationes nihil decerni potuisse, qui idem & eo die moliantur, nimirum altercando & contendendo diem extrahere.*

Et sunt tamen quidam.] Calenum, & Pisonem, & alios quosdam reprehendit, qui dicebant, ipsum non quidem bellum contra rempublicam gerere, sed in suam prouinciam, à qua prohibebatur, accedere, ut autoritatem senatus tueretur: id quod clarius erit in Caleni quae hanc sequetur oratione. *Adeo uos stupidos ducunt.] Odium conflat aduersarijs, ex hac contemptione. Irascuntur enim qui se contemni uident, & contemptores odere.* *Vos ipsorum potius uerba quàm facta illius attendere.] Rectè Cicero in Sallustium inquit: Vbi rerum testimonia adsunt, quid opus est*

uerbis

uerbis? Vide Demosthenis Philip. 3. Ecquis est, qui cum uideat.] Colligit signa & proprias notas, quibus Anto- A
nium bellū contra Remp. gerere ostendat. Sunt autē hæc uerisimilia, quæ partim singula mouent suo pondere, partim e-
tiam si uideantur esse exigua per se, multū tamē cum sunt coacervata proficiunt. Et minas.] A nocendi uoluntate,
quæ ad causas refertur. Et spes, quibus fretus hæc omnia facit.] Spes, scilicet rapinarū à spe cōmodorū, quibus im-
pulsus bellū facit patriæ: quæ sunt facinoris causæ, & uoluntatem impellunt. Quibus uos producūt.] Quibus nihil
aliud quærūt, quàm ut bellū differatur, donec Antonius Mutinā expugnet, & ad urbē cum exercitu ueniat. Equidem
tantū abest, ut eum.] Acta Antonij reprehēdit, & eum nihil iure fecisse coarguit, & suo iudicio hostem iam pridē iure
esse iudicatum. Primum, quoniā Macedoniā.] Certioribus signis confirmat Antoniū hostē senatus esse: de quibus
quantū satis est, in Philippicis diximus. Quod si non statim.] Occupatio. Non si tūc non statim punivistis, idcirco
ignouistis, aut ignoscere debetis: sed grauius punire, quod delictis delicta addidit. Qui cum tales sitis.] Id est, lenes,
clementes, faciles: amplificat crimina à lenitate senatus. quo enim lenior est qui læditur, eo grauior iniuria est. Vos
autē P. C. rerū præsentiū.] Quantū potest odiū in Antoniū excitat, ex eo quod senatus lenitate sit factus deterior. Ex
quo colligit, eum deploratæ salutis esse, & prorsus perditū ac profligatum. Nec existimare debetis.] Altera occu-
patio. Excusabāt Antonij amici pleraq; tanq̄ Senatus decreto Antonio permissa: præsertim in eo quod actis Cæsaris in-
quirendis illū præfecerant: quæ etiā cōprobarat Senatus. Respondet Cicero non esse rata habēda, quæ partim mendacijs, B
partim ui extorserat Antonius. Vis enim & dolus, iuri & æquitati repugnant. quare non tenent, quæ ui aut dolo sunt fa-
cta. Nam, ut inquit de Officijs Cicero, illis promissis standum non esse, quis non uidet, quæ coactus quis metu, quæ dece-
ptus dolo promiserit. Quod cum multa indigna.] Crimen exaggerat. Maiore pœna dignus, quòd uestra autorita-
te & potentia in uos abutitur. Est enim maiestatis crimen, minuere amplitudinem Senatus populiq; Romani. Nam
quis unq̄ crederet.] Excusat Senatū & culpā in Antoniū confert: Locus est à turpi uel absurdo, atq; etiā ex repugnan-
tibus. Absurdū enim est credere tanta sapiētia Senatū ea cōcessurū fuisse Antonio, quæ eius grauitati cōstantiæq; repug-
nant, nisi ui coactus fuisset. An non meministis, cum in Cæsaris morte.] Et de his satis dictū in Philippicis, & Plu-
tarcho in Cæsare & Antonio. Itaq; militibus, hisq; barbaris.] Philip. 13. Quis enim in Barbaria quisquā tam te-
ter, tam crudelis tyrannus, quam in hac urbe armis Barbarorū stipatus Antonius. Idem quoq; Philippica secunda, & a-
lijs. Maiestatis hoc crimen est: de quo ad L. Iuliam Maiestatis. L. prima. Et quid mirum.] Ex minore quanta sit An-
tonij tyrannis ostendit, ut excuset Senatum: quo minus pudeat, eius acta rescindere, eumq; condemnare.

Nemo igitur dicat ea iure & legitime facta, quæ ab eo iussi, coactiq; & dolētes con
cedere uisi sumus. Neq; enim non dicā in publicis, sed ne in priuatis quidē rebus ea ra
ta habent, quæ quis ui coactus fecerit. Et tamen quæ decreuistis, non ita magna esse, C
aut à more & consuetudine aliena inuenietis. Neq; enim rem intollerabilem facitis, si
Macedoniæ aut Galliæ alterius loco præsidere iubeatis, nec usq; adeo graue sit, si con
sul delectū habeat: uerū ea ferenda non sunt, quæ modo ipsi conspicimus, agrum no-
strū uastari, circūsederi sociorū urbes, nostras legiones cōtra nos ipsos armari, nostris
pecunijs nosipsos oppugnari, quę à uobis nec ei decreta sunt, nec decreturi fuistis. Ne
igit permittatis, ꝙ ei quædā cōcesseritis, ea facere quæ non permisistis. Nec existima-
te ei licere maiorē sibi assumere licentiā, quàm ante dedistis: quin potius eum maiori
odio persequi debetis, eiq; maiorē inferre pœnā, ꝙ cum in his & alijs omnib. honore
atq; humanitate à uobis sit affectus, uestris beneficijs in uos abusus est. Id nūc ipsi co-
gitate. Vos me autore ut pax & cōcordia inter ciues fieret cōstituistis: cūq; ei mandas-
setis, ut is huic pacificationi præesset, per speciē sepeliendi Cæsaris, rem eo adduxit, ut
tota ferè urbs incendio conflagraret, multiq; interficerentur. Vos omnia Cæsaris acta
& dona cōfirmastis: non quo probaretis, sed quia utile uidebatur nihil innouare, ut ra D
tio pacis atq; ocij haberet. Hic cum inquisitor harū rerū factus esset, multa quæ à Cæ-
sare lata non erant, abrogauit: nonnulla quoq; immutauit. nam prouincias, ciuitates,
immunitates, & preterea dignitates ijs qui ea possidebant, hoc est regibus, populis, ci
uitatibus adimebat, eaq; his qui antea non acceperāt donabat, idq; scriptutis & libris
Cæsaris corruptis: eis autē qui ei quod petebāt dare nolebāt, quæ acceperant aufere-
bat: alijs uendebat. Quę cū prouideretis, decreuistis ne qua tabula post mortē Cæsaris
figeret, in qua aliquid donatū à Cæsare scriptū extaret: tamē post uestrū decretū, mul-
tæ huiusmodi tabulæ fixæ fuerūt: nam dicebat necessariū esse, ut multa quæ in Cęsaris
actis inuēta fuerāt, promulgarent & fierēt. Vos igit ei mandastis ut hæc cū principib.
cōmunicaret. is aūt uestra autoritate cōtempta, per se quod uoluit effecit, de legib. de
exulib. deq; alijs paulo ante numeratis: adeo uestris mādatis paratus est obtemperare.

Nemo igitur dicat.] Ex repugnantibus & contrarijs concludit: iure non fiunt, quæ ui fiunt. Neq; enim, non
dico in publicis.] Hoc etiam iurisconsulti aiunt, cum alibi tum ad legem Iuliam de ui publica Digestorum lib. 48. L. X.
Et tamen quæ decreuistis.] Id est, quæ ab Antonio coacti decreuistis. Comparat enim illa cum præsentibus Antonij

A *maleficijs, ut si illa ferenda uidentur, hæc non esse intelligant: aut si illa punienda, multo magis hæc punienda sint.*
Neq; enim rem intollerabilem.] Declarat quod obscurius dixit. Agrum nostrum uastari.] Frequentatione enumerat ea quæ facit Antonius contra Rempublicam, ut hostem eum esse intelligant. Et attende similiter desinentibus suauitatem conciliari dictioni. Quod cum in his atq; alijs omnibus.] Amplificat Antonij scelera, à senatus humanitate, ut antea fecit. nam sæpius eodem redit, quod ualeat ad odium excitandum. Vos me autore ut pax.] Id uidimus in Ciceronis oratione de Pace. Cumq; ei mandassetis.] Eum contra fidem mandati fecisse ostendit, ut in omnibus perfidiose eum egisse ostendat. Per speciem sepeliendi Cæsaris.] Intelligit funebrem orationem quam in Cæsaris laudem habuit Antonius, quæ cum his edita est. Vos omnia Cæsaris acta.] Philippica prima. Primum igitur acta Cæsaris seruanda censeo, non quò probem: quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis & ocij. Hic cum inquisitor.] Satis multa dicta sunt in Philippicis, de ementitis Cæsaris actis, & Antonij ex his nundinatione. Decreuistis ne qua tabula.] Philippica prima. Assentiri etiam nos Ser. Sulpitio clarissimo uiro uoluit, Ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæsaris aut beneficij figeretur. Hoc autem refert, ut eum contra decreta senatus fecisse aperte coarguat. Cum principibus.] Cum consularibus, & ex patribus, primis atq; optimis. De legibus.] De quibus Philippica prima & secunda multa. De exulibus.]
B *Scilicet restituendis, de quibus in Philippicis. Adeo uestris mandatis paratus est obtemperare.] Epiphonema cum ironia, qua perstringit aduersarios, qui dicebant Antonium paratum esse obtemperare senatui.*

At dicemus nos eum in his tantum se ita gessisse, in alijs uero moderatum fuisse?
Quid? an non pecunia publica à Cæsare relicta quæ istius curæ cõmissa erat, dissipata
est? pars fœneratoribus reddita, pars in luxu & delicijs consumpta? adeo ut eiusmodi
pecuniæ nihil iam apud ipsum reperiatur? Dictaturæ nomen propter eius dignitatis
potentiam nobis inuisum, atq; idcirco à nostra Republica penitus exclusum, nónne
hic sibi uendicauit? id quidem nomen quod ipsum per se nocere posset, ipse sibi non
assumpsit: Dictatoris uero munus & potentiã palàm exercet. Et quanq̃ moderatorẽ
& gubernatorẽ pacis illũ delegissetis, ipse tamen tot bella excitauit, quæ uos in Cæsa
rem & Decimũ non decreueratis, cum utrunq; probetis. Possem innumera referre si
singula liberet persequi, quæ uos ei tanq̃ Consuli cõmisistis, quorum ipse nihil ut de-
bebat effecit, sed potius per potestatẽ à uobis acceptam, contra uos omnia egit. Præ-
C stabitis igitur uos quæ male ab eo acta sunt, & dicetis uos horum omniũ causa fuisse,
quoniã eam inquisitionẽ & procurationẽ ei cõmisistis? At hoc iniquum esset, nam si
quis imperator aut legatus eligatur: isq; rem male gerat, uos tamẽ qui munus deman-
dastis accusandi non estis. Indignum enim fuerit eos qui ad aliquod munus eliguntur
honores tantum & præmia recte factorũ capere: uos autẽ malefactorũ pœnas dare.
Sed hunc audiamus necesse est, qui dicit: uos mihi Galliam tradidistis: uos publicæ pe
cuniæ curam demandastis: uos mihi legiones Macedonicas concessistis. & quidem
ei hæc decreto concessa fuerunt, si tamen decretũ dici potest: nihilominus ob hanc ip-
sam causam puniendus est, quod uos ad ea decernenda coegit inuitos. Sed tamẽ non
decreuistis ut leges mutarentur, ut ciuitates immunitatesq; uenirẽt: nec ut bona pub-
lica diriperentur: nec ut socij spoliarentur, nec ut ciuitates damnis adficerentur: nec ei
unq̃ concessistis ut patriã tyrannide tentaret. nam etsi multa decreta fecistis, nihil ta-
men huiusmodi sanxistis. Verũ si quis fieri tyrannus tentauit, uos eum pro uestra ui-
D rili pœnas dare coegistis: uelut etiam hunc si mihi credideritis, dare cogetis: præsertim
cum talis fuerit non in his rebus modo, uerumetiã in omnibus quæ gessit Reipubli-
cæ nomine. nihil igitur de uita ipsius priuata dicam, de luxuria, de auaritia: non quo
multa non possem, sed quia me illa certe pudet proferre, apud uos præsertim qui præ-
clare nostis, quo pacto pueritiam egerit, quomodo adolescentiã prostituerit: occultas
concubinas, publicas meretrices, quid à quoq; pateretũ, quidq; ipse faceret ut poterat:
conuiuia, crapulas, ebrietates, atq; alia omnia quæ hæc consequuntur. Fieri enim non
potest, ut qui in tanta turpitudine & impudicitia educatus est, non totã uitã conspur-
carit: quibus uitijs coopertus, ad res priuatas transtulit luxuriam, & ad publicas auari-
tiam. Præterea omittam eius in Aegyptũ ad Gabiniũ profectionẽ, fugã ad Cæsarẽ in
Galliã, ne quis dicat me ista curiosius inquirere. sed pudet me uestri P. C. qui cum hũc
talem esse sciretis, nihilominus cum Tribunũ & ducem, post etiam Consulẽ fecistis:
Idcirco quæ flagitiose & impie in his magistratibus cõmiserit, exponam.

At dicemus nos.] Occupatione ad alia Antonij facta reprehendenda transit. An non pecunia publica à Cæsare relicta.] Pecuniam intelligere uidetur quam Cæsar de Pompeianorum bonis ad Opis ærarium collocarat: de qua in Philip-

in Philippicis satis multa. Dictaturæ nomen.] *Et de Dictatura in Philippicis.* Possem innumera refer- A
re.] *Præteritione crimina auget Antonij.* Præstabitis igitur uos.] *Omnibus modis conatur liberare culpa sena-
tum. nam cum ei senatus tanquam consuli earum rerum procurationē mandasset: uidetur senatus non esse immunis à cul-
pa earum quæ male administrauerat Antonius. Sed respondet Cicero, qui fortuitò, id est, quod dicunt per accidens, cau-
sam mali alicui præbuit, eum extra culpam esse. Et uerum est quod nostri dicunt: Si dano gl' ufficij, ma non la discretione
& la prudenza. Dantur quidem officia: sed non cum officio datur prudentia.* Nam si quis imperator.] *Simili-
tudine rem illustrat.* Indignum enim fuerit.] *Ostendit rei indignitatem & iniquitatem.* Vos mihi Gal-
liam.] *προσωποποιία est, qua Antonij personam fingit, eiq; sermonem tribuit, ut refellat.* Si tamen decre-
tum dici potest.] *Correctio. neq; enim decretum dici potest, quod ab inuitis extortum est.* Sed tamen non decre-
uistis.] *Refellit Antonij rationem, ostendens eum ea fecisse quæ decreta non fuerant. Et est grauis criminū eius frequen-
tatio.* Verum si quis fieri tyrannus tentauit.] *ἀντίθεσις, qua Antonio pœnas minatur, & auget orationem,
permotis ad ultionē animis.* Nihil igitur de uita ipsius priuata dicam.] *Præteritio ad suspicionē intendendam
& augendam, & tamen summa celeritate eius flagitia percurrit, quæ diligentius in secunda Philippica est persecutus.*
Atq; alia omnia quæ hæc consequuntur.] *Rapinæ, cædes, ueneficia, fraudes, & id genus innumera, quibus eum in
contemptionem trahit.* Ad res priuatas.] *Vtrunq; uiuendi genus, & priuatum, & publicum uituperat: & sig-* B
nificat illum publicè rapuisse, ut priuatis uoluptatibus indulgeret. Omittam præterea eius in Aegyptum.] *De
hac re Philippica secunda: Inde iter Alexandriam, inquit, contra senatus autoritatem, contra religiones: sed habebat du-
cem Gabinium, qui cum quiduis rectissimè facere posset, &c. ibidem.* Sed pudet me uestri P.C.] *παῤῥησία
est. liberius enim senatum reprehendit. Valet autem ad pudorem ante actorum in animis eorum immittendum. Et hinc
sumit occasionem ea quæ deinceps egit in magistratibus, reprehendendi.*

Hic igitur cum Tribunus plebis esset primum uetuit ne tunc præsentē Reipubli-
cæ statum recte atq; ordinē componeretis, unusq; clamitās, cōmuni ciuitatis paci ob-
stitit. quod cum uos moleste tulissetis, eiusq; causa quod tunc uisum fuit decreuissetis,
tamen iste relicto magistratu, ex urbe profugit, à qua non licebat per legē eum unam
noctem abesse. cumq; ad Cæsaris arma cucurrisset, eum in patriam reduxit, & nos ab
urbe atq; à reliqua eiecit Italia, ac breui omniū ciuiliū bellorū causa fuit, omniūq; ma-
lorū quæ post nobis euenerūt. nam si hic tunc se nobis non opposuisset, Cæsar nullam
unquam contra nos arma capiendi occasionē habuisset. Quod si etiam impudenter C
aliquam insignē potentiā contra nostra decreta cōparasset, nos armis aut uolentē aut
inuitum mitigassemus. Verū iste fuit, qui ei belli causam dedit, qui senatus dignitatem
dissoluit, qui militū auxit audaciam. Hic ille est qui semina malorū omniū sparsit, quæ
post sunt consequuta, hic cōmunis calamitas non modo nostrū sed omniū mortalium:
quod & dij ipsi signis & monstris indicarunt. Nam dum iste suas illas admirabiles le-
ges ferret, totū cælum tonitruis & fulminibus concutiebatur: quæ cum contemneret,
quamuis augurē se diceret, totam non modo ciuitatē, uerumetiā Italiā ut dixi, infini-
tis malis repleuit. quid dicam ut magister equitū per integrū annū esse uoluerit? quod
ante hunc, contigit nemini. quid? quàm intemperanter inter uos uixit: ut in cœtu po-
puli Rom. in ipso tribunali, è quo orationē habebat, crapulam uomuit? quid? cum iste
meretricibus, concubinis, lenonibus, parasitis, non hominibus modo, sed etiā mulie-
ribus comitatus cum lictoribus laureatis peragrabat Italiā? quid dicā istū solū ausum
esse Pompei bona redimere, nulla habita ratione nec dignitatis suæ, nec illius uiri me-
moriæ. sed cum per libidinē direptis, dissipatisq; bonis, quorū causa tum etiā gemeba D
mus, inuasit non modo in Pompei fortunas, sed etiā aliorū, tanq; nullā unq; esset ratio
nē redditurus? quā tamen reddere coactus fuit: adeo ab ipso etiā Cæsare contemneba
tur. quæcunq; uero contraxit, quæ multa & uaria fuerunt: quæ extorquere uarijs & di-
uersis modis potuit, omnia in aleā scortaq; consumpsit, & quasi altera Charybdis ab-
sorpsit. Sed ut hæc missa faciamus, quis tum silentio præterire possit Reipublicæ in-
iurias & cædes per totam urbem factas?

Cum Tribunus plebis esset.] *Philippica secunda: Nam cum L. Lentulo, C. Marcello consulibus Calendis Ianuarijs
labentem & propè cadentem Rempublicam fulcire cuperetis: ipsiq; C. Cæsari, si sana mente esset, consulere uelletis: tum
iste uenditum atq; mancipatum Tribunatum consilijs uestris opposuit, ceruicesq; suas ei subiecit securi, qua multi in mi-
noribus peccatis occiderunt. & alia quæ ibidem sequuntur.* Cumq; ad Cæsaris arma.] *Philippica secunda. Tum
contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisq; imperijs & potestatibus, quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsa-
ris cōtulisses.* Nam si hic tunc se nobis nō opposuisset.] *Ibidē: Tu, tu inquā M. Antoni princeps C. Cæsari perturbā
re omnia cupienti, causam belli cōtra patriā inferendi dedisti. quid enim aliud ille dicebat, quàm causam dementissimi sui
cōsilij & facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, ius Tribunitiū sublatū, circumscriptus à senatu esset Antonius?*

A Hic ille est qui seminas malorum.] Vt igitur in seminibus (inquit Philip. 2) causa est arborum & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Vide ibidem reliqua mirifica copia amplificata. Quod & dij ipsi signis.] A testimonijs diuinis confirmat quod dixit: & acta Antonij reprobata esse ostendit. Nam dum iste suas illas admirabiles leges ferret.] Declarat diuina testimonia & prodigia, & immiscet ironiam ad legum contemptionem. Sic etiam Philippica secunda. Hæc causa, inquit, cur lex tam egregia, tamq; præclara, maximo imbri, tempestate, uentis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ferretur. Quid dicam, ut magister equitum per integrum annum esse uoluerit?] Quales tribuni celerum apud reges, tales fermè apud Dictatores magistri equitum fuere. Et ut Dictatoris ius summum in populum fuit, sic in omnes milites & accensos magistro equitum fuisse, traditum est. Atq; id demum officij fuit magistris equitum apud Dictatores, quod tandem præfecto prætorio apud Cæsares, & apud reges Galliæ Connestabili, quem uocant. Itaq; ut Dictaturam propter eius amplissimam potentiam, ultra sex menses retinere non licuit: sic magister equitum in eo munere plus quàm sex menses esse non debuit. Sed cum Cæsar se Dictatorem perpetuum creari uoluisset, potuit eodem iure eundem magistrum equitum perpetuum retinere. Quid? quàm intemperanter.] Ad singularem Antonij intemperantiam & leuitatem uenit, quo magis illum contemptibilem reddat. Hanc præclarè ante oculos ponit in secunda Philippica: Sed hæc, inquit, quæ robustioris improbitatis sunt omittamus: loquamur potius de nequissimo genere leuitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiæ
B nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie. O rem non modo uisu fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu uero populi, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is uomens frustis esculentis uinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal impleuit. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus, ueniamus ad splendida.

Quid? cum iste meretricibus.] Hanc pompam, & Bacchi triumphum describit orator Philippica secunda. Ecquod enim unquam in terris, inquit, tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur: quam ex oppidis municipales homines honesti obuiam necessario prodeuntes, non uero illo & mimico nomine, sed Volumniam salutabant. sequebantur Rhedam cum lenonibus, comites nequissimi, & ibidem reliqua. Quid loquar, istum solum ausum.] Sectorem ostendit fuisse Antonium, & quidem Magni Pompeij bonorum, quod quidem honesto ciui turpissimum est. hanc turpitudinem exaggerat in Philippica secunda. At quam insolenter, inquit, statim belluo inuasit in eius uiri fortunas: cuius uirtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iustitia charior & cætera ibidem.

Quam tamen reddere coactus fuit.] Ibidē, cuius tu, inquit, imperatoris Quæstor fueras, Dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis autor, prædæ socius, testamenti, ut ipse dicebas, filius, appellatus es de pecunia quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas, &c. quæ ibi narrat suauissime. Quæcunq; uero contraxit.] Coniungamus & illum alterum ex secunda Philippica similem locum, propter eius pulchritudinem & incredibilem copiam. Sed
C ut est apud poetam nescio quem, Male parta male dilabuntur: Incredibile ac simile portenti est, quo nam modo illa tam multa, quàm paucis non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus uini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, preciosa uestis, multa & lauta supellex, & magnifica, multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. quæ Charybdis tam uorax? Charybdim dico? quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisset & cætera ibidem multa.

An non meministis quàm grauis, quàm formidabilis uel solo esset aspectu, sed tamen grauior etiā & formidolosior factis? qui, ô terrestres cœlestesq; dij, ausus est hoc in loco, intra hæc mœnia, in foro, in senatu, in capitolio, purpuream uestem induere, gladium accingere, lictores & milites sui corporis stipatores habere. Deinde cum sedare & pacare aliorum tumultus posset non modo id non fecit, sed inter uos qui optime cōsentiebatis, dissidia, partim ipse per se, partim per alios disseminauit, atq; horum
D nonnullis, cum sibi eos adiunxisset, & una cum illis ad arma concurrisset causa necis fuit, obstititq; quo minus omnia Ponti & Parthorum loca uicto Pharnace caperentur. Nam Cæsar cum repente huc redire cogeretur, nihil eorum perfecit, quæ si stetisset, perficere potuisset. Nec tamen post factus est uerecundior. nam cum esset consul P C. nudus & unctus in forū Lupercalibus processit, ibiq; unà cum lictoribus ad sellā accessit, & ex inferiori loco concionem ad populum habuit: quæ res post Romam conditam non dico à consule, sed nec à Prætore, nec à Tribuno, nec ab Aedili facta unquā fuit. Lupercalia erant, quæ Iulio ludis socialibus decreta fuerant, ad eam concionem institutus fuerat à Sex. Clodio, cui duo millia iugerum campi Leontini assignauerat. O bone uir Consul eras, tibi non licebat in foro, apud sellam curulem in cōspectu omnium nostrū ita concionari, ut tuum admirabile corpus & lacertosum simul & flagitiosum contemplari possemus, utq; tuam istam sceleratam & fœdam uocem de grauibus rebus credo, differentem, audiremus: de tuo enim ore sic potius quàm alio modo loqui placet. Lupercaliorum religionem uitiasti, totamq; ciuitatem ignominia

afficisti,ut ea taceam quæ tunc dicta fuerunt. quis nescit consularē dignitatē in pop. A totius oculis uersari:idcirco ubiq; decorum & grauitatem esse cōseruandam:nec esse ullam nudandam corporis partem,aut aliquam ignominiam concipiendam?

An non meministis quàm graues.] Illud tempus innuit,cum post Pharsalicam pugnam, Antonius Romæ quendam dominatum nomine Cæsaris obtinuit. quam rem ita describit Dion lib. 42. Antonius,inquit,quanquam uestis specie,quæ purpurea erat,& lictoribus,quos sex tantum habebat,& habēdo senatu,quandam imaginem popularis status faceret: tamen gladio quo erat accinctus,& multitudine militum quibus stipatus incedebat,necnon etiam factis,tyrannidē quandam præ se ferebat,&c. *Deinde cum sedare & pacare.*] Hanc quoq; Antonij tragœdiam diligenter perscripsit Dion eodem lib. 42. & nos quædam in Laudatione funebri notauimus. *Nec tamen post factus est uerecundior.*] Transit ad aliam Antonij insignem improbitatem. Vide Dionem lib. 44. *Nam cum esset consul.*] Hoc etiam factum magna cum grauitate Philippica secūda obiecit Antonio: Sed ne forte,inquit,multis rebus gestis,M. Antonij rem unam pulcherrimam transiliat oratio,ad Lupercalia ueniamus. & mox,quæ potest esse turpitudinis tanta defensio? cupio audire,ut uideam ubi Rhetoris tanta merces,ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in rostris collega tuus amictus toga purpurea,in sella aurea,coronatus: ascendis, accedis ad sellam, ita eras Lupercus, ut esse consulem meminisse deberes. Diadema ostendis. gemitus toto foro. unde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum & excogitatum scelus. B Item paulo post: O præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus, & alia quæ sequuntur. Item Philip. 3. Nec uero M. Antonium consulem post Lupercalia putare debuistis. quo enim ille die populo Romano inspectante,nudus,unctus,ebrius concionatus est, & id egit ut collegæ diadema imponeret, eo die non modo consulatu,sed etiam libertate se abdicauit. Est tamen & hic ipse locus in hac oratione,pulcherrimus, alijs figuris, alijsq; exemplis,alia item uia tractatus. Directè illic & sine dissimulatione omnia tractantur: hic κατ' εἰρωνείαν, & contrarijs exemplis res agitur ad suauitatem orationi conciliandam. Hæc notatio & obseruatio prodest,ad imitandi rationem & meditationem. *Lupercalia erant,quæ Iulio ludis socialibus decreta fuerant.*] Hoc testatur Dion lib. 44. Deinde,inquit,ei consecrarunt quinquennalem celebritatem, tanquam Heroi & sacerdoti, nudis lupercis, sodalitatem quandam Iuliam appellantes. *Quis nescit consularem dignitatem.*] Locus cōmunis de decoro in magistratu seruando. bene enim Ennius: Flagitij principium est,nudare inter ciues corpora.

Verum forsitan iste Oratium illum ueterem & Clœliam imitatus est, quorū illa stola sua amicta flumen enatauit: Oratius uero armatus se deiecit in flumen. rem sanè præclaram faceremus si & huic statuam poneremus, ut quemadmodū armatus in Tyberi uisus est Oratius,sic iste nudus in foro conspiceretur. & illi quidem illis factis nos conseruarunt,& in libertatem asseruerunt: hic uero quantum in eo fuit,libertate priuauit, C totumq; popularem statum labefactauit,& pro consule,dominum: pro dictatore,nobis tyrannum imposuit. nisi obliti estis,quid dixerit cum ad tribunal staret, quid item fecerit cum eo conscendisset. Consulem,& Romanum consulem ausum fuisse regem Romanorum aliquem appellare,idq; in libero tribunali in conspectu totius populi senatusq; Romani. Præterea diadema capiti eius imponere, mentiri coram uobis omnibus,cum diceret nos ei mandasse ea diceret & faceret. Quid iste facere non audeat? Quid est tā graue à quo ille iam abstinere possit? Nos Antoni,nos tibi ista mandauimus: nos inquam,qui Tarquinios exegimus, qui Brutum amauimus, qui Capitolinum præcipitē egimus,qui necauimus Spurium: nos tibi mandauimus ut aliquem regem salutares? qui uel nomen ipsum odio persequimur, cuius etiam causa dictaturam execrati sumus. Mandauimus nos ut aliquem tyrannum nobis imponeres, nos qui Pyrrhum Italia expulimus: Antiochum ultra Taurum montem persecuti sumus: Macedoniam à tyrannide liberauimus? non per Valerij fasces, non per legem Portiā, D non per Horatij femur, non per Mutij manum, non per Decij hastam, non per Bruti gladium. At tu scelestè supplex petebas ut seruires, & tanquam Posthumius tradere-re Samnitibus, tanquam Regulus redderere Carthaginēsibus, tanquam Curtius terræ hiatu absorberere. & ubi tu scriptum hoc reperisti ut Cretenses post Bruti discessum liberi essent, quos nos uectigales esse post mortem Cæsaris decreuimus.

Verum forsitan iste Oratium illum.] Contrarijs exemplis κατ' εἰρωνείαν amplificat. Oratium autem siue Horatiū Coclitem cognomento intelligit, cuius & Clœliæ uirginis stupenda facta describit Liuius lib. 2. & Valerius Max. lib. 3. cap. 2. de Fortitudine. Virgilius quoq; Aeneid. 8.

Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere: ingentiq; urbem obsidione premebat.
Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemq; minanti
Aspiceres: pontem auderet quòd uellere Cocles:
Et fluuium uinclis innaret Clœlia ruptis.

Si &

A Si & huic statuam.] Ironia est sanè ridicula, quod ad Antonium attinet. Horatio uero statua in comitio posita est: agri quantum uno die circumarauit, datum. Liuius. Et illi quidem,] Amplificat contentione, ad Antonium in odium trahendum. Nisi obliti estis quid dixerit.] Regem appellauit: diadema capiti eius imposuit, dicens. Populus tibi per me hoc donat. Dion lib. 44. Consulem, & Rom.] Auget rem ex nominum significatione & proprietate. Nam & consul debet ciuibus consulere: & libertas propria est Romani nominis & seminis, ut ipse in Philippicis dixit. Idq; in libero Tribunali.] Amplificat ex loco. In conspectu totius P.S.Q.R.] A personarum dignitate. Praeterea diadema.] A re ipsa & facto. Mentiri.] A turpi, & iniusto. nihil turpius, quàm mentiri: praesertim hominē magistratū gerentē. Quid iste facere non audeat?] Amplificat comparatione, ex maiore. nam qui maiora audet, & minora audebit. quale est illud Terentianū in Adelp. Nam qui mētiri aut fallere insueuerit patrem, aut audebit, tanto magis audebit caeteros. Nos Antoni, nos.] Ingreditur grauissimam Antonij reprehensionem, quam copia exemplorum instruit: & crebris eiusdem uerbi repetitionibus uehementiorem reddit. Exempla à Liuio copiose describūtur. inde igitur petenda. Nos autem, non ad tum praesentes, sed ad genus Romanorū refertur.

Qui Brutum.] Intelligit L. Iunium Brutum, qui reges exegit. Qui Capitolinum.] M. Manlium intelligit, qui capitoliū à Gallis defenderat. Hic cum obstrictos aere alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio, id est de ea arce quam defenderat, deiectus est. Liuius lib. 6. Qui necauimus Spurium.] B Duo fuere Spurij nomine, affectati regni suspicione damnati: quorum alter Sp. Cassius, alter Sp. Melius: illum necauit pater: hunc Seruilius Hala iussu consulis interemit. Liuius lib. 3. & 4. de utrouis hic locus intelligi potest. Qui uel nomen ipsum odio persequimur.] Ex minore. nam si nomen, ergo multo magis rem, id est regnum, & regium dominatum. Quod autem dicit, odiosum esse regis nomen, intelligendū est de ijs qui Romae fieri reges uellent, idq; propter Tarquinij superbi tyrannidem: alioqui Romanis regium nomen apud alias gentes, sanctum semper fuit & uenerandum. Cicero pro Deiotaro rege. Semper regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit. Sociorum uero regum & amicorum, sanctissimum. Macedoniam à tyrannide liberauimus.] Capto scilicet Perse, & Pseudophilippo debellato. Praeclara uidelicet liberatio, reges proprijs sedibus pellere, ut ipsi durius imperarent, & soli rerum potirentur. Sed Cicero suae seruit scenae. Non, per Valerij fasces.] Non, scilicet tibi hoc mandauimus. Et per Valerium Publicolam iurat, quod is regibus exactis, quando Collatinus non placuit, primus cum collega consul fuit, & libertatis studiosissimus, cuius consulatum & res praeclare gestas Liuius complexus est, & Plutarchus, qui uitam eius scripsit. Non per legem Portiam.] Huius legis meminit Liuius lib. 10. Portia tamen lex sola, inquit, pro tergo ciuium lata uidetur: quod graui poena si quis uerberasset, necassetue ciuem Romanum sanxit. Idem dicit Cicero pro Rabirio perduellionis reo.

Non per Horatij crus.] σκέλος, ut Caelius Rhodiginus testatur, totum id uocatur, quod ex coxa, & crure, & sphyro, & pede consurgit. Videtur autem Cicero cruris nomine, uel Horatij fortitudinem innuere, qui firmus & inuictus in Ponte contra hostes stetit, donec retro pōs abscinderetur: uel Horatiū crus cum se in Tiberim deiecisset, fregisse: C quod tamen apud nullum adhuc scriptorem legi. Non per Mutij manum.] C. Mutius, cui postea Scaeuolae à clade dextrae manus cognomentum inditum, cum ad feriendum Porsenam castra hostium intrasset, occiso purpurato scriba quem regem esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est: dixitq; tales trecentos esse coniuratos in mortem ipsius regis. quorum admiratione coactus Porsena pacis conditiones ferre, bellum omisit. Liuius lib. 2. Val. Max. lib. 3. cap. 3. Non per Decij hastam.] Duo fuerunt Decij, cognomento Mures appellati: qui se pro patria deuouere, quorum historiam uide apud Liuium lib. 8. & Val. Max. lib. 5. De pietate erga patriam. Non per Bruti gladium.] Quo gladio reges exegit. Supplex petebas ut seruires.] Philippica secunda. At etiam misericordiam captabas: supplex te ad pedes abijciebas: quid petens? ut seruires? &c. sed hic huius orationis locus longe amplior est, & exemplis illustrior. Tanquam Posthumius traderere Samnitibus.] Hic propter turpe cum Samnitibus foedus, deditus eis à Romanis fuit. Historiam describit Liuius lib. 9. Aliorum quoq; exemplorum historiae in promptu sunt, apud Liuium, Valerium Max. & alios: De Regulo etiam Cicero de Offic.

Vt Cretenses post Bruti.] De hac re copiose dictum Philippica secunda.

Vos igitur P. C. cum in talibus tātisq; rebus sceleratum istius animū cognoueritis, D hunc non punietis? & expectabitis quid in uos possit armatus, qui tantopere nocuit nudus? Existimatis uos hunc ad tyrannidem nō aspirare, quod se consequi posse non speret, aut eum principatus spem unquam abiecturum, pro quo cum tot tantaq; fecerit nunquam tamē poenas dedit? Quis enim ille est qui cum linguam tantum sui iuris habeat, eaq; alterum iuuet, nō potius se siquidem possit, sit adiuturus? Quis est qui cum ausus sit sibi & patriae tyrannū imponere, nō se potius dominum quàm alium esse uelit? Quamobrē etiamsi ipsi tunc ignouissetis, nunc tamē maiore illū odio persequi debetis, nec expectare quid ille sit facturus, si ei bene cesserit: sed potius prouidere ne quid uobis deterius eueniat, ijs admoniti quę ausus est perpetrare. Sed iure aliquis dicat: Caesarē recte fecisse qui regis nomen & diadema reiecit. quid? non igitur dicemus iniuste fecisse, qui ei id obtulit quod uel ipsi Caesari displicuit? Verum in eo peccauit Caesar, quod initio pertulit cum talia & audiret & uideret. Si ergo Caesar ob id iure interfectus est, nónne is meritis est afficiendus poenis, qui uiam sibi ad tyrannidem patefacit? Atq; hoc quidem perspicuum est, partim ex ijs quae dicta sunt, partim ex ijs quae

post

post Cæsaris mortem patrauit. Nam quanam alia de causa quum securus in ocio esse A
posset, omnia perturbare studuit? cur cum domi sine periculo esse liceret, dux exercituum & copiarum esse maluit? cumq; multi sint, qui prouincias sibi decretas nolint relinquere, cur iste nō modo sibi Galliam arrogat, quæ nihil ad eum pertinet, sed etiam per uim sibi uendicat? Cumq; Decimus Brutus & legiones, & urbes, & se uobis tradiderit, cur iste non modo non imitari uoluit, sed præterea etiam circumsedet? Negari non potest quin hæc & alia omnia contra nos & comparentur & constituantur. quę cum uideamus, adhuc tamen remissi & languentes sumus: atq; tantum cōtra nos tyrannum educamus. Nónne turpissimum fuerit maiores nostros, qui in seruitute nati erant, liberos fieri cupiuisse: nos qui in legum æqualitate uiximus, nūc uolentes seruitutem pati? & cum libenter à Cæsaris dominatu liberati simus, quamuis ab eo multa beneficia acceperimus, ijdem sponte Antonij dominatū eligamus? Qui tanto deterior est Cæsare, quanto ille quāuis uictor in bello, tamen multis pepercit: hic aūt ante B
quam quicquā posset, trecentos milites trucidauit: atq; inter eos quosdā centuriones, qui nihil peccauerant. Hoc autē fecit in propria domo, ante pedes uxoris suę, adeo ut eam quoq; sanguine expleuerit. qui cum tam crudelis extiterit in eos, quos tunc colere debuisset, qua crudelitate in nos usurus esset uictor, cogitate: & qui in tanta turpitudine uixit, cum armis maiorem sibi potentiam comparauerit, ad quantam sit uenturus insolentiam, uobiscum reputate. Nolite igitur P. C. expectare ut posteaquam talia passi fueritis, uos sero pœniteat: quin potius ante prouidete. turpe enim est cum mala impendentia cauere possis, post ubi uenerint de illis cogitare. & simul uidete ne rerum præsentium negligentia & non curantia, alio Bruto & Cassio opus habeatis: res namq; irrisione digna foret, si cum per uos ipsi uobis adesse possitis, post quæreretis qui libertatem uobis restituerent, quos fortasse inuenire non possemus: præsertim si hoc tempore rem tantam tam negligenter gesserimus.

Vos igitur P.C.] Postquam satis Antonij factum reprehendit, & exemplis amplificauit, conuertit sermonem ad senatum, ut illum ad pœnas de Antonio sumendas inflammet: quod quidem plerunq; solent oratores facere, ut argumētis, quasi amentatis hastis hostem deijciant & prosternant. C *Qui tantopere nocuit nudus.] Respicit id tempus, quo tempore nudus diadema Cæsari imposuit. Est autem hæc iucunda contentio, armatus, nudus: & argumentum ex minore, ut etiam duo sequentia sunt, eaq; firma. Quamobrē etiamsi.] Concludit, Antonio amplius ignoscendū nō esse.*

Sed iure aliquis dicat.] Anteoccupatio ad refellendam aduersarij rationē ex contrarijs & relatis. Relata sunt, dare & accipere: contraria uero recte abijcere, & iniuste dare. Si ergo Cæsar ob id iure interfectus est.] Ex minori cōcludit. Si Cæsar, quód talia passus est sibi fieri, iure interfectus est, multo magis qui id fecit. uel á simili & pari, si Cæsar iure cæsus est, quód tyrannidem affectauit: ergo etiam Antonius, qui sibi uiam ad eam patefecit. Sic etiam Philipp. 2. Quid indignius, quàm uiuere eum qui imposuerit diadema? cum omnes fateantur, iure interfectum esse qui abiecerit.

Atq; hoc quidem.] Redit ad ea quæ Antonius post Cæsaris necem egit, quod cum uiciniora & recentiora sint, magis faciunt ad animos in ultionem Antonij impellendos. Nam quanam alia de causa.] Vrget percunctationibus, ut quod uult extorqueat uel ab inuitis. Nónne turpissimū fuerit, maiores nostros.] A maiorum exemplis, qui se ex regia seruitute liberarunt, ad tuendam libertatem hortatur. Sunt autem & hæc omnia argumenta quæ sequuntur, ducta ex minore. Trecentos milites trucidauit.] De hac re Philippica quinta & decimatertia. Nolite igitur P.C.] Hortatur à tempore. Vos sero pœniteat.] Alludit ad illud prouerbium, quod in equo Troiano (tragœdia fuit sic appellata) scriptum fuit, Sero sapiunt Phryges. Turpe enim est.] Sententia qua admonemur D *præstare impendentia mala præcauere, quàm ubi uenerint de depellendis tum demum cogitare. Demosthenis est locus ex Philippica tertia. Alio Bruto & Cassio.] Id est, alijs tyrannoctonis, κατὰ μετωνυμίαν. Si cum per uos uobis adesse.] Vide apud Aulum Gellium lib. 2. cap. 29. de cassita auicula, quæ eadem est alauda, & galerita, elegantem fabellam atq; utilem, cuius sententiam in hunc modum protulit:*

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, tu quod agere possis.

Quis enim se pro republica in periculum uellet conijcere, si uideat uos ad seruitutem ferendam esse paratos? satis inter omnes constat Antonium nunquam his rebus finem facturum, sed paulatim ex remotioribus & minoribus suas opes contra nos auctürum. neq; enim aliam ob causam nunc bellum in Decimum gerit, obsidet Mutinā, nisi ut postquam eum deuicerit, & Mutinā expugnauerit, bellum nobisipsis inferat, cum nullam ab eis acceperit iniuriam, cuius ulciscendæ causa se ista facere possit affirmare. Nec existimare debemus, eum fortunas ipsorum cupere, & à nostris quæ mul-

A to ampliora ſunt, temperaturum. Expectemus igitur dum iſte hiſce atq; alijs opibus fiat potens & inuictus, credamus homini perfidioſo, neganti ſe bellum facere patriæ. Quis tam uecors eſt, qui ex uerbis potius quàm ex factis utrum aliquis bellum gerat, necne, metiatur? quanquam non nunc primum ego hunc hoſtem iudicaui, quod ex urbe profugerit, quod contra ſocios noſtros exercitum duxerit, quod Brutum inuaſerit, coloniam circumſedeat: ſed longe ante cognoui eum infeſto animo contra nos eſſe, cum & uiuo Cæſare, & mortuo multa iniqua & iniuſta faceret: quibus adductus ego hunc inimicum & inſidiatorem reipublicæ & libertatis noſtræ exiſtimaui. Nam quis ille eſſet, cui aut patria chara foret, aut tyrannis inuiſa, qui uel unum feciſſet ex ijs quę iſte tot tantaq; commiſit? Quocirca iamdudum multas ob cauſas tanquam hoſtis patriæ à uobis improbatus fuit. Verum ita ſe res habet, ut ſi primo quoq; tempore ulti fuerimus, quicquid amiſimus recuperaturi ſimus: ſin hoc contempto expectauerimus dum ipſe aperte fateatur ſe nobis inſidiari, falſi omnino erimus. quia etſi ille ad urbem acceſſerit, non hoc pręſe feret: neq; Marium & Cinnam & Syllam imitabitur,
B ſed ubi poteſtas in manu erit, nullum crudelitatis eorũ genus omittet, aut illis etiam crudelior erit. Qui enim aliquid ad exitum cupiunt perducere, aliud ſolent dicere, aliud facere, omnia diſſimulare, ut quod cupiunt adipiſcantur: poſtea uero quàm adepti ſunt quod uolebant, tunc nullo modo ſibi ab ijs quæ propoſuerant abſtinere poſſunt. Præterea poſteriores ſemper ſuperiorum nituntur audaciam ſuperare: ſimile uero aliquid facere, paruum putant, quod antea id commiſſum fuit: idcirco quæ inuſitata ſunt deligunt, tanquã ſe dignũ tum aliquid agant, & præter hominũ expectationẽ.

Quis enim ſe pro republica.] Oſtendit periculum futurum, ne deſerantur, ſi ipſi nihil fecerint. Satis inter omnes conſtat.] Terret, ut ad uindicandum exſuſcitet. Neq; enim aliam ob cauſam.] Demoſthenis ex tertia in Philippum oratione, multa & hic & in ſequentibus imitatur. Oſtendit enim periculum certum, ſi Antonius Mutina potiatur, & Brutum uicerit. Nec exiſtimare debetis.] Ab Antonij cupiditate, & ex minore. Expectemus igitur dum iſte.] Demoſthenes Philippica 3. Verum ſi tantiſper cunctabimur, dum ſe nobiſcum belligerari fateatur, erimus omnium ſtolidiſſimi. Quis tam uecors eſt, qui ex uerbis.] Demoſthenes ibidem: Eſt ne, prò deum fi-
C *dem, quiſquam ſanæ mentis, qui an pacem quis ſeruet, an bellum gerat, è uerbis potius quàm ex factis æſtimarit?*

Quanquam non nunc primum.] Hunc locum ſæpius tractat, in eo diutius commoratur, ad eum ſæpius redit, quòd aptiſsimus ſit & efficaciſsimus ad animos permouendos. Nam quis ille eſſet.] Comparatione, hoſtem eum patriæ eſſe iudicat. Eſt enim hæc maior propoſitio: Nullus cui patria chara eſt, hæc faceret: ſequitur minor, Antonius hæc fecit: licet igitur concludere, illi patriam charam non eſſe. Vt ſi primo quoq; tempore.] Ad bellum mature ſuſcipiendum hortatur, quod & in alijs Philippicis ſemper fecit. Quia & ſi ille ad urbem acceſſerit.] Idem fere Demoſthenes: Niſi eos fortaſſe, inquit, qui machinas admoliuntur, pacem agere dicatis, donec eas iam ad ipſa mœnia admouerint. Nec Marium, &c.] Hoc eſt, non ueniet ad urbem tanquam hoſtis, ut Marius, Cinna, & Sylla fecerunt, ſed diſsimulabit donec potiatur, ut incautos opprimat, & per ocium debacchetur. Qui enim aliquid ad exitum cupiunt perducere.] Sententia de moribus hominum ſumpta, qua conſilia Antonij callida, atq; eius animum aperit: ut periculo cognito caueant. Præterea poſteriores ſemper.] Improborum naturam deſcribit, qui non conſiſtunt donec peruenerint ad ſummum. Vt enim qui uirtute cum uirtute contendunt, non quieſcunt donec ſuperiores uirtute euaſerint: ſic qui uitijs cum uitijs certant, pares ſe eſſe dedignantur: uincere audacia omnino uolunt.

D Quæ cum ita ſint P. C. ne iam differamus, nec præſenti ocio & ſecuritate fallamur, ſed potius futuram ſecuritatem inſpiciamus. Quid? nónne turpe eſt nobis Cæſarem, qui paulo ante puer erat, nec dudum inter adoleſcentes aſſcriptus eſt, tantam curam & ſollicitudinem pro republica ſuſcipere, ut etiam pro eius ſalute patrimonium effundat, milites aduocet: nos interea nihil opportune facere, nec pręſidia decernere: quanquam re ipſa eius erga nos beneuolentiam cognouimus. Quis quæſo iam eſt imperitus, qui non intelligat, niſi Cæſar huc cum copijs ex Campania ueniſſet, Antonium cum toto exercitu torrẽtis more ad urbẽ fuiſſe uenturũ? Indigna ſane res eſt, ut ueterani milites operam ſuam ultro pro noſtra ſalute polliceantur, nulla ratione habita aut ætatis, aut uulnerum, quæ pro nobis iam acceperunt: nos autem hoc bellum noſtra autoritate nolle confirmare, quod iam ipſi ſponte ſuſceperunt. His nos hoc deteriores ſumus, quod milites quidem laudamus, qui Antonium non ſunt ſequuti, ſed eum quamuis Conſulem reliquerunt, ſeq; ad Cæſarem, hoc eſt ad nos eo duce, ſe contulerunt: quod quidem ab eis iure factum dicimus, nec tamen ſenatuſconſulto comprobare uolumus, cum Bruto gratias egerimus, quod Antonium in Galliam recipere noluerit

fuerit, quodq; modo cum copijs in eum impetum fecerit, ut eum propelleret. Cur hoc idem ipsi non facimus? cur non & eos imitamur, quos laudamus, & iure facere prædicamus? Necesse quidem est alterum è duobus, aut omnes hi, Cæsarem dico, & Brutum, & milites ueteranos à uobis non iure legiones duxisse iudicentur: idcirco puniendos esse, quod sine senatus autoritate milites ausi sunt alij imperatorem suum, qui Consul esset, deserere: alij congregari, & contra eum arma mouere: aut Antonium hostem declarari, tum propter eius facinora, tum nostro iudicio, & nostro omnium decreto puniendum. Hanc autem sententiam non modo iustiorem, uerum etiam reipublicæ utiliorem esse nemo est qui nesciat. Etenim Antonius ipse sibi moderari nescit, nec uti rebus præsentibus nouit: neq; enim posset homo ebrietati atq; aleæ deditus, qui neminem apud se habet alicuius precij hominem: neminem amat præter sui similes, quos participes omnium consiliorū habet, cum quibus omnia & arcana & aperta cōmunicat. Idem in magnis periculis timidissimus est: infidus etiā amicissimis, quorū utrumq; turpe, in belli præsertim duce. Et quis ignorat hunc, quāuis autor omniū bellorū ciuiliū fuerit, Brundusii diu timiditate retentū fuisse? adeo ut parū abfuerit, quin ab eo desertus Cæsar fusus fugatusq; fuerit? Pòst se omnibus quæ sunt consecuta, subtraxit: contra Ægyptios, contra Pharnacem, in Africa item & in Hispania non fuit. A B

Quæ cum ita sint P. C.] Vrget ad celeritatem, ne ocio præsenti bonas opportunitates amittant. Idcirco longam securitatem breui ocio anteponendam esse, quæ bello suscepto possit comparari. Ex illo loco, diuturniora bona breuioribus esse anteponēda. *Quid? nónne turpe est nobis.]* Hortatur ab honesto, Cæsaris Octauij cōparatione ex minori.

Qui paulo ante puer erat.] Ita etiam eum uocat in alijs Philippicis. agebat enim uix tum cum hæc diceret Cicero, annum decimumoctauū. decimo uero sexto exacto deponebant prætextam, & sumebant uirilem togam: & tunc adolescentes incipiebant esse, ut alibi diximus. *Quanquam re ipsa eius erga nos beneuolentiam cognouimus.]* In eo scilicet quòd nobis ultro præsidia misit: & Antonium ab urbe auertit. Vide Philip. 3. initio. *Quis quæso tam est imperitus.]* Philippica 3. Quis enim est tam ignarus rerum? tam nihil de repub. cogitans, qui hoc non intelligat, si M. Antonius à Brundusio cum ijs copijs quas se habiturum putauerat, Romam ut minabatur uenire potuisset, nullum genus crudelitatis eum præteriturum fuisse? Vide etiam Philip. 4. post principiū. *Torrentis more.]* Aptissima similitudo torrentis è montibus ingenti impetu præcipitantis, & militum furoris. *Indigna sane res est.]* Ab indigno & inhonesto excitat ad acta confirmanda. nam æquum est senatum respondere studio militum in repub. defendenda. C

Quod milites quidem laudamus.] A quodam senatus præiudicio, quo eos laudauit: ergo etiam dare autoritatem debet. nam aut laudandi non erant, aut laudati sunt autoritate senatus muniendi. *Necesse quidem est alterū è duob.]* Talem locum tractauit etiam in Philip. 3. sed alijs uerbis & figuris, eo loco ubi dicit: Nam si ille Consul, fustuariū meruerunt legiones, quæ Consulem reliquerunt, &c. Item Philip. 4. initio statim: Nec enim, inquit, fieri potest, ut nō aut ij sint impij, qui contra Consulem exercitum comparauerunt: aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt. Item post: Si Consul Antonius, Brutus hostis: si cōseruator reip. Brutus, hostis Antonius. num igitur utrū horū sit dubitare possumus?

Etenim Antonius ipse.] Vituperat Antonium ab imprudentia & temeritate, & alijs leuitatibus, ut contemptibilem faciat. *Qui neminem apud se.]* Vituperat à comitibus & consiliarijs. *Idem in magnis periculis timidissimus est.]* Vituperat ab ignauia, ne eum reformident in bello. *Infidus.]* Facit odiosum hominem à perfidia. Et hæc omnia dicit Cicero, quo minus eum putent idoneū esse cui exercitus cōmittantur, etiā si maxime ei cū repub. conueniret. *Quorum utrumq; turpe.]* In imperatore enim duo maxime requiruntur, fortitudo & fides.

Et quis ignorat hunc.] Argumentis & certissimis signis eius ignauiam confirmat. docet enim quibus in bellis cum Cæsare non fuerit, cum tamen tunc maxime necesse fuisset. Idem facit Philip. 2. & alijs.

Quis nescit cum se in Clodij amicitiam contulisset, atq; eius tribunatu ad omnes suas res abusus esset, post eum suis manibus occisurum fuisse, si ego ei assentiri uoluissem? Cumq; Cæsaris quæstor in Hispania fuisset, & ab eodem cōtra omniū opinionē ad tribunatū admotus, deinde ab eo infinita pecunia donatus, & summis honoribus affectus, conatus est ei persuadere ut tyrannus fieret: ut is hanc ob causam occideretur. & ausus est mihi obijcere meo consilio Cæsarem interfectū esse: adeo demens est, ut hanc tantam laudem mihi falso ascribere nō dubitet. Illud tamen uere dicam, Antonium manu quidem sua Cæsarem non occidisse, nō quòd nollet, sed quia non est ausus: nihilominus factis suis, necis eius causam extitisse. is enim effecit, ut iure Cęsar cæsus esse uideatur. is eum regem appellauit. is diadema imposuit. is qui eius antea erāt amici, eos post contumelijs affecit. Scilicet ego gaudeam Cæsaris morte, ob quam nihil præter libertatem sum adeptus: Antonius uero non gaudeat, qui eius bona diripuit, qui actorum Cæsaris specie tam multa fecit, qui deniq; ad eius potentiæ successionem aspirat. Sed ad id redeo unde huc digressus sum. D

A *Quis nescit cum se in Clodij amicitiã contulisset.]* Philip. 2. Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga me beneficia cõmemorat, eius omnium incendiorũ fax. &c. Declinat aliquantulum à proposita disputatione qua cœperat disserere, in Antonio nõ esse ea quæ in bono imperatore requiruntur. hoc aũt facit maioris uituperationis & criminationis causa. *Cumq; Cæsaris quæstor in Hispania.]* Et de his Philip. 2. Hæc autem idcirco cõmemorat, ut Antonium erga Cæsarem ingratũ fuisse ostendat, qui à quo tot & tanta beneficia acceperat, eius mortẽ arte procuraret. Nam certum est, illa Lupercalia, & illud diadema Cæsari necem attulisse, ut ex Dione & Plutarcho didicimus. *Et ausus est mihi obijcere.]* Remouet ab se consilium de Cæsaris nece: & tamen ita, ut sibi laudi fore affirmet, si uerum fuisset: id quod Philip. 2. pluribus facit. *Sed quia non est ausus.]* Philip. 2. Quod nõ fecisti ignosco: uirum res illa quærebat. *Necis eius causam extitisse.]* Is enim profectò mortẽ attulit, qui causa mortis fuit, ut Cicero in nona Philip. dixit. *Is eum regẽ appellauit.]* Profert causas Cæsaris necis. Philip. quoq; 13. Tu, tu, inquit, illum occidisti Lupercalibus. *Scilicet ego gaudeã.]* Ironia, refellit à fine. mihi bono eius mors nõ fuit, nulla igitur gaudij causa. *Antonius uero nõ gaudeat.]* Et hæc ironia est. Gaudere Antoniũ probat à fine, & simul suspicionem cõsilij de Cæsaris nece facit. Sic etiam Philip. 2. Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetq; illud Cassianũ, Cui bono fuerit: uide quæso ne hæreas. quanquam quidem illud fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui uni seruire nolebant: tibi tamen præcipue, qui nõ modo non seruis, sed etiam regnas: qui maximo te ære alieno, ad ædem Opis liberasti: qui per easdem tabulas innumerabilẽ pecuniã dissipauisti: ad quem è domo Cæsaris tam multa delata sunt: cuius domus quæstuosissima est falsorũ cõmentariorum, &
B chirographorũ officina: agrorũ, oppidorum, immunitatũ, uectigalium flagitiosissimæ nundinæ. Etenim quæ res egestati & æri alieno, præter mortem Cæsaris, subuenire potuisset? *Sed ad id redeo.]* Reditus est ad propositum. Cœperat enim ostendere contemptionis causa, Antonium non esse idoneum belli ducem & imperatorem.

Dicebam enim hunc omnibus his rebus destitutũ esse quæ in bono inuictoq; imperatore requiruntur. Non habet elephantos, non magnum & firmum exercitũ, cum à maiore & meliore militum præsidio derelictus sit; & qui cum eo manserunt, potius assueti sunt latrocinijs & direptionibus sociorũ, quàm pugnis: cuius rei testimonium hoc habemus, quòd adhuc cum eo sunt. Eius aũt imbecillitatis signum illud est, quod cum tam diu Mutinam circumsedeat, eam tamen capere nondum potuit. Talis igitur est Antonius, & tales sunt eius copię. Cæsar autem & Brutus sunt ab exercitu firmissimi. nam Cæsar etiam ab Antonio multos milites abduxit, & Brutus eum Gallia prohibet. Si igitur uos eos adiuueritis, primo laudatis eis quòd unà conuenerint, & inter se coniuncti sint: deinde si acta eorum confirmaueritis & comprobaueritis, & uestra in posterum eos autoritate munieritis: postremo si ambos consules ad id bellum ge-
C rendum miseritis: mihi credite, neminem fore eorũ qui cum Antonio sunt, qui ei auxilio sit futurus: & quanquã cum eo permanerent, non poterũt tamen alijs omnibus resistere: & ipse hoc audito decreto, aut arma sponte deponet, & submittet sese nobis: aut inuitus in prima pugna capietur. Hoc P.C. meum consilium est: si consul essem, id facerem, quod contra Catilinam & Lentulum feci, qui huius propinquus fuit, cum arma contra nos cœperunt.

Dicebam enim] Renouat propositionem, ut simul renouet attentionẽ, ut alia quæ desunt Antonio adiungat, ex quibus uult, eum non esse metuendum, ne fortassis de uictoria adipiscenda diffidant. *Non habet elephantos.]* Omnia hæc per contemptionẽ dicuntur. nam quæ ipse non habet, Brutum & Cæsarẽ habere intelligi uult. Elephantos quidẽ Cæsaris patris habebat Octauius, & bonam partem ueteranorũ. De elephantis diximus in Philippicis. *Quod adhuc cum eo sunt.]* Quasi diceret, nisi latrocinia magis quàm bellum amarẽt, cum Antonio nõ iam essent, sed eum, ut plerię; alij, deseruissent. *Eius autẽ imbecillitatis signum.]* Non habere Antoniũ satis firmum exercitum hoc argu-
D mento probat, quòd Mutinã tot mensibus obsessam nondum potuerit expugnare. *Talis igitur est Ant.]* Transitio ad alteram contentionis partem, quæ res ad attentionẽ ualet. *Cæsar aũt & Brutus.]* Iam ex altera parte Cæsaris & Bruti copias tantum amplificat, quantũ extenuauit Antonij: ut intelligant eis nihil deesse præter senatus autoritatem, qua ut eos muniat, & imperium decernat, hortatur: mittanturq; ipsi consules ad bellum administrandum. quod si fecerit senatus, certam uictoriam pollicetur: atq; hæc ipsa etiam pridie quinta illa Philippica egerat. *Si ambos consules.]* Qui tunc inierant magistratum, Hircius & C. Pansa, qui ambo suo malo ad id bellum profecti sunt. nam ambo ibi ceciderunt. *Hoc P.C. meum consilium est.]* Concludit, ut ad legatos transeat cõmodius. *Quod cõtra Catilinam & Lentulum feci.]* Id est, de impijs ciuibus supplicium sumerẽ: & bello persequerer Antonium. *Qui huius propinquus fuit.]* Fuit enim eius uitricus Lentulus, id est matris eius maritus. atq; huius mentionem fecit ad Antonij uituperationem.

Quod si quis uestrum hæc quidem rectè dici existimat, sed mittendos tamẽ prius legatos ad Antoniũ: ubi autem animum eius cognitũ habuerimus, si sponte arma uolet deponere, seq; nobis tradere ut quiescamus: sin perstare in sua sententia maluerit, tunc ei bellum denunciemus (hæc enim audio quosdam dicturos) is orationem qui-

dem habet speciosissimã: sed omnino rem facit cum turpem, tum urbi periculosam. A
An non turpe fuerit, uos ad uestros ciues legatos mittere? externis hæc primũ facien
da sunt: ciues autem contra patriã delinquentes puniẽdi sunt, aut iudicijs si se submit
tant, aut armis siquidem pugnare uolent. Sunt enim omnes uelint nolint serui uestri,
& populi, & legum. nec enim blandirijs agendum cum illis est, nec ut liberi homines
tractandi sunt, sed ut fugitiuos eos persequi & castigare debemus. Quid? an non indi
gnum est eum iniuriam uobis sine cunctatione inferre, uos uero ultionem differre?
eum iamdudum arma in manu habere, & omnia quæ belli sunt agere: nos mittendis
nuncijs & legatis tempus terere, syllabisq; & uerbis tantũ cum eo agere, quem iã pri
dem in nos cõtumeliosum experti sumus? Qui posset istuc fieri, cum eò usq; processe
rit, ut uobiscũ possit ciuiliter in libertate uiuere? qui si initio ea mente fuisset, ut æquo
iure uobiscũ uellet uiuere, nunquã ista tentasset: si uero aut per ignorantiã, aut impru
dentiam peccasset, statim pedem retulisset: nunc cum se semel ab rep. legibusq; seiun- B
xerit, quamobrem & potentiã & licentiam nactus est, fieri nõ posset ut se spõte corri-
geret, & uestris decretis monitisq; pareret. Iisdem igitur armis, quibus nos iniurijs af-
ficere ausus est, mulctẽ necesse est. Et nunc recordamini P. C. id quod ipsemet in quo
dam sermone dixit, neminem nisi uictorem esse uicturũ. Qui ergo legatos ad eum uo
lunt mitti, nihil agunt nisi ut uos tardiores reddant, & ut sociorũ nostrorum studia lan
guescant, animi remittãtur: ipse uero interea quod cupit quietus agat, Brutum expel-
lat, capiat obsidione Mutinã, totã occupet Galliam: ita ut post quid cum eo agamus,
ignoremus: sed ei nos submittere et supplicare cogamur. Quod ad legatos attinet tan
tum dicam, Antoniũ quæ acturus erat nobiscũ nõ cõmunicasse, nec ullam rationem
reddidisse: idem cum eo uos facere debere. Igitur cum ob hanc, tum propter omnes a-
lias causas censeo bello eum sine ulla mora persequendũ esse: cum bona pars negocio
rum opportunitate potius ꝙ potentia ad optatũ finem deducatur. Existimare debe-
tis P. C. me nunquã uobis bellum suasurum fuisse, & pacem dissuasurũ, in qua tũ glo
riam tum opes comparaui (quanquã hæc uere pax dici non potest) nisi in eo sitam sa- C
lutem uestrã intelligerem. Te uero Calene atq; alios omnes, qui eiusdem animi tecũ
sunt, hortor ut senatũ sine ulla perturbatione quod opportunũ est decernere sinatis,
néue propter uestram priuatã cum Antonio gratiã, reip. utilitatem prodere uelitis.

Quod si quis uestrum.] Venit ad legatorum consultationẽ. quidam enim ad Antoniũ mitti legatos uolebant, à qui
bus dissentit Cicero, ut etiam in alijs Philippicis, quinta præsertim, dissensit, quòd id sit senatui turpe, & ciuitati pericu-
losum. Hunc etiam locum diligenter tractauit Philip. 5. *An non turpe.*] Turpe primũ ostendit à more legatio-
num, quæ nõ ad ciues, sed ad exteros mitti consueuerunt. *Quid? an non indignũ?*] Ab iniurijs Antonij, turpẽ &
indignam legationem ostendit. *Qui posset istuc fieri.*] A fine ostendit legatos nõ esse mittendos. Mittuntur enim
legati ut pareat: nõ parebit autem, nõ sunt igitur mittendi. Non pariturum probat ab anteacta uita, & moribus, & ab
eius obfirmata uoluntate, atq; malitia. Nam corrigi tales ferè non solent: sed qui per ignorantiã, per imprudentiã aut ne
cessitatem peccant, hiq; digni uenia sunt. *Iisdem igitur armis.*] Lege talionis, quæ fuit duodecim tabularũ, ut si-
mili uindicta homines afficerentur: in ea enim æquitas quædam naturalis uidebatur: cuius etiam legis mentio fit in Mosæ
legibus, & à Christo in historia sacra. *Neminem nisi uictorem esse uicturũ*] Philip. 3. Quid istud? nõnne audiente
populo sedens pro æde Castoris dixit, nisi qui uicisset, uicturũ neminem. Proprio igitur testimonio Antonium conuincit, D
atq; eius animum demonstrat. *Qui ergo legatos ad eum uolunt mitti.*] Dixit de turpitudine, iam uenit ad peri-
culum, quod in mora esse perspicue ostendit. Sic Philip. 5. Deniq;, inquit, quamuis seuera legatis mandata dederimus, no
men ipsum legatorum hunc quem uidimus, restinguet ardorem municipiorum, atq; Italiæ franget animos: ut omittã hæc,
quæ magna sunt: certe ista legatio moram & tarditatem afferet bello, & ibidem alia. *Ipse uero interea.*] Pericu
lum ab Antonij parte. *Igitur cum ob hanc.*] Conclusio suasionis, cum suæ sententiæ confirmatione, tũ à re ipsa;
tum à sua persona. *Censeo bello cum sine ulla mora.*] Philip. 5. Quamobrẽ P. C. legatorũ mentionem nullã cẽseo
faciendam: rem administrandam arbitror sine ulla mora, & confestim gerendam censeo. Et paulo ante rationẽ reddit cur
id faciendum. Minimis momentis, inquit, P. C. maximæ inclinationes temporum fiunt, cum in omni casu reipublicæ, tum
in bello, & maxime ciuili, quod opinione plerunq; & fama gubernatur. *Cum bona pars negociorũ.*] Locus cõmu
nis de opportunitate, uerissima illa quidem, & qua actiones nostræ gubernari debent: alioqui aut infelicem exitum habi
turæ, aut si felicem, nõ nostro consilio, sed casu potius habebunt: tanta uis est & loci & temporis, quæ opportunitas dici-
tur. Virtus est, inquit Plautus, ubi occasio admonet, dispicere. *Existimare debetis.*] A sua persona suadet bellũ.
In qua tum gloriam.] Hunc locum copiose tractat Philip. 7. atq; inter cætera de cõmodis quæ ex pace consecutus
est dicit: Hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem si quam habemus, consecuti sumus.
Quanquam hæc uere pax dici non potest.] Philip. 12. Cum his facta pax, non erit pax, sed pactio seruitutis. Item

A *decimaquarta: Vt ego qui omni tempore ueræ pacis autor fuissem, huic essem nomini pestiferæ pacis inimicus. Vide Philippicæ decimætertiæ statim exordium.* Te uero Calene.] *Conuertit orationem ad Calenum, atq; alios Antonij fautores, hortans eos ut porrò quiescant, neq; senatum perturbent. His uerbis stimulatus Calenus, sequentem habuit contra Ciceronem orationem.*

Equidem ea spe sum P. C. ut si mihi assensi eritis, uobiscũ fructum libertatis & pu
blicæ salutis percipiã: sin aliud decreueritis, equidem mortem potius q̃ uitã mihi pro
pono. Nunquã enim mortis metu libere loqui destiti: quã ob causam etiã nõ parũ fui
laudatus. testes sunt supplicationes dijs immortalib. à uobis mihi decretæ, ob res à me
in meo consulatu gestas. id quod ante me togato contigit nemini. Nunc aũt multo mi
nus timerem, quoniã mihi mors immatura non ueniret post tot mei cõsulatus annos.
Credo uos etiamnũ recordari quæ in consulatu dixi, ut me ducem in omnibus seque-
remini, ut eum qui omnino mortem contemneret. molestissimũ autem foret me cogi
inimicũ uestrum metuere, & uobiscũ alteri seruire. hanc enim nõ corporis modo, sed
etiam animi & gloriæ summã calamitatem ducerem, qua sola consequi immortalita-
B tem posse uidemur. Instar autem immortalitatis quodãmodo duco, si cõtingat aut di-
centem aut facientem aliquid pro uobis mortem oppetere. Hanc mentẽ si Antonius
habuisset, nunquam in tantũ errorem cecidisset: sed mori potius, auum suum imitatus
uoluisset, q̃ Cinnam imitari, qui eum iussit occidi: qui Cinna unà cum alijs nõ multo
post propter hoc & multa alia eius scelera trucidatus fuit. Quamobrem ualde Anto-
nium miror, qui Cinnæ facinora meditans, nihil metuat incidere in eiusmodi calami-
tatem. Et quanquã auus eius ei aliquã existimationem reliquit, nõ tamen propter ma
iores suos conseruari meretur, cum nec auum, nec patrem, cuius est possessionum hæ
res, sit imitatus. Et quis ignorat hunc cum uiuo Cęsare, tum mortuo, multos exules re
stituisse, patruo tamen suo succurrere noluisse? Lenticulam uero collusorem suum ab
exilio reduxisse? Bambalionẽ amplectitur, qui uel solo nomine infamis habetur. Pro
ximos suos ita tractat, ut ante dixi, tanquã nonnihil eis succenseat, qui se talem proge
C nuerint. Itaq; eorum bona hæreditate non adijt, sed alienorum sibi uendicat, quos ip-
se nunquam aut uidit, aut cognouit: quosdam uero qui adhuc uiuũt bonis euertit, for
tunis spoliauit, ita ut illi nihil iam à mortuis differre uideantur.

Equidem ea spe sum.] *Hortatur senatum ad suam sequendam sententiam, si salui esse uelint. sua nihil interesse, qui decreuerit mortem anteponere seruituti.* Nunquam enim mortis metu.] *Se mortem non metuere probat à rebus à se gestis, & ab honoribus decretis. quod hic dicit, testantur eius in Catilinã orationes.* Nunc autem multo minus timerem.] *In peroratione Philip. secundæ: Etenim, inquit, si ab hinc annos propè uiginti in hoc ipso tẽplo negaui posse mortem immaturã esse consulari, quanto uerius nunc negabo seni?* Credo uos etiamnũ recordari.] *Hoc legitur in Catilinã oratione quarta: Habetis consulem, inquit, ex plurimis periculis & insidijs, atq; ex media morte, non ad uitam suam, sed ad salutem uestram reseruatũ. Item paulo post: Habetis ducem memorẽ uestri, oblitũ sui.* Hãc enim non corporis modo.] *Seruitutẽ dicit & corporis & animi, & gloriæ esse extremã calamitatem, quod est diligenter notandum. Sic Philip. 2. Seruitus, inquit, malorum omnium postremum, non modo bello, sed etiam morte repellendum.*

Instar autem immortalitatis.] *Locus efficacissimus ad fauorẽ conciliandũ. In hoc enim mores & pietas elucet ora-*
D *toris. Hanc pietatem utinã Christiani haberemus. Maiorem namq; charitatem nemo habet, quàm si quis uitam pro suis amicis profundat.* Hanc mentẽ.] *Deflectit orationẽ ad Antoniũ insectandum, ut in eius uituperatione peroret.*

Auum suum imitatus.] *Antoniũ Oratorem, quem Syllanas partes secutũ, C. Marius necari iussit, ut est apud Plutarchum in Mario. Quod autẽ Cicero hoc à Cinna factum dicit, nihil repugnat: erant enim simul, & cõmuni cõsilio omnia faciebant: sed tamẽ Cicero Cinnam maluit nominare, quòd Marius ex eodem municipio Arpinati esset. nam uix usquam Mariũ uituperat Cicero.* Patruo tamen suo.] *Philip. 2. Restituebat multos calamitosos, in his patrui nulla mentio. Licinium Lenticulam de alea condemnatũ collusorẽ suum restituit: quasi uero ludere cũ condemnato non liceret.*

Bambalionẽ amplect.] *Philip. 3. Tuæ cõiugis bonæ fœminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidã pater, homo nullo numero, nihil illo contẽptius: qui propter hæsitantiã linguæ, stuporemq; cordis, cognomẽ ex contumelia traxerat.*

Sed alienorum sibi uendicat.] *De bonis & hæreditatibus tum uiuorum tum mortuorum per fraudes ab Antonio aditis, satis multa Philippica secunda.*

IN Q. FVSII CALENI ORATIO- A
NEM ARGVMENTVM ET COMMENTARII
Cælij Secundi Curionis.



IX Cicero finem dicendi fecerat, cum Q. Fusius Calenus, quem pro Fusio, Rufium appellat Dion (si modo incorruptus est locus) iræ iamdudum impatiens, surrexit: & hanc maledicam orationẽ habuit. Fuit Q. Fusius Calenus uir cõsularis, Pharsalico bello Cæsaris legatus, ut ipse Cæsar et Dion testãtur. Eum Antonianarum partium fuisse, testis est Dion lib. 46. quanquam id ex Ciceronis Philippicis, & hac eius oratione, plus satis perspicuum est. In hac igitur oratione, primum comparatis ad audiendum animis, Ciceronem quàm maxime potest, uituperat: eius mores, uitam, & acta, reprehendit, mordet, proscindit: deinde Antonium defendit: eius acta interpretatur & tuetur, crimina diluit: quæ diluere non potest, silentio præterit. Ad finem sententiam suam dicit, ut ad Antonium, ad Brutum & Cæsarem legati mittantur, qui Senatus nomine imperent omnibus, arma deponant: exercitus senatui tradant: qui parere noluerint, contra eos mittantur consules, qui armis eos persequantur. postremo hortatur & ipse Ciceronem, ut omissis odijs, concordiæ pacisq; publicæ studeat, siquidem una cum Rep. saluus esse uelit, atq; in eo suam claudit orationem.

CAVSA. B

Non est dubium quin ut ea quam proxime habuit Cicero, sic hæc oratio quæ ei contraria est, sit in deliberatiuo genere reponenda. Nam etsi Ciceronem uituperat, & contraria non modo superioris, sed etiam secundæ Philippicæ dici possit, quòd omnibus ferè, quæ in utraq; Antonio obiecit Cicero, Calenus respondet, tamẽ quoniam sententiam suam dicit in Senatu, quod in secunda non fecit Orator, fit ut hæc omnino consultatio sit. Et uituperatio Ciceronis eò pertinet, ut ei fides adimatur, & eius sententia reijciatur.

STATVS.

Iuridicialis, huius orationis quæstio & constitutio nominatur, siue reprehensionem & criminum refutationem respexerimus, siue quam dicit de Rep. sententiam. Nam & iure & recte facta omnia ab Antonio defendit, quæ non iure facta Cicero dixerat, & sententiam suam æquitate atq; utilitate tuetur, ut etiam diximus cum de statu secundæ Philippicæ loqueremur.

ELOCVTIO.

In tenui & subtili genere hæc oratio subsistit. nihil enim habet grande, & plenum, & exaggeratum: sed nec suaue, concinnum, & temperatum. Totus nanq; est Calenus in quibusdam minutis atq; humilibus rebus in Ciceronis persona inquirendis, & tenuiter proferẽdis: in Antonij actis, & factis subtiliter, aut interpretandis, aut excusandis, potius quàm magnificè laudandis. Quod autem tragicè semel exclamat, & uociferatur, id facit, potius ridens Ciceronem, qui ita uociferatus fuerat, quàm quod ipse cõmotus esset, aut exclamare meminisset. nõ est tamẽ in hoc genere cõtemnenda oratio.

DISPOSITIO. C

Partes orationis ita collocantur: Principium, narratio ad uituperationem accõmodata: Refutatio Antonij criminum, & peroratio ab adhortatione, qui ordo Caleni arbitrio, non natura, aut præceptis constitutus est. In rebus uero & locis, ordinem ferè sequitur, quem Cicero tenuit in sua proxima, ita ut eum in omnibus ferè uelle imitari uideatur.

Q. FVSII CALENI ORA- TIO IN SENATV HABITA PRO
M. ANTONIO, CONTRA M. T. CICERONEM,
Cælio Secundo Curione interprete.



QVIDEM P. C. nec Antonium defendere, nec Ciceronem reprehendere mihi proposueram: quod neutrum in hoc ordine faciendum esse duco: sed potius quod euiq; uidetur, sententiam rogato, esse dicendum. Nam defensiones & controuersiæ, iudiciorum sunt, & fori: sententiam uero suam dicere, proprium est huius ordinis & consultationum. Verum quando iste propter inimicitias quas cum Antonio gerit, eum contumelijs affecit, eum potius si quod in eo maleficium deprehenderat, ad uos deferre debuisset, & me quoq; per contumeliam appellauit, tanq; suam illam eloquentiã nulla alia ratione, nisi maledicendo ostentare posset: mei officij esse existimo, ut partim eius maledictis respondeam: partim quoq; & ipse uicissim aliquid obijciam: ne propria hominis audacia, si nemo respondeat, néue meum silentium, quasi mihi ipse conscius sim, huic aliquam afferat utilitatem: néue eius uerbis decepti, iracundiámq; eius in Antonium, pro utilitate Reip. sequuti, non bonum consilium capiatis, cum huius unum propositum sit, ut nos Reip. cura relicta, inter nos dissideamus. D

EXORDIVM.

A *Equidem P.C. nec Antonium defendere, nec Ciceronem reprehendere mihi proposueram.*] *Omnia quæ de ratione exordiorum traduntur, Calenus hoc statim principio consequutus est. Nam & dociles, & attentos, & beneuolos facit auditores. Dociles quidem summa causæ breuiter proposita: attentos partitione: beneuolos uero à sua, Antonij, auditorum, & Ciceronis persona, quod suis locis indicabimus. Sed nunc ad initia redeamus. Proponit enim statim totam ferè causam, quanquam copiosius paulo post, uno addito membro. Nec Antonium, inquit, defendere, nec Ciceronem reprehendere, quæ duo in hac oratione potissimum facit. Sic Virgilius, Arma Virumq; cano: quæ duo in Aeneide facit: Virum, id est, Aeneam laudans: & arma, id est, bella describens, ab eo in Italia gesta.*

Quod neutrum in hoc ordine.] *Obliquè perstringit iam Ciceronem, & simul modestiam suam cõmendat, reddita ratione cur neutrum sibi faciendum proposuisset.* *Nam defensiones & controuersiæ.*] *Docet quid sit proprium Senatus, & deliberationum, sententiam suam, scilicet dicere de ijs quæ quisq; rogatur: non accusare, aut defendere, quod fori est, & iudiciorum. Est igitur locus à causarum generibus & differentijs. De Senatoris officio & munere in sententia dicenda in Philippicis diximus, & Ciceronis locum ex lib. 3. de Legibus protulimus.*

B *Verum quando iste propter inimicitias.*] *Cõparat sibi auditores à Ciceronis persona, odium ei ex maledictis eius conflans.* *Ad uos deferre debuisset.*] *Ab auditorum persona, eis deferens controuersiarum, & maleficiorum cognitionem.* *Et me quoq; per contumeliam appellauit.*] *A sua persona fauorem causæ conciliat, contumelias illatas sibi, proferens.* *Tanquã suam illam eloquentiam.*] *Inuidiam conflat Ciceroni, ab eloquentiæ, quæ multum potest, ostentatione. Talem locũ tractauit Cicero, statim initio Orationis, pro Quintio, sed maiore cum modestia. Quæ res, inquit, duæ in ciuitate plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia.*

Mei officij esse existimo.] *Debeo amicum, debeo absentem, debeo iustam causam, debeo me ipse defendere.*

Vt partim eius maledictis.] *Et hic partitur totam causam, sed in tres partes, in defensionem, in reprehensionem, & sententiam suam. Locus attentionis.* *Ne propria hominis audacia.*] *Causas affert, cur id faciat.*

Non bonum consilium capiatis.] *Tertium causæ membrum innuit, dum consilij capiendi mentionem facit. Et significat, quod Cicero dixit pro Marcello, iracundiam, esse consilio inimicam.*

Neq; enim nunc primum id inceptat, sed quàm primum Rempublicam attigit, illico omnia perturbare cœpit. Nónne hic fuit qui Cęsarẽ cum Pompeio cõmisit, effecitq; ne post inter se reconciliarentur? qui uobis persuasit, ut id in Antonium decerne-
C retis, quo Cæsar cõmotus fuit? An non hic est, qui Pompeio consilium dedit deserendæ Italiæ, atq; in Macedoniam traijciendi? quæ res causa fuit omnium malorum quæ post sunt consequuta. Nónne hic ille est qui Clodium Milonis manu interfecit? & Cæsarem manu Bruti? qui Catilinã debellauit? & Lentulũ indicta causa necauit? Quamobrem mirarer ualde P. C. si uos illorũ pœnituit propter quæ eum puniti estis, iterum eius dictis & factis assensi fueritis. An non uidetis, ut compositis post Cæsaris necem rebus, idq; Antonij opera, quod iste negare non potest: ab urbe discessit, quasi cõcordia uestra ei aduersa & inimica esset? Sed postquam sensit, res iterum in motu & perturbatione esse, Athenis suoq; filio relictis, Romam reuersus est: & nunc cõtumelias iniuriasq; imponit Antonio, cui ante se amicum simulabat: & Cæsari fauebat, cuius patrem iussit occidi: ac si poterit, breui huic quoq; insidiabitur. Est enim natura seditiosus & infidus: nec ullam habet in animo constantiam: semperq; omnia confundit, & miscet: ac plures habet mutationes & flexus quàm illud ipsum fretũ, quo ipse profugit, unde & fugitiuus est appellatus: simulq; rem præclaram ducit, si uos eos amicos
D & inimicos iudicaueritis, quos ille uobis præscribit. Propter hasce causas, ab hoc homine cauete. est enim ueneficus, & præstigiator: suas opes aliorum fortunis amplificat, accusando, trahendo, canis more lacerando, eos qui ipsi nullam faciunt iniuriam. In concordia & pace cõmuni attenuatur, & consumitur: tantum enim Oratorẽ charitas & concordia nostra alere non potest. Existimatis alia ratione quàm per discordias eum tam diuitem factum?

Neq; enim nunc primum.] *Hic incipit criminosa illa expositio, & Ciceronis uituperatio.* *Nónne hic fuit qui Cæsarem.*] *De his proxima Ciceronis oratione & in Philippica secunda.* *An non hic est, qui Pompeio consilium dedit deserendæ Italiæ?*] *Hoc esse impudens mendacium, ut omittam alios, testantur tot eo tempore scriptæ à Cicerone ad Atticum epistolæ: præsertim lib. 8. in quo semper illam turpem ex Italia fugam reprehendit: & moriendum potius in patria fuisse toties clamat. Quin etiam totam causam belli uituperat, & maxime reprehendit.*

Qui Clodium Milonis manu.] *Hæc duo crimina, de cæde Clodij & Cæsaris satis refutata sunt, cum pro Milone, tum Philip. 2. Præterea de Cæsaris nece satis eum liberat Plutarchus, & omnes alij. Vide etiam Philippica octaua.*

Qui

Qui Catilinam debellauit.] Magnum crimen, patriæ parricidam debellasse. Sed Ciceronem liberat Sallustius A eius inimicus, & alij omnes. Ex hoc uno loco uidere licet, qualis uir fuerit iste Calenus.

Et Lentulum indemnatum necauit?] Hoc etiam mendacium refellitur uel Sallustij historia De coniuratione Catilinæ. Senatus enim decretum factum fuit, uti coniuratis qui in custodia detinebantur, uita eriperetur. Certum tamen est id factum fuisse sine prouocatione: quod etiam post Ciceronem uehementer Clodiana seditione afflixit. *Propter quæ eum puniti estis.*] Loquitur de exilio quod sponte suscepit Cicero in seditione Clodiana: quod ita interpretatur quasi à Senatu fuerit condemnatus: quod quidem non fuit: sed à Tribunitio furore & perfidia ueterum amicorum, cui de consilio amicorum cedere uoluit: cuius causa uiginti millia delectæ iuuentutis Romanæ uestes cōmutauere. *Quasi concordia uestra ei aduersa.*] Satis ostensum est in prima Philippica Ciceronem Antonij regnum & gladios uitasse: post affulgente aliqua libertatis asserendæ spe, cito redisse, ut & ipse in præcedenti oratione indicauit. Sed Calenus inimicè omnia calumniatur. *Huic quoq; insidiabitur.*] Cæsari Octauio scilicet, ut apud eum Ciceronem suspectum redderet & inuisum. *Est enim natura seditiosus.*] Describit criminose quæ ab animo uituperari possunt.

Ac plures habet mutationes & flexus, quàm ipsum illud fretum quò perfugit.] Fretum Siculum intelligit in quo scopulus Scylla, item Charybdis, mare uorticosum, & mutabile propter fluxum & refluxum. Illuc autem nauigarat Cicero, cum Syracusas ueniret, & inde in Graeciam transmitteret, ut in prima Philippica ipse dixit. *Est enim ueneficus & magus.*] γόης γὰρ ἐστι καὶ μάγος. Goetes & Magi paulum inter se differunt: utriq; enim arcanis quibus- B dam, & superstitiosis artibus illudunt: sed Goetes cum mortuis negotium habent, unde etiam γοητείαν artem ipsam à luctu eam dictam uolunt, id est ἀπὸ τῶν γόων, qui ad sepulchra edi consueuissent. Magi uero dæmones inuocant, & cum illis agunt, & per illos quæ uolunt. Nihil dico Magorum nomen interdum in bonam partem capi, quo nomine Persæ sapientes, & philosophos nominarunt. Sed hic per translationem ista dicuntur: significat enim Ciceronem uerborum præstigijs illudere, & fascinare ac dementare homines. *Tantum enim oratorem.*] ὑπερφώνημα per dissimulationem ad amplificandum: ut illud poetæ: Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Pater nanq; eius fulloniam faciebat, & uites oleasq; colebat, neq; nobilitatē, neq; diuitias ei reliquit, utpore cui satis erat ex opificio uitam tollerare: & dies noctesq; sordibus expleri, in quibus iste educatus, non est mirum si meliores se percutit & lauat contumelijs, ut qui patris opificium persequatur. Cū igitur talis sis, & nudus inter nudos educatus: assuetusq; sordes lanarum, porcorumq; siliquas & stercus recolligere, ausus es ò scelestissime primum Antonij adolescentiam reprehendere, cuius pueritia ijs & pædagogis & magistris cōmissa & cōmendata fuit, qui eius familiam & stirpem decerent. Ausus quoq; es eum reprehendere, quòd cum Lupercalia patrio more cele- C brarет, nudus in forum uenerit. Sed dic mihi tu qui propter paternum artificium semper usus es aliena ueste: semperq; ea spoliatus ab ijs qui tibi obuiam facti, suam esse cognoscebant: quid faceret homo non modo sacerdos, sed etiam sacerdotum princeps? an non debuit pompam mittere, ludos celebrare, & patrio ritu sacrificare, & nudari, & accingi? At dicet iste, hęc non reprehendo, sed quod nudus in foro ausus est cōcionari. Hic sanè in patris fullonica, omnibus honestis moribus imbutus, quid honestū, quid turpe sit, optime nouit: quidq; iure aut reprehendi, aut non reprehendi possit.

Pater nanq; eius fulloniam faciebat.] Vituperat Ciceronis genus à paterno opificio. Est autem fullonia artificium, pannorum & uestimentorum perpoliendorum & densandorum. Plutarchus de fullonia etiam aliquid dicit fuisse suspicatum, sed tamen fuisse etiam qui eius genus ad Tullium regem referrent, testatur. Nam & ipse in primo Tusculanarum, eum regem, gentilem suum appellat. Fuit certe Tullius noster equestris ordinis uir, ex municipio Arpinati.

Et uites oleasq; colebat.] Næ tu Fusi esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui cōsules fierent. Etenim qui præesse agro colendo turpe putes, profecto illum Attilium quem sua manu spargentem semen, D qui missi erant conuenerunt, hominem turpissimum atq; inhonestissimum iudicares. At maiores nostri longe aliter & de illo & de cæteris talibus uiris existimabant. Itaq; ex minima tenuissimaq; Republica maximam & florentissimam posteris reliquerunt. Vide agriculturæ laudes & exempla pulcherrima in Catone de Senectute, & elegantissimā odem Horatij libro Epodon secundam: Beatus ille, qui procul negocijs Vt prisca gens mortalium, Paterna rura bobus exercet suis, Solutus omni fœnore, &c. *Percutit & lauat contumelijs caput.*] Alludit ad fullones, qui pannos diuerberant, premunt, & assidue calida aqua eluunt. iocus est. *Et nudus inter nudos.*] Nudos esse in fullonia oportet, quia toti in aquis calidis uersantur. *Sordes lanarum, porcorumq; siliquas & stercus.*] Ex hoc quàm ipse sit mundus & cultus ostenditur, qui tam sordidis & spurcis uerbis contaminet orationem, nulla habita senatus amplissimi ratione. Sunt enim sordida uerba ab oratore maxime fugienda. Quàm dissimilis Cicero noster: qui in tertio de Oratore, inquit: Nolo morte dici Africani castratam esse Remp. nolo stercus Curiæ dici Glauciam, quamuis sit simile, tamen est in utroq; deformis cogitatio similitudinis. qui si translata huiusmodi uitari uult, quanto magis propria in politica oratione? *Antonij adolescentiam.*] ὥραν usurpauit Dion: pulchritudinem alij intelligunt: mihi uidetur adolescentiam uoluisse significare, quam Cicero in Topicis florem ætatis uocat. & Philippica secunda, dicit Antonium gratia ualuisse, quæ esset non uirtutis specie, sed ætatis flore collecta.

A *Cuius pueritia.] Antonij pueritiam & adolescentiam fuisse maximis flagitijs contaminatam, clarius est, quàm ut multis probari debeat. Vide præter Philippicam secundam etiam Plutarchum.* *Quid faceret, homo non modo sacerdos.] Excusat Antonium ab officio: quod cum esset sacerdos Panos, debuit eius sacris & ceremonijs interesse.*
Omnibus honestis moribus imbutus.] Ironia hominem irridet.

Ego ad ista pòst quæ opus erunt, respondebo. Nunc autem quædam ab eo sciscitari uolo. An nõ tu in alienis malis enutritus es? nõ in alienis miserijs institutus? Quam obrem etiam in te nulla hominis liberi disciplina elucet, & cõuentu hoc in loco facto semper qui aliquid porrigat, expectas: emissarios semper habes, per quos inquiris si quis alicui fecerit aut uisus sit facere iniuriam: num quis alium oderit, aut sit ipse odiosus: num quis alteri insidias faciat: & id genus alia, quibus crescis, & pasceris: dum spes incertas & fortuitas uenditas: dum iudicum sentẽtias corrumpis, eum solum amicum ducens qui tibi plus dat: qui te pluribus ornat donis: eos uero inimicos, qui lites & cõtrouersias nullas habent: aut qui alios aduocant patronos. qui iam in tua manu sunt, eos te cognoscere dissimulas, qui noui ueniũt ijs arrides, hos quasi meritorius hospes
B blandicijs excipis. & quanto melius esset te alterum esse Bambalionẽ, quàm id genus uitæ delegisse, in quo necesse sit aut æquitatis uendere defensionẽ: aut iniquitatẽ tueri. At ne hanc quidem artẽ rectè nosti, tametsi Athenis annos tres sis cõmoratus. semper enim ad dicendum tremebundus accedis, quasi armis sit tibi decertandum. Postea uero quàm aliquid summissius & quasi exanimatus dixisti, discedis: quod iam nõ memineris, quæ fueris domi meditatus. nihil præterea potes nisi præmeditatum antè, dicere. præfationibus & promissis audacibus omnes mortales superas. ubi autẽ ad rem & contentionem uentum est, debilissimus es atque omnium timidissimus.

Ego ad ista.] Reijcit in alium locum huius reprehensionis refutationẽ, quod faciet post Ciceronis uituperationem.
An non in alienis malis.] Eum creuisse ex alienis incõmodis obijcit. Sed quid hoc est? an non etiam medici, ex alienis malis ditescunt? & tamen ipsi, si boni sunt, non sunt uel ægrotis, uel uulneratis, malorũ causa, sed sanitatis. Sic etiam boni oratores, & causidici, non serunt, non fouent lites inter homines, sed ad æquissimum finem perducunt. Ita ditescunt quidem alienis malis, sed fortuito, non proposito. Nugatorium igitur est, quod iste Calenus obijcit Tullio.
Dum spes incertas.] Describit improbum oratorem, & causidicum, non Ciceronem quidem, qui sui patrocinij sem-
C *per fuit liberalissimus, quique in omni munere & officio semper fuit continentissimus, ut in eius tota uita uidere licet. At sunt certe nimis multi Rabulæ forenses, etiam hodie, in quos hæc Caleni descriptio optime cadit: qui miserorum calamitatibus & sanguine pascuntur: qui lites producunt, qui ab utraque parte munera capiunt: & utriusque spes inanes fouent, donec uterque litigantium omnibus fortunis consumptis ad restim deducatur. Hæ pestes ad metalla, & in latomias essent relegandæ.* *Te alterum esse Bambalionem.] παρέργως, illud diluit quod de Bambalione in superiore oratione Tullius obiecerat Antonio.* *At, ne hanc quidem artem.] Adimit etiam si dijs placet Ciceroni orandi facultatem: O stultum caput: Melior scilicet ipse orator est.* *Semper enim ad dicendũ tremebundus accedis.] Cicero pro Sex. Roscio natura sibi timorem quendam & pudorem attributum dixit. Item pro rege Deiotaro, dicit se in omnibus causis grauioribus, initio dicendi, uehementius cõmoueri solitum. Et pro Cluentio. Semper, inquit, magno cum metu incipio dicere: quotiescunque dico, toties mihi uideor in iudicium uenire, non ingenij solum, sed etiam uirtutis atque officij: ne aut id profiteri uidear, quod non possim implere, quod est impudentiæ: aut id non efficere quod possim, quod est aut perfidiæ, aut negligentiæ. Cum igitur hoc ipsum Cicero fateatur, & causas quoque reddat, cur id contingeret: nimirum periculi cognitionem, & iudicij metum, & naturalem quendam pudorem, qui maxime oratorem cõmendat, miror, cur id obiecerit Calenus: quod & in Demosthene, & in Crasso, cæterisque summis oratoribus semper fuit, ut in dicendi exordio per-*
D *mouerentur, quod etiam Antonius testatur libro de Oratore primo.* *Quod iam non memineris.] Fuit in Cicerone, præter alia, memoria præstantissima: quamobrem eam etiam tam sæpe, & tam multum in oratore commendat, custodem, & thesaurum reliquarum omnium rerum appellans.* *Nisi præmeditatum.] Hunc etiam morem fuisse Demostheni Plutarchus scribit.*

An forte existimas neminem esse qui sciat tuas illas admirabiles orationes nunquam à te dictas eo modo esse quo sunt editæ? sed postea tales scriptas fuisse, ut ab ijs fit, qui ex argilla & luto duces belli & prætores fingunt. Quod si non credis, in mentem ueniat quomodo Verrem accusaueris, quanquam ei aliquid paternæ artis asperseras, cum meieres. Sed uereor ne si quod te dignum est dixero: uicissim quod me indignum sit dicam. Missa igitur isthæc facio: nihil etiam de Gabinio loquor, cui accusatores subornasti, post ita eum defendisti, ut condemnaretur. Tuos quoque libros prætereo quos contra amicos tuos conscribis, in quibus adeo te redarguit extimulatque conscientia, ut eos edere non audeas. Et tamẽ infelicissima & miserrima res est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri. Sed ista omittam, atque ad alia ueniam.

Tuas

Tuas illas admirabiles orationes.] Ironia orationũ eius minuit laudes. Sed quid sibi uult? an non licet unicuiq; suas orationes & alia monumenta meliora facere? scribere, corrigere, mutare, addere, demere? Quid tum si non prorsus editæ sunt, quemadmodum dictæ fuerant? quod scelus? quod istbuc flagitium est? uituperandus esset, si scribendo deteriores effecisset. A *Vt ab ijs fit, qui ex argilla & luto belli duces.*] Qui omnes ficti sunt, non ueri: sic tuæ orationes, fictæ sunt, cum nunquam sint a te habitæ. Solebant enim figuli, ut etiam hodie, uarias imagines ex luto fingere, ut pueri illis simulacris oblectarentur. *Quomodo Verrem accusaueris.*] Duas primas in Verrem diuinationem & alteram de Testibus, uerè habuit Cicero: & ita habuit, ut Verres desperato patrocinio in exilium abierit, & condemnatus fuerit. Reliquas scripsit, non dixit, ut in uno Verre omnia exempla perfectæ & absolutæ accusationis exprimeret, ad Romanæ iuuentutis utilitatẽ: Id Calenus tanquam graue aliquod crimen reprehendit. *Aliquid paternæ artis aspergeras, cum meieres.*] Locus subobscurus est: nisi illud uelit, Ciceronem dum oraret, meiere consueuisse: quod quidem interdum erat necesse propter longitudinem orationum. Quod autem dicit illud fuisse ex paterna arte, declaratur Plinij loco de urinæ medicinis loquentis lib. 28. cap. 6. Vrina uirilis, inquit, podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. quibus uerbis significat fullones in purgandis uestibus, urina propter asperitatem, uti. nam ex ea etiam fit nitrum. *Nihil etiã de Gabinio loquor.*] Præteritionibus utitur, ad uitandam procacitatis suspicionem. Laudatur Cicero à Fabio, quod Gabinium & Vatinium inimicos diligenter & fideliter defenderit. *Tuos* B *quoq; libros prætereo.*] Quos libros aut quodnam scriptum, contra amicos suos cõscripserit, non uideo: nisi quod in libris de Officijs, & in alijs quoq; alios, merito carpit. Sed ostendat sua Calenus scripta.

Dicis nos, quanq̃ duo millia iugerũ nostro magistro dederimus, nihil tamẽ quod operæpretium esset didicisse. At tuæ artes quàm sunt admirandæ. Tu semper ijs inuidere soles, qui te meliores sunt, æquales tuos semper accusas, & quem ante ornasti, quiq; potens fuit, eum uituperas: & pariter omnes odisti bonos, eos tantum à te amari simulas, per quos te aliquod maleficium perfecturũ speras. hanc ob causam semper iuniores incitas aduersum seniores: qui tibi aliquid credunt, postq̃ eos in discrimen adduxisti, deseris. Id ipsum ostendit quod nunq̃ aliquid, nec in pace nec in bello uiro forti dignum egisti. In quo enim bello te imperatore uictores fuimus? quæ prouincia te consule nostro accessit imperio? Tu uero semper ex principibus aliquos inducis, hos tibi priuatim concilias, horum consilio niteris: & quod tibi uidetur constituis. Palàm autem illa scelerata uerba pronuncias cum clamore: solus ego uos amo, & ille (si quis C forte est) cæteri uos omnes odere. Item solus ego uobis sum amicus, reliqui uero omnes uos produnt: & eiusdẽ generis alia. quibus uerbis quidam elati & inflati, post abs te produntur: quidam tibi metu conciliantur. Quod si quis rem aliquam bonam egerit, tibi eam arrogas & dicis: Ego illum præmonuerã: Ego ea de re ad eum scripseram: &, me autore res eum finem habuerunt. Sin quid aduersum accidit ex eo te eximis, atque alios omnes incusas dicens: Equidem tum imperator non eram: non fui tum legatus: non eram tum consul: atq; ita omnes mortales uituperas, loquendi temeritatẽ pro sapientia ducens. A te nullum factum Oratore dignum existit. nam quæ publica res per te aut conseruata fuit unquam, aut emendata? quis nam per te qui Reip. iniuriam fecerit denunciatus est? quis per te indicatus qui uerè nobis insidias fecerit? Et ut alios omittam, quæ nũc obijcis Antonio, talia tantaq; sunt ut nullus ob ea iure puniri possit. Quæ igitur causa est quamobrẽ cum initio uideres, ut narras, nos ab hoc uiolari, non statim te illi opposueris eumq; accusaueris? Et nunc nobis delicta exponis quę cum esset tribunus, & magister equitum, & consul cõmisit: cum posses eo tempore ei D maleficiorum suorum pœnas constituere, ut uerè te Reip. amatorem uideremus: possemusq; sine detrimento & tuto ab eo pœnas delictorum repetere. atq; equidẽ duorum alterum necessarium est, aut eum tunc ea quæ imponit Antonio uera esse credidisse, nullam tamen nostra causa contentionem suscipere uoluisse: aut nihil eorũ probare potuisse: idcirco in hoc tempus, inanem hanc criminationẽ distulisse. Quod quidem ita se habere P. C. dum singula percurro intelligetis.

Duo millia iugerũ.] Campi Leontini, scilicet, ut in secunda Philippica, Clodio Rhetori assignata. *Et quem antè ornasti, quiq; fuit potens.*] Iulium Cæsarem innuit, quem Cicero tempori seruiens, in oratione pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro rege, laudarat: quem eundem interfectum tanquam tyrannum uituperabat. *Per quos te aliquod maleficium.*] Cæsarem Octauium intelligit: quo duce tunc contra Antonium utebatur. *Semper iuniores incitas.*] Iuuentus Romana obseruabat & colebat Ciceronem propter bonarum artium studia: hinc uiginti millia in Clodiana seditione mutarant uestem, & Ciceronem armis defendere uoluerunt, si annuisset. *In quo enim bello te imperatore uictores fuimus?*] Vide res bello à Cicerone præclare gestas, & prouincias pacatas, & summa cum æquitate & moderatione gubernatas, apud Plutarchum.

Solus

A *Solus ego uos amo.*] *μίμησις, siue προσωποποιΐα inuidiosa.* *Ego illum præmonueram.*] *Alia μί-μησις siue notatio, eodem pertinens.* *A te nullum factum oratore dignum.*] *Quanto furore laborat hic Fusius siue Furius.* *Aut conseruata fuit unquam.*] *Quasi ignoret in Catilinæ cõiuratione illi decretã fuisse supplicationem his uerbis: quod urbem incendijs, cæde ciues, Italiam bello liberasset, ut est in tertia in Catilinam oratione.*

Et ut alios omittam.] *Delabitur sensim ad secundam partem, id est Antonij defensionem.* *Nos ab hoc uiolari.*] *Ab Antonio lædi, iniurijs affici.* *Atq; equidem duorum alterum.*] *Proponit complexionem, quam in sequentibus se probaturum latius pollicetur.*

Antonius in suo tribunatu quædam pro Cæsare dicebat: Cicero atq; unà alij quidam, pro Pompeio loquebantur. Quid igitur iste reprehendit Antonium? An quod Cæsaris amicitiam anteposuit? At nihil de se, nihil de alijs dicit, qui partem cõtrariam tuebantur. Ille, ne quædam decreta contra Cæsarem fierent, uetuit: hic quæ in Cæsaris fauorem decernebantur, impediebat. At cõmunem Senatus sententiam perturbauit Antonius. Sed primum, qui unus contra omnes potuisset? deinde, si, ut iste ait, à Senatu condemnatus fuit, cur pœnæ sumptæ non sunt? At fugit ad Cæsarem. & quidem tu

B Cicero non es peregrinatus nunc, sed aufugisti, ut antea. Ne quæso tam impudenter nobis tua obijcias probra. Nam quod tu fecisti, illud uere fugere est, cum iudiciorum metu, pœnam quam tibi imminere sentiebas, occupasti. At Senatus consulto in ciuitatem fuisti reuocatus. quonam modo? quo autore? nihil dico. Sed tamen fuisti reuocatus: nec ante Italiam attigisti, quàm tibi concessa fuit. Antonius aũt profectus abijt ad Cæsarem, ut ei quæ acta erant renunciaret. Et redijt sine ulla rogatione: ac deniq; sponsor fuit pacis concordiæq; inter Cæsarem, atq; eos omnes qui tum in Italia reperiebantur: cuius etiam participes reliqui fuissent, nisi iam tuo consilio abijssent. Quæ cum ita sint, audes dicere ab hoc Cæsarem in patriam esse reductum: hunc, bellum ciuile excitasse: hunc, autorem omnium quę post sequuta sunt, malorum, extitisse. quod quidem uerum non est: cum tu potius is fueris, qui alienas legiones Pompeio & unà imperium attribuisti: qui à Cæsare eas abducere tentasti, quæ ei fuerant decretæ: qui Pompeio & Consulibus persuasisti, ne Cæsaris conditiones reciperent: sed urbem totamq; Italiam relinquerent. qui Cæsarem cum Romam reuertisset, uidere noluisti: ad

C Pompeium in Macedoniã profugisti, cui etiam nihil profuisti: Nam prouisis ante quę post acciderunt, id est fortunæ mutatione, eum deseruisti. Quare credibile est, nec initio quidem, te tanquam iustiorem causam haberet, ei adhæsisse: sed postquam seditionem accenderas, atq; omnia perturbaueras, ei tuto insidiatus es: & à Pompeio qui uictus fuerat, subito discessisti, tanquam ab eo qui iniuste aliquid egisset: atq; ad uictoris partes, tanquã iustiores, defecisti. Ac præter alia uitia, adeo etiam ingratus es, ut non modo non boni consulas quod ab eo seruatus es, sed etiam quod non magister equitum factus sis, moleste feras. Deinde cum hæc de te scias, audes affirmare æquum non fuisse ut Antonius annum totum magister equitum esset: quod ne Cæsar quidem dictator per annum esse debuisset. Sed siue hæc æqua fuerint, siue iniqua, fuerunt tamen senatus consulto comprobata, populoq; & nobis placuerunt. Tu igitur Cicero hos redargue si decretum illud iniquè fecerũt: non eos quibus honor delatus est: nam eis tanquam talibus honoribus dignis detulerunt. Quod si etiam nos temporibus addu-

D cti & coacti, ea egimus quæ agi non debuerunt, cur id nunc obijcis Antonio, ac non potius tunc cum decernerẽtur, siquidem poteras, intercessisti? Quoniam metuebam dices. Scilicet igitur, te metus tacentem excusabit: hic uero mulctabitur, quod tibi in honore, propter suam uirtutem, antepositus fuit. & ubi tu istam æquitatem didicisti? ubi leges istas inuenisti?

Antonius in suo Tribunatu.] *Ingreditur Antonij actorum defensionẽ & purgationẽ, quam per singulos honorum gradus ducit.* *Cicero, atq; una alij.*] *Quod de Tribunatu Antonij obiecit Cicero, diluit ex pari, siue simili. Si licuit Ciceroni & alijs, pro Põpeio loqui: licuit etiã Antonio pro Cæsare dicere. Sed non est simile. Pompeius enim erat Romæ, & parebat senatui: Cæsar, extra urbem non parebat.* *At nihil de se.*] *Omnia diluit ex eodem parium loco.*

At cõmunem senatus.] *Occupationibus rem agit.* *Qui unus contra omnes.*] *Ostendit, non potuisse Antonium impedire. nam ne Hercules quidem, ut dicitur, contra duos.* *Cum iudiciorum metu.*] *De hoc iam diximus, Ciceronem tribunitio furori cessisse, in exilium sponte abiuisse: à quo paulo post, quanta cum gloria fuerit omnium mortalium consensu reuocatus, testis est, præter alios, Plutarchus in eius uita.* *Ac redijt sine ulla rogatione.*] *Id est, sine lege, & decreto. uerum sed armis, & Cæsare munitus redijt: quod quidem non redire tanquam ciuem est, sed hostem.*

Qui

Qui alienas legiones.] Hæc omnia à toto Senatu facta fuisse constat: & Ciceronem semper autorem pacis fuisse. Testantur illa uerba de Officijs lib. 1. de hoc ipso tempore: In quo, inquit, si mihi obtemperatum esset, etsi non optimam, at aliquam Rempublicam, quæ nunc nulla est, haberemus. Testantur Epistolæ multæ ad Atticum, & historiæ. A

Nam prouisis antè.] Cicero cum uideret in castris Pompeij omnia perturbatè, & sine consilio geri, præ molestia ac tædio in morbum incidit. Quare & se paulùlum remouit, ut nec in pugna fuerit, & omnem militiam tunc fugerit: ex quo, inquit Plutarchus, cum quidam proditorem falso appellarunt. Nihil igitur se indignum fecit Cicero, si ei pugnæ non interfuit, cuius ipse autor non esset. Quare credibile est.] Conatur coniecturis eò rem adducere, ut Ciceronem proditionis suspectum reddat: & Pompeium causam iniustam habuisse probet. sed leuia sunt quæ dicit: Victus est Pompeius: ergo eius erat iniusta causa. Cicero post Pompeij fugam ad Cæsarem uictorem cõfugit, ergo eius causam iustiorem putauit: quasi non sæpe causa melior, à deteriore uincatur. Et quasi turpe sit homini moderato, se ad uictorem conferre, cum nullum effugium uideat. Ac præter alia uitia.] Etiã ingratũ in Cæsarem facit, si dijs placet, hic Cæsarianus homo. Quod ne Cæsar quidem, Dictator per annum.] Et hoc uerum esse alibi ostendimus. Sed quando Cæsari Dictaturam annuam decreuissent, siue metu, siue gratia, stultum erat, ut Dion inquit, de magistri equitum tempore disceptare. Quoniam metuebam, dices.] Rem adducit ad absurdum & turpe, scilicet, propter metum deserere officium: & excusari.

B

At is se male gessit in illa dignitate. Quamobrẽ? Quoniã Pompei bona redemit? At quàm multa huiusmodi empta ab alijs fuerunt, propter quæ nemo accusatus fuit? Nã idcirco aliqua bona fuerunt publicata, & proscripta, & publicè uoci subiecta præconis, ut ea aliquis emeret. Sed Pompei bona emi non debuerunt. Peccauimus igitur nos, & iniquè egimus qui ea publicauimus, aut ut & tu & nos extra culpam simus, Cæsaris culpa fuit, qui hoc fieri imperauit, cui tu nihil obiecisti. Sed quod ad hoc attinet, hic apertè insanus habetur. Præterea obijcit Antonio duo maxime cõtraria: Quorum unum est, quod cum multa negotia cum Cæsare transegisset, & ab eo magnam uim pecuniæ accepisset, post ui adactum esse ad rationes cõficiendas: alterũ est, quod cum paternam hęreditatẽ non adijsset, cumq; quantum uellet, quasi altera Charybdis, absumpsisset (nam semper cum aliquo Siciliæ exemplo nos adgreditur, quasi iam obliti simus illum in Siciliam aufugisse) rationem tamẽ reddidit omnium earum rerum quas emerat. Itaq; in his rebus hic diuinissimus Orator repugnãtia dicere inuenitur: atq; in eo etiam quod interdum dicit, hunc adiutorem in omnibus Cæsaris factis fuisse: atq; ideo affirmat bellorum omnium ciuilium facem extitisse. At interim illi timiditatem obijcit, quod in nulla pugna fuit, præter eam quæ in Thessalia cõmissa est. Illi quoq; obijcit, quod cum exules quosdam reduxisset, patruum suum restituere noluerit: quasi uero credibile sit Antonium non potius illum, quàm quenq; alium si potuisset fuisse reductura, cum eum nullius criminis insimulasset, nec ab eo insimulatus fuisset, ut hic ipse nouit. Equidem cum soleat iste sæpe contra eum mentiri, nihil tamen huiusmodi ausus est dicere. Ita hic nihil pensi habet effutire, tanquam uentum, quicquid in buccam uenit. C

At is se male gessit.] Occupatione, facit sermocinationem, ut subinde uariet orationem, ne alioqui propter humilitatem displiceat. At quam multa huiusmodi.] Hoc uult: si peccatum est, redemisse bona Pompeij, & proscriptorum, non plus Antonius peccauit, quàm alij plerìq; qui huiusmodi bona emerunt. argumentum ex pari, ut omnia.

Nam idcirco.] Diluit à causa efficiente, & à fine. Sed Pompeij bona.] Alia occupatio. & est ἔμφασις in nomine Pompeij, quasi diceret, sacrosancti, quem uiolare nefas sit. Peccauimus igitur.] Et hic incõmodo urget hominem. Præterea, obijcit Antonio, duo maxime contraria.] Ostendit in Ciceronis uerbis repugnantia, quæ mox nihil pugnare inter se inuenientur. Quorum unum est.] Proponit primum repugnans, quod ita dissoluitur: prius coegit eum Cæsar rationes conficere: deinde alio tempore, cum Antonius pro Cæsare multa fecisset, pecunia non parua illum ornauit. Alio enim tempore atq; alio hæc facta sunt. idcirco repugnare non possunt. Id quod etiam ipse Cicero indicat, qui dicit post Hispaniæ quæsturam & tribunatum, pecunia à Cæsare donatum fuisse. Alterum est.] Hoc etiam dissolui potest: Rationem reddidit, cum omnia absumpsisset: uerum est, sed per prædes quos dederat, ut in Philippicis dicit Cicero: Ad te & ad prædes tuos accurrit. quid igitur mirum si quod ego non possim alius pro me dissoluat? Hic diuinissimus orator.] Ironia, ab inuidia profecta. Inuidet & irridet, quod ipse assequi non potuit. D

In omnibus Cæsaris factis fuisse.] Hoc non dixit Cicero: sed quod sequitur, causam omnium bellorum ciuilium extitisse. at hoc nihil repugnat. nam, potuit bellum incendere, & bello non interesse, quod etiam fecit Antonius.

Illi quoq; obijcit.] Quod obiecerat Cicero, refellit Calenus duplici ratione, quæ tamen ratio ortum habet ex causis. primum causam fuisse, cur patruum potius quàm alios reduceret, sanguinis cognationem & propinquitatem. deinde, nullam fuisse causam cur id nollet: cum neuter alteri quicquam obiecisset. Sed facultatem defuisse. quod quidem falsum est. Nam si poterat alios, & quidem homines nequam: potuit & patruum reducere. sed noluit, priuato quodam odio.

A Sed quid uerbis opus est? quando iste clamitat, & modo dixit, hunc semper imaginem sui imperij formidabilem præbuisse, gladio, purpura, lictoribus, militibus, dicat mihi nunc apertè quam unquam iniuriam ab illis accepimus: sed nullam proferre poterit: si enim potuisset, nihil prius protulisset. Contraria sunt omnia atq; ipse narrauit, nam Trebellius & Dolabella erāt hi qui omnia perturbabāt. Antonius nullam nobis iniuriā fecit, quin potius omnia nostra causa egit: adeo ut urbis custodia ei fuerit contra illos demandata, nihil hoc admirabili oratore contradicente: sed potius approbante. Ostendat nobis si quid unquam dixit cum hunc scelestum & nequam uideret, qui præterq; quod nihil unq; rectum & honestum fecit, tantam sibi assumpsit licentiam à uobis. sed ostendere nullo modo posset. Talis est igitur Orator iste Reip. amator, qui omni in loco & tempore dicit, clamat, uociferatur: solus ego libere pro Rep. loquor, neq; amicorum gratia, neq; metu inimicorū moueor, quin uobis quæ utilia sunt, consulam. Rursus: si mihi pro uestra utilitate dicenti moriendū sit, libēter moriar. Iste qui
B de se talia iactat, eo tempore nihil ausus est loqui, atq; id quidem optimo iure: cum ei tum maxime ueniret in mentem, Antoniū lictoribus stipatum, purpurea toga ornatum esse, ut in tali dignitate more & consuetudine patriæ fieri cōsueuit. Nam gladium & armatos, contra seditionem habebat. Quid enim tam graue est, quod illi non fecissent, si hic firmo præsidio munitus non fuisset, quandoquidē etiam eo instructus modo à quibusdam contemnebatur. Hæc igitur atq; alia omnia de Cæsaris mente facta fuisse, reipsa demonstratur. nam seditio ulterius non processit, & Antonius non modo non dedit pœnas, sed post etiam Consul designatus fuit.

Sed quid uerbis opus est?] Diluit hoc quod Cicero de Antonij tyrannide obiecit, ab effectis & cōsequentibus. nihil fecit quod tyrannicū esset. ergo tyrannus, aut ullo modo terribilis in sua præfectura nō fuit. *Nā Trebellius & Dolabella.*] Vtriq; perturbabant ciuitatē, & Antonius, & hi quos nominat: ut Dion scribit rerum Rom. lib. 42. Hæc enim fuerunt post Pharsalicam pugnam, cum Antonius ad custodiendam urbem à Cæsare missus esset, dum ipse in Aegyptum Pompeiū persequeretur. Vtitur autē criminis translatione. *Hunc scelestū & nequam.*] Ironia. dicuntur enim de amicissimo homine. Raræ sunt hæ ironiæ. contrà, frequentiores quæ de inimicis dicuntur. iste bonus & honestus uir, &
C id genus. *Talis igitur est Orator iste.*] Irridet Ciceronem, & eius quædam dicta imitatur: quæ quidem sunt hominis constantis & Remp. maximopere amantis: & ualent ad eos permouendos ad quos habetur oratio. Ergo frigida sunt dum à Caleno ridentur. *Iste qui de se talia iactat.*] Timiditatē obijcit Ciceroni, ut ostendat eum non talem esse, qualem se iactat. ex quo illud etiā sequi uult, eum inanē hominē esse. Sed nescit iste Calenus, fortes homines si prudentes sint, suam fortitudinē interdum in aliud tempus cōmodius reseruare: quin etiam cōcedi uiro forti aliquem metum, id quod & Aristoteles & Cicero Homericis exemplis probant, ut Achillis, ut Hectoris & similium. *Vt in tali dignitate more & consuetudine patriæ.*] Diluit de purpura & lictoribus afferens patriæ morem in magistratibus: purpura enim utebantur magistratus: Et Antonius tum erat præfectus urbis. *Nam gladium.*] Romani magistratus purpura & lictoribus utebantur: sed neq; gladium ipsi habebant, neq; armatis stipati incedebant: nisi cum illis in magnis periculis & in seditionibus Resp. mandabatur. Excusat igitur Calenus Antonij gladium, & armatos, à seditione Trebellij, & Dolabellæ qui tum & ipsi ciuitatē perturbabant. *Quid enim tam graue.*] Amplificat periculū, ut necessitatē armatorum ostendat. Locus est ex maiore. *Hæc igitur atq; alia omnia.*] Antoniū nihil in eo peccasse, ostēdit ex cōsequentibus: nam seditio compressa fuit: Antonius non dedit eorum quæ fecerat pœnas, sed contrà præmijs est affectus. ergo non peccauit. Sed hoc nihil est. nam & tyranni seditiones comprimunt: & qui illis seruiunt, præmijs afficiuntur, ut Athenis cum triginta tyranni dominarentur: & Tyberij, Caij, Nerones Romæ.

D Et attendite quo nam pacto se in hoc magistratu gessit: quod si recordari uolueritis, inuenietis eum in hac ciuitate magna cū dignitate fuisse uersatū: quod iste animaduertens non cōtinuit inuidiā, sed Antoniū calumniari cœpit, propter ea ipsa quæ à se facta cuperet. Itaq; ausus est dicere, ut is nudus, unctus, & fabulas illas antiquas: non quo necesse esset de his uerba facere, sed ut uerbis tegeret artificiū Antonij, atq; præclarū eius propositū obscuraret. Qui Antonius, ó dij cœlestes atq; terrestres (nam altius q; tu uociferabor, deosq; implorabo) cū ciuitatē iam regio dominatu premi uideret, & omnes legiones esse in Cæsaris potestate, & populum senatumq; Rom. omnia ei permittere, adeo ut præter reliqua, eidem etiam concederet, ut perpetuus esset Dictator, & regali toga uteretur, eum prudentissimè remouit, & tutissimè refrenauit: ita ut partim metu, partim pudore, diadema non acceperit, quod tamē inuitis nobis assumere poterat. Alius sibi ut id faceret, imperatū à Cæsare dicere, & excusare necessitatē potuisset: ex quo ueniā impetrasset: præsertim cū nos huiusmodi decreta iā fecissemus, & tāta esset militū potētia. Sed Antonius explorato iā Cæsaris animo, perspectisq; ijs quæ ma-

quæ machinabatur, eum magna prudentia retraxit, & à proposito reuocauit: cui rei ar A
gumento est, quòd Cæsar tum nihil eorum quę potentes solent, effecit. ad hæc, nobis-
cum familiariter sine præsidio uersabatur: quare facile fuit, eum quæ sustinuit, perferre.

Et attendite quonam pacto se in hoc magistratu gessit.] Transit ad ea defendenda quæ in Cõsulatu gessit Antonius:
Et primũ eam reprehensionẽ in Ciceronis inuidiam confert. *Itaq; ausus est dicere, ut is nudus.*] Ad excusandum,
& interpretandum Antonij factum Lupercalibus, redit, quod supra distulerat: & ita proponit, quasi res sit clara & exi
gua. Sed Ciceronem rem exaggerasse, ut oratorio artificio, Antonij artem & prudentiam in eo facto obscuraret, & te-
nebras auditoribus offunderet. Artificiose hoc quidem Calenus, & callide quod ipse facturus est obijcit Ciceroni. Nam
ipse uerbis fucum facit: & ingenioso cõmento Antonij factum flagitiosum, turpe, scelestum, honestum, & prudens fuisse
conatur ostendere. *O dij cœlestes atq; terrestres.*] Exclamat hic grauis Orator: sed alieno affectu, non suo. idcirco
permouere auditores non magnopere potest. Fuit enim hæc Ciceronis exclamatio, in proxima oratione. *Nam al-
tius quàm tu uociferabor.*] Altius fortassis, at non iustius. deinde, quo altius clamabis, eo melior eris orator, scilicet.

Cum ciuitatem.] Caussas primum affert Antonij facti, easq; grauissimas: deinde ad eius consilium explicandum ac-
cedet. *Et Pop. S. Q. R. omnia ei permittere.*] Hæc omnia exponit Dion lib. 43. ample et copiose: & Plutarchus,
sed breuius. *Alius sibi ut id faceret.*] Profert probabilem & tolerabilem facti excusationem, ut altera huic collata
maior esse uideatur. Locus est iuridicialis assumptiuæ, necessitas nimirum. *Sed Antonius explorato Cæsaris ani-* B
mo.] Iam consilium Antonij profert, ut constet eum non imprudentia, non necessitate, sed prudenter, & magno consi-
lio ad id faciendum accessisse. & consilium honestum fuisse, & laudabile ostendit, ex causa, id est, ex fine & proposito.

Cui rei argumento est.] Ex signis rem consequentibus ostendit Cæsaris ambitionem refrenatam illo Antonij facto
fuisse: ex quo etiam consilium confirmat Antonij in Cæsare reuocando. Nam ex eo debuit Cæsar fieri insolentior: quod
Calenus negat fuisse: sed Dion & Suetonius insolentiorem factum affirmant. *Sine præsidio.*] Suetonius scribit id-
circo sine præsidio & custodia fuisse, quod illis infinitis honoribus & Senatus blandimentis delinitus, sibi diligentius ca-
uendum non putasset: non quòd aliquo Antonij facto à sua ambitione & dominatu fuerit reuocatus: alioqui, cur eos tribu-
nos mulctauit, qui eius coronam de statua deiecerint? *Quę sustinuit perferre.*] Significat facile esse hominem in-
cautum & inermem occidere, quod Cæsari accidit.

Hęc, ò Cicero, siue Cicercule, siue Ciceracie, siue Cicerithe, siue Gręcule, siue quo
alio nomine appellari gaudes, ab hoc homine imperito, nudo, uncto, facta fuerunt:
quorum à te nihil est factum, homine graui, & sapiente, qui plus olei quàm uini con-
sumpsisti: qui tunicam talarem gestas, non hercule ut saliatores, à quorum ornatus ua-
rietate, argumentorũ uarietatẽ didicisti: sed ut crurũ turpitudinẽ tuorũ obtegas, non C
ut modestior uideare: quamuis multa de Antonij uita effutieris. Quis enim hæc tua
tenuissima uestimenta non uidet? quis istos canos tam bene pexos non odoratur?
Quis nescit te primam uxorem tuam domo eiecisse? puellam, senem decrepitum du-
xisse? ut eius pecunia æs alienum tuum dissolueres? sed ne hanc quidem retinuisti, ut
Cerelliam tutius possideres, cum qua libidinis cõmerciũ habueras, cum tamen ea tan
tò te anteiret ætate, quantò tu uxorem tuam superabas: cui Cerelliæ tales soles literas
scribere, quales scortator aliquis effrenatæ linguæ scriberet colluctãs cum muliere se-
ptuagenaria. Hæc ego P. C. idcirco attuli, ne forte ex hac contentione superior iste di-
scederet. Et tu conuiuia audes obijcere Antonio? tu inquam, qui, ut ais, aquam bibis,
ut noctu orationem contra nos conscribas: tamen filium tuum in tanta nutris ebrieta-
te, ut neq; die seruet, neq; nocte modestiã. Ausus quoq; est Antonij os uituperare iste
qui tot tantisq; flagitijs contaminatus est, ut ne à coniunctissimis quidem abstinuerit:
utpote qui & coniugi suæ lenocinatus sit, & filiæ propriæ obtulerit stuprum. Verum D
isthæc missa faciam, & ad ea quæ dicere cœperam, reuertar.

Hæc, ò Cicero, siue Cicercule &c.] Ludit in nomine Ciceronis, uaria deductione, idq; ad contemptum. Sunt igitur
Cicercule, Ciceracie, Cicerithe, nomina deductione facta atq; nouata. Nam ne parum esset orator Calenus, uoluit uerba
fingere aliquo modo, sed frigide admodum. In his nominibus Cicercule, diminutiuum est: significat enim exiguum cicer.
Ciceracie contrà, significat magnum cicer, sed deforme. Ciceritum uero siue Ciceritħũ, uidetur appellare, quasi insanum
cicer. Ceriti enim à Romanis dicebantur, Cereris ira & indignatione in furorem acti, qui & Lymphatici & laruati uo
cabantur. nostris hodie uulgò appellantur, inspiritati & indiauolati, quasi malo spiritu correpti. *Siue Græcule.*]
Inuidiose hoc dicit. fuit enim Cicero noster Græce doctissimus: ita ut nõ minus græcè quàm latine & scriberet & oraret.

Ab hoc homine imperito, nudo, uncto.] Imitatur uerba Ciceronis, & insultat: & collatione Antonij factum exag-
gerat. *Homine graui & sapiente.*] Sapiens imperito opponitur, & grauis, nudo, & uncto, quæ pro leui posita
sunt. Grauem autem & sapientem per ironiam dicit. *Qui plus olei quàm uini.*] Hoc de Demosthene dictũ ferunt,
qui ad lucernam solitus est lucubrare: & nihil non præmeditatũ domi & scriptum, in forum afferre. Hinc illud quoq; de
eius argumentis iactatũ, ea lucernã olere, quo diligentissimã rei meditationẽ significabant. Sed hoc per irrisionem dicit
iste Fufius. *Qui tunicam talarem gestas.*] Reprehendit uestitum Ciceronis, tanquam id faceret tegendorum uari

A cum causa: à qua calumnia illū defendit Quintilianus Inst. or. li. 11. Togā, inquit, ueteres ad calceos usq; demittebant, ut Græci pallium. Idq; ut fiat, qui de gestu scripserunt, circa tempora illa Plotius, Nigidiusq; præcipiunt. quo magis miror Plinij secundi docti hominis, & in hoc utiq; libro penè etiam nimiū curiosi persuasionē, qui solitū id facere Ciceronē uelandorum uaricum gratia tradit, cum hoc amictus genus, in statuis eorum quoq;, qui post Ciceronem fuerunt, appareat.

Quis enim hæc tua tenuissima.] Mollem corporis cultū obijcit Ciceroni, ne quid intactū relinquat, quod ab inimico obijci posse uideatur. Quis nescit te primā uxorē.] Terentiā intelligit quam iustis de causis repudiauerat Cicero, idq; de cōsilio Pōponij Attici uiri iustissimi, ut ex epistolis ad eū plurimis perspicuū fit. Quin etiā Plutarchus causas nonnullas recenset. Fuit enim Terentia fœmina imperiosa, importuna, prodiga, suarū rerū negligens, alienarum curiosa. Vt eius pecunia, æs alienū.] Ergo non libidinis causa eam duxit, si ut creditoribus satisfaceret. erat enim ea ditissima, & urgebant amici ut eam duceret. maluit igitur illud facere, quàm æs alienū debere, & creditores fraudare. in qua re quid turpitudinis tum fuerit, non uideo. De hac quoq; re in epistolis ad Atticum. Sed ne hanc quidem retinuisti.] Nusquā hoc legitur, Ciceronē & hanc secundā repudiasse: Sed nec de Cerellia quicquā ab alio ei obiectū fuisse legi. nec fit uerisimile Ciceronē hominē eius temperantiæ & ætatis cum muliere septuagenaria turpitudinis cōmercium habuisse. Fuit fortasis bona illa anus, erga Ciceronē affecta propter aliquē in foro fauorē, aut patrociniū aliquod: coluit illā Cicero ob aliquod erga se officiū, aut meritū, ut fit. Deinde Cicero multorū & diuersorū, nō uirorū modo, sed etiam
B mulierū consuetudinē habuit, ut multa per hos intelligeret quæ clam in ciuitate machinarentur: uelut per Fuluiam Curij omnia Catilinæ cōsilia intellexit. Sed inimici in deteriorē partē omnia interpretantur. Hanc quidem Cerelliā Cicero in quadam ad P. Seruiliū epistola, ei cōmendat, & necessariā suam appellat: quod quidem non faceret, præsertim tali uiro, si qua eius rei suspicione laborasset. Hæc ego P.C.] Vide quæso quam rationē afferat, cur ista effutierit, nō quod uera sint: sed ne Cicero superior euaderet, aut impune abiret. O impudentiam. Tamen filiū tuū.] De filio Ciceronis uariæ sunt opiniones. Sulpitius tamē in Epistolis, eum à studijs literarū laudat: & Plutarchus in Bruto, & Brutus ipse in Epistolis, eum à militari fortitudine & industria ualde cōmendant. Fuit certe etiā apud Augustū magno in precio, ut Plutarchus in Cicerone scribit. Nam factus consul, eum sibi collegam elegit. Et filiæ propriæ obtulerit stuprū.] Inauditū facinus & nefandū, si uerū esset. Sed constat esse Sallustij inimici cōmentū, ut suam turpitudinē obscuraret: cui satis pro merito respondit Cicero in ea quæ extat in Sallustiū inuectiua. Equidē flagitiosissimos homines & nequissimos existimo, qui tale quid de alio cogitant: quasi uero nefas sit patrem habere filiam charissimam, præsertim talem, qualis fuit Tullia. Næ isti quantus sit patrius amor, nesciūt. Verum isthæc missa faciam.] Cœperat Antonij factū defendere: sed iræ abreptus æstu, in uituperationē Ciceronis digressus est: iā uero ad illud ipsum quod proposuerat reuertitur.

Is igitur Antonius quem iste calumniatus est, cum Cæsarem uideret uestræ Rei-
publicæ dominatum occupasse, ijs ipsis rebus quibus ei uelle gratificari uidebatur, im-
C pedimēto fuit, quo minus quidquā faceret eorum quæ habebat in animo. Nihil enim
est quod tantopere hominē ab eo quod iniuste appetit, refrenet & euertat, quàm cum
ij qui timent, ei sponte illud ipsum offerunt quod timent. Qui enim sibi iniustitiæ con
scius est, non credit id animo sincero fieri: sed potius se proditū iri metuit, atq; ea quæ
dicuntur per assentationē sibi dici arguit. quodq; ex his sequitur, sibi periculo & igno
miniæ futurum putat. Quod cum intelligeret Antonius, Principio, tempus ad id dele
git cum Lupercalia celebrarentur: ut animo inter ludos uacuo & libero corrigeretur,
& ad moderationē sese reciperet. Deinde forum elegit & tribunal: ut quo ibi Cæsari fi
cta uerba tanq̃ à populo mandata, pudorem afferrent: utq; audiens expenderet non
ea quæ diceret Antonius, sed quæ uerisimile esset populū Rom. alicui dicenda man-
dasse. qui enim potuisset credere populū talia Antonio mandasse? cum sciret nullum
de ea re decretū esse factum? nec populum acclamasse. sed enim, oportebat Cæsarem
audire ea in foro, in quo multa sæpe de libertate acta sunt: & ad tribunal, è quo cōcio-
D nes innumeræ de innumeris populi negotijs habitæ fuerant: & Lupercalibus, ut me-
minisset Romuli: & à consule, ut cogitaret quæ à consulibus antiquis gesta fuissent: &
populi nomine, ut sciret se non Pœnorū, non Gallorū, non Aegyptiorū tyrannidē affe
ctare, sed Romanorū. Hæc igitur Antonij uerba Cæsarem à proposito reuocarūt: hæc
abiecerunt & demiserunt. Quod si ab alio diadema ei post oblatū fuisset, illis Antonij
uerbis forsitan impeditus, territus & fractus esset.

Is igitur Antonius.] Repetit quæ de eius consilio dixit, ut simul totam hanc machinam defensionis coniungat.

Nihil enim est.] Confirmat à pudoris causis. Insolita enim illa & noua liberalitas, suspecta est maxime, uiris non stupidis. Quod cum intelligeret Antonius.] Omnia consilio & prudentiæ Antonij tribuit, quæ planè proiectæ audaciæ fuerint & temeritatis. Principio, tempus ad id delegit.] Ingeniosum est hoc Caleni cōmentum. Percurrit enim per omnes locos & attributa, ex quibus probabilitas cōmento conciliari potest. Locus est ex adiunctis, temporis, locorum, personarū, officiorū, rerū negotiorūq; naturis, ex quibus uerisimile facit consiliū Antonij. Cum Lupercalia.] In tempore alia sunt fortuita, ut dies festi: alia naturalia, ut dies, mensis, annus. Vt animo inter ludos uacuo.] Hoc pulchrū in hoc cōmento est, quòd singulis attributis & adiunctis, causam finemq; statim adiungit & subijcit.

Deinde

Deinde forum elegit.] Verisimile à loco facit. *Non ea quæ diceret Antonius, sed quæ uerisimile esset.*] Locus cōmunis, Non quæ dicantur, sed quæ uerisimilia sunt, diciq; debent, attendenda esse. *Nec populū acclamasse.*] Acclamatione populus Romanus, quæ cum eo agebantur, aut comprobabat, aut improbabat: non secus quàm plausu, aut explosione fabulam admittebat, aut reijciebat, ut in Philippicis quoq; indicauimus. *Sed enim oportebat Cæsarem audire.*] Id est, ut Cæsar ab affectatione & cupiditate regni per se reuocaretur, oportuit ei id ita offerri, ut & locus, & persona, & tempus, & omnia, illū admonerent, & pudore suffunderent. Nam & forum, & tribunal, siue rostra, & Lupercalia, & Consulis populiq; nomē, cum admonebant libertatis, non seruitutis: utpote libertatis, apertissimæ notæ. A

Non Pœnorū &c. sed Romanorum.] Tanquam diceret, non barbarorum, qui seruitutem pati possunt: sed Romanorū, quorū propria est libertas, ut Cicero Philip. 6. dixit. Item Philip. 10. Omnes nationes, inquit, seruitutem ferre possunt, nostra ciuitas non potest: nec ullam aliam ob causam, nisi quòd illæ laborē dolorēq; fugiunt: quibus ut careant, omnia perpeti possunt. nos ita à maioribus instituti atq; imbuti sumus, ut omnia consilia atq; facta ad uirtutē & dignitatem referamus. *Quod si ab alio.*] Fictum argumentum, κατ᾽ ὑπόθεσιν, ad fictum amplificandum.

Antonij igitur facta talia sunt, qui non crus fregit ex fuga: non manum exussit, quod
Porsenā non occidisset, sed sapientia & arte nos à Cæsaris tyrannide liberauit: in quo
quidē maius quiddā fecit, quàm uel hasta Decij, uel gladius Bruti. At tu Cicero quid quæ B
so in tuo consulatu fecisti, non dico sapienter & præclare, sed cui non grauissima pœna
deberetur? Non tu ciuitatē nostrā turbasti, quæ antea quieta & bene cōsentiens erat?
non seditionē in foro concitasti? non Catilinā tantū ad magistratus aspirantē, miserè
euertisti? (neq; enim is grauius quicquam cōmiserat) non Lentulū eiusq; socios indicta
causa, qui nihil perpetrarant, miserabiliter necasti? tu inquā qui semper multa uerba
studes effundere, pro legū & iudiciorū cōseruatione: quæ uerba si ex tuis orationibus
eximantur, reliqua nihil erunt. Pompei iudiciū de Milonis causa tanquam præter iudicio
rū cōsuetudinē cōstitutū, reprehendisti: quasi uero tu ullum prorsus ordinē in Lentuli
causa seruaueris: quē indicta causa & indemnatū in custodiā, hominē bonū & senē, tra
didisti: cuius magna amicitiæ pignora, à suis maioribus apud nos fuerunt, quiq; nouas
res nec per ætatē, nec per mores moliri poterat. Quid enim mali habebat, quod Reip.
mutatione sanari potuisset? Quid boni non habebat, quòd si noui quippiā agitasset,
non id omne in discrimē uocasset? Quæ arma cōparauerat? Quos socios contra nos
concitauerat? Quo scelere implicatus uir ille cōsularis & prætorius fuerat? ut cum nec C
dixisset ipse quicquam, nec audiuisset, in carcerē demitteret: atq; ibi quasi nefarius aliquis
necaretur? Nam hoc unum cupiebat fortis homo Tullius, ut necari faceret in carcere
quod Tullianū de suo nomine appellatur, Lentuli illius nepotē, qui princeps senatus
olim fuit. iam uobiscum reputate quid facturus fuisset si armis potens extitisset, cum
tot & tanta mala uerbis perpetrauerit. Hæc tua sunt splendida & memorabilia facino
ra. Hæc tua magna stratagemata, quibus tu non modo condemnatus aliorū sententijs
fuisti, uerumetiā à te ipso, qui nō expectato iudicio profugisti. Ecquod nam maius tuæ
crudelitatis argumentū esse potest, quàm quod parum abfuit quin ab ijs occiderere, propter
quos te talia agitasse fingebas? tibiq; ab eisdē metuisti, quibus tu in tali causa, te auxi-
lio fuisse prædicabas: à quibus nec audire quicquam, nec ipse audiri, homo eloquēs & co-
piosus, qui alijs adesse soles, sustinuisti: sed fuga, tanquam ex acie, tuæ saluti consuluisti. &
tamē tam es impudens, ut hæc scribere ausus sis, cum talia sint, ut potius optare debue
ris, ne quis alius mentionē eorū ullam unquā fecisset: quo si nihil aliud, saltē illud con- D
sequerere, ut facta tua tecum unà perirent, & sempiterna obliuione delerentur.

Antonij igitur facta talia sunt.] Epiphonemate auget & concludit. *Qui non crus fregit ex fuga.*] Ex hoc loco satis constat Ciceronē cum proxima oratione dixit, Non per Horatij crus, de læso Horatij crure siue femore intellexisse, quod tunc non clarè animaduerteramus. Nam Plutarchus in Publicola Valerio, eius fortissimū facinus narrans, dicit eum dum enataret, in nate telo uulneratū fuisse, ex quo uulnere semper claudus fuerit Horatius Cocles. Idem quoq; Plutarchus ibidem cur Cocles dictus fuerit, exponit. *Non manum exussit.*] Ut Mutius Scæuola. refellit enim exempla à Cicerone prolata. *Sed sapientia & arte.*] Vult Fufius Antonium in eo facto, ironia fuisse, omniaq; in eo ad ironiā spectasse, & callidā quandā dissimulationē. Cicero uero ironiā esse non negat, sed aliò torquet: nimirū hoc consilio Antoniū Cæsari diadema obtulisse, ut ei inuidiā conflaret, eiusq; necem acceleraret. *Maius quiddam fecit.*] Quòd sine armis, sine periculo tyrannū repressit, & à tyrannide liberauit. hoc enim uult Fufius. *At tu Cicero.*] Defendit quod maximū in cōsulatu fecit Antonius: iam ad cōsulatū Ciceronis reprehēdendum. *Non tu ciuitatē nostram turbasti.*] Turbasse dicit, qui turbatā sedauit, Decemuirorū rogatione abrogata, & Catilinæ coniuratione extincta. Vide Plutarchum. *Non seditionē in foro concitasti?*] Id tempus intelligit cum Cicero in forū & in campum metu Catilinæ iuuentute Romana stipatus, & ipse thorace indutus, prodijt. *Non Catilinam.*] Miror Calenum

mentionẽ Catilinæ & sociorũ facere audere, qui sciret eum in bonorũ omniũ cædem coniuraſſe: ſed hac ratione fortaſsis
A *ipſe euaſiſſet.* Non Lentulũ eiusq́; ſocios.] *Quid opus est uerbis? legatur tantũ Salluſtius, & intelligetur, an iniuſta cauſa, ſineq́; ordine, & iudicio, de coniuratis ſumpta fuerint ſupplicia. Sed hæc fuit ſemper contra Ciceronem omnium improborũ atq; inuidorũ querela.* Quiq; nouas res neq; per ætatẽ.] *Quòd ſenior iam eſſet, & ad res periculoſas gerendas minus aptus.* Neq; per mores.] *Probos & bonos ſcilicet. conatur oſtendere, non modo non contra Remp. quicquã Lentulũ feciſſe, ſed ne potuiſſe quidem.* Quid enim mali habebat?] *Percunctationibus urget, ut Lentuli innocentiã quam ueris rationibus defendere non poteſt, hoc colore extorqueat, & tegat maleficium.*

Quæ arma comparauerat?] *Quæ in Cethegi domo reperta ſunt. de quibus uide tertiam in Catilinam orationem.*

Quos ſocios.] *Allobroges, ut eſt apud Salluſtium.* Quo ſcelere implicatus.] *Minimo. nam uoluit tantum Remp. euertere, ſenatũ, & ciues bonos trucidare, urbem incendere, bello uaſtare Italiã. qui hæc conatus eſt, non nefarius ſed bonus ciuis fuit.* Vt necari faceret in carcere, quod Tullianũ.] *Tullianũ non à Tullio Cicerone, ſed à Tullio rege arbitror appellatũ. ſed quoniã & Cicero Tullius uocabatur, idcirco dixit de ſuo nomine appellatũ. Verũ ut Calenum uno ictu cõfodiamus, afferre operæpretiũ eſt, quæ Salluſtius de Lentuli & aliorũ cõdemnatione ſcripſit. Poſtquam, inquit, uti dixi, Senatus in Catonis ſententiã diſceſsit, Conſul optimum factu ratus, noctem, quæ inſtabat, ante capere, ne quid eo ſpacio nouaretur: Triũuiros, quæ ſuppliciũ poſtulabat, parare iubet: ipſe diſpoſitis præſidijs, Lentulũ in carcerẽ*
B *deducit: cæteris idem fit per prætores. Eſt locus in carcere quod Tullianũ appellatur: ubi paululũ aſcenderis ad leuã circiter 12. pedes humi depreſſus, eum muniunt undiq; parietes, atq; inſuper camera lapideis fornicibus iuncta, ſed inculta tenebris, odore fœda, atq; terribilis eius facies eſt. In eum locũ poſtquã demiſſus eſt Lentulus, Iudices rerũ capitaliũ, quibus præceptũ erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex gente clarisſima Corneliorũ, qui conſulare imperiũ Romæ habuerat, dignũ moribus factisq́; ſuis exitũ uitæ inuenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario eodẽ modo ſupplicium ſumptũ eſt. Hæc Salluſtius.* Lentuli illius nepoti, qui princeps ſenatus olim fuit.] *Fuit huius auus Lentulus ille qui in Gracchana ſeditione uulnus accepit. De quo Cicero ipſum Lentulũ alloquens in tertia in Catilinã, Tum, inquit, oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui, cognoſceret ne ſignũ. annuit. Eſt uero, inquam, notũ ſignum, & imago aui tui clarisſimi uiri, qui amauit unicè patriam & ciues ſuos: quæ quidem te à tanto ſcelere, etiam muta, reuocare debuit. Item in quarta, Atq; illo tempore, inquit, huius auus Lentuli clarisſimus uir armatus, Gracchũ eſt perſecutus. Ille graue tum uulnus accepit, ne quid de ſumma Reip. dignitate minueretur: hic ad euertenda fundamenta Reip. Gallos accerſiuit, ſeruitia concitauit, Catilinã euocauit, attribuit nos trucidandos Cethego, cæteros ciues interficiendos Gabinio, urbẽ inflammandam Caſsio, totã Italiã uaſtandã diripiendãq́; Catilinæ.* Iam uobiſcũ reputate.] *Ex minore exaggerat & cõfirmat.*

Hæc tua ſunt ſplendida.] *Acclamatio per ironiã augendi & inſultandi cauſa.* Tibiq; ab iiſdem metuiſti.] *Cæſarẽ & Pompeiũ intelligit, à quibus in ſeditione Clodiana proditus, & deſtitutus fuit. quod cum animaduerteret*
C *Cicero, Tribunitio furori ceſsit, atq; in exiliũ abijt, ut ante diximus.* Sed fuga, tanquam ex acie.] *Hoc dicit, & iſta ſimilitudine utitur, quòd qui in acie ordinem deſerunt, ignominia notantur, ex diſciplina militari.*

Vt autẽ rideatis P. C. huius ſapientiã attẽdite. cũ ſibi propoſuiſſet omnia Romanæ ciuitatis facta mandare literis: eſſetq́; in eo tum ſophiſta, tum poeta, tum philoſophus, tũ orator, tũ hiſtoricus ut ipſe fingit, nõ ut alij, à principio cõditæ urbis cœpit, ſed à cõſulatu ſuo, ut contrario & inuerſo ordine, initiũ à ſuo tempore duceret, & in Romuli regnũ terminaret. Dic ergo talia te & ſcribentẽ & facientẽ, cũ uerbis dicere, tũ re præſtare: qualia bonũ uirũ decet. aptior enim es alios ad quiduis impellere, quàm ipſe ea quæ decẽt facere: alios itẽ reprehendere, quàm ipſe te caſtigare. Quàm uero præſtitiſſet, ut pro eo quod Antonio timiditatẽ obijcere uoluiſti, ipſe potius animi molliciẽ corporisq́; deponeres: & pro eo quod eũ perfidiæ arguis, tu nihil perfidioſe ageres, nec fugitiuus eſſes: & pro eo quod eũ ingrati animi inſimulas, ipſe nulla iniuria bene de te meritos affeciſſes. In Cicerone enim P. C. hoc ineſt natura uiciũ, quòd præter cæteros omnes, odit
D eos à quibus beneficiũ accepit, ſemperq́; alijs blandit, alijs inſidiat. Et ut alios omittã, cũ Cæſar huius miſertus, eũ cõſeruaſſet, & in ſenatorũ numerũ adſcripſiſſet, poſtea illũ occidit, nõ ſuis quidẽ manibus, qui eñ id auderet homo timidus & effœminatus? ſed ſuadendo & inſtigando qui hoc facerẽt. hoc uerũ eſſe ipſi percuſſores demõſtrarũt: cũ in forũ nudis gladijs currẽtes, ſæpius Ciceronẽ nominatim exclamarẽt: quẽadmodũ uos oẽs audiuiſtis. Eũ igiť occidit, à quo beneficia acceperat: Antonio uero, à quo ſacerdotij dignitate ornatus fuerat, & cũ Brundusij parũ abfuit quin à militibus occideret, cõſeruatus: nũc eã gratiã refert, eidẽ ea obijciẽs, quæ nec ipſemet, nec alius quiſq́; antea unq́; obiecit, & eas res in eo præteriẽs, quas in alijs iſte laudauit. cũ enim uideat hũc Cæſarẽ per ætatẽ nondũ ad imperiũ militare, aut ad aliã ullã Reip. adminiſtrationẽ idoneũ eſſe: nec à uobis ad hoc ante deſignatũ, nihilominus tamẽ copias cõtraxiſſe, & bellũ ſine decreto ueſtro conflaſſe, non modo non illũ reprehendit, ſed laudat. Itaq; nec legum æquitatem quærit, nec Reipublicæ utilitatem: ſed omnia ſuo arbitratu moderatur, & quæ in alijs extollit, in alijs uiciſſim deprimit, & nobis falſa opponit, & nos ipſos calumniatur: cum tamen quæcunq; ab Antonio poſt Cæſaris mortem

facta fuerunt, omnia à uobis ei mandata esse constet. A

Vt autem rideatis P.C.] Etiam inscitiam Ciceroni audet obijcere uir sapientissimus et doctissimus Fusius, & ad risum inuitare senatum, homo seuerus & grauis: quasi Cicero leges scribendæ historiæ prorsus ignorauerit: qui tam præclare eas tradidit in secundo De oratore, & in primo De legibus. Quod si etiam quis initiũ scribendæ historiæ à suo tempore duceret, deinde rerum explicationem ordine ad antiqua tempora quantum uellet, aut posset extenderet, faceret ut si quis ordine dissoluendi uteretur, in arte explicanda, quam alius componendi uia & ratione tradidisset. Neq; enim res tam absurda esset, quàm Calenus putat, sed quæ nouitate placeret. Ita enim nouis rebus uetustas, & uetustis nouitas conciliaretur. Fac aliquem esse Romæ, qui quæ oppida, quæ loca sint inter urbem et Bononiam uidere & describere cupiat, nónne is Roma profectus, Viterbum ueniet, deinde reliqua obseruabit omnia, donec Bononiam peruenerit, & semper à uicinioribus ad remotiora progredietur? Neq; enim cum Romæ sit ipse, incipiet ea à Bononia describere. Quamobrem non statim quod nouum est, erit reijciendum: nec is ordo inuersus uidetur, nisi quia alios eum sequutos non uidemus.

Non ut alij.] Vt Fabius Pictor, ut Cato, ut Fannius, ut Vennonius, ut Antipater, ut Asellio, ut Cælius, ut Accius, ut Sisenna, qui tum historias scripserant. Dic ergo talia te & scribentem.] Insultat & arguit uehementius, quasi ita scribere historiam, sit patriã prodere. Quàm uero præstitisset.] Non diluit quæ Cicero obiecit Antonio, sed paris obijcit Ciceroni: quod quidem genus est quoddam dissoluendi quæ obiecta sunt, sed leue admodum & frigidum. B

Hoc uerum esse ipsi percussores demonstrarunt.] Cæsarẽ consilio Ciceronis interfectum fuisse probat à signo. Sed hoc etiam obiecerat Antonius, & diluerat Cicero Philippica secunda. Atq; etiam supra ostendimus ex Plutarcho Ciceronem eius consilij expertem prorsus fuisse. Antonio uero, à quo sacerdotij dignitate ornatus fuerat.] Quando, & quo sacerdotio fuerit ab Antonio ornatus Cicero, nusquam legi. Fuit quidem Augur Cicero, & in Augurũ collegium ab Q. Hortensio cooptatus, ut ipse in procemio De claris oratorib. testatur. aliud nihil de hac re legi. Et cum Brundusij, parum abfuit, quin à militibus discerperetur.] Et hoc diluit Cicero Philip. 2. ubi tale dicit illud beneficium fuisse, quale latronum est, cum dicunt se ijs uitam dedisse, quibus non ademerint: & tamen mauult se debere ob id Antonio confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non satis gratus uideri. Cum enim uideat hunc Cæsarem.] Octauium scilicet. nam honores huic delatos reprehendit, præsertim quód contra Antoniũ illi imperiũ datur. Itaq; nec legum æquitatem.] Contra leges annales facere arguit, qui aditum ad rempub. faciat Cæsari puero: atq; eadem ratione contra utilitatem reip. quód puer quæ reip. utilia sunt, uidere non posit. Sed nimium uidit hic puer, & fortassis in hoc non ita male sentit Calenus: sentit enim cum Bruto, ut initio Philippicarum ostendimus. Et quæ in alijs extollit.] Inconstantiæ arguit Ciceronem: sed tamen alio atq; alio respectu, eadem in alijs laudari, in alijs uituperari possunt. Vt conflare exercitũ pro rep. in magnis eius periculis, sine mandato, sine decreto, Cæsari licet: cõtra remp. uero nõ licet Antonio.

Omnia à uobis ei mandata esse constet.] Nec id negauit Cicero: sed metu mandata esse, sed ui extorta. Deinde nulla esse decreta quæ iubeant oppugnare Mutinam, obsidere Brutum, uastare agros et Romanos fines, bellum patriæ inferre, quod Antonius faciebat, aut facere parabat. C

Quod aũt ad pecuniæ Cæsaris administrationẽ, & actorum inquisitionẽ attinet, de his loqui superuacaneũ esse arbitror. Quamobrẽ? quia ad suos hæredes magis pertinet de huiusmodi reb. esse sollicitos. Quod si & hic aliquid peccabat Antonius, tunc statim occurrendũ fuit: cum ô Cicero nihil clam factũ sit, sed in colũnis, ut ipse inquis, omnia affixa fuerint. Et si ille palã & impudenter (ut narrasti) peccasset, & Cretam rapuisset, quæ ut ex Cæsaris chirographis constat, libera post Bruti magistratum relicta erat, quã ipse à nobis auertit, quomodo id tacuisses? quomodo alius quispiã ferre potuisset? Verum, ut ante dixi, hæc omittã, quód nõnulla ex his nominatim sunt expressa: nec adest Antonius, qui nos de singulis certius docere posset. De Macedonia uero P. C. de Gallia, deq; alijs prouincijs, ac de exercitib. fuerunt uestra decreta: quibus pro uincias singulis attribuistis. Antonio enim Galliã cum legionib. decreuistis: id quod nõ ignorat Cicero, qui unà uobiscũ omnia decreuit. Quanto autem melius fuisset tũc repugnare ijs quæ fierent nõ opportune: uosq; monere de ijs quę modo refert, potius q̃ tacendo uos initio errare permittere: quamq; nunc uerbo quidẽ Antoniũ accusare, re aũt uera senatũ reprehendere? Nemo qui usum in rep. habeat aliquẽ, hoc dicere pótest: uos ab Antonio ui compulsos huiusmodi decreta fecisse. Neq; enim tum armatos habuit, quib. uos cogere inuitos ad aliquid posset: reip. utilitas quęsita est. etenim cum ueterani ante uenissent, & congregati essent, timendũ erat ne morte Cæsaris audita, seditionem mouerẽt, & alium peruersum imperatorẽ iterum eligerẽt, qui bellum nobis faceret. idcirco placuit uobis, & rectè placuit, ut Antoniũ hisce reb. præficeretis: qui tum consul erat, & pacificator, & cõcordiæ cõfector: quiq; tum dictaturã funditus ex rep. sustulerat. Quamobrẽ uos ei Galliam Macedoniæ loco cõcessistis: ut cum ea pro uincia in Italia sit, nihil moliri posset, qui ilico uestris decretis paruit. Hæc igitur uobis P. C. dicere uisum est, ut intelligatis uos recta cõsilia secutos esse. Ciceroni autem hoc dixisse satis mihi esse uidet: ipsum cum hæc decernerẽt interfuisse, & unà uobiscum confirmasse, cum nullos armatos haberet Antonius, nec afferre metum ullum posset: D

A per quem utilitatem nostram negligere cogeremur. Et quanquam tunc taceres, nunc quæ agenda à nobis sunt cõmemoras. Cum res eo in statu essent, debuimúsne sine duce legiones relinquere? an nõ tum Italiam, tum Macedoniã infinitis malis impleuissemus? At alteri tradere debuimus. Quem aũt cõmodiorem aut magis necessarium reperire potuissemus, q̃ Antonium? qui & consul erat, & urbanas res procurabat: qui tantopere concordiæ uestræ inuigilabat: & cuius in remp. beneuolentiæ tot pignora habebamus? At aliquẽ ex percussoribus eligere debuimus. Sed illis in urbe tutis esse non licebat. Aliquem ergo ex his qui percussorũ erant inimici. At hi erant omnib. suspecti. Et quis præter hunc erat aliqua dignitate excellens, & usu præstans? Sed ægrè tulisti te electum nõ fuisse. quam tu dignitatẽ habebas? quòd si tibi arma & legiones traditæ essent, quid nõ patrasses? qui in tuo consulatu tot tantaq; oratorijs uerbis egisses, quorum duntaxat dominus es? Sed illuc redeo. Interfuisti cum hæc decernerẽtur, nec repugnasti: sed omnib. assensus es: ut quæ & optima & necessaria essent. Neq; eñ tibi loquendi libertas deerat, cũ multa inaniter soleas allatrare: nec tũ metuebas quenquã. nã qui nudũ metuere potuisti, quẽ nõ metuis armatũ? & qui reformidasses solũ,
B quẽ tot armatis stipatũ nõ formidas? Omitto q̃ gloriaris te mortẽ plane contẽnere.

Quod autem ad pecuniæ Cæsaris adminis.] *Hoc diluit duobus modis: primum à personis, nihil ad ipsos pertinere eam pecuniæ rationem, sed ad hæredes Cæsaris. Deinde tempus alienũ esse: quod si quid peccauerat in eo Antonius, tunc antequã pecunia absumeretur, occurrendũ fuisse: præsertim cum nihil clam, sed palam omnia faceret Antonius. Respondetur, Antoniũ tunc armatis septũ fuisse, & regnũ Romæ exercuisse: quanquã etiam tunc nõ tacuit Cicero, ut Philippica prima & secunda docent.* *De Macedonia uero P.C.*] *De prouincijs quomodo & quib. attributæ fuerint post mortem Cæsaris satis dictum est in Philippicis.* *Quanto aũt melius fuisset.*] *Alieno tempore de his à Cicerone agi: & moratur in eodem loco tanquã firmissimo, cum eò potissimũ hæc protulerit Cicero, ut præterita facinora cõmemorando Antonij, eũ odiosum redderet & inuisum, ut qui nihil recte, nihil ordine, sed pro sua libidine omnia fecerit semper.* *Re aũt uera.*] *Conflat inuidiam Ciceroni, ex eo quod senatus decretis repugnare uideatur. sed excusauit senatum Cicero, quòd per uim & fraudem ea concesserit Antonio. Quod aũt opponit Calenus, id fieri non potuisse, quòd armatos tum nondũ haberet Antonius, id falsum est. nam ueterani qui Romæ erant, præmijs ab illo iam alliciebantur: et pars eius nutum sequebatur, ut in Philippicis ostensum est.* *Etenim cum ueterani.*] *Ostendit necessitatẽ et æquitatem decretorũ senatus, quibus aliquid Antonio mandatũ fuerat: primum à tempore, mortuo scilicet Cæsare, & ueterã-*
C *nis in urbem confluentibus. deinde ab Antonij persona, quòd cõsul esset: postremo à meritis eius, quòd pacificator fuisset, quòd dictaturã sustulisset. de quibus Philip. 1.* *Vt cum ea prouincia in Italia sit.*] *Verisimile facit à loco, & senatus securitate atq; uoluntate.* *Hæc igitur uobis.*] *Laudat senatus consilia & decreta, quo minus eos pœniteat, & quicquã immutent.* *Ciceroni aũt.*] *Omnes rationes in unũ locũ confert & coniungit, ut fortiores esse uideãtur quàm disiunctæ.* *Cum res in eo statu essent.*] *Repetit locum superiorẽ de necessitate & æquitate, ea Antonio decernendi quæ decreta fuerunt, sed alia tractatione. nam quod simpliciter dixit ante, nunc enumeratione (quam Expeditionem Cornificius uocat) roborat, exornat subiectione: & tractat eosdem locos, temporum, personarum, meritorum.*

An nõ totam Italiam?] *A tempore & periculis.* *At alteri tradere.*] *Occupatio, è qua paulatim delabitur in enumerationẽ & subiectionẽ.* *Quem aũt cõmodiorem.*] *Propositio, quæ eadem erit conclusio enumerationis.*

Qui & consul erat.] *A persona & officio Antonij.* *Et cuius in remp.*] *A meritis Antonij.* *At aliquem ex percussoribus.*] *Hic sese aperit illa subiectio, qua enumeratio ipsa exornatur: & hic est unus ex præstantissimis huiusce orationis locis, & obseruatione dignus. Sic hanc tractaret dialecticus. Cum legiones essent alicui tradendæ, aut tradendæ fuerunt alicui ex percussoribus, aut eorũ inimicis, aut Antonio. at percussores in urbe tuti nõ erant: eorum inimici erant nobis suspecti: relinquitur ut Antonio tradendæ essent, præsertim cum esset cõsul, & bene de rep. meritus.*
D *Hæc autem contra ea dicuntur, quibus Cicero omnia ab Antonio remouit, quæ in bono imperatore requiruntur.*

Sed ægre tulisti.] *Occupatio ad notandum ambitione Tullium: cui occupationi duplici ratione occurrit: quarũ altera sumitur à dignitate, altera à periculo. neq; eras aliqua dignitate, ut tibi more & ordine imperiũ traderetur: & periculum erat ne armatus remp. oppressisses, qui solis uerbis tot ciuibus pestem perniciemq; attuleris in tuo consulatu.*

Oratorijs uerbis.] *Quasi diceret, ueneficis & fallacibus. nam in malam partem capit huiusmodi Calenus, ut initio fecit. Et subinde ad oratorẽ & oratoria uerba recurrit, eo inuidia atq; æmulatione impellente.* *Sed illuc redeo.*] *Et huc sæpius redit, huncq; sæpius uersat locum, quo maxime confidit. nam & unà sibi uidetur acta Antonij defendere, & Ciceronẽ inconstantiæ redarguere.* *Nam qui nudum metuere potuisti.*] *Nudum, ambiguũ uerbum. nam & ad id respicit, quòd nudus Lupercalibus Antonius concionatus est: & inermem, nullisq; septum armatis significat. Est autem argumentum ex minore, satis quidem elegans & bonum, ut & id quod statim sequitur.* *Omitto quòd gloriaris.*] *Irridet Ciceronem, & ab eius dicto resilit. Sed, ut dixi, non metuebat mortem Cicero, id quod finis eius ostendit, sed sine utilitate reipublicæ nihil erat quod mori uellet.*

Quæ cũ ita sint, uter uidetur uobis iniuste agere, Antoniúsne qui legionib. præest, quas uos ei tradidistis? an Cæsar, qui tanta potẽtia, eaq; propria septus, ad imperiũ ei à

uobis

nobis demandatum peruenit? an Brutus, qui eum Gallia prohibet? an Antonius, qui cogere socios uestros uult, parere uestris decretis? an hi, qui ducē à nobis missum non accipiunt: & ei adhæserūt, qui fuit ante reprobatus? Antonius, qui retinet nostros milites? an milites, qui ducē suum deseruerūt? Antonius, qui ad urbem nullum militē ex ijs quos ei tradidistis, adduxit? an Cæsar, qui olim iam pecunia persuasit militib. ueteranis ut huc uenirent? Equidem existimo uerbis nihil opus esse, ne quis putet eum nō omnia rectè administrare, quæ à uobis imperata sunt: nec de istis, quo minus pœnas dare nobis debeant, de ijs quæ per se ausi sunt facere. Idcirco enim præsidium habere uoluistis, nō Antonij causa, qui nihil priuatim cōtra uos egit, nec uos ob ullum suum maleficium timet: sed potius Cæsaris metu, qui exercitū contra Antoniū cōparauit: qui nunquā non complures habet milites in urbe. Hæc ego propter Ciceronem dixi, quando is cœpit contumelijs agere. neq; enim contentionibus delector ut iste facit: nec sum curiosus rerum alienarum, quod semper iste faciens gloriaē. Vt aūt sententia mea complectar, quæ mihi è rep. esse uidentur: ut nec gratificari Antonio, nec Cæsarem aut Brutū calumniari uideamur, ita censeo: cōmodum esse ne quē nobis inimicū faciamus, ex his qui armati sunt: neq; nimis inquiramus quid quisq; fecerit, præsertim cum tēpus ad id opportunū nō sit. cumq; omnes sint ciues nostri, quorū si quis perierit, nobis periturus sit: sin secunda fortuna usus fuerit, fiet cōtra nos potens. His igitur de causis censeo æquū esse, ut à nobis ciuiliter & amice tractenē, utq; omnibus pariter mandetis arma deponāt, exercitus & se in uestra potestate tradāt, nec cuiquā bellum inferatis: sed prout responsum uobis fuerit, sic omnia agatis. Qui parere uestris mādatis uolent, eos laudetis: qui nolent, eis bellum indicatis. Hoc enim cum æquū est, tum uobis maxime utile, ut nec nimis properetis, nec temere quicquā agatis: sed sustineatis aliquantisper, ducibusq; & militibus tempus pœnitendi cōcedatis. Cum uero belli tempus erit, omnia consulibus committatis.

Quæ cum ita sint.] Contentione grauissima rem illustrat & exaggerat. Contēdit enim Antoniū cū Cæsare Octauio, & ueteranis, cum Bruto, & colonia Mutinensi: & singulis adiungit sua facta, ex quibus quinā iuste, quine iniuste egerit eluceat. Vult enim in his omnibus Antoniū senatus decretis paruisse, omniaq; iure fecisse: contrà reliquos sine autoritate, sine decretis, per se arroganter omnia gessisse, idcirco pœnis obnoxios esse. Pulcherrima est hæc figura hoc loco: cui etiā tractatio uim grauitatemq; conciliat. tractatur enim percunctatione, quæ aptissima est ad aduersariū deijciendum, & auditores permouendos. *Socios uestros.*] Mutinenses, & alias Galliæ illius colonias. *Et ei adhæserunt.*] D. Bruto, cui Gallia mandata nō fuerat primū. *An milites.*] Martiā & quartā legionē intelligit, quæ Antoniū deseruerāt, maioribus præmijs ab Octauio allectæ, ut in Philippicis uidimus. *Qui ad urbem nullū mil.*] Ducebat tamen, nisi uenienti occurrisset Octauius, & furētis impetum repressisset, ut in Philippicis nō semel ostensum.

Equidem existimo.] Hæc uerba fiduciā in causa præ se ferunt: quasi nihil dubitandum sit quin Antonius omnia rectè fecerit, unde laudem mereatur: reliqui uero pœnas suæ temeritatis dare debeant. *Idcirco enim.*] Contra id quod Cicero dixit, præsidium senatus contra Antonij uim esse comparatū. *Sed potius Cæsaris metu.*] Propter Octauij metū præsidium comparatū esse duobus signis probat: tum quod Octauius contra Antoniū ducit exercitū, tum quod milites habet in urbe quos timeāt. nam si Antonius omnia senatus autoritate gerit, & Cæsar cōtra eū ducit copias, ergo Cæsar cōtra remp. facit: & idcirco metuendus. Sed falsum est Antoniū quæ gerat, senatus autoritate gerere. ergo falsum est etiā Cæsarē contra remp. facere, qui eum persequitur, qui contra remp facit. *Hæc ego propter Cicer.*] Conclusio est eius partis qua Ciceroni respondit pro Antonio. quod si quid durius aut procacius dictum est, culpā in Ciceronem reijcit, qui prior læsit. sic etiā excusat ille in Eunuchi prologo: Si quis, inquit, est qui in se dictum inclemētius existimet, Sciat responsum esse, nō dictum: quia læsit prior. *Vt aūt sententia mea complectar.*] Hic locus satis indicat suasoriā esse hanc causam. nam ad hanc sententiam omnia referuntur. Suam sententiā sola utilitate reip. metitur: nō quēadmodū Cicero honestate, uel honestate simul & utilitate. *Ne quē nobis inimicū.*] Non omnino malū cōsilium dat Calenus: id quod confirmat Iulij Cæsaris exemplū, quem cum sibi armatū ex Gallia redeuntē inimicū fecissent, uicti ei seruire coacti fuerunt. *Præsertim cum tempus.*] A tempore confirmat. *Cumq; omnes sint ciues nostri.*] Ab æquitate & iure naturæ. Ciues enim tanquā fratres conseruandi sunt. *Si quis perierit.*] Pars perit toti. totum est ciuitas, pars uero singuli ciues. Vtitur hoc loco dilēmate, quam diuisionē uocat Cornificius. Siue perierint, siue uictores fuerint, nobis damno cedet. nam si perierit altera pars, nobis perierit: sin uictrix fuerit, nos subijciet. Hic uates fuit Fusius. Victor enim Octauius omnia occupauit. *Vtiq; omnibus.*] Salubre consiliū, si modo nihil subesset fraudis. Sed arbitror Cæsarem & Antonium facturos fuisse quod postea fecerunt: conspiraturos contra Brutum, & contra rempub. nam prorsus uterq; ad principatum iam tum aspirabat, & eò omnia sua consilia dirigebat, & arma erant in manibus, quæ non facile nisi perfecta re, & expleta cupiditate deposuissent.

Te uero Cicero hortor, ne muliebri audacia utare, nec Bambalionē imiteris, nec bellum

A bellum excitare uelis, nec propter priuatã cum Antonio inimicitiã, totã ciuitatẽ in discrimẽ adducere: ac præclare feceris, si cum eo in gratiã redieris, cũ quo sæpenumero ante multa trãsegisti. quod si redire in gratiã nullo modo potes, nostri saltẽ rationẽ habeto: & qui cõmunis cõcordiæ autor extitisti, nũc eam ne dissoluito: sed recordare & illum diẽ, & illa uerba quæ in æde Telluris fecisti. acquiesce etiã nunc huic cõcordiæ, de qua deliberamus: ne si aliter feceris, illã alterã potius alia de causa, quàm recto animo suasisse uideare: præsertim cum id ad quod te hortor, & utile sit ciuitati, & tibi magno pere gloriosum. Neq; em̃ existimare debes, temeritatẽ tutã & gloriosam esse: nec etiã dicere te mortẽ contẽnere, quasi ob eã rẽ te laudatũ iri putes. huiusmodi namq; homines suspecti omnib. sunt, quasi amẽtia rem aliquã bonã facere audeãt: quos aũt uident propriæ salutis sollicitos esse, laudãt: utpote quos putãt nihil quod morte dignũ sit, facile admissuros. Quamobrẽ si uere patriã saluã esse cupis, ea dicas, eaq; facias, quibus ipse saluus esse possis, non ea quibus unà nobiscum sit tibi omnino pereundum.


Te uero Cicero hortor.] Ne non omnia cum Cicerone paria faciat, quoniã Cicero illum est ad finem orationis hor B *tatus ut quiescat, & ipse uicissim hortatur Ciceronem, sed pluribus, ne in ea parte superetur, nec sine cõtumelia, quo maiorem uim habeat hortatio. An non ualde stultũ est quem horteris contumelijs afficere? nõ sic Cicero cum hortaretur Antonium prima & secunda Philippica extrema, sed ita ut eius salutem summopere cupere uideretur: quod quidem faciendum est, si probari & amicè accipi tuam hortationẽ uelis, alioqui magis irritaueris quàm sedaueris. Nostri saltem rationem habeto.] Hortatur à persona & dignitate senatus, cuius salutem respicere debeat. Qui cõmunis concordiæ autor.] A Ciceronis persona & grauitate, quam tueri non posit, si huic sententiæ obstiterit. Sed recordare & illum diem.] Commemorat illi sua facta & exempla, ut ea (si constare sibi uelit) similibus factis tueatur & confirmet. Et illa uerba quæ in æde Telluris fecisti.] Orationem quam Cicero de pace & concordia habuit post mortem Cæsaris, quæ harum quatuor est prima. Præsertim cum id ad quod te hortor.] Ab utilitate publica, & priuata Ciceronis gloria, id est ab honesto. Nec etiam dicere te mortem contemnere.] Locum cõmunem de contemnenda morte in diuersum trahit, & contra Ciceronem interpretatur: quòd qui mortem & cruciatus paruifaciunt, facile ad maleficia impellantur. Sed tales non mortem contemnunt, sed pericula nõ intelligunt, neq; reputãt, utpote aut cupiditate cæcati, aut natura obtusi. Mortẽ aũt contemnere pro patriæ salute, pro æquitate, pro uirtute tuenda, diuini prorsus* C *animi est, & humanas res omnes contẽnentis. Et qui tales sunt, uiri fortes & excelso animo præditi, honestũ nunquã nec mortis, nec eculei metu deserunt: digni qui ad reip. gubernacula, ad principatus & imperia admoueantur, si modo fortitudini iustitiam coniunctam habent, sine qua fortitudo ipsa posset esse perniciosa. Hæc hactenus & cursim, multis & uarijs rebus distracti cõmentabamur, quo factum forsitan fuit, ut in paucis lapsi simus, quæ tamen amicè admoniti, emendare parati sumus: gratiam etiam non paruam admonitoribus habituri.*

*INterea aliqua nosipsi, quæ pòst deprehendimus, ne quid scientes prætereamus, hic corrigemus. Primum diximus in Philippicis, Brutum eum qui reges exegit Roma, non Lucium, sed Iuniũ appellari: nos fefellerat Plutarchus: uerũ deprehendimus ex Liuio, eum L. Iuniũ Brutum nominatũ. Item in Antonij funebri, ubi dicit: Itaq; nunc Gallia subacta est, quæ & Abronas, & Cimbros contra nos misit. hic dixi me qui Abronæ populi essent, ignorare: & pro Abronis, fortassis legendum esse Eburones, aut Teutonas: sed cum mihi non satisfecissem, & scrupulus adhuc hæreret, amicum rogaui ea de re, qui mihi dixit, Abronas à Dione dici, quos Ambrones in Mario uocat Plutarchus, & nominis quoq; rationem reddit. Nam tres fuerunt gentes (si tamen Ambrones diuersi à Cimbris uel Teutonis sint) quæ in Italiam erupere, Cimbri, Teutones, & Ambrones, siue Abrones. De Abronibus igitur (quoniam de illis agitur) sic Plutarchus: Hostes bel*D *licosiores, à quibus Romani Manlio & Cepione ducibus antè uicti sunt, Ambrones appellãtur. Hi soli multitudine supra triginta millia erant, qui satietate uentris graues ac superbi, prouocati ad arma capienda concurrebant. Sed neq; temerarijs, neq; furiosis cursibus ferebantur, neq; incerto clamore gradiebantur, uerum arma rhythmo & harmonia quadam pulsantes, atq; unà omnes procedentes, Ambrones sæpe iterabant, siue ut semetipsi conuocarent & cohortarentur, siue ut hostibus aperta & nota appellatione terrorem incuterent.*

ERRATA RELIQVA SIC CORRIGENDA

In Bruti Epistolæ titulo, pag. 4. lege, *Epistolarũ ad Brutum.* Pag. 9. B. uersu 12. *inuidiæ minimũ.* Pag. 11. B 3. *uisus est.* Pag. 15. B 6 *lenioreq;.* Pag. 25. C 2 *uis & arma.* Pag. 29. D 7 *iudicia po. Ro.* Pag. 49. uer. ult. *qui spẽ lucri.* Pag. 75. C 4 *in odium senatus.* Pag. 80. C 2 *qua rem.* Pag. 90. B 8 *opponerentur.* Pag. 108. uers. ante orationis principium ultimo, *& animorũ motus.* Pag. 163. C 3 *diutius uiuunt quercus.* Pag. 195. D 10 *pila minãtia.* Pag. 219. C 1 *eum conscidistis.* Pag. 249. B 13 *Latinæ linguæ.* Pag. 250. A 11 *philosophari.] id est de uita & morte disputare.* Pag. 259. A 3 *postridie eius diei est habita.* Item ibidẽ uer. 12 *& facile fuit.* Pag. 263 D 10 *nec imperatoris.* Pag. 266. A 9 *poplitibus.* Pag. 274. B 13 *extra ordinem sexta.* Pag. 276. C 7 *ad uerbum est.* Pag. 283. A 14 *deorum filij.* Pag. 285. cõment. uer. penult. *uerisimilitudo.* Pag. 287. cõment. pen. *res magnas.* Pag. 295. A 14 *sed quasi nimbus.* Pag. 301. C 11 *non uiris modo.* ibidẽ D 5 *quis tamen silentio.* Pag. 302. A 7 *& ut dictatori.* ibidem D 1 *cucurrisset.* Pag. 303. A 4 *quàm grauis.*

FINIS.



INDEX QVI RERVM, VERBORVM, HISTORIARVM, SCHEMATVM, ALIARVMQVE ARTIS RHETORICAE PRAECEPTIOnum ornamentorumq́ obſeruationes complectitur, ex cōmentarijs & enarrationibus Philippicarum excerptus, ſecundum numerum foliorum, cum litera in margine adiecta locum rei obſeruatæ proximum demonſtrante.

Archipirata

B

sua

D

F

Historias

I

Impotenti

Manipuli

N

O

P

Puteoli

Suauitatis

Tullianum

FINIS.

ERRATA SIC RESTITVENDA.

47.b.8. Ago etiam. 281.a.15. qua fortassis. & uersu sequenti, cohortatus. 297.d.5. republica facere.

SERIES CHARTARVM.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D E F.
Omnes terniones præter y & F quaterniones.

BASILEAE APVD HIER. FROBENIVM
ET NIC. EPISCOPIVM
ANNO M. D. LI


FRO
BEN.

